XIV.
F.
7.
BIBLIOTECA NAZ
Vittorio Emanuele III
XIV
F
7
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE LIBERTATE ECCLESIÆ

IN CONFERENDO ECCLESIASTICA BENEFICIA

NON MODO CLERICIS INDIGENIS, VERUM ETIAM EXTRANEIS,

AC

DE IMMUNITATE

BENEFICIARIORUM MERE SIMPLICIUM A PERSONALIS DEBITO RESIDENTIÆ.

OPUS

Nùnc primò editum, in quatuor Tomos diſtinctum, & Sacrâ Eruditione plenè refertum; in quo adverſùs modernos Impugnatores

IPSARUM

LIBERTATIS, ET IMMUNITATIS

Rationibus Scripturalibus, Theologicis, Petitis ex SS. Patribus, & ex Sac. Conciliis, Legalibus tandem, Hiſtoricis, & Politicis, claro, & eleganti eloquio, probatur,

Quod liberum, & licitum eſt Eccleſię, illiuſq; Miniſtris, atquè in primis Romano Pontifici ejuſdem Eccleſię Capiti, necnon Epiſcopis, aliiſque omnibus, tàm Ordinariis, tàm Delegatis Beneficiorum Collatoribus, atquè ad ea Nominatoribus, ipſa Beneficia, non modò Clericis Indigenis, verùm etiàm Extraneis impertiri.

Et quòd Beneficiarii merè ſimplices à Reſidentiæ perſonalis debito ſunt immunes.

UNIVERSIS EPISCOPIS, ET ORDINARIIS LOCORUM,

Eorumque Vicariis, Præſulibus, Abbatibus, Miniſtris, & Conſiliariis Principum, Senatoribus, Judicibus, Theologis, Juriſconſultis, Cauſidicis, Politicis, Hiſtoricis, & Eruditis, cunctis demum Beneficiorum Collatoribus, & Patronis, tam Eccleſiaſticis, quàm Laicis, valdè utile, & reſpective neceſſarium.

AUCTORE ILLUSTRISS. ET REVERENDISS. DOMINO

JOANNE BAPTISTA BRASCHIO

CÆSENATEN. EPISCOPO SARSINÆ, COMITE BOBII.

TOMUS II.

CONTINENS RATIONES, ET PROBATIONES PRÆFATÆ LIBERTATIS, A Sæculo Decimoquarto uſque ad noſtram ætatem coadunatas. Ac quid ſpeciale dicendum ſit de beneficiis Eccleſiaſticis Regni Neapolitani, Feudalis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ.

SANCTISS. AC BEATISS. PATRI PAPÆ

CLEMENTI XI.

Chriſti Vicario, Petri Succeſſori, Hierarchæ Eccleſiæ, Chriſtianorum Patri, omniumque Benefactori, humillimè dedicatus.

LUGDUNI, MDCCXVIII.

Superiorum permiſſu, & privilegio.

SANCTISSIME, AC BEATISSIME PATER.

LOquar ad Dominum, cùm ſim pulvis, & cinis, inquiebat Abraham, Deum Altiſſimum allocuturus (a). Elinquem ſe paritèr profitebatur Jeremias, ad facienda verba coram ipſo Deo Iſrael invitatus (b). Eloquii sè tardioris eſſe cenſebat Moyſes (c); Sibi Seraphim, quos vidit Iſaias, faciem alis aureis contegebant (d); Sui tandèm ſermonis copiam exerere non audebant, & Petrus in navi (e), & Paulus in viâ (f), & Publicanus in Templo (g), voces in conſpectu Domini prolaturi. Tantundèm & mihi eſſet nùnc agendum, Beatissime Pater, dùm coràm Vobis, qui Dei vices in terris meritiſſimè retinetis (h), de hoc Volumine, Sanctitati Veſtræ dicando, humili ſenſu verba compono. Ecquis etenìm apud Vos digno valeat ſermone profari, qui eſtis ex munere, *omnium Chriſtianorum Pater, & Doctor?* (i) Quis *ad Veſtræ Serenitatis piiſſimam præſentiam* (l) sè fiducialitèr audeat inclinare, ac Vobis, qui ex merito virtutis propriæ, tùm Scientias,

(a) *Geneſis c.18. num.28.*

(b) *Jerem. cap. 1. num. 6.*

(c) *Exodi cap. 4. num. 10.*

(d) *Iſaiæ cap. 6. num. 2.*

(e) *Lucæ cap. 5. num. 9.*

(f) *Act. Apoſt. cap. 9. num. 6.*

(g) *Lucæ cap. 18. num. 13.*

(h) *Cap. quanto de transiat. cap. fūdamēta de elect. in 6. S. Thom. 2. 2. qu. 88. art. 12. ad 3. S. Bernardin. in Marial p. 3. ſerm. 3.*

(i) *Concil. Florent. ſeſ. 25. in liter union. Bzov. de Pont. f. cap. 23.*

(l) *Hincmar. Laudunen. Joanni PP. 8. in Concil. Treceuſ. ann. 878.*

Digitized by Google

SERIES CAPITUM,

Quæ in hoc Secundo Tomo continentur.

SÆCULUM CHRISTI QUINTODECIMUM.

CAPUT PRIMUM. *IN quo ex Conciliis* Conſtantienſi, *&* Baſileenſi: *necnon ex contentionibus, quæ fuerunt inter* Martinum Papam V. *&* Uladiſlaum Regem Poloniæ: *atque inter alios* Papas, *ac* Reges Galliæ; *probatur Eccleſiæ libertas, in conferendo Eccleſiaſtica Beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiam extraneis.* fol. 1.

CAPUT II. *In quo ex* Concordatis Germanicis, *& ex contentionibus, excitatis tempore* Maximiliani I. *&* Caroli V. *Imperatorum, in* Comitiis Norimbergæ, *inter Sedem Apoſtolicam, & Germanos; probatur Eccleſiæ libertas, in conferendo Eccleſiaſtica Beneficia, etiam Clericis extraneis.* fol. 17.

CAPUT III. *In quo ex Factis, Scriptis, Brevibus, & Indultis* Summorum Pontificum, *qui* Decimoquinto *Chriſti* Sæculo *Sedi Apoſtolicæ præfuerunt; probatur libertas Eccleſiæ, in conferendo Sacras Præbendas, tùm Clericis indigenis, tùm etiam extraneis.* fol. 28.

CAPUT IV. *In quo ex* Scriptoribus Eccleſiaſticis, *qui* Sæculo Chriſti Quintodecimo *floruerunt, nempè ex* S. Antonino; *ex* Abbate Panormitano: *ex* Petro de Alliaco: *ex* Cardinali Papienſi: *ex* Alphonſo Toſtato, *& ex* Joanne de Turrecrematâ, *probatur libertas Eccleſiæ, in conferendo Eccleſiaſtica Beneficia, tùm Clericis extraneis, tùm indigenis.* fol. 39.

SÆCULUM CHRISTI XVI.

CAPUT V. *In quo ex Sacris Conciliis Generalibus* Lateranenſi V. *&* Tridentino, *probatur libertas Eccleſiæ, in conferendo Eccleſiaſtica Beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiam extraneis.* fol. 49.

CAPUT VI. *In quo ex Indultis, per Romanos Pontifices collatis, & præſertim per* Leonem X. *Romanis, & Milevitanis, per* Clementem VII. *Hydruntinis, & per* Sixtum V. *Valentianis; probatur Eccleſiæ libertas, in conferendo Eccleſiaſtica Beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiam extraneis.* fol. 66.

CAPUT VII. *In quo ex decem Theologis inſignibus, qui* Sæculo Chriſti Sextodecimo *claruerunt; probatur libertas Eccleſiæ, in conferendo ſacra Beneficia, non ſolùm Clericis indigenis, verùm etiam extraneis.* fol. 83.

CAPUT VIII. *In quo ex pluribus Canoniſtis, qui* Sæculo Chriſti Sextodecimo *in vivis fuerunt; probatur libertas Eccleſiæ, in conferendo Eccleſiaſtica Beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiam extraneis.* fol. 97.

SÆCULUM CHRISTI XVII.

CAPUT IX. *In quo ex pluribus* Indultis Summorum Pontificum, *necnon ex* Decretis Sacræ Congregationis, *& ex* Deciſionibus Rotæ Romanæ, *ipſamet libertas Eccleſiæ probatur, admittendo, etiam Clericos extraneos ad Eccleſiaſtica Beneficia.* fol. 108.

CA-

CAPUT X. *In quo ex variis* Theologis*, aliiſque Auctoribus, qui* Sæculo Chriſti Decimoſeptimo *claruerunt, probatur libertas Eccleſię, in conferendo ſacras Prębendas, & Eccleſiaſtica Beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiam extraneis.* fol. 119.

CAPUT XI. *In quo ex decem* Canoniſtis *multę famæ, qui* Sæculo Chriſti Decimoſeptimo *ſua ſcripta ediderunt; probatur libertas Eccleſię, in conferendo ſacras Præbendas, & Eccleſiaſtica Beneficia, tàm Clericis extraneis, tàm indigenis.* fol. 132.

CAPUT XII. *In quo pluribus rationibus, deſumptis ex Jure* Poſſeſſionis*, atque* Præſcriptionis*; necnon ex Poteſtate* Diſpenſandi *ſuper legibus, quę ineſt Eccleſię; probatur ipſius Eccleſię libertas, in conferendo ſacra Beneficia etiàm Clericis extraneis.* fol. 147.

SÆCULUM CHRISTI XVIII.

CAPUT XIII. *In quo afferuntur aliæ rationes, juſtificantes debitum committendi eccleſiaſtica beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiam extraneis.* f. 157.

CAPUT XIV. *In quo variis Rationibus, ut plurimùm* Politicis*, & ex variis inconvenientibus, quæ ſequerentur, ob exclusionem Clericorum extraneorum à beneficiis; probatur libertas Eccleſiæ, in hęc tradendo etiam Clericis extraneis.* f. 173.

DE PENSIONIBUS, BULLIS, ANNATIS, ET QUINDENNIIS.

CAPUT XV. *In quo novis adhùc* Politicis *Rationibus, eadem libertas Eccleſiæ probatur, committendi Eccleſiaſtica Beneficia, etiàm Clericis extraneis. Agiturque opportunè de* Penſionibus *eccleſiaſticis.* f. 185.

CAPUT XVI. *In quo datâ opportunitate, fit ſermo de* Bullis*, ac Literis Apoſtolicis, quæ in Beneficiorum conſecutione ſuſcipiuntur, deque illis agitur, tàm antiquè, quàm recentèr conſideratis.* fol. 196.

CAPUT XVII. *In quo de* Annatis *agitur, &* Quindenniis*, aliiſque exactionibus, quæ Datariæ Apoſtolicæ perſolvuntur, earumque juſtitia probatur.* fol. 207.

CAPUT XVIII. *In quo materia præcedentis Capituli continuatur, circà* Annatas*, &* Quindennia*, quæ exiguntur ab Apoſtolicâ Datariâ. Deindèque deſcenditur ad oſtendendam libertatem Eccleſiæ, in præficiendo etiàm Clericos extraneos Eccleſiaſticis Beneficiis.* fol. 219.

DE METHODO DISPENSANDI BENEFICIA.

CAPUT XIX. *In quo diſcutitur, ad quem pertineat Beneficia Eccleſiaſtica diſtribuere. Et de methodo in hac obſervatâ, ab initio Eccleſiæ, donèc fuit mos eadem per viam Electionis Canonicæ diſpenſandi.* fol. 230.

CAPUT XX. *In quo continuatur materia Capituli præcedentis, de modo in diſtributione Beneficiorum, præſertim Epiſcopalium, obſervato, eo tempore, & ubi electio Canonica in uſu fuit.* fol. 241.

CAPUT XXI. *In quo ex propoſito diſceptatur, an Papa leges Eccleſiaſticas mutare poſſit. Et an adfuerit juſta Cauſa ſupprimendi formam Electionis Canonicæ, aliamque methodum introducendi, in conferendis Eccleſiaſticis Beneficiis, obſervandam.* fol. 255.

CAPUT XXII. *In quo demonſtratur, adfuiſſe juſtas cauſas ſupprimendi formam Electionis Canonicæ, & introducendi novam methodum, in Beneficiorum diſpenſatione obſervandam, quæ jàm nùnc viget.* fol. 269.

CA-

munuſculum, quod exhibeo: ſit acceptum obſequium, quod humilitèr hic exerceo. Nimiùm namque non præſumo, ſed Vobis reddo quod debeo, hunc qualemcumque conatum ingenioli mei Veſtræ nuncupans Sanctitati. *Attendat autem à Deo inſtitutum Veſtræ* Clementiæ *faſtigium* (s), non tàm Operis tenuitati, quàm ſiccitati argumenti: & quidquid elegantiæ, ac ſumptuoſitatis, procumbente ad pedes Veſtros, deficit in Volumine; ſuâ benignè ſuppleat probitate. Si non aliud, hoc ſaltèm habeat in pretio, quod ſolo intuitu defendendæ *Libertatis*, & *Immunitatis* Eccleſiaſticæ, nimiis jàm noſtro ſæculo vexationibus afflictarum; unus adverſus plures Antagoniſtas exilis ego, ac *humi repens*, *atque infirmus*, *& vix ullius momenti* (t); corde nihilominùs magno, pro viribus pugnaturus, in arenam deſcendi: & id inprimis aggreſſus ſum, ut ſartatecta jura Veſtræ Cathedrę cuſtodirem, quam veneror, quam adoro, quam ſempèr optavi poſſe aliquâ puſillitatis meæ operoſitate percolere: nàm *niti viribus*, *& matrem Eccleſiam labore aſſiduo adjuvare*; *certè decet*: *& cuicumque Præſulum convenit* (u). His operam dans, ſi non egi quod debui; feci tamen quod potui: & *ſi quid minùs peritè*, *aut parùm cautè fortè poſui*; *emendari cupio à Vobis*, *qui Petri fidem*, *& cathedram retinetis* (x). Sed jàm in genua provolutus, à patientiâ Veſtrâ eloquio ſermonis mei diutius fatigandâ, deſiſto: meque meæ relinquens *Mediocritati* (y). Veſtrâ Vos honorans in *Majeſtate* (z); oris officia ſilentio reverenti commuto: Ac Sanctam Beatitudinem Veſtram toto corde peroptans *hìc*, *& in æternum valere* (aa); ſuper ſacris Pedibus Veſtris venerabundus oſcula impono. Sarſinæ ex Epiſcopio v. Kalend. Septembris 1717.

(s) *Agatho PP. epiſt. ad Cōſtantin. Pogonat. Imper.*

(t) *S. Auguſt. Tract. 36. in Joann.*

(u) *Jacob. Card. Papienſ. epiſt. 321.*

(x) *S. Hieron. epiſt. ad Damas.*

(y) *Epiſcopi Concil. Carthag. epiſt. ad Innoc. PP. 1. quæ eſt 90. inter epiſt. S. Auguſt.*

(z) *B. Petrus Cluniac. Innocentio PP. 2. lib. 4. ep. 9.*

(aa) *Adventius Metenſis Nicolao PP. 1. Card. Baron. ann. 863. n. 50.*

Humil.[mus] *Devotiſ.*[mus] *& Obſeq.*[mus] *Servus*
Joannes Baptiſta Epiſcopus Sarſinæ.

DE MANDATIS APOSTOLICIS, DE REGULIS CANCELLARIÆ, DE CONCORDATIS, ET DE PRIMIS PRECIBUS.

CAPUT XXIII. *In quo agitur de ſupremâ Papæ Poteſtate in omnium Beneficiorum diſpenſatione. Et ad quos pertineat eadem Beneficia largiri, poſtquàm forma Electionis Canonicæ ſuppreſſa eſt. Fitque ſermo etiàm de* Mandatis Apoſtolicis. fol. 282.

CAPUT XXIV. *In quo continuatur Materia Capituli præcedentis: Agiturque de* Regulis Cancellariæ *Apoſtolicæ: De* Concordatis *intèr Sanctam Sedem, & aliquas Nationes: atque de* Primis precibus, *quas dat Imperator Eccleſiis Germaniæ.* 290.

DE SPECTANTIBUS PECULIARI MODO AD REGNUM NEAPOLITANUM, EJUSQUE BENEFICIA.

CAPUT XXV. *Quid peculiare dicendum ſit de Beneficiis Eccleſiaſticis, in* Regno *Neapolitano conſtitutis, quoàd eorum Collationem, tàm Clericis extraneis, quàm indigenis. Oſtenditurque hoc Regnum eſſe proprium, & patrimoniale Romanæ Eccleſię.* fol. 312.

CAPUT XXVI. *In quo ex pluribus, & diverſis Imperatorum, aliorumque Principum Diplomatibus, Conſeſſionibus, & Documentis, oſtenditur, quod Regnum Neapolitanum ſpectat ad Supremum Dominium Sedis Apoſtolicæ, adeòque illius eſt Feudum.* fol. 337.

CAPUT XXVII. *In quo manifeſtum ſit, quod Regnum Neapolis, illiuſque Ordines, non mandarunt, nequè promovent Actionem Excluſionis Clericorum extraneorum ab Eccleſiaſticis Beneficiis ipſius Regni.* fol. 351.

CAPUT XXVIII. *In quo examinatur, quinam verè ſint Indigenæ, ac quot modis tales fiant: Quinamque ſint Extranei. Et in Regno Neapolitano, quinam pro talibus habeantur.* fol. 371.

ARBOR REGUM NEAPOLIS.

CAPUT XXIX. *In quo ex paritate admiſſionis Laicorum extraneorum ad Munia, & Officia Sæcularia Regni Neapolitani; probatur, Clericos quoque extraneos eſſe ad Beneficia Eccleſiaſtica ejuſdem Regni admittendos.* fol. 383.

DE PRAGMATICIS, ET INVESTITURIS REGNI, FAVENTIBUS ADMISSIONI EXTRANEORUM.

CAPUT XXX. *In quo ex* Pragmaticis *Regni Neapolitani, & ex Inveſtituris Principum lineæ Regalis* Normannicæ, *oſtenditur, non ſolùm Clericos indigenas, verùm etiàm extraneos, in Regno præfato eſſe ad Eccleſiaſtica Beneficia admittendos.* f. 400.

CAPUT XXXI. *In quo ex Inveſtiturâ, & aliis documentis, ac eventibus Principum lineæ* Svevicæ, *oſtenditur, quod in Regno Neapolitano, etiàm Clericis extraneis patere debet acceſſus ad eccleſiaſtica beneficia.* f. 414.

CAPUT XXXII. *In quo ex Inveſtituris Regum lineæ* Andegavenſis, *probatur libertas Eccleſię in conferendo beneficia eccleſiaſtica ejuſdem Regni, nedùm Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis.* f. 429.

CAPUT XXXIII. *In quo ex Inveſtituris Apoſtolicis Regum lineæ* Aragonenſis *oſtenditur, in Regno Neapolis, etiàm Clericos extraneos eſſe admittendos ad eccleſiaſtica beneficia.* f. 439.

CA-

CAPUT XXXIV. *In quo ex Inveſtituris Apoſtolicis Regum lineæ* Auſtriacæ, *ac ex eo, quod Regnum Neapolis eſt feudale Sedis Apoſtolicæ, oſtenditur, quod in eo præfici debent etiam Clerici extranei eccleſiaſticis beneficiis.* f. 454.

DE FUNDATIONE BENEFICIORUM REGNI NEAPOLIS.

CAPUT XXXV. *In quo oſtenditur, quod non eſt utilis Regi, neque Incolis Regni Neapolitani, reſtrictio collationis beneficiorum eccleſiaſticorum ad ſolos indigenas. Agiturque de fundatione beneficiorum Regni.* f. 463.

CAPUT XXXVI. *In quo continuatur materia Capituli præcedentis, an Reges Neapolitani dotaverint Eccleſias illius Regni, undè habeant ſe illarum proviſionibus immiſcere, & per hoc extranei ſint repellendi.* f. 476.

DE ASSENSU REGIO, VEL REGIO EXEQUATUR.

CAPUT XXXVII. *De libertate, quâ præditus eſt Rex Neapolis, præſentandi ad beneficia ſui Regii patronatus etiam Clericos extraneos. Agiturque de* Aſſenſu Regio, *ſive de* Regio Exequatur, *quem, & qualem, ac ubinàm locum habeat?* f. 488.

CAPUT XXXVIII. *In quo examinatur, quid in Regno Neapolitano ſentiendum ſit de* Aſſenſu Regio, *ſive de* Regio Exequatur. *Et an ibi haberet locum ſub* Imperatoribus Græcis, *ac ſub Regibus* Normannis, Svevis, *&* Andegavenſibus. f. 501.

CAPUT XXXIX. *In quo continuatur ſermo de* Aſſenſu Regio, *an locum habuerit ſub Regibus linearum* Aragonenſis, *&* Auſtriacæ. *Et an proficiat cauſæ Contradictorum.* f. 512.

CAPUT XL. *In quo oſtenditur praxis ab initio Eccleſiæ uſque ad noſtra tempora, in Regno Neapolis obſervata, ibidem præficiendi Eccleſiaſticis Beneficiis, non ſolùm Clericos indigenas, verùm etiàm extraneos.* f. 526.

SÆ-

SÆCULUM CHRISTI XV.

C A P U T I.

In quo ex Conciliis Conſtantienſi, & Baſileenſi: *nèc non ex contentionibus, quę fuerunt intèr* Martinum Papam V., & Uladislaum Regem Poloniæ: *atque intèr* alios Papas, *ac* Reges Galliæ, *probatur Eccleſiæ libertas, in conferendo Eccleſiaſticą beneficia, non modo Clericis indigenis, verum etiam extraneis.*

S U M M A R I U M.

1 *Ob tres, de Pontificatu certantes, opus fuit coaleſcere* Concilium Conſtantienſe, *in quo, Schiſmate abſumpto, electus eſt Martinus V.*

2 *In hoc Concilio ſtatutum eſt, ne translationes Epiſcoporum, & Abbatum fiant abſque magnâ, & juſtâ causâ, cognitâ, & approbatâ.*

3 *Concilium ipſum reprobat diſſentientium, & approbat conſentientium translationem, ſi juſta cauſa concurrat.*

4 *Jurgium habuit Martinus Papa cum* Uladislao Rege Poloniæ, *vetante, ne extraneis beneficia paterent, in ejus Regno.*

5 *In epiſtolâ ad Regem Papa ſignificat, ſe liberè Eccleſias in aliis Regnis conferre, etiam extraneis.*

6 *Indulta ſi alicubi ſunt, repellentia extraneos, poſteriora erunt Martino V. Non eſt novitas provehere extraneos ad beneficia, ſed potiùs eos repellere.*

7 *Ajunt Contradictores, prius Caſimirum, indè Uladislaum Reges Poloniæ obſtitiſſe extraneis, & Papam, quæ tùnc egit; egiſſe, ut Cardinali Brandæ faveret habenti beneficia in Poloniâ.*

8 *Poloni eo tempore alibi beneficia poſſidebant, ergò viceverſa etiam extraneis patere debebat acceſſus ad Polonica.*

9 *Uſque ad Sæculum XI. in Poloniâ cuncti Epiſcopi erant Itali. A capitulis electi, confirmabantur à Papâ.*

10 *Conſtitutio Regis Caſimiri, extraneis obſiſtens, non habuit effectum. Rex quoque Uladislaus libertati Eccleſiæ tandèm acquievit.*

11 Concilium Baſileenſe, *ab initio legitimum, poſteà ſpurium, incubuit deprimendę Sedis Apoſtolicę poteſtati.*

12 Textus Concilii Baſileenſis innuitur, præſcribentis modum, & qualitates, in beneficiis, & beneficiariis attendendas.

13 Dictum Concilium jubet admitti Clericos, nedùm de ipſâ diœceſi, ſed etiam aliundè. Nullus eſt canon coarctans collationem ad Clericos ejuſdem Regni.

14 In eodem Concilio prohibetur, ne Papa, illiuſve Legatus, reſervationes Eccleſiarum faciant, Quæ ſanctio nulla fuit.

15 Nihilominus Concilium admiſit, ut Papa diſponat de aliquibus beneficiis, pro ſuo arbitrio: ergò etiam favore extraneorum.

16 Decernit Concilium, Cardinales Romanę Eccleſiæ ex diverſis Chriſtianitatis regionibus aſſumendos. Cardinalatus eſt beneficium.

17 Hoc tempore fuit edita Pragmatica ſanctio Caroli VII. Regis Galliæ, quæ miſſa fuit Conciliabulo Baſileenſi approbanda.

18 Eugenius Papa IV. Pragmaticam improbavit, Regemque requiſivit, ut ab inceptis deſiſteret. Andegavenſi Eccleſiæ Præſulem ex ſe præfecit.

19 Quâ de re graves literas dedit ad Renati Andegavenſis uxorem, quem dignitate Regis Neapolis decoraverat.

20 Pragmaticam ipſam ſanctionem quis Regum Francię adinvenerit? Quę ſolum proviſionalitèr de beneficiis decernebat, ſalvâ legitimo Papę reverentiâ.

21 Affertur pars edicti Caroli VI. quo proviſiones beneficiorum dat electoribus, collatoribus, & præſentatoribus, proſcriptis reſervationibus Apoſtolicis.

22 Carolus VII. juravit de patris edicto ſervando, aliud edictum adiiciens; mox quievit, indè novum condidit edictum, extraneis obſiſtens.

23 Eugenius IV. Papa hęc omnia damnavit. Rex convocatis Præſulibus in Urbe Bituricenſi, Pragmaticam ſanctionem promulgavit.

24 His initiis prodiit ipſa Pragmatica, quam variis epithetis deteſtativis qualificarunt Pontifices. Clerus Gallię univerſalitèr eam non acceptavit.

25 Ludovicus XI. juravit Pragmaticam delere, ſi perveniret ad Regnum: quâ de rè interpellatus à Pio Papa, promiſſis ſtetit.

26 27 Refertur epiſtola, quam Ludovicus XI. præfatus Rex Francię Pio Papę II. ſcripſit, pro abrogandâ Pragmatica ſanctione.

28 Epiſtola Cardinalis Papienſis ad Regem, de Pragmaticæ abolitione refertur. Quid Rex ipſe, indè Ludovicus XII. egerint pro eâdem rursùs excitandâ.

29 Monitorium Julius II. edidit in Concilio Lateranenſi V. adversùs Pragmaticam ſanctionem, pro illâ penitùs abrogandâ.

30 31 In Concordato Gallicano intèr Leonem Papam X., & Franciſcum I. Regem Gallię, Pragmatica ſanctio fuit abrogata.

32 Pragmatica ſanctio, vel ut in ſuâ origine ſalvans reverentiam Sedi Apoſtolicę, vel ut abrogata, non obeſt, ſed potiùs proficit extraneis.

33 Hæc Pragmatica nihil Contradictoribus favet, Papa in Concilio eum abolivit. Rex à Parlamentis Gallię ratihabitionem abrogationis elicuit.

34 Ex totâ ſerie ſucceſſus Pragmaticę ſanctionis, ejuſque abolitionis, comprobatur libertas Eccleſiæ, præficiendi beneficiis etiam extraneos.

Digitized by Google

1\. VRBS *fortitudinis noſtræ Sion Salvator, murus, & ante-murale* totius laboris noſtri (*a*), quo auſpice præcedens Tomus à Primo Sæculo perrexit, uſque ad Quartumdecimum incluſivè, probans efficacitèr libertatem Eccleſiæ, in conferendo ſacras præbendas, & eccleſiaſtica beneficia, non modo Clericis indigenis, verùm etiam extraneis; ponet, ut ſperamus, in ore noſtro verba veritatis uſquequaque, ut pro eâdem libertate, reſpectu ad ſubſequentia ſæcula, documentis congruis peroremus. In ejuſdem igitur Domini, & Salvatoris noſtri glorioſo nomine, ac ſub illius almo præſidio, ſermonem reſumimus, & præſentis Tomi Secundi lucubrationem fauſtis auſpiciis aggredi properamus. Occurrit autèm primo loco Sæculum Decimumquintum, quod ſanè contentioſiſſimum fuit, ut Clericos extraneos à conſecutione beneficiorum arceret. Sed Chriſtus, ſuam regens Eccleſiam, ejuſque jura in brachio forti cuſtodiens; ſartamtectam ipſius libertatem ſervavit, ac miro modo de ejuſmet libertatis impugnatoribus triumphavit, Ad abolendum lethale illud, ac deplorabile ſchiſma, quod Sęculo præcedente fuerat introductum, intèr Urbanum Papam VI., & Robertum Gebennenſem, qui sè pro Pontifice venditabat, ſub nomine Clementis VII. (*b*): Nec non intèr iſtorum Succeſſores: quibus tertius acceſſit, ille qui in Concilio Piſano fuerat Pontifex conſtitutus, Alexander VI. nomine nuncupatus, in cujus citò defuncti locum ſucceſſerat Joannes XXIII. (*c*) itâ ut jam tres de Pontificatu certarent, & in eo sè pro viribus confoventes, unitatem Eccleſiæ ſcinderent, illiuſque Corpus tricipiti capite deformarent (*d*); Neceſſe fuit cogere Concilium Conſtantienſe anno 1414. in quo tres ipſi Competitores ad Papatum deponendum urgerentur Gregorius, nempè XII. Benedictus XIII. & Joannes XXIII. (*e*), ut ſchiſmate prorsùs abſumpto, novus Pontifex certus, & legitimus Eccleſiæ præficeretur, prout & factum eſt anno 1417. electione Martini Papæ V. (*f*) Qui tantæ benignitatis, & juſtitiæ vir fuit, ut felicitas ſui ſæculi meruerit nuncupari (*g*).

(a) *Iſai. cap. 26. nu. 1.*

(b) *Raynald. ann. 1376. num. 22.*

(c) *Raynal. an. 1409. num. 1. 5.*

(d) *Ciacon., Platina, & alii in Alex. V. & Joann. XXIII.*

(e) *Vid. Act. Concil. Conſtantienſis.*

(f) *Contelor. in Martin. V.*

(g) *Foreſt. Mappam. Flor. in Martin. V.*

2\. In iſto Concilio ſequens Canon, inter ſanctiones alias, eſt editus: *Cum ex Prælatorum translationibus Eccleſiæ ipſæ, de quibus transferuntur, plerumque gravibus in ſpiritualibus, & temporalibus ſubjaceant diſpendiis, & jacturis. Prælati quoque non nunquam jura, & libertates Eccleſiarum ſuarum translationis formidine non adeò ſolertèr, ut alias proſequantur, nè ad importunitatem quorumdam, quæ ſua, & non quæ Jeſu Chriſti quærentium, Romanus Pontifex, forſan ut homo, facti neſcius, in hujuſmodi circumveniatur, aut alias levitèr inclinetur; præſentibus ſtatuimus, & ordinamus, invitorum Epiſcoporum, & Superiorum translationes abſque magnâ, & rationabili cauſâ, quæ vocatâ parte cognita fuerit, & decisâ de conſilio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, vel majoris partis eorumdem, & ſubſcriptione, de cætero fieri non debere. Inferiores vero, ut Abbates, aliique perpetuò beneficiati, inviti, abſque juſtâ, & rationabili cauſâ cognitâ, amoveri, ſeù privari non debeant. Adjicientes, quod in mutationibus Abbatum, ſubſcriptio Cardinalium interveniat, ſicut in Epiſcopis eſt præmiſſum: ſalvis conſtitutionibus, conſuetudinibus, & privilegiis Eccleſiarum, Monaſteriorum, & Ordinum quorumcumque* (*h*).

(h) *Concil. Conſtantienſ. ſeſſ. 39.*

3\. Citrà ullum dubium eſt, quod omnis translatio Epiſcopi, Abbatis, vel cujuslibet alterius beneficiarii, ſupponit admiſſionem Clericorum extraneorum ad eccleſiaſtica beneficia: quippè translati ab uno beneficio Epiſcopali, Abbatiali, vel alterius ſpeciei, neceſſariò debent, vel à primo, vel à ſecundo beneficio eſſe extranei. Et præſertìm Epiſcopus translatus, inevitabilitèr, vel à dimiſsâ, vel à ſuſceptâ diœceſi, eſt extraneus, ſaltèm quoad patriam. Concilium autem præfatâ ſanctione, ſupponit, quod uſque ad illam ætatem, nedùm poſſet Eccleſia transferre volentes, ſed etiam invitos; ſicque præficere beneficiis Clericos extraneos, nedùm conſentientes, ſed etiam reluctantes. Quod quià (proptèr defectum con-

Digitized by Google

ſenſus, & præjudicia Eccleſiis advenientia) injuſtum erat; prohibuit Concilium, nè quis transferretur invitus, ſed in prævo eſſe reliquit, quod conſentiens poſſet transferri; & ità praxis ſert, quæ eſt legitima legum interpres, imò & ipſa ſtat pro lege (*a*). Concilium ergò Conſtantienſe decrevit, quod ſervatis ſervandis, juſtiſque cauſis concurrentibus, Clerici extranei valeant beneficiis eccleſiaſticis munerari.

(a) *Barboſ. Repertor. practic. concl. V. ſtylus, & alii ibi.*

4. Duodecimo paritèr anno Pontificatus *Martini Papæ V.* grave inſurrexit jurgium intèr illum, ac *Uladislaum Regem Poloniæ*, proptèr hoc, quod Rex Canonicis Gneſnenſibus dederat in mandatis, nè quemquam extraneum ad beneficia illius Eccleſiæ admitterent, juxtà placitum, inquit, Prælatorum ejuſdem Regni. Excanduit ad hæc audita Martinus, literiſque ad Uladislaum directis, eundem ità commonuit &c. *Ut multa ſileamus indigna, quæ tibi, pratèr juris diſpoſitionem, perſuadare quotidiè moliuntur; Nupèr vidimus copiam quarumdem literarum, per quas tua Serenitas Prælatis, & Canonicis Eccleſiæ Gneznenſis mandat ſub gravi pœna, ne aliquem extraneum in dictâ Eccleſiâ recipiant ad poſſeſſionem alicujus beneficii: cum intèr Prælatos Regni ità ſtatutum ſit, & concluſum, de quo maximam accepimus admirationem. Primùm quidèm, nunquàm anteà intèr Epiſcopos Regni tui, qui rectè ſunt dicendi Prælati, hanc tàm iniquam, & exorbitantem concluſionem, quæ cedit in vilipendium noſtrum, & Sedis Apoſtolicæ, & Regni dedecus, Prælatorumque infamiam, factam eſſe audivimus* (*b*). Attendat quæsò æquanimis, & eruditus Lector, quod rejectio extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis, nedùm à ſolo Principe ſæculari decerni non poteſt, ſed nec etiàm ab eo, cum placito Prælatorum ſui Regni; & ſi decernatur, decretum hujuſmodi, in ſuâ verâ appellatione, vocatur, *iniqua, & exorbitans concluſio*, cedens primò *in vilipendium Sedis Apoſtolicæ*, Secundò *in Regni deduces*, Et tertiò *in Prælatorum Regni* ipſius *infamiam*.

(b) *Raynald. an. 1429. num. 13.*

5. Et in aliâ Epiſtolâ Regem Pontifex ſic alloquitur: *Fili chariſſime non velis in hoc errore verſari, ut putes nos, non noſtro, ſed alieno arbitrio, Eccleſiis vacantibus providere. Supplicant ſæpè Reges, & Principes, & nos eis interdùm complacemus, quando præſertim cognoſcimus, preces eorum exauditione, & gratiâ noſtrâ dignas. Interdùm etiam alitèr diſponimus, quàm ipſi Reges, & Principes ſupplicarint. Nupèr ſiquidem quinque proviſiones in Regno Angliæ fecimus, alio modo, quàm ipſe Rex ſcripſerat: magis enim conſideravimus perſonarum merita, & commoda Eccleſiarum, quam Regiam voluntatem. Hoc ſimilitèr fecimus aliàs in Regno Caſtellæ, & novitèr in Regno Franciæ, in duabus Eccleſiis: fueruntque proviſiones noſtræ reverentèr, ut dignum erat, à Regibus acceptatæ. Nec Aragonum Rex, licèt ſuâ culpâ alienatus à nobis extiterit, unquàm adverſatus eſt proviſionibus Eccleſiarum, quas arbitrio noſtro in Regno ſuo fecimus. Itàque non exiſtimet Serenitas tua, quod quaſi ex præſcriptâ conſuetudine, ad voluntatem Dominorum temporalium, provideamus Eccleſiis, licèt aliquandò, cum nobis videtur, complaceamus eiſdem &c.* (*c*). Notetur hic attentè, quod in beneficiorum lagitione, non attendenda eſt ortus conditio, ſed *merita perſonarum, & commoda Eccleſiarum*: Et quod Sedes Apoſtolica temporibus Martini Papæ V. jus integrum poſſidebat conferendi Epiſcopatus, & multò magis cætera beneficia, etiàm viris extraneis in Regnis *Galliæ*, *Angliæ*, *Caſtellæ*, *Aragoniæ*, ac *Poloniæ*; tantâ, & tàm veteratâ auctoritate, ut nec etiam Alphonſus Rex Aragoniæ, tametſi parum Papæ benevolus, hoc jus auſus fuerit in dubium revocare. Nèc dicatur, quod Papa conferret quidèm pro ſuo libito Epiſcopalia, & alterius ſpeciei beneficia, Clericis ſibi bene viſis, ſed tamèn ſolis Clericis oriundis ex illis Regnis, vel Regionibus, ubi beneficia ipſa erant erecta: ità ut beneficia Gallica ſolis Gallis, Anglica ſolis Anglis, Aragonica ſolis Aragonenſibus, Caſtellana ſolis originariis Caſtellæ impertiretur. Nàm cum Papa libertatem præfatam opponeret Uladislao Regi Poloniæ, inſiſtenti, ut beneficia Polonica ſolis præberentur Polonis; frigida, & inſulſa fuiſſet locutio

(c) *Raynal. an. 1429. num. 14. 15.*

Pon-

Digitized by Google

Pontificis, obſiſtentis conatui ejuſdem Regis, ſi negaſſet conferre beneficia Polonica ſolis Polonis, & pro ratione ſuæ reluctantiæ allegaſſet libertatem, quam exercebat in diſpenſatione beneficiorum aliarum Regionum; libertatem tamèn, quæ non eſſet illimitata, ſed potiùs coarctata ad originarios illorum Regnorum. Dixiſſet enim Rex Uladiſlaus: hoc eſt quod ego peto, ut Veſtra Sanctitas liberè conferat beneficia Polonica, ſed tamèn limitatè ad Polonos, & faciat in Poloniâ, quod facit in aliis præfatis Regnis. Epiſtola ergò Martini patefacit, quod uſque ad illam ætatem libertas Papæ in conferendo beneficia non erat limitata ad indigenas, ſed ad extraneos etiam ſè porrigebat.

6. Hincque ad evidentiam conſtat, quod indulta, ſi quæ ſiut, vel ſi alicubi dantur, quorum vi ſint in aliquibus locis, aut Regnis Clerici extranei à beneficiis eccleſiaſticis repellendi, ſunt Martini V. Pontificatui poſteriora. Cum enim uſque ad illud tempus Reges *Galliæ*, *Angliæ*, *Caſtellæ*, *Aragoniæ &c.* contenti honore ſupplicandi Pontifici, ſi quem optabant Epiſcopali, vel alterius conditionis, beneficiis inſigniri, relinquerent in ceteris libertatem Sedi Apoſtolicæ, & in eâ, etiàm reliquis Epiſcopis, & toti Eccleſiæ; libertatem inquam promovendi, ſivè extraneos, ſivè indigenas: & beneficia cuilibet, pro eorum libito, deſtinandi; pluſquàm clarè dignoſcitur; privilegia oppoſitum diſponentia, poſt Martini V. Pontificatum fuiſſe à ſucceſſivis Pontificibus expedita. Veniant ergò nùnc Contradictores, & dicant quâ veritate valeant affirmare eſſe novitatem, extraneis beneficia ſacra elargiri? Ex relatis convincitur, eſſe potiùs novitatem, extraneos à beneficiis ipſis repellere; & (ubi deeſt privilegium Apoſtolicum) eandem reſtrictionem ad indigenas eſſe *exorbitantem concluſionem*), tàm in *Sanctæ ſedis vilipendium* reſultantem, quàm in *Regni, & Prælatorum ejus* infamiam. Si hæc Martinus Papa V. inculcat Uladiſlao Poloniæ Regi, quem & ratione ſuadet, & faſciculo hiſtoriarum, ex aliis Regnis collectarum, convincit, ut à conatu repellendi extraneos à beneficiis Poloniæ Regni deſiſtat; quomodo nunc eſt novitas, Clericos extraneos admittere ad eccleſiaſtica beneficia? Quomodo hanc libertatem non eſt paſſus Pontifex ſibi detrahi, & in ſè, toti Eccleſiæ intercipi, ab Uladiſlao; quem alioquin Regem optimum vocant Hiſtorici (*a*), quique tàm Regalibus meritis effulgebat, ac ſic erat de Eccleſiâ benemeritus, ut illum Pontifex in Poloniæ, Lituaniæ, & Ruſſiç Regnis, ſuum, & Sedis Apoſtolicæ conſtituerit Vicarium (*b*)?

(a) *Foreſt. Mappam. Hiſtor. to. 4. p. 2. l. 10. in Uladiſl. Reg. Polon. in fine.*

(b) *Raynald. ann.* 1418. *num* 19.

7. Ad eludendam vim hujuſmodi hiſtoricæ probationis, Contradictores comminiſcuntur, viguiſſe in Poloniâ obſervantiam, quâ extranei à beneficiis Polonicis arcebantur. Sed quod eum aliquid adversùs eam quidam extranei ſemèl, & bis molirentur; primò Caſimirus III. Rex, cognomine Magnus, Conſtitutionem edidit, eoſdem repellentem. Secundò Rex Uladiſlaus, cum placito Prælatorum ſui Regni, ſanctionem edidit, de qua hic agimus, Clericis advenis exitialem. Martinum autèm V. Papam, dicunt, hac poſtremâ ſanctione auditâ, Regi prælibatas literas inſcripſiſſe, non ad promovendam cauſam extraneorum, ſed ad tuendum Cardinalem Brandem, beneficiis Polonicis expoliatum, & ut ad ea, tamquam vir de Natione Sarmaticâ benemeritus, quam primum redintegraretur. At hæc, pace Contradictorum, vel inaniâ ſunt, & fabulatoria; vel aliter quam poſcat veritas, explicata. Nàm inprimis nutare videtur benemerentia Cardinalis Brandæ de Natioue Sarmaticâ; quippè apud Hiſtoricos, de illo verba facientes, legitur quidem ipſum in Germaniâ, in Hungariâ, & in Boemiâ Legationes Apoſtolicas obiiſſe (*c*): At de Poloniâ, & Polonis nil legitur: vel ſaltèm ad nos hæc notitia nou pervenit. De quâ etiam rè quidquid ſit, certè Branda patriam habuit Mediolanum, & Cardinalis Placentinus dictus eſt, à loco, cujus erat Epiſcopus (*d*). Adeòque ſi Martinus Papa Regem urgebat, ut redintegraretur ad beneficia Polonica; hoc non probat pro Contradictoribus, ſed adversùs illos, & pro nobis: probat enim quod extranei poterant, & ſoliti erant ibi beneficia eccleſiaſtica poſſidere, illiſque frui debebant, quemadmodùm ea poſſidebat, illiſque debere frui

(c) *Ciacon. in Cardinalib. Joann. XXIII. num. 8. & ibi Victorel. in Addition.*

(d) *Garimbert. l. 1. cap. 1. & 3. & l. 2. cap. 7.*

Papa

Digitized by Google

Papa inculcabat Cardinalem Brandam in Poloniâ, à qua erat & patriâ, & provinciâ, & natione prorsùs extraneus.

8. Præterea cernimus, quod hoc tempore Poloni beneficia eccleſiaſtica poſſidebant extrà Poloniam, uti patet de Matthæo Cracovienſi, qui fuit Epiſcopus Vuormacienſis (*a*), & de Martino Polono, qui fuit Archiepiſcopus Cuſentinus in Calabriâ (*b*). Cum autem admiſſio, & expulſio extraneorum debeat eſſe correſpectiva (*c*), hinc fit, quod ſicut illâ ætate poterant Poloni beneficiis inſigniri in alienis Regionibus, ità etiam extranei debebant poſſe in Poloniâ beneficia ſacra adipiſci, ut ſervaretur æqualitas, & ſic ſubſiſtere non videtur, quod Martini V. tempore extraneis præcluſus eſſet aditus ad beneficia ſacra in Poloniâ. Ulteriùs ſi ſuppoſita illa obſervantia, extraneorum excluſiva, re verâ in Poloniâ viguiſſet, uti prætendunt Contradictores, argumentum nimium probaret. Nàm cum ex Matthiâ Michoviâ, cui Contradictores ipſi inhærent, dicatur, quod non niſi de gremio Eccleſiæ vacantis, debebant Clerici præfici beneficiis (*d*); obſervantia ſuppoſita probaret, quod in Poloniâ, nedum arcerentur extranei, ſed etiam indigenæ, & nationales, quoties non eſſent non ſolum de Regno, ſed etiam de eâdem diœceſi, imò & de eâdem diœceſis Eccleſiâ, cui erat Clericus præficiendus. Et ſic ſe ſuis jugulant armis Contradictores; & dùm adversùs extraneos jacula intorquent; ſauciant cum illis etiam indigenas. Præterquàm quod ſanctio electionis de gremio nuuquàm fuit ullibi præceptiva, ſed merè conſultiva, prout pluries probamus in hac noſtrâ qualicumque lucubratione.

(a) *Fritbem. in Chronic. an. 1405.*
(b) *Vide Præfat. ant. Chronic. Martini Polon.*
(c) *Sixt. V. Conſtit. 64.*
(d) *Michov. rerum Polon. lib. 3. cap. 32.*

9. Demùm nedùm ab initio non vigebat in Poloniæ Regno obſervantia, Clericos extraneos à beneficiis illius Regni repellens, ſed imò potiùs uſque ad Sæculum Chriſti Undecimum, Catholicâ fide in illo Regno jàm benè ſolidatâ, & adultâ, Epiſcopi Eccleſiarum Poloniæ, vel omnes, vel penè omnes fuerunt Itali, quemadmodùm ex Longino Dugloſcho, Canonico Cracovienſe, patet, qui ſeriem Epiſcoporum Poloniæ texens, ſere omnes uſque ad illa Sæcula Italicos nominavit (*e*). Et præſertim in Eccleſiâ Uratislavienſi, nullus gentis Poloniæ beneficium Epiſcopale adeptus eſt antè Joannem, qui anno 1062. illis infulis eſt ornatus, cæteris, qui ipſum præceſſerunt, ex Italiâ deſumptis. *Primus*, inquit idem Longinus, *ex Polonis, abrogatis Italis, Pontificale pedum in Uratislavienſi Eccleſiâ geſſit* (*f*). In Eccleſiâ quoquè Plocenſi anno 1087. cum Epiſcopus Italus, qui ei præſidebat, viam univerſæ carnis intraſſet; delectus eſt in ejus locum Clericus, natione Polonus, quem diſtulit Victor Papa III. confirmare, ſollicitus ut Eccleſia illa ad alium Italum perveniret; ſed perſiſtentibus electoribus conjunctiſſimè in propoſitò exaltandi Polonum; illum tandem Pontifex approbavit (*g*). Epiſcopi namque Poloniæ, à Capitulis Eccleſiarum electi; non à proprio Archiepiſcopo, ſed immediate à ſummo Pontifice confirmationem conſueverant adipiſci (*h*): Quamvìs & aliquos Epiſcopos tunc legatur fuiſſe ab Archiepiſcopo Gneſnenſi, Primario Regni Præſule, confirmatos (*i*). Ab initio ergò non erat in Regno Polonico ſuppoſita obſervantia, quæ extraneos à beneficiis Epiſcopalibus diſtineret, Multò autem minùs eam oportuit adfuiſſe quoad beneficia ordinis inferioris.

(e) *Longin. in Hiſt. Polon.*
(f) *Id. Longinus.*
(g) *Thomaſſin. Vet & nov. Eccl. diſcipl. par. 2. lib. 2. cap. 43. num 2.*
(h) *Idem par. 2. lib. 1. cap. 103. num 11.*
(i) *Idem par. 2. lib. 2. cap. 43. nu. 2. circ. fin.*

10. Et licèt per conſtitutionem Caſimiri Magni Regis, qui regnare cœpit anno 1333. (*l*), fuiſſet aliquandò tentata excluſio præfata Clericorum extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis (*m*); tamèn hęc meditatum conſecuta non erat effectum. Cumque, tàm de jure, quam ex praxi contrariâ, ſtaret prọ Eccleſiâ libertas; Martinus Papa V, Uladislao Regi, extraneos ablegare conanti, fortiſſimè ſe oppoſuit, cujus an eſſet intentio Brandem Caſtilioneum Mediolanenſem, Cardinalem S. Clementis, & Epiſcopum Placentinum, tueri, nec ne; non eſt hujus loci diſcutere, cum Martinus literis cubitalibus Regem Uladislaum de libertate Eccleſiæ, non pro peculiari caſu Cardinalis Brandæ, ſed pro cunctis Clericis generalitèr commoneat, & cauſæ cunctorum extraneorum, ſinè ullius diverſitate, proficiat. Ipſum verò Regem optimum, pium, & Catholicę Religionis zelatorem incomparabilem,

(l) *Foreſt. Mappam. Hiſtor. tom. 4. par 2 l. 10 in Caſimir. III. fol. 291.*
(m) *Conſt. Caſimir. III. ap. Choppin. poſt. lib. 3. de Deman. Franc.*

Digitized by Google

rabilem, Pontificiis monitis acquieviſſe, & libertati Eccleſiæ humillimè detuliſſe; indicium eſt continuata inpoſterùm beneficiorum Polonicorum largitio, non modò Clericis indigenis, verùm etiam extraneis, facta, donèc generoſę illi Nationi eſſe à Sede Apoſtolicâ ſpeciali privilegio conceſſum, ut non pateat extraneis Clericis aditus ad Polonica beneficia dicere audivimus: at quandonam, quomodo, & à quo Pontifice illud adepti ſint, ſi habent, nobis non conſtat. Hoc unum nobis, & cunctis conſtat, ex narratione totius hujus eventus, optimè comprobari, Papæ licere admittere viros extraneos ad præbendas eccleſiaſticas, niſi aliud localia privilegia depoſcant. Quibus deficientibus, ſi id licitum eſt Papæ, licitum eſt etiam toti Eccleſiæ Clericorum, & Laicorum, ordinario, vel delegato jure, beneficia conferentium, vel reſpectivè ad ea Nominantium: quippè omne jus, quod ipſi habent, ſortiuntur radicalitèr à Pontifice, ut alibi magis ex propoſito demonſtravimus.

11. Convocatum eſt anno 1431. *Concilium Baſileenſe* (*a*), ab initio legitimum, & generale; ſed verſum poſteà in Pſeudoſynodum, proptèr varias rationes: quarum una fuit nimia illorum Patrum præcipitatio in ſtudio deprimendæ poteſtatis Romani Pontificis (*b*); Ac temeritas uſque illùc producta, ut non expaverint Antipontificem creare, illumque adversùs Eugenium IV. legitimum Papam in peſtilentię Cathedrâ collocare (*c*). Porrò Concilium hoc, à D. Antonino fuit *Synagoga Satanę* nuncupatum (*d*): Ab aliis aliorum ſcommatum vilipendio prædicatum, & generalitèr à cunctus veritatis amatoribus pro Conventiculo Malignantium eſt habitum. Nihilominus, quia ut inquit Auguſtinus, alieni à noſtris ſenſibus, *ſi quæ fortè vera dixerunt, non ſolum ea formidanda non ſunt, verùm etiam ab eis, tamquam ab injuſtis poſſeſſoribus, in noſtrum uſum* ſunt *vendicanda* (*e*); Quoniam paritèr Concilium, ſivè Conciliabulum Baſileenſe ab impugnatoribus eccleſiaſticæ poteſtatis, & præſertìm Pontificiæ, ſolet velut oraculum allegari; proponamus & nos ex illo aliqua, cauſæ noſtræ arridentia. Non enim in uno tantum loco, vel de beneficiis inferioris ordinis, & collativis loquendo, vel de Epiſcopalibus, & electivis, talia protulit, ut ſatis appareat, Concilium ipſum Baſileenſe Clericorum extraneorum cauſæ faviſſe.

12. Profectò agens Concilium, ſivè Conciliabolum illud de qualificationibus, & ordine, in conferendis beneficiis eccleſiaſticis obſervando, diſponit, quod in qualibet Cathedrali, una præbenda detur Theologo, qui docendi officium exerceat: & quod tertia pars prębendarum in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis, conferatur Clericis graduatis, præſertìm in Theologiâ (*f*). Tum ſubdit: *In dignitatibus verò non electivis, perſonatibus, adminiſtrationibus, & officiis dictarum Eccleſiarum idem ordo, modus, & forma in omnibus obſervetur &c. In Eccleſiis autem parochialibus, quæ in Civitatibus, aut villis muratis exiſtunt, inſtituantur perſonę ſic ut ſupra qualificatæ, aut adminus, qui per tres annos in Theologiâ, vel in altero jurium, ſeù Magiſtri in artibus, qui in aliquâ Univerſitate privilegiatâ ſtudentes fuerint, & hujuſmodi gradum adepti fuerint, ſi tales poterint inveniri, qui voluerint hujuſmodi beneficiis deſervire. Et ut faciliùs inveniri poſſint, ſtatuit hęc Sancta Synodus, quod quolibet anno, durante tempore Quadrageſimæ, omnes, & ſinguli hoc modo qualificati, de ipsâ diœceſi, & alii, qui voluerint, habeant per ſe, vel per procuratorem ſua nomina exhibere illis, ad quos beneficiorum Curatorum collatio, vel præſentatio ſpectat, ſeù eorum Vicariis* (*g*).

13. En quomodò diſertis verbis Concilium Baſileenſe diſponit, admittendos eſſe ad eccleſiaſtica beneficia, nedùm Clericos, *de ipsâ diœceſi*, ſed etiam *alios*, *qui voluerint*: nempè Clericos extradiœceſanos, & aliundè venientes, dummodò idoneos. Nec proficit ſi gloſſentur verba ipſius Concilii, dicendo, admittendos ibi ſanciri extraneos quidem à diœceſi, at non extraneos à Natione, vel Regno: Nàm lex generalitèr loquens, generalitèr eſt intelligenda (*h*). Et in lege Conciliari, ac generali, quæ non diſtinguit extraneos à diœceſi, ab extraneis à natione, ſed illimitatè vocat *alios, qui voluerint*, ecquid nos diſtinguere debemus (*i*)? Præ-

ſertìm

(a) *Raynald. an.* 1431 *à num.* 20.

(b) *Acta Concil. Baſil. Raynald. ann.* 1432. *num* 15. & 1431. & *ſeq.*

(c) *Raynal. an.* 1439. *num.* 15.

(d) *S. Antonin. par.* 3. *tit.* 22. *cap.* 10. §. 4.

(e) *S. Aug. de Doctrin. Chriſtian. lib.* 2. *cap.* 40.

(f) *Conc. Baſileenſ. ſeſſ.* 31.

(g) *Conc. Baſileenſ. ſeſſ.* 31. §. *Sequuntur qualificationes.*

(h) *L. de pretio, ff de public. in rem act. l. in fraud. ult. ff de teſtam. mil. cap. Solitę, § fin. de major. & obed.*

(i) *L. Præſes, ff de offic. Præſid. c. conſuluiſti* 2. *qu.* 5. *c. quia circa* 22. *de privileg. Clem. ult. de reſcript. Barboſ. Axiom.* 136. *num* 4.

ſertìm cum nulla lex in toto corpore Canonum aſſignetur, quæ beneficiorum collationem, vel nominationem, illorumque capacitatem ad unius tantùm nationis viros coarctet; ſed ſi qui ſunt canones hùc facientes, extradiœceſanos potiùs, quàm extranationales afficere videtur; & ſic arcendi eſſent à beneficiis, non ſolum extranationales, verùm etiam extradiœceſani, quod Contradictorum intentioni nedùm nihil proficit, ſed imò illam potiùs evertit: quippè quibus gratum non eſt, quod in unaquâque diœceſi beneficia eccleſiaſtica ſolis diœceſanis, privativè quoàd alios quoslibet extradiœceſanos, conferantur.

14. Alibi Concilium ipſum, ſivè Conciliabulum Baſileenſe reſervationes Apoſtolicas exterminare, ſi potuiſſet, aggreſſum: decrevit, *generalem reſervationem omnium Eccleſiarum Metropolitanarum, Cathedralium, Collegiatarum, & Monaſteriorum, ac dignitatum electivarum, per Romanum Pontificem de cætero fieri, aut factâ uti non debere; reſervationibus in corpore juris clauſis, & his quas in terris Romanæ Eccleſiæ, ratione directi, ſeù utilis Dominii, mediatè, vel immediatè ſubjectis fieri contigerit, ſemper exceptis* (a). Inferiùs poſteà extendit decretum illud ad omnes reſervationes, *tàm generales, quàm ſpeciales, ſeù particulares de quibuſcumque Eccleſiis, & beneficiis, quibus, tàm per electionem, quam collationem, aut aliam diſpoſitionem provideri ſolet* (b). Poſtremò idipſum repetit, & dilatat etiam ad Legatos, edicens: *Reſervationes etiam particulares, quæcumque fuerint, beneficiorum vacaturorum, tàm per Romanos Pontifices, quam per Legatos Sedis Apoſtolicæ, de cætero nullæ ſint ipſo jure* (c). Quæ quidem decreta cuncta, ex naturâ ſuâ, irrita ſunt, & inania; quippè non eſt Concilii etiam legitimi, generalis, & authentici (multò minus verò Conciliabuli, quale fuit Baſileenſe, acephalum, ac diſſolutum) legem ponere Romano Pontifici; quemadmodum & in corpore naturali, non eſt membrorum legem ponere capiti ſuo, & multò minus membrorum, capiti vim facientium, contaminatorum, & rebellium.

(a) *Conc. Baſileenſ. ſeſſ. 12. in Decr. de electiou.*

(b) *Conc. Baſileenſ. ſeſſ. 24. §. de reſervationibus.*

(c) *Conc. Baſileenſ. ſeſſ. 31. §. de collat. benefic.*

15. Nihilominus Concilium, ſivè Conciliabulum ipſum, clauſulas ſequentes adjunxit, modificativas earum rerum, quas decreverat, & præſervativas auctoritatis Eccleſiæ, ſivè Pontificis: addit enim: *Non tamèn intendit prohibere hæc ſancta Synodus, hoc præſenti decreto, quò minus futuri Romani Pontifices, tempore Pontificatus ſui, modo honeſto, & convenienti, de uno beneficio ad collationem, in qua fuerint decem beneficia, & de duobus, ubi fuerint quinquaginta, & ultrà, diſponant* (d). En quomodo Concilium, ſivè Conciliabulum Baſileenſe, ab aliis parvipenſum, ſed à Contradictoribus magno in honore habitum, etiam illo furore caedens erat, quo totam pene ſatagebat evertere Pontificiam poteſtatem, admittit lo Papâ liberam facultatem diſponendi ubilibet de aliquibus beneficiis, adeoquè illa conferendi, tàm clericis extraneis, quàm indigenis: alioquin ejus facultas libera non fuiſſet. Prout de facto, tùm illo, tum ſubſequentibus temporibus, Romanus Pontifex beneficia, quæ ubilibet conferebat, non modò clericis indigenis, verùm etiam extraneis largiebatur: donèc alitèr per indulta Apoſtolica, in aliquibus partibus cautum eſt. Igitur etiam vigore Concilii Baſileenſis inconcuſſa permanet in Pontifice libertas admittendi ad præbendas ſacras clericos extraneos. Et à Pontifice ad alios ductâ proportione, tamquam à fonte ad rivulos, & à capite ad membra, in cunctis Collatoribus beneficiorum, vel ad ea nominatoribus, eadem libertas ſartatecta eſt ſervata.

(d) *Conc. Baſileenſ. loc. cit.*

16. Prætèrquam quod Concilium præfatum, ſivè conciliabulum Baſileenſe, ſuper numero, & qualitate Cardinalium ſanctionem edens, decrevit: *qui de omnibus Chriſtianitatis regionibus, quantum commodè fieri poterit, aſſumantur, ut notitia rerum in Eccleſiâ emergentium faciliùs haberi, & ſuper his maturiùs deliberari poſſit: ſic tamèn quod numerum vigintiquatuor, intèr hos, qui nunc ſunt, & aſſumendos, non excedant. Ità quod de unâ natione ultrà tertiam partem, reſpectu Cardinalium prò tempore exiſtentium, ac de unâ Civitate, & diœceſi, ultrà unum indè oriundum, & de eâ natione, quæ nunc ultrà tertiam partem habet, uſque ad ipſius*

tertiæ

tertiæ partis reductionem eſſe nequeant (*a*). Diximus pluries, & repetimus, tàm cum Theologis (*b*), quàm cum Canoniſtis (*c*), Cardinalatum eſſe eccleſiaſticum beneficium: quod uti tale dat regulam etiam pro cæteris beneficiis, eâ proportione, quæ inter majora, & minora beneficia intercedit. Licètque in Cardinalatu providendo aliquæ peculiares concurrant inſpectiones; tamèn cum, ſicut ſe habent partes majores ad totum majus; ità ſe habere debeant partes minores ad totum minus; quatenùs magis, & minus non variant rei ſpeciem, aut naturam (*d*), hinc fit, quod quemadmodum in Cardinalatu Sanctæ Romanæ Eccleſiæ locus eſt admiſſioni clericorum, ab eâdem Eccleſiâ extraneorum, ità etiam in aliis Eccleſiis idem locus, & eſſe poteſt, & debet, congruâ ſemper proportione ſervatâ. Quæ dicta ſint ut pateat, quod vi concilii Baſileenſis, extranei admittendi ſunt, non repellendi ab eccleſiaſticis beneficiis. Alibi rursùs de iſto Concilio redibit ſermo, dùm de Pio Papâ II. agemus: nunc ad alia tranſeamus.

(a) *Conc. Baſileenſ. ſeſſ. 24. § de Num. & qual. Cardinal.*
(b) *Layman. lib. 4 tr. 4. cap. 4. nu 4. Azor. Inſtit. Moral. p. 2. lib. 4. cap. 1. qu. 5.*
(c) *Marta de Juriſd. p. 2. cap. 39 nu 2. Barboſ. Jur. Eccl. Univ. lib. 3. cap. 4. num. 52. cum aliis.*
(d) *L. fin ff. de fund. inſtr. Barboſ. Axiom. 140. num. 6.*

17. Dùm hæc Baſileæ agerentur, publicata, ſivè renovata fuit in Galliis celebris *Pragmatica Sanctio* Caroli VII. Regis (*e*) de quâ Gaguinus: *Carolus*, Rex, *in dicto apud Bituriges Concilio, Pragmaticam, quam vocant, ſanctionem, tulit, eamque in Parlamenti Senatu promulgari mandat anno Chriſtianę ſalutis 438. ſupra milleſimum, nonis Junii. Quam Regiam, auctoritate Baſileenſis Synodi factam, Conſtitutionem, qui fuere deinceps Romani Pontifices, non ſecus ac pernicioſam hæreſim execrati ſunt, quod eam nemo Pontificum diſſoluto Baſileenſi conventu probaverit* (*f*). Pragmaticam hanc ſanctionem in Concilio Baſileenſi editam fuiſſe ſcribit Genebrardus (*g*), & ex eo Spondanus (*h*): Sed quia ejuſdem Concilii decreta multiformitèr alterat, & invertit: quamvis, quoàd potiorum rerum ſubſtantiam cum ipſo Concilio, ſeu melius conciliabulo, ſe conformet, eique tranſmiſſa fuerit approbanda, in rigore tamèn non fuit Conſtitutio Conciliaris, neque à Concilio Baſileenſi edita, neque illius Actis inſerta; ſed mera lex laicalis, & Edictum Regium, ad evertendam in Galliâ Pontificiam poteſtatem procuſum, quàm alioquin Conventicula Baſileenſis attenuare, ac temerè penè totam deſtruere, reſpectu ad univerſum Orbem geſtiebat.

(e) *Raynal. an. 1439. num 37. & an. 1398. num. 16.*
(f) *Gaguin. lib. 10. Concil. Bitur. an 1438. ap. Bin. to. 8. fol. 531.*
(g) *Genebr. in Chronic an. 1438.*
(h) *Spondan. Auctar Chronol. ann. 1438.*

18. Ejuſdem Pragmaticæ Sanctionis promulgationem Eugenius Papa IV. natione Venetus, Eccleſiæ univerſali tunc præſidens, improbavit: graveſque literas ad Carolum VII. dedit, illum requirens, nè violatoribus jurium Sedis Apoſtolicæ, ac Eccleſiæ turbatoribus, aurem porrigeret nimis facilem, & ab inceptis deſiſteret, juſtitiæ, & æquitati nimium adverſis (*i*). Ac quoniam, vi præfatæ Pragmaticæ, ſivè Regalis edicti, Canonici Eccleſię Andegavenſis, tunc paſtore carentis, novum Præſulem, per viam electionis canonicæ, ſibi præfecerant; Eugenius verò Papa, vi Reſervationum Apoſtolicarum, eidem Sedi alium Antiſtitem deſtinaverat; nedum Carolum ipſum Regem, pro hujus defendendâ deputatione, commonuit; ſed Carolum etiam Cenomanenſem Comitem, Renati Andegavenſis fratrem, inſtantiùs requiſivit, ut Electo Apoſtolico totis viribus præſto eſſet, atque electum à Canonicis ſuâ poteſtate reprimeret.

(i) *Raynal. an. 1439. num. 37.*

19. Qua de re etiam Violantæ ſcripſit, ejuſdem Renati uxori, quem nupèr ad Coronam Regalem Siciliæ citrà pharum provexerat (odium ob id in sè trahens Alphonſi Aragonici, qui Regnum Neapolitanum ſibi deberi contentioſiſſimè declamabat); Ne Sedi Apoſtolicę retribueret mala pro bonis: neque permitteret in Comitatu Andegavenſi, ſibi in temporalibus obſequenti, Eccleſiæ libertatem, ac Pontificiam poteſtatem adeò enormitèr impugnari (*l*). Carolus VII. interìm Rex Gallorum, Antipapam, à Baſileenſibus electum, cum ejus promotoribus deteſtatus eſt Eugenio Papæ inhærens: Veruntamèn à ſuſtinendâ Pragmaticâ Sanctione non deſtitit, quinimò eandem roborare novis conatibus eſt aggreſſus: à quibus tametſi Eugenius illum avertere ſategerit, uti jurium Sedis Apoſtolicæ deſtructivis, re verâ tamen inutilitèr laboravit (*m*). Sed jàm adhuc magis funditùs originem, & curſum; atque exitum ipſius Sanctionis Pragmaticę perpendamus: cujus tota ſeries

(l) *Raynal. an. 1439. num. 37.*
(m) *Raynal. an 1449 num. 5.*

Digitized by Google

non parum, nec brevi tempore Sedem Apoſtolicam fatigavit.

20. Edictum hoc, ſivè Pragmaticam, Philippus IV, cognomine Pulcher, Gallorum Rex primò adinvenit, ut aliqui opinantur, in magno illo diſſidio, quo adversùs Bonifacium Papam VIII, efferbuit (*a*), vel, ut alii putant, primò excogitatum eſt à Carolo VI. itidem Gallorum Rege, frenetide laborante (*b*) anno 1398. poſtquàm Galli, excuſsâ obediendiâ Urbani Papæ VI. & Antipapæ Roberti Gebennenſis, qui ſe prò Clemente Papâ VII. venditabat; velut Acephali, ſinè capite, & ſinè duce, in ſpiritualibus evenerunt (*c*). Carolus namque Rex, Schiſmatis ab initio promotor (*d*); Neutralitatem ſuis Gallis præcepit, donec certus, & legitimus Pontifex præficeretur Eccleſię: Tùmque rationem tradidit, in beneficiorum collatione obſervandam, *ſalvâ debitâ Sanctæ Sedi Apoſtolicę reverentiâ, & Domino Papæ futuro legitimo*: ſicque proviſionalitèr, ac temporaneè de hoc negotio diſpoſuit. Summam Statuti, à Comitiis Gallicanis in formam legis digeſti, epilogans Thomaſſinus, hęc inter cętera continuiſſe commemorat. *Anno* 1408. *Comitiorum Generalium cleri Gallicani decreto, extraneis omnibus aditus interclusus eſt beneficiorum quorumcumque, niſi ſaltèm decennium in publicâ alicujus Regni Univerſitatis paleſtra contrivissent, & nè tùm quidèm ad Prælaturas aſpirare poſſent. Manavit certè decretum ejuſmodi intèr Schiſmatis Avenionenſis procellas* (*e*).

(a) *Spondan. ann. 1438. num. 22. Foreſt. in Eugen. IV.*
(b) *Gobelin. ætat. 6. cap. 84. Raynald. ann. 1391. num. 7. & 8.*
(c) *Raynal. an. 1398. num. 16.*
(d) *Raynal. an. 1381. num. 29 & 33. & ann. 1389. num. 14.*
(e) *Thomaſſin. Vet. & Nov. Eccl. diſcipl. p. 2. l. 1. c. 103. num. 6.*

21. Succeſſive idem Carolus VI. Rex Gallorum, convocatis Clero, Conſilio, & Parlamento Regni ſui, Edictum propoſuit anno 1418. non amplius proviſionale, ſed abſolutum (non ex neceſſitate Schiſmatis, cui jàm finem impoſuerat electio Martini V. in legitimum Pontificem, anno præcedente facta (*f*): Sed ex mero arbitrio) in quo ſic jubebatur: *Volumus, & ordinamus, Eccleſias, perſonaſque eccleſiaſticas Regni, & Delphinatus ad ſuas antiquas franchiſias, & libertates in perpetuum reducendo, quod Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis, & earum beneficiis electivis, ſecularibus, & regularibus, per electiones Capitulorum Conventuum, & Collegiorum, ſeu poſtulationes canonicè factas, confirmationeſque Superiorum; Et non electivis, per præſentationes, collationes, & inſtitutiones Ordinariorum, quibus de jure communi, ſeù conſuetudine pertinet, ſecundùm antiqua Jura communia, Conciliaque generalia, de perſonis idoneis providebitur, ceſſantibus, & rejectis omninò, ac non obſtantibus quibuſcumque, ac quorumcumque reſervationibus generalibus, vel ſpecialibus, ac prohibitionibus, expectationibus, aut gratiis, etiam cum appoſitione decreti factis, aut faciendis, conceſſis, ſeu concedendis* (g). Ità extraneos à beneficiis ablegatos eſſe voluit Carolus, poſitâ in Electorum, vel Collatorum, ſivè Præſentatorum Gallorum manu, totâ poteſtate beneficia ipſa tradendi, quæ non niſi ad Gallos hoc modo cenſuit perventura; proſcriptâque Summi Pontificis auctoritate, ac toto negotio ad diſpoſitionem juris communis redacto; nempè ad canones, in Decreto Gratiani, & in libris decretalium contentos, teſte de Marcâ, dicente: *Antiquos enim canones, & jus commune intelligebant, quod Decreto Gratiani, & Decretalibus erat comprehenſum &c. Sæculo Caroli VI. Conciliorum generalium nomine Eccleſia Gallicana, non ſolum vetera, ſed etiam recentiora intelligebat. Enim verò in Galliâ, quod ad diſciplinam attinet, Decretalium conſtitutis locum damus &c.* (*h*).

(f) *Ciacon. Foreſt. Platin. Joannes & alii in Martin. V.*
(g) *Preuves des libertez de l'Egliſ. Gallic. num. 15. & 16.*
(h) *Petr. de Marca de Concord. lib. 6 cap. 9. l. 3. cap. 1. & 2. & cap. 6. num. 5.*

22. Sed quià res tanti momenti, eccleſiaſticæ libertati adverſa, & Summi Pontificis juribus enormitèr detrahens, viribus ex ſe ipſâ cernebatur eſſe pœnitùs vacuata; inductus eſt Carolus VII. Caroli VI. filius, & ſucceſſor in Regno, ad jurandum de prędicto edicto patris ſui fortitèr defendendo, quod & fecit, propoſito edicto anno 1422. per quod edicto patris ſui robur adjecit. Mox facti pœnitens, anno 1425. per Summum Pontificem ſe à jusjurando ſolvi curavit, & ab obſervantiâ ſui, & paterni Edicti ceſſari mandavit (*i*). Poſtmodum iterum conſilio mutato, ea, quæ correxerat, aliâ viâ ſtabiliri ſategit. Nàm anno 1431. edictum propoſuit, *quo conteſtabatur, Majores ſuos ſemper interceſſiſſe extraneorum provectionibus, hujuſmodi querelis à Parente ipſo ſuo compellatos fuiſſe Concilii Conſtantienſis Patres, ipſumque*

(i) *Thomaſſin. Vet. & Nov. Eccleſ. diſcipl. p. 2. l. 1. cap. 46. num. 1.*

que Pontificem Martinum V. quas & ipſemet ingeminaſſet querelas apud eundem Pontificem, & ſucceſſorem ejus: cum verò ne tot quidem machinis abduci potuiſſent Pontifices à ſententiâ, aut à ſpargendis in extraneos maximis quibuſque Regni beneficiis; cogi ſe tandèm hoc edicto ſerpentem in dies perniciem cohibere (a). Subindèque, obſervato tempore, quo intèr Patres Conciliabuli Baſileenſis, & Eugenium Papam IV. graviſſimæ ortæ ſunt contentiones; Carolus VII. occaſionem illam ſuæ intentioni apprimè accommodam eſſe ratus, neque ſpernendam opportunitatem, quam diſſenſio ipſa præbebat, Edictum prefatum, ſeù in eo contenta, à Prævaricatoribus Baſileenſibus omninò ſtuduit approbari (b): Qui intèr cætera decreverant perplura, in Pragmatice Edicto contenta (c). De quo apud Gaguinum: *Romanus Pontifex majores Eccleſias, Metropoles ſcilicet, atque Epiſcopales, Collegiataſque, aut eas, quibus Abbates præficiuntur, & Eccleſiaſticas dignitates, quæ per electionem ſibi deligere rectorem conſueverunt, nemini reſervato: præter eas, quæ jure ſcripto, vel Romani Principatus causâ, ſibi permittuntur, huic decreto non contravenito &c. Idque dùm ad Pontificatum quiſpiam aſſumetur, ſe ſervaturum jurato &c. Expectativis gratiis, undè plurima oriri mala conſtat; locum eſſe non finito. Beneficia, vivo eorum rectore, nemini reſervato. De dignitatibus, ac beneficiis eccleſiaſticis, quibuſvis collatis, aut conferendis, nihil prorsùs, ſed neque annatam, neque fructuum primitias, neque ut vulgò dicitur, depoſitum, Pontifex exigito* (d). His autèm ad notitiam Eugenii IV. deductis, Pontifex, & Regis conatus, & Pſeudoſynodi deliberationem damnavit: idemque fecerunt plures ſucceſſivè Pontifices, ut dicemus,

23. Rex itàque, irrita conſilii ſua molimina ire cernens, quod juſtitiâ mediante facere non potuit, potentiâ laicali aggreſſus eſt adimplere. Quippè convocatis in Urbe Bituricenſi Præſulibus Regni ſui, quos ad Concilium Generale, Ferrariæ à Pontifice convocatum, proficiſci vetavit, pluribus tamèn ſuper hoc non ei obtemperantibus (e); Edictum illud famoſum tulit, quod Pragmaticam ſanctionem vocant, & de quo nunc eſt ſermo, datum nonis Julii anni 1438., eamque in parlamenti Senatu promulgari mandavir (f). In illâ Rex appellationes ad Romanam Curiam, ſeù extrà Regnum prohibuit. Decreta Baſilienſia, exactionem Annatarum interdicentia, acceptari mandavit. Beneficiorum expectativas ſuſtulit: Eorum reſervationes abolevit: & alia Pontificali juriſdictioni præjudicialia mandavit. Intèr quæ præcipuum erat, ne beneficia eccleſiaſtica liceret extraneis elargiri, hoc obtentu, quod *Ecclefiarum*, inquit, *pecculia manus occupant indignorum, & nonnunquam exterorum; & plerumque dignitates, & opulentiora beneficia, perſonis conferuntur incognitis, & nonprobatis, quæ in eiſdem beneficiis non reſident: ſicque vultus ſibi commiſſi gregis non agnoſcunt, linguam non intelligunt &c. Animarum cura negligitur, ſubtrahitur hoſpitalitas, Eccleſiarum jura depereunt, ruunt ædificia, Clerici noſtrorum Regni, & Delphinatus ſtudia deſerunt, proptèr promotionis congruæ ſpem eis ablatam &c.* (g).

24. Hoc modo titubantibus initiis, emerſit Pragmatica ſanctio, diverſas vices ſortita; modoque promota, modo rejecta; hinc laudibus, indè execrationibus appetita; ſemperque à Summis Pontificibus execrata, ac piorum, & Catholicorum hominum ſcriptis confixa. Eam perturbativam Eccleſiæ declaravit Eugenius Papa IV. (h): Unitatem, & libertatem Eccleſiæ perimentem, imò & hæreſim appellavit Pius Papa II. (i). Illam improbavit Innocentius Papa VIII. (l): Solemnitèr condemnavit Julius Papa II. (m). Ipſique Galliæ Prælati, ſaltem omnes, nunquam eam actu expreſſo, & poſitivo univerſalitèr acceptarunt (n), Imò, teſte Spondano, Archiepiſcopus Toloſanus, & Epiſcopus Bituricenſis, intèr alios, eandem caſſarunt, atque damnarunt (o). Eam fundamento carere, non diſſimulavit Petrus de Marcâ, eo quod edita fuiſſet inaudito Pontifice, cujus intererant capita in eâ contenta (p). Eandem Guimerius, ipſius Pragmaticæ gloſſator, inſubſiſtentem cenſuit, quià non poterant, nec Rex Carolus VII, neque Comitia

(a) *Thomaſſin. loc. cit. p. 2. l. 1. c. 103. num. 7. §. rationes.*

(b) *Spondan. an. 1438 num. 22. Foreſt. in Eugen. 4. num. 13.*

(c) *Ex Concil. Baſileenſ. ſeſ. 12. 21. 24. 31.*

(d) *Pragm. ſanct. ap. Gaguinum in Carolo 7. Reg. Franc.*

(e) *Raynald. an. 1438 num. 15. Foreſt. loc. cit*

(f) *Bail. 10. 2. in Concil. Bitur. ann. 1438. in fin. Raynald. ubi ſupr.*

(g) *Pragm. ſanct. ap. Gaguin. in Carol. 7.*

(h) *Raynald. an. 1439 n. 37 & an. 1440. n. 5.*

(i) *Gaguin. l. 10. Bail. num. Conc. loc cit.*

(l) *Raynald. an. 1516 num. 22.*

(m) *Concil. Lateran. 5. ſeſ. 4.*

(n) *Foreſt Map. Hor. in Eugen. 4. n. 12. §. di tal tenore.*

(o) *Spond. an. 1438. num. 12.*

(p) *Petr. de Marc. de concord. l. 6. c. 9. n. 13.*

Digitized by Google

Bituricenſia, neque Conciliabulum Baſilienſe imponere legem Papę (*a*). Ipſam tandèm vigore deficere opinatus eſt idem Spondanus, quià, cum Decretis Baſileenſibus inniteretur, Decreta tamèn ipſa reiiciebat, modificabat, detruncabat, quaſi Conditores Pragmaticæ ſanctionis eſſent judices, & Principes Romani Pontificis, Concilii Baſilienſis, quod generale, & legitimum reputabant (*b*). Pragmaticam tandèm ipſam Ludovicus XI. Rex Galliæ aboleri voluit, ut dicemus; nec niſi inſtinctu politico, ad terrefaciendum Sixtum Papam VI. eam in Concilio Aurelianenſi reſuſcitandam eſſe propoſuit (*c*). Quam paritèr conſimili motivo Ludovicus XII, itidem Rex Gallorum, adversùs Julium Papam II. à ſomno, quo jàm conſopita erat, rursùs geſtiit excitare (*d*).

25. Sanè præfatus Ludovicus XI. vix ad Francorum Regnum evectus, id primò ſibi ſolemni proteſtatione propoſuit, ut ſanctionem Pragmaticam aboleret (*e*). Quinimò & juramento ſe ad id effectualitèr exequendum adſtrinxit (*f*). De quo etiam Gaguinus: *Fama antè hos dies ferebatur, Ludovicum Pio Pontifici Romano promiſiſſe, ſe Pragmaticam ſanctionem, de quâ in Caroli VII. geſtis diximus, deleturum, ſi aliquandò ad Regnum ſinè controverſiâ perveniſſet. Ejus promiſſi Pius Pontifex non oblitus, cum eandem Pragmaticam ſanctionem maximè execraretur, eamque hæreſim appellaret, Legatum Joannem D. Benedicti monachum Atrebatenſem Cardinalem ad Ludovicum mittit, qui Regem ſe promiſſa ſolvere hortaretur* (g). Interpellavit ergò Regem Pius (*h*), Rexque ſe ſtaturum promiſſis reſpondit (*i*), ac ſtetit. Et quamvis reluctante Senatu Pariſienſi (*l*), Pragmaticam abolevit: cui poſteà ſcribens Pius, intèr cætera inquit, *commendamus, quod abſque conventu, & conſultatione multorum Pragmaticam auferre conſtituiſti. Sapis certè, & Regem tè magnum oſtendis, qui non regaris & regas. Optimus enim Princeps eſt, qui per ſè recta cognoſcit* (*m*). Dignæ ſunt, quæ hiſce ſcriptis inſerantur literæ præfati Regis ad Pium II. Papam, ideò hic eas nolumus intermittere: ſonant enim ut ſequitur.

26. *Ludovicus Dei gratiâ Francorum Rex. Tibi Sanctiſſimo, & Beatiſſimo Patri noſtro, Pio Papæ ſecundo, obedientiam filialem, & plenos devotionis effectus. Deum ſolum ſcientes, cujus providentiâ benè conſulitur rebus humanis, meliùſque Regna, & Urbes religione cingi, atque defendi, quàm armis, & mœnibus, te Vicarium Dei viventis eâ veneratione proſequimur, ut ſacra præſertìm in eccleſiaſticis rebus tua merita, veluti vocem paſtoris, illiſque parere promptâ mente velimus. Quapropter Beatiſſime Pater, etſi Conſtitutio quędam in Regno noſtro, quam Pragmaticam vocant, magno Prælatorum Conventu, magnâ temporis deliberatione concluſa fuerit, & jam callum obducens, quietum propè fixerit ſtatum; Tu tamèn tuis ad nos literis, illam à Regno noſtro auferri, explodi, abrogarique flagitas; Nobis quoquè dilectus, & fidelis Conſiliarius noſter Joannes Epiſcopus Atrebatenſis, quem cum poteſtate Legati de Latere ad hoc noſtrum Regnum miſiſti, commemoravit ea, ad quæ per ipſum tibi noſtro nomine pollicenda, vovenda, & promittenda, nos, antequam Regnum ſuſcepiſſemus, religionis in sè ritus quidam deduxerat. Nos noſtra promiſſa exequi, accedente moderatrice rerum eccleſiaſticarum tuâ auctoritate, ſtudemus, ac volumus, & id quidem tanto volumus animo propenſiori, quantò nobis Regnum Franciæ florens, & bello vacuum tuetur Deus, & protegit. Omnibus itàque victimis potiorem obedientiam intelligentes, aſſenſi ſumus his, quæ tuo nomine nobis aperta ſunt, Ipſam ſcilicèt Pragmaticam Sanctionem, tibi, tuæque Sedi eſſe infenſam; utpote, quæ in ſeditione, & Schiſmatis tempore, atque per ſeditionem, ſectionis à tuâ ſede figuram, orta ſit: & quę, dùm tibi, à quo ſacræ leges oriuntur, & manant, quantumlibet eripis auctoritatem, omne jus, & omnem legem diſſolvit. Illud enim exoritur, quod idem Conſiliarius in nomine tuæ ſanctitatis aſtruxit, ut dùm per Pragmaticam Sanctionem ipſam, ſumma in Eccleſiâ tuæ Sanctitatis auctoritas minuitur, dùm Prælatis in Regno noſtro quoddam licentiæ templum perſtruitur, dùm congruens unitas ad alia Regna, conformitaſque tolli videtur, abroganda ſit ipſa Pragmatica, tollendaque à Regno noſtro: quippè quæ adver-*

(a) *Guimer. in Pragm. de elect. §. quod ſi.*
(b) *Spond. an. 1438. num. 21. 22. Raynald. ann. 1438 num. 14.*
(c) *Concil. Aurelian. ann. 1479. apud Bailſum. Conc. tom. 2. f. 640*
(d) *Thomaſſin. Vet. & nov. Eccl. diſcipl. p. 2. l. 1. c. 45. num. 8.*
(e) *Papyr. Maſſon. lib. 4 Annal. in Ludovic. II.*
(f) *Joan. Gebelin. l. 6. & 7. Raynald. an. 1461 num. 120.*
(g) *Guaguin. de geſt. Franc. in Ludovic. II. l. 10.*
(h) *Æneas Sylvius, vel Pius II. epl. 375.*
(i) *Epiſt. Ludovic. XI. dat. Turonis 27. Novembris ann. 1461.*
(l) *Papyr. Maſſon. loc. cit. Raynald. ann. 1461. num. 120. Bail. to. 2. in Conc. Bituric. ann. 138.*
(m) *Gaguin. loc. cit. Genebrard. in Chron. ſub anno 1459. Spond. Auctar. ad annal. Baron. ann. 1461.*

Digitized by Google

adverſùs tuam Sedem, omnium Eccleſiarum matronam, ab inferioribus Prælatis lata ſit, tamquàm ut Scriptura loquitur, quomodò ſi elevetur virga contrà levantem ſè, aut baculus, qui utique lignum eſt (a).

27. *Quidquid, Beatiſſimè Pater, licet plerique doƈti homines confutare niterentur, atque diluere, multique nos dehortarentur abrogare ſanƈtionem ipſam, te tamèn Principem totius Eccleſiæ, Antiſtitem Sacrorum, te Dominici gregis Paſtorem, profitemur, & ſcimus, teque jubentem ſequimur, tibi, & Beatiſſimi Petri Cathedræ conſentimus, & jungimur. Itàque ſicut mandaſti, Pragmaticam ipſam à Regno noſtro, noſtroque Viennenſi Delphinatu, & omni ditione noſtrâ, per præſentes pellimus, dejicimus, ſtirpitùſque abrogamus; & quam, qualemve, antè Pragmaticæ ipſius editionem, circà Eccleſiarum, beneficiorum, aliarumque rerum ſpiritualium diſpoſitionem, cenſuram, moderationem in Regno noſtro, omnique ditione noſtrâ, tui prædeceſſores, Martinus V. & Eugenius Quartus, Romani Pontifices habebant, & exercebant; talem, eamdemque, noſtro adjutorio, Beatiſſimo Petro, tibique ipſius ſucceſſori, reddimus, præſtamus, & reſtituimus, cum judicio libero, cum poteſtate non coarƈtatâ. Tu enim eum ſcias, quid auƈtoritate divinitùs tibi datâ poſſis, quos prò Regni noſtri, & Eccleſiarum in eo tranquillitate, poſtulabimus; non negliges res neceſſarias, poteriſque ſempèr, quod opportunum fuerit, judicare. Utere igitùr deincepi in Regno noſtro poteſtate tuâ, ut voles, atque illam exerce; Nàm ut hominum membra, nullâ contentione, capite uno, atque unâ mente ducuntur; ſic tuis ſacris decretis Eccleſiæ Prelati in Regno noſtro, & Delphinatu, conſonantiam, & obedientiam plenam refundent. Quod ſi fortè obnitentur aliqui, aut reclamabunt, nos in verbo Regis pollicemur tuæ Beatitudini, atque promittimus, exequi facere tua mandata, omni appellationis, aut oppoſitionis obſtaculo prorsùs excluſo, eoſque, qui tibi contumaces fuerint, pro tuo juſſu comprimemus, & refrenabimus. Datę Turonis ſub magno Sigillo noſtro die 27. menſis Novembris, anno Domini 1461. & Regni noſtri primo* (b).

(a) *Iſaiæ cap. 10. num. 10.*

(b) *Eſt in Aƈt. Conc. Later. 5. ſeſ. 4.*

28. Ità pius Rex Pragmaticam condemnavit, de quâ Cardinalis Papienſis ad eundem Regem, ità ſcripſit. *Acceptis literis ſublationis Pragmaticæ, illico Papa Pius in Conſiſtorium nos convocavit. Legi eas per Secretarium fecit: Lacbrymantibus oculis recenſuit, quantum eſſet Majeſtatis veſtræ beneficium in totam Eccleſiam, quanta pietas ſua, quanta religio, quanta bonitas mentis, laudando, & benedicendo ſatiari non poterat. Agebat frequentèr Deo gratias. Agebat celſitudini veſtrę, hoc crebrò adiiciens, obligati nimium Regi, tàm Catholico ſumus, ornovit nos, ornavit tempora Pontificatus noſtri. Quod Eugenio, Nicolao, & Calliſto evenire non potuit; hoc per hunc Regem Deus conceſſit &c.* (c). Pragmaticam inquam Ludovicus Rex condemnavit, nec eam unquam reviviſcere permiſit, licèt, ut innuimus, anno 1479. in Concilio Aureliamenſi eam exſuſcitare, politico intuitu, propoſuerit, ut Sixtum Papam IV. hoc artificio ad abſolvendos à cenſuris Florentinos, Ludovici patrocinio potientes, induceret (d). Quià tamèn ſub Ludovico XII. adversùs Julium II. furente, & omnes politicos modos eidem obſiſtendi quærente, Sanƈtio refricabatur, & publico ediƈto ab hoc Rege fuerat reſtituta, quibuſdam etiam Galliæ Prælatis in ejuſdem Pragmaticæ defenſione pertinacibus; eam opus fuit acriori remedio configere. Itàque poſt preces, & monita, ſemel, & iterum repetita, ſemperque incaſſum Regi, pro illius abolitione, propoſita; Julius Papa II. licet ex ſe poſſet ſanƈtionem præfatam auƈtoritate Apoſtolicâ confutare (e); tamèn melius cenſuit ordinem judiciarium, cum voto Patrum, in generali Synodo conſidentium, tenere, & ità in ſeſſione quarta Concilii Lateranenſis V. Monitorium adverſus Pragmaticam relaxavit, hæc intèr alia continens.

(c) *Jacob. Card. Papienſ. epl 18.*

(d) *Concil. Aurelian. ann. 1479. & ibi Bail. Sum. Conc. tom. 2.*

(e) *Raynald. an. 1516 à num. 22. ad 27.*

29. *Dudùm ſiquidèm diſplicentèr per nos pluries accepto, per multa temporum ſpatia, per nonnullos Prælatos Gallicę nationis, & nobiles laicos, ac alios illis faventes, præſertim cujuſdam ſanƈtionis prætextu, quam ipſi Pragmaticam vocant, Apoſtolicæ Sedi, Sanƈtæque Romanæ, & Univerſalis Eccleſiæ Capiti, libertati, &*

auƈto-

auctoritati, enormitèr detractum, canonibuſque præſatis derogatum fuiſſe, rem adeò pernitioſam in Dei offenſam, & Eccleſiæ præfatæ vilipendium, & evidens detrimentum, ampliùs ferre nequeuntes, cum ſanctio ipſa ab omni ad id poteſtate carentibus, nullorumque Romanorum Pontificum, aut Generalium Conciliorum auctoritate facta, ſed quodam abuſu tantùm in illis partibus introducta, & obſervata fuerit, illaque, cum in ea contentis, nulla, & invalida meritò declarari, & abrogari debeat; Nos igitur, quorum intereſt, ne indefenſæ libertatis eccleſiaſticæ ratio in extremo judicio à nobis requiri poſſit, & perverſorum, & ambitioſorum protervia diutiùs convaleſcat &c. omnes, & ſingulos Gallicos Prælatos, Capitula, ſeù Conventus, Parlamenta, & Laicos illis faventes, cujuſcumque dignitatis, etiam ſi Regalis extiterint, ſanctione præfata abutentes, ſeù illam approbantes, omneſque alios, & ſingulos ſua communitèr, vel diviſim intereſſe putantes &c. citamus, monemus, & requirimus, quatenùs infrà ſexaginta dierum ſpatium &c. ad comparendum coram nobis, & Concilio Lateranenſi præfato, cauſaſque dicendas, quarè ſanctio præfata, illiuſque corruptela, & abuſio in concernentibus auctoritatem, dignitatem, ac unitatem Eccleſiæ Romanæ, & Sedis, Canonumque, & Eccleſiaſticæ libertatis prædictorum, violationem, nulla, & invalida declarari, decerni, & ab-
(a) *Conc. Later. 5. ſeſſ. 5.* *rogari non debeat &c.* (*a*). Non comparuerunt Præſules Gallicani, allegantes impedimenta viarum, quas ab hoſtibus Gallicæ nationis occupari dicebant: præſertim in Inſubriâ, & Liguriâ: quamquàm, & nec ſubſequentibus annis (licèt bellorum ſtrepitu ceſſante, viæ eſſent à periculis vacuatæ) ad Concilium præſentialitèr
(b) *Raynal. an. 1516. à num. 22. ad 27.* acceſſerint (*b*): rebus interìm remanentibus indeciſis, quià citò Julii Papæ obitus accidit, & Ludovici quoque Regis, poſt paucos menſes, eſt ſubſecutus interitus.

30. Promotis interìm ad Pontificatum Joanne Mediceo ſub nomine Leonis X, & ad Regnum Galliarum Franciſco I. Angoleſmio; quæſtio Pragmaticæ ſanctionis, à judiciali concertatione, ad negotium traducta eſt, ac in celebri Concordato Gallicano, Bononiæ, inter Leonem, & Franciſcum ſtabilito, ſuppreſſa, atque in ſeſſione XI, ejuſdem Concilii Lateranenſis, à Leone continuati, damnata, &
(c) *Ganeber. in Chron. ann. 1513. Spardan. in Auctar. ad Baron. ann. 1515.* perpetualitèr abolita (*c*). De quâ Pontifex, in Decreto, ſeù Bullâ abrogationis, in publicâ ſeſſione data, hæc intèr cætera effatur. *Nos maturè attendentes, Pragmaticam ſanctionem, vel potiùs, ut dictum eſt, corruptelam, ſchiſmatis tempore, à non habentibus poteſtatem, editam, reliquæ Chriſtianæ Reipublicæ, Eccleſiæque Sanctæ Dei nullatenùs conformem, à claræ memoriæ Ludovico XI. Francorum Rege Chriſtianiſſimo revocatam, caſſatam, atque abolitam, auctoritatem, libertatem, ac dignitatem dictæ Sedis violare, ac diminuere, facultatemque Romani Pontificis prò tempore exiſtentis, de S. R. E. Cardinalibus prò univerſali Eccleſiâ aſſiduè laborantium, virorumque Doctorum perſonis, quibus abundat Curia, & quorum conſiliis Sedis Apoſtolicæ, & Romani Pontificis, & univerſalis Eccleſiæ auctoritas, & poteſtas conſervantur, negotiaque diriguntur, & in proſpero ſtatu conſoventur, Eccleſiis, & Monaſteriis, eiſdemque perſonis de reliquis beneficiis Eccleſiaſticis, juxtà eorum ſtatus exigentiam providendi penitùs auferre &c. ipſamque notoriæ nullitati*
(d) *Leo X. Conſt. 20. §. 4.* *ſubjacere &c.* (*d*).

31. Indè, quibuſdam interjectis, proſequitur: *Nec illud nos movere debet, quod ſanctio ipſa, & in eâ contenta, in Baſileenſi Concilio edita, & ipſo Concilio inſtante, à Bituricenſi Congregatione recepta, & acceptata fuerunt, ea omnia poſt translationem ejuſdem Baſileenſis Concilii, per recol. mem. Eugenium Papam IV. etiam prædeceſſorem noſtrum factam, à Baſileenſi Conciliabulo, ſeù potiùs conventiculâ, quæ præſertìm poſt hujuſmodi translationem, Concilium ampliùs appellari non merebatur, facta extiterint, & proptereà nullum robur habere potuerunt &c.* Subditque plures hiſtorias Conciliorum, auctoritate Romani Pontificis translatorum, ac demùm concludit, *Ex certâ noſtrâ ſcientiâ, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, eodem Sacro approbante Concilio, tenore præſentium præfatam Pragma-*

ticam

Google

ticam ſanctionem, ſeù corruptelam, ejuſque approbationem, quomodolibet emanatam &c. nullius roboris, vel momenti fuiſſe, & eſſe decernimus, & declaramus. Nec non, ad abundantiorem cautelam, eamdem Bituricenſem ſanctionem, ſivè corruptelam, ejuſque approbationem, tacitam, vel expreſſam &c. revocamus, caſſamus, abrogamus, irritamus, annullamus, & damnamus (*a*). Inhibetque omnibus, in Regno Franciæ, & Delphinatu exiſtentibus, ne ipsâ Pragmaticâ Sanctione deinceps utantur in judicio, vel extrà, neque illam apud sè, neque in Archiviis quibuſcumque retineant, ſub pœna, quoad Epiſcopos, & alios Eccleſiaſticos, excommunicationis, ac privationis omnium beneficiòrum, & inhabilitationis ad illa; Quoad laicos verò, ſub pœna excommunicationis, infamiæ, ac Criminis læſæ Majeſtatis &c.

32. Pragmatica igitur Sanctio, extraneos ab eccleſiaſticis beneficiis repellens, ſi à ſuâ origine ponderetur, uti à Carolo VI. Rege Galliæ adinventa, cum ſalvet *debitam Sanctæ Sedi Apoſtolicæ reverentiam, & Domino Papæ legitimo* (*b*), proculdubio jus adſtruit Papæ legitimo in conferendo beneficia eccleſiaſtica etiam viris extraneis: & jus adſtruens Papæ, libertatem etiam aliis impertit, qui vel ex peculiari privilegio Pontificis, vel ex generali legis indulto, vim legis à Pontificis auctoritate ſuſcipientis, beneficia diſtribuunt, ut ea poſſint, non modo clericis indigenis, verùm etiam extraneis elargiri. Si verò Pragmatica conſideretur in ſuo curſu; cum & in medio, & in fine fuerit execrationibus Pontificum, Epiſcoporum, & Regum ſauciata, à Doctoribus Catholicis confoſſa, & à Generali Concilio ſtirpitùs abrogata; nil probationis facit adversùs libertatem conferendi beneficia, etiam Clericis extraneis, ſed potiùs libertatem ipſam confovet, ac declarat. Neç refert, quod Schola Pariſienſis, ſub Ludovico XI. ejuſdem Pragmaticæ abolitioni reſtiterit (*c*), & idem ſub Franciſco I. repetierit (*d*): Gilbertus quoquè Genebrardus (*e*), & Thuanus de hoc altos ediderint ejulatus (*f*), & alii aliis modis ejuſdem improbaverint caſſationem; Nàm nullum eſt ſub ſole bonum, quod malorum detractionibus non pateat: & ſicut à flòribus, à quibus apes mel exſugunt, araneæ venenum excerpunt; Sic è bonis operibus, & viri probi materiam laudis, & interdùm improbi motivum vituperii deſumunt: Sanè multo plures, & majori dignitate, ac doctrinâ fuerunt illi, qui abolitionem Pragmaticæ commendarunt, quàm illi, qui eam improbarunt; eccùr ergò minoribus, & minoris momenti viris credemus, magis quàm majoribus? Præterquàm quod ſi in Galliâ vivitur ſecundum Concordata, abolitionem Pragmaticæ continentia; quid, & quibus proficere poteſt obſoleta illa, ac damnata ejuſdem Pragmaticæ diſpoſitio? Cæterum non eſt mirum, fuiſſe improbatam abolitionem Pragmaticæ Sanctionis à Scholâ Pariſienſi, quando hæc uſque illùc proceſſit, ut à ſuo Rege, & à Pontifice, ad futurum appellaverit Concilium (*g*). Genebrardus poſteà, & Thuanus, Concordata potiùs carpſerunt, quàm abolitionem Pragmaticę, quippè per Concordata, præjudicia Eccleſiis Galliæ illata eſſe autumabant.

33. Sed quidquid ſit de his, nobis ſufficit, quod Papa, in Concilio Lateranenſe V. Pragmaticam condemnavit, & Epiſcopi Conciliaritèr illi aſſidentes, ejuſdem condemnationi aſſenſum præbuerunt, per verbum *placet*, ipſis duobus Epiſcopis Cleri Gallicani Legatis, aſſentientibus, quamvis condemnationi, ex motivis politicis detrectaverint intereſſe (*h*). Rex quoque Galliæ Franciſcus I. ipſius abolitionis promotor fuit, & Concordati Gallicani; Qui Rex à Parlamentis etiam Galliæ utriuſque facti ratihabitionem elicuit (*i*), Quarè miramur, poſſe Contradictores aliquod momentum, favore ſuę cauſæ, à Pragmaticâ Sanctione conquirere, cum eam toties fuiſſe ſciant, & tàm ſolemnitèr abrogatam, atque in Galliâ ipsâ, favore cujus prodiit, ad nihilum redactam, atque totalitèr exinanitam. Prætèrquam quod vis Pragmaticæ ipſius, vel Cardinales Romanæ Eccleſiæ nullatenùs complectebatur, vel ſaltem, an quoque complecteretur, valdè dubium eſt. Nàm Cardinalis Papienſis, qui eâ ætate vixit, & cum eſſet natione Etruſcus, beneficium quoddam in Galliâ conſequi ſatagebat, hęc Interpreti ſuo ſcripſit.

(a) *Leo X. loc. cit.*

(b) *Vid. hic ſupra num. 20.*

(c) *Gaguin. in geſt. Franc. lib. 10. in Ludovic. XI.*

(d) *Bail. Sum. Concil. tom. 2. in Concil. Later. 5. §. de Concordatis.*

(e) *Genebr. Chron. lib. 4. ſub ann. 1513.*

(f) *Thuanus lib. 2.*

(g) *Gaguinus loc. citato.*

(h) *Raynald. ann. 1516. à num. 21. ad 27.*

(i) *Sauſai. Panoplia Epiſcopalis lib. 2. Bail. loc. cit.*

Quod

Quod ſi ad impugnationem meam illud quoque adderetur, mè Regni naturalem non eſſe, nec diplomata naturalitatis tenere, proindèque non potuiſſe in ditione Regis, beneficium petere: primum neſcio, an Romanæ Eccleſiæ Cardinalem lex illa conſtringat (*a*). Qua de rè ſi dubium erat ætate ipsâ, quâ Pragmatica Sanctio nondum erat Apoſtolicâ, & Conciliari auctoritate damnata; quid dicemus poſt illius condemnationem?

(a) *Jacob Card. Papienſ. Epiſt. 69.*

34. Igitur & Gallica natio, tot viciſſitudines experta ſuper Pragmaticâ Sanctione, clericos extraneos à beneficiis eccleſiaſticis repellente; & Guimerius ejuſdem Pragmaticæ gloſſator, & alii, de quibus hìc ſupra num. 24. ipſam transfigentes; Et Doctores Catholici adversùs illam calamum adhibentes; & Ludovicus XI. atque Franciſcus I. Galliarum Reges, & Julius Papa II. atque Leo Papa X. & totum demùm Concilium Generale Lateranenſe V. eandemmet abolentes, & reſpectivè aboleri ſatagentes; omnes, inquam, hi in unum ſua contulere ſuffragia, ut excluſio extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis ſit ſacris canonibus inimica, libertati Eccleſię contraria; & Pragmatica Sanctio à Carolo VI. atque VII. ac à Ludovico XII. Galliarum Regibus, ob politicas potius rationes, quàm ex vero illorum ſenſu propoſita, eſſet digna publicâ abolitione, quâ illam, & Concilium execrationibus, & Papa maledictionibus ſagitarent. Nàm nedum Concilium, ut innuimus, illius abrogationem approbavit; ſed etiam Leo Papa X. ex condicto cum Rege Galliæ, retentionem Pragmaticæ in Regno Franciæ prò delicto lęſæ Majeſtatis decrevit; &, ut refertur, Pius Papa II. ipſius Pragmaticæ autographum, ſibi à Ludovico XI. miſſum, per publicas Urbis vias lutulentas, & ſordidas, fecit ignominiosè raptari (*b*). Ergò ex hac ſolemni Pragmaticæ Sanctionis abolitione, Conciliariter factâ, libertas Eccleſiæ in traditione beneficiorum extraneis comprobatur; Singulaque ſingulis congruè referendo patefactum remanet, liberum eſſe Eccleſiæ, illiuſque Miniſtris, & inprimis Romano Pontifici, ejuſdem Eccleſię Capiti, nec non Epiſcopis, aliiſque omnibus, tàm ordinariis, quàm delegatis beneficiorum Collatoribus, vel ad ea Nominatoribus, Eccleſiaſtica beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiam extraneis elargiri.

(b) *Hiſt. de la Pragmat. & de Concord.*

Digitized by Google

CAPUT II.

In quō ex Concordatis Germanicis, *& ex contentionibus, excitatis tempore* Maximiliani I. *&* Caroli V. *Imperatorum, in* Comitiis Norimbergæ, *intèr Sedem Apoſtolicam, & Germanos; probatur Eccleſiæ libertas in conferendo eccleſiaſtica beneficia, etiàm Clericis extraneis.*

SUMMARIUM.

1 *Excitatis in Germaniâ contentionibus adverſus Sedem Apoſtolicam, proptèr beneficia, Nicolaus V. illùc miſit Cardinalem Carvajal Legatum.*

2 *Inivit Carvajal Conventiones, quæ Concordata Germanica nuncupantur, eaque Nicolaus PP. V. approbavit. Reſervant Papæ plura beneficia.*

3 4 5 *Tenor Concordatorum refertur, exprimens beneficia multa, & multiformitèr ibi Summo Pontifici reſervata.*

6 *Supponunt Concordata hæc, viros Teutonicos promoveri poſſe ad beneficia Patriarchalia, quo favent admiſſioni extraneorum.*

7 *Eadem Concordata reſervant Sedi Apoſtolicæ beneficia Cardinalium, pluriumque Officialium Papæ, ejuſque Commenſalium, Scriptorum &c.*

8 *Fruſtrà reſervarentur Papæ beneficia dictorum Officialium, ſi hi in Germaniâ, tametſi extranei, beneficia conſequi non valerent.*

9 *Liquet, quod currente Sæculo XV. extraneis patebant beneficia Germanica, à quibus ſi repelluntur, oportet id fieri ex Indulto poſteriore.*

10 *Series epiſtolæ Martini Meyr ad Æneam Sylvium innuitur, de querelis Germanorum adversùs Papam, proptèr beneficia.*

11 *Papæ ſemper Concordata Germanica ſervavere, & potiùs aliqui Germani Prælati ea violarunt, quibus obſtitit Clemens VII.*

12 *Martino Meyr validè reſpondit Æneas literis, & libello, quem longè poſt impugnavit Vuinphelingius, fortè quod tunc adeſſent abuſus.*

13 *Sub Maximiliano I. Cæſare refricata ſunt quædam ſuppoſita gravamina Sedis Apoſtolicæ, cum Aviſamentis cohærentibus Cæſari datis.*

14 *Patet ex his, quod hoc tempore extranei à Germaniâ, Romanam Curiam ſequentes, ibi beneficia ſoliti erant adipiſci.*

15 *Imperator edictum publicavit, ad obſervantiam Concordatorum directum. Miſit quoquè Vuinphelingio exemplar Pragmaticæ Sanctionis Gallicæ.*

16 *Tentabat Cæſar introducere in Germaniâ Pragmaticam ſanctionem: patetque, quod tunc extranei beneficia apud Teutonicos poſſidebant.*

17 *In Comitiis Norimbergæ ſuppoſita fuerunt quædam gravamina, illata Germanis à Romanâ Curiâ: quibus reſpondit Fridericus Nauſea.*

18 *Recenſentur quædam ex ſuppoſitis illis gravaminibus, circà beneficia Clericorum, Apoſtolicæ Sedi deſervientium.*

19 *Reſponſio ad illa Friderici Nauſeæ: qui oſtendit, etiam Accuſatores in hac parte delicere: cæterum abuſus tollendos, ac ſtandum Concordatis.*

20 *Refertur aliud ſuppoſitum gravamen, quod concludit petendo, ut beneficia illius Regionis ſolis Germanis conferantur.*

21 *Ex his liquet, quod olim plures alii modi erant beneficia reſervandi: & quod uſque ad annum 1523. extraneis patebant beneficia Germaniæ.*

22 23 *Reſponſio Friderici Nauſeæ ad præfatum gravamen, oſtendens, quod etiam Collatores Germanici beneficiorum eadem committebant.*

24 *Reſponſio continet, quod ſicut Romæ patent Germanis beneficia, ſic Romanis patere debent in Germaniâ: Extranei tamèn repellantur à beneficiis curatis, non verò à mere ſimplicibus.*

25 *Aliud gravamen, in iiſdem Comitiis Norimbergæ propoſitum fuit de beneficiis commendatis. Commendarum quanta ſit antiquitas.*

26 *Nauſea refert cauſam, & juſtitiam introductionis Commendarum. Memoratque, Imperium per Sanctam Sedem tranſlatum fuiſſe ad Germanos.*

27 *Aliud ſuppoſitum gravamen additur, de Clericis non nobilibus, factis Canonicis in capitulis exigentibus nobilitatem. Jus non nobilitatem, ſed virtutes expoſcit.*

28 *Ex Friderico Nauſeâ liquet, quod reſtrictio beneficiorum ad indigenas exorbitat à Jure, nec afficis, niſi Apoſtolico privilegio munita.*

29 *Item, quod uſque ad annum 1538. extranei in Germaniâ beneficia obtinebant, & quod in his obſervanda eſt correſpectivitas.*

30 *Demùm, quod tunc Germania carebat privilegio, extraneorum excluſivo. Quæ ſi vera ſunt in Regno libero; quid erit in Regno feudali Papæ?*

(a) *Vid ſupr. tom. 1. cap. 42. num. 14.*

1. INCLYTA Gens Germanica, in Deum pia, in Eccleſiam religioſa, atque in Divos Petrum, & Paulum ſatis devota (*a*); Eccleſiam ipſam, & eccleſiaſticos viros, eorumque jura, & libertates fovere ſolita ſemper fuit; nihilominus currente Chriſti ſæculo quintodecimo, contentiones aliquas enutrivit, inter Sacerdotium, & Regnum, de quibus impræſentiarum eſt habenda locutio. Conciliabulum Baſileenſe, quod ad evertendam, vel ſaltèm notabilitèr attenuandam, Summi Pontificis poteſtatem conſpirabat; quemadmodum edendæ Pragmaticæ Sanctioni anſam dedit in Galliâ; ſic & in Germaniâ genium quorundam hominum incitavit, ad novitates in rebus eccleſiaſticis ſuſcitandas: & præſertim ad eam impugnandam libertatem, quâ Romanus Pontifex de beneficiis eccleſiaſticis pro ſuo libito diſponebat. Ululantibus ergò plurimis adversùs Reſervationes Apoſtolicas, & Friderico III. Imperatore illorum conatibus adhærente; cum jam res in apertam contentionem tranſiſſet; Nicolaus Papa V. optimum duxit eſſe conſilium in Germaniam tranſmittere Joannem Carvajal Hiſpanum, civem, & Epiſcopum Placentinum, ac S. Angeli Cardinalem Legatum, qui tranſactionem aliquam honeſtam iniret cum Germanicâ natione ſupèr diſpenſatione beneficiorum, ad Sedem Apoſtolicam pertinentium, quâ neque cuncta admitterentur, nec vice verſa abiicerentur Baſileenſia decreta (*b*).

(b) *Æneas Sylvius vel Pius II. Epiſt. 369.*

2. Egregiè functus eſt ſuo munere Joannes, & cum Friderico III. Imperatore conventiones quaſdam inivit, quæ *Concordata Germanica* nuncupantur: eaque Nicolaus ipſe Papa V. expreſsâ, & peculiari Conſtitutione approbavit (*c*). Hæc intèr cætera continent, quod in Cathedralibus, & Abbatialibus Eccleſiis, Præſules per viam electionis canonicæ liberè promoveantur; reliqua verò beneficia, deſignatis ibi ſex anni menſibus vacantia, per Sedem Apoſtolicam, aliis autem ſex menſibus alternatim vacantia, per Ordinarios conferantur (*d*). Cæterùm perplures præbendas, & beneficia diſpoſitioni Pontificiæ reſervant, de quibus infrà. Nec per ea impediri Reſervationum Literas, quas etiam Legati Apoſtolici aliquandò conſueti ſunt impertiri, affirmat Pius Papa II. in quodam Brevi, aſſeverans, quod ſi Cardinalis Nicænus, ejus in Germaniâ Legatus, aliquas hujuſce generis literas expedierat; non id ſpeciali ullo indulto fecerat, ſed ex ſolâ juris communis diſpoſitione: *Detulit ſolum*, inquit, *quod ſibi jus tribuit. Id verò Compactata Nationis*

(c) *Nicolaus PP. V. Conſtit. 1.*

(d) *Vid. Thomaſſin. Vet. & Nov. Eccl. diſcipl. p. 2. l. 1. c. 45. n. 4.*

non tollere perſpicuum eſt, quando juri ſcripto eſt conſentaneum (a).

3. Beneficia verò Sedi Apoſtolicæ reſervata in Concordatis Germanicis hæc ſunt. Papa ſibi reſervat, uti legitur in Bullâ, *Omnes Patriarchales, Archiepiſcopales, & Epiſcopales Eccleſias, & etiam Monaſteria, Prioratus, Dignitates, Perſonatus, & officia, necnon Canonicatus, Præbendas, & Eccleſias, cæteraque beneficia eccleſiaſtica, cum curâ, vel ſinè curâ, ſecularia, & regularia, quæcumque, & qualiacumque fuerint, etiam ſi ad illa perſonæ conſueverint, ſeù debuerint per electionem, ſeù quemvis alium modum aſſumi, nunc apud Sedem Apoſtolicam quocumque modo vacantia, & inpoſterum vacatura. Necnon per depoſitionem, vel privationem, ſeù tranſlationem, per nos, ſeù auctoritate noſtrâ factas, & in anteà faciendas ubilibet. Necnon ad quæ aliqui in concordiâ, vel diſcordiâ electi, ſivè poſtulati fuerint, quorum electio caſſata, vel poſtulatio repulſa, vel per eos facta renunciatio, & admiſſa auctoritate noſtrâ extiterit: ſeù quorum electorum, vel poſtulatorum, & in anteà eligendorum, ſeù poſtulandorum electionem caſſari, ſeù poſtulationem repelli, aut renunciationem admitti per nos, aut auctoritate noſtrâ continget, apud ſedem prædictam, vel alibi ubicumque.*

4. *Et etiam per obitum Cardinalium ejuſdem Eccleſiæ Romanæ, aut Officialium dictæ ſedis, quandiù ipſa officia actualitèr tenebunt, (videlicèt Vicecancellarii, Camerarii, ſeptem Notariorum Auditoris literarum contradictarum, & Apoſtolici Palatii cauſarum Auditorum, Correctorum, centum & unius Scriptorum literarum Apoſtolicarum, & vigintiquatuor Pœnitentiariæ præfatæ ſedis, & vigintiquinque Abbreviatorum, necnon verorum Commenſalium noſtrorum; & aliorum viginti quatuor Capellanorum ſedis ejuſdem, in epitaphio deſcriptorum) & etiam quorumcumque Legatorum, ſeù Collectorum, ac in terris Romanæ Eccleſiæ, Rectorum, ac Theſaurariorum, depututorum, ſeù miſſorum hactenùs, vel deputandorum, aut mittendorum in poſterum, nunc vacantia, & in anteà vacatura, ubicumque dictos Legatos, vel Collectores, ſeù Rectores, & Theſaurarios, antequam ad Romanam Curiam redierint, ſeù venerint, rebus eximi contigerit ab humanis. Necnon quorumlibet, pro quibuſcumque negotiis, ad Romanam Curiam venientium, ſeù etiam recedentium ab eâdem, ſi in locis, à dictâ Curiâ ultrâ duas dietas Legales non diſtantibus, jàm forſan obierint, vel eos in anteà ab hac luce tranſire contigerit.*

5. *Et etiam ſimili modo quorumcumque Curialium, peregrinationis, infirmitatis, ſeù recreationis, vel aliâ quacumque causâ ad quævis loca ſecedentium, ſi eos antequam ad dictam Curiam redierint, in locis, ultrà duas dietas ab eâdem Curiâ, ut præmittitur non remotis (dummodò eorum proprium domicilium non exiſtat ibidem) jàm forſan deceſſerint, vel inpoſterum eos contigerit de medio ſubmoveri, etiam nunc per obitum hujuſmodi vacantia, vel inpoſterum vacatura. Rursùs Monaſteria, Prioratus, Dignitates, Perſonatus, Decanatus, Adminiſtrationes, Officia, Canonicatus, Præbendas, & Eccleſias, cæteraque beneficia eccleſiaſtica, ſæcularia, & regularia, cum curâ, vel ſinè curâ, quæcumque, & qualiacumque fuerint, etiam ſi ad illa perſonæ conſueverint, ſeù debuerint, per electionem, ſeù quemvis alium modum aſſumi, quæ promoti per nos, ſeù auctoritate noſtrâ, ad Patriarchalium, Archiepiſcopalium, & Epiſcopalium Eccleſiarum, necnon monaſteriorum regimina obtinebant, tempore promotionum de ipſis factarum, nunc quomodocumque vacantia, aut inpoſterum vacatura. Necnon etiam per aſſecutionem pacificam quorumcumque prioratuum, perſonatuum, officiorum, canonicatuum, præbendarum, Eccleſiarum, aut beneficiorum aliorum, per nos, ſeù auctoritate noſtrarum literarum, immediatè collatorum, ſeù conferendorum inpoſterum (b).*

6. Hæ ſunt reſervationes Apoſtolicæ, in Concordatis Germanicis compactatæ: quibus adde majores poſt Pontificalem dignitates, in Cathedralibus, & principales in Collegiatis Eccleſiis (c). Sed dices, quid hæc cum extraneis, vel indigenis provehendis ad beneficia, vel repellendis ab eis? Multum ſanè. Nàm eo ipſo quod Papa ſibi reſervat Eccleſias Patriarchales eorum, qui in Curiâ objerint; & be-

(a) *Jacobus Cardin. Papienſ. epl. 28.*

(b) *Nicol. PP. V. Conſt. 1. §. 2.*

(c) *Nicolaus V. Conſtit. 1. §. 3.*

neficia vacantia per aſſumptionem ad dignitatem Patriarchalem, ſupponunt Concordata, quod Clerici Teutonici promoveri valeant ad dignitates Patriarchales in locis, à quibus ſunt extranei: nulla enim in totâ Germaniâ eſt Eccleſia Patriarchalis, ſed omnes Patriarchichę ſedes extrà terram Teutonicam reperiuntur. Aſt Patriarchales dignitates, vel Eccleſiæ, ſunt eccleſiaſtica beneficia (*a*), & quidem ordinis ſublimioris, ergò admittunt Concordata, viros Germanos poſſe beneficia eccleſiaſtica extrà Germaniam adipiſci: qui ſi beneficia Patriarchalia liberè poſſunt aſſequi, nihil obſtante indigenatus defectu; multò magis beneficia minoris ordinis conſequi poterunt. Etſi Germani conſequi poſſunt beneficia extrà terram Teutonicam; ratio congruæ correſpectivitatis expoſcit, ut etiam oriundi ex aliis regionibus, valeant beneficia intrà Germaniæ circuitum adipiſci: niſi Natio Teutonica ſpeciale indultum habeat ab Apoſtolicâ Sede, cujus vi, qui Germani non ſunt, à beneficiis Germanicis excludantur.

7. Vicèverſa Concordata ſuperiùs nominata paciſcuntur reſervationem beneficiorum vacantium per obitum S. R. E. Cardinalium, necnon ejuſdem officialium, videlicèt Viceacancellarii, Camerarii, ſeptem Notariorum Auditoris, centum, & unius Scriptorum Literarum Apoſtolicarum, Correctorum earum, vigintiquatuor Scriptorum Pœnitentiariæ, vigintiquinque Abbreviatorum, Auditorum Apoſtolici Palatii, & literarum Contradictarum. Inſupèr omnium Commenſalium Papæ, & aliorum vigintiquatuor Capellanorum Sedis Apoſtolicæ. Itidem Legatorum, Collectorum, Theſaurariorum, & Rectorum alicujus loci, in terris Romanæ Eccleſiæ. Demùm omnium Curialium, tàm tunc præſentium, quam futurorum. Sed illi omnes Officiales, Auditores, Curiales, Notarii, Scriptores, Correctores, Abbreviatores, Rectores, Collectores, Theſaurariique, Commenſales, & cæteri ſuprà expreſſi, erant tùnc, ſuntque nunc etiam, & ſemper erunt, vel cuncti, vel pro majori parte, Romani, Neapolitani, Inſubres, Ligures, Etruſci, & uno verbo, Itali, mixti quidem aliquibus quoque aliarum Regionum viris, ſed pauciſſimis intèr eos numeratis Teutonicis, ergò Concordata ſupponunt, quod hi omnes Officiales, tametſi extraneià Germaniâ, in ea poſſent, & poſſint eccleſiaſtica conſequi beneficia.

8. Alioquin vì Concordatorum, fruſtrà reſervarentur diſpoſitioni Papali eorum beneficia in Germaniâ exiſtentia, ſi beneficia inibi liberè aſſequi non valerent. Enimverò verba legis debent ſemper intelligi cum effectu (*b*), & aliquid in facto eſſe operari, nè ſint ſuperflua (*c*). Quod & idem eſt de qualibet hominis diſpoſitione ſentiendum (*d*). Sivè ergò Concordata ſumantur ut lex, ſivè, ut hominum diſpoſitio; eorum verba non debent eſſe ſuperflua, ſed operari aliquid cum effectu, ſecundum eorum propriam ſignificationem, & communem uſum loquendi (*e*). Aſt ſuperflua prorsùs eſſent, & non operarentur cum effectu, ſecundum eorum propriam ſignificationem, & communem loquendi modum, ſi præfatis Officialibus Apoſtolicis Italis, & Romanis, vel alioquin à Germaniâ extraneis, acceſſus non pateret, ac reſpectivè non patuiſſet, ad eccleſiaſtica beneficia: ergò juxtà Concordata præfata non eſt obſtruſus, ſed potiùs apertus, acceſſus Clericis extraneis ad eccleſiaſtica beneficia. Loquimur de poſſibilitate: quidquid fiat in caſibus practicis. Et quod dicitur de Papâ, ratione Concordatorum, dicitur etiam de Epiſcopis, & Prelatis Germanis, Collatoribus beneficiorum, & de Principibus, & privatis Nominatoribus ad ea, ſub congruâ proportione. Nunquid enim non poterunt Collatores ipſi, vel Nominatores, aliquod beneficium Teutonicum alicui non Germano largiri? Certè poterunt, ſi aliud non obeſt.

9. Patet ex his, quod currente Sęculo Chriſti Decimoquinto, extraneitas nihil obſiſtebat à conſecutione beneficiorum, & quod ſi ulla nunc eſt lex, eoſdem repellens à beneficiis Germanicis; oportet quod ex indulto Apoſtolico proveniat, poſt Concordatorum tempora obtento: quippè illa, ut innuimus, extraneis non obſiſtunt. Et quod poſt Concordata Germanica pergeret adhùc Sedes Apoſtolica benefi-

(a) *Barboſ. Jur. Eccleſ. Univ. l. 3. c. 4. num. 59. cum aliis ibi.*

(b) *C. qualiter, & ibi Gloſ. ut de paſt. c. relatum de Cler. non reſid. l. 1. § hæc verba ff. quod quiſque jur.*

(c) *L. 3. in princ ff. de jurejur. c. ſi Papa in fin. de privil. in 6.*

(d) *Alexand Conſil. 12. num. 11. l. 3. & Conſ. 118. num 6. Barboſ Axiom. 222. num. 10 11. 13.*

(e) *L. non aliter. ff. de leg. 3. l. liberorum §. quod tamen, & ibi Bart ff. de Leg. 3. Barboſ. loc. cit. num. 4. & 7*

beneficia illius Regionis conferre etiam viris extraneis, præſertìm Cardinalibus, ac Prælatis Romanæ Curię; convincitur ex conqueſtionibus Germanorum, de quibus infrà, & ex epiſtolâ Martini Meyr, Cancellarii Archiepiſcopi Moguntini, ad Eneam Sylujum, poſteà Pium II. data pridie Kalend. Septembris anno 1457. in quâ ſic habet: *Cognovi ex literis Amicorum, te Cardinalem eſſe creatum, congratulor, & tibi qui pro tuâ virtute digna conſecutus es præmia, & mihi, cujus Amicus in eâ dignitate conſtitutus eſt, in qua mè, meoſque neceſſarios aliquandò juvare poterit. Illud mihi moleſtum, quod in ea tempora incidiſti, quæ Sedem Apoſtolicam afflictura videntur.*

10. Tùm ſubjungit; *Nàm Domino meo Archiepiſcopo frequentes afferuntur de Romano Pontifice quærelæ, qui neque Conſtantienſis, neque Baſilienſis Concilii decreta cuſtodit; neque ſe pactionibus Anteceſſoris ſui teneri arbitratur, Nationemque noſtram contemnere, & prorsùs exhaurire videtur. Conſtat enim electiones Prælatorum paſſim reiici, beneficia, dignitateſque cujuſvis qualitatis, & Cardinalibus, & Protonotariis reſervari. Et tu quidem ad tres Provincias Teutonici nominis ſub eâ formulâ reſervationem impetraſti, quæ hactenùs inſolita eſt, & inaudita* (a). Subjungit alia de Expectativis, de Annatis, de Cauſis judicialibus ad Romanam Curiam traductis, & quod Germani deliberabant obſiſtere. Sanè quod Calliſtus Papa III. de quo loquitur Meyr, non ſervaret Conciliorum Baſileenſis, & Conſtantienſis decreta, nil mirum, quippè neutrum eorum auctoritatem Concilii Generalis obtinuit, & propterea illorum ſanctiones, quoad eccleſiaſticam diſciplinam, nullam legem faciebant, à viris eccleſiaſticis obſervandam, & multò minus à Romano Pontifice, cujus manus ligare, cujus auctoritatem imminuere, cujus tandem poteſtatem non poterant vacuare. Non loquimur hic de ſanctionibus Conſtantienſibus, quæ fuerunt à Martino Papâ V. approbatę.

(a) *Meyr ap. Scriptor German. rerum tom. 2. f. 381. vid. & ic infr. cap ſequent. num. 15. 16.*

11. Quoàd obſervantiam verò Concordatorum, quidquid ſit, an tunc poſſet ab eis, poſſitque nunc etiam Pontifex reſilire nec nè, juſtis, gravibus, & rationabilibus ex cauſis, bonum publicum concernentibus, quâ de rè Theologi (b), & Canoniſtæ (c); Quidquid etiàm ſit de Calliſto Papâ III. certè ipſius Succeſſores eadem Concordata pro illorum parte ſervarunt. Imò ex Conſtitutione quadam Clementis Papæ VII. patet, quod ejus tempore, quidam Præſules, atque Proceres Germanici, ab obſervatione Concordatorum deficiebant, ità ut impedirent nè collationes beneficiorum, per Sedem Apoſtolicam factę, ad tenorem, & juxtà eadem Compactata, debitum conſequerentur effectum. Quarè coactus fuit idem Pontifex inobſervantes, & in obſervantiam illam, expreſsâ Bullâ percellere, ipſaque Concordata ad obſervantiam integram revocare (d). Quoàd conqueſtionem verò de beneficiis Germanicis, datis Cardinalibus, & Prælatis Romanæ Curiæ; proculdubiò per hujuſmodi collationes nulla fiebat Concordatorum tranſgreſſio: quippè, prout oſtendimus, Concordata ipſa Clericos extraneos, nedùm non expreſsè à beneficiis repellunt, uti deberent, ſi rè verâ eoſdem excluderent; ſed imò ipſos ſatis evidentèr admittunt, quandoquidèm ex illorum lecturâ, ſicut anteà patefecimùs, dignoſcitur, ibi ſupponi, & imbibi admiſſionem ipſam.

(b) *Suarez. tr. contr. Reg. Angl. l. 4. cap. 34. num. 24. & de leg. l. 8. cap. 37. num. 5.*

(c) *Thomaſ. del Bene de Imunit. to. 2. cap. 9. dub. 6. ſect. 6. num. 34*

(d) *Clement. VII. Conſtit. 41.*

12. Porrò præfato Martino Meyr ſolidiſſimè reſpondit Æneas Sylvius, ut infrà videbimus, & cunctas technas, & objectata gravamina, fortiſſimis rationibus confutavit, nedùm literis ad Martinum ipſum reſcriptis (e); verùm etiam integrò Opuſculo, quod *Germaniam* appellavit (f), adeò validis probationibus, & motivis refertum, ut nullus tunc eiſdem auſus fuerit obviare. Nihilominùs Leone Papâ X. ſedente anno 1515. Jacobus Vvinphelingius Seleſtadienſis, prædicti Æneæ Sylvii reſponſionibus quamdam Replicationem adaptavit (g); Quæ tamèn, ſi benè ponderetur; nil aliud concludere videtur, niſi quod ſuo tempore, vel eſſent, vel crederentur eſſe aliqui exceſſus, à Romanâ Curiâ manantes. Nec mirum: nàm nullum eſt bonum opus, nulla eſt rerum ſanctitas, & rectitudo, quę ſuos non poſſit pati defectus, ex incuriâ, inadvertentiâ, malove miniſterio illorum

(e) *Æneas Sylv. epl. 338. 359.*

(f) *Eſt inter oper. Æneę Sylvii ad finem.*

(g) *Wimpheling. in tom. 2. Rer. German. f. 381. & ſeq.*

rum

Digitized by Google

rum, à quibus res aguntur, vel pertractantur negotia, & ad effectum ſuum perducuntur. Ecquæ etenim Regio eſt, quænam Curiâ, quis politicus ſtatus, quodnàm publicum regimen, ubi vel exceſſu, vel defectu non erretur, non à recti lineâ declinetur? Sed hoc id ſolum probat, quod deberent corrigi errores, ſi qui erant, & pullulantes abuſiones eliminari, non verò tota poteſtas Pontificalis evelli. Quemadmodùm non ideò deſtruendum eſt ædificium, quia in tecto pluviam excipiat, ſed reparandum: eſt curandum, non occidendum corpus, quia in pede ulcus obtineat: putanda demùm eſt vitis, non è radicibus extirpanda, quia in aliquo palmitum computreſcat.

13. Hæc ſuppoſita gravamina Germanicę Nationis fuerunt pluries refricata, & præſertìm ſub Maximiliano I. Imperatore, cui decem ex eis fuerunt expoſita. Intèr quæ quintum eſt hoc: *Quod beneficia, & dignitates majores, Cardinalibus, & Protonotariis reſervantur* (a). Additaque fuerunt *Aviſamenta* quædam eidem Cæſari pro remedio adhibendo, in quibus peculiaritèr inculcatur: *Sicut Regnum Francię Pragmaticam habet ſanctionem, cui in conferendis beneficiis innititur; ſic Imperium Romanum habet Concordata Principum; uſque ea illeſa conſerventur intereſt Ceſareæ Majeſtatis. Rarò tamèn hactenùs per Summos Pontifices violata ſunt: & Auditores Rotæ juxtà illud hucuſque fertur judicaſſe. Et ſi aliquis Curialium per quamcumque diſpenſationem conaretur illa infringere; quod Epiſcopus, vel Princeps, vel Senatus ejuſdem, loci principiis obſtando, in faciem ei Concordata inculcaret, piè exhortans, ne contraveniat: quoniam audacia ſua ſuſtineri nequaquàm poſſet, cum & Turcæ, & Judæi pacta, fidemque ſervent. Quis Curtiſanorum, tàm inſolens, aut ſtultus eſt, ut contra voluntatem Epiſcopi, Principis, ac totius alicujus Communitatis, in aliquâ Civitate habitare præſumat* (b)?

(a) Rerum Germanic. to. 2. f. 373.

(b) Ibidem fol. 375.

14. Hæc ritè perpenſa pateſaciunt, quod Cardinales, Protonotarii, & Præſules, aliique Romanæ Curiæ ſequaces, qui dicuntur ibi *Curtiſani*, erant ſoliti, currente Sæculo Decimoquinto, & Sextodecimo ineunte, beneficia eccleſiaſtica apud Teutonicos adipiſci. Nequè concitantur hìc Maximilianus Imperator, Epiſcopi, & Principes, atque Communitates Germanicæ, ad illis obſiſtendum, tamquam extraneis; ſed uti Concordatorum violatoribus, ſi fortè contingeret, eos aliqua beneficia captare, contrà normam, in Concordatis ipſis conventam; quæ alioquin, quantum eſt in ſè, prout oſtendimus, Clericos extraneos non repellunt. Proſequuntur Aviſamenta præfata: *Poſſet etiam Cæſarea Majeſtas per literas, aut Oratores, facilè in Regno Franciæ experiri, quomodò illìc beneficia conferantur; & quam auctoritatem in beneficiis conferendis habeat Summus Pontifex. Secundum hoc poſſet moderamen fieri in Imperio Romano, & frænum inexplebili avaritiæ Curtiſanorum adhiberi* (c). Et ut pateat nomine Curtiſanorum hìc intelligi viros Curiam Romanam ſequentes, & à Germaniâ extraneos; additur ibidem in Appendice: *Cæterum adiici poſſet, quod unus Curtiſanus, ineptus, & barbarus, ad pſallendum, & ad ſacrificandum, non magis aptus, quam onager &c.* (d).

(c) Ibidem fol. 375.

(d) Ibidem in Appendic fol. 379.

15. Hiſce inſinuationibus inhærens Maximilianus Cæſar, Edictum quoddam publicavit, ad Concordatorum obſervantiam directum, in quo dicit, quod exemplum Friderici III. Imperatoris Patris tui imitatus, hactenùs permiſerat Dignitatum, & Parochialium Eccleſiarum proventus non paucos *Clericis, & Prælatis abſentibus inferri* (e): Ex quo vides, quod tempore Friderici III., & Maximiliani I. Clerici extranei, & Prælati Romanæ Curiæ beneficia in Germaniâ poſſidebant: nec illo edicto quidquam de ipſorum extraneorum eliminatione decernitur. Qui paritèr Maximilianus Imperator Pragmaticæ ſanctionis ex Galliâ procuravit exemplar, illudque Jacobo Vvinſelingio tranſmiſit, literis ità loquentibus: *Mittimus impręſentiarum ad tè Secretarium noſtrum cum Pragmaticâ ſanctione Regni Franciæ, commiſimuſque ei tibi noſtro nomine nonnulla referenda* (f), quę non explicat quid concernerent. Ex reſponſione tamèn conſtat, ea quædam fuiſſe tumultuariè collecta, quæ, inquit, *ſi tollantur, ad Germaniæ commodum, & divini cultus* am-

(e) Edict. Maxim I. Imperat. in to. 2. rerum German fol. 378.

(f) Epiſt. Maximil. 17 Settembr. 1510. loc. cit fol. 329.

amplificationem plurimum conducere videntur (*a*);

16. Tentabatur itaque illo tempore introducere in Germaniâ Pragmaticam Sanctionem Gallicanam, vel aliquam illius æquivalentiam, ſed irrito conſilio. Tantum abeſt enim, quod poſſet ad Germaniam extendi, ut per idem penè tempus in Concilio Lateranenſi V. dè illâ è Galliis extirpandâ validiſſimè tractaretur (*b*). Et quià ſucceſſivè idem Vvinphelingius, in *Reſponſis*, *&* *Replicâ*, ad Æneam Sylvium, quam dedicavit Alberto Archiepiſcopo Moguntino anno 1515. exaggerat intèr alia ſuppoſita gravamina, quod *majores dignitates*, *opulentioraque beneficia perſonis conferuntur incognitis*, *&* *non probatis* (*c*), patet hinc, quod adhùc illâ ætate pergebant Clerici extranei adipiſci beneficia Germanica: Neque tùnc etiam, vel citò, admiſſionem ipſorum extraneorum ceſſaſſe convincitur, ex longâ illâ ſerie commentitiorum gravaminum, quæ ſucceſſivè à Germanis quibuſdam fuerunt adversùs Apoſtolicam Sedem, Romanamque Curiam expoſita, de quibus Fridericus Nauſea Blancicampianus, Ferdinandi I. Romanorum Regis à Sacris ſtudiis, & Conſiliis (*d*), ac Epiſcopus Viennenſis (*e*), in opuſcolo ſuper illis compilato, & congruis reſponſionibus conſtipato, latè agit.

17. Carolo V. poſteà Imperium tenente, habita fuerunt anno 1523. Norimbergæ Imperialia Comitia, in quibus prolixus catalogus in medio poſitus eſt, Gravaminum, quę Germanica Natio, ſivę illius nomine Utentes, à Romanâ Curiâ sè pati, ſive recipere contendebant. Laurentius Cardinalis Campegius, in illis partibus tùnc Legatus, operâ præfati Friderici Nauſeæ, qui apud eum Secretarii munere fungebatur, eiſdem congrua dedit reſponſa, prò parte Romanæ Curiæ, quę Clementi Papæ VII. in D. Petri Cathedrâ tùnc ſedenti, grata fuerunt, & quintodecimo poſt anno, nempè 1538. ab eodem Nauſeâ in opuſculum redacta fuerunt, ac publicis typis tradita, junctìmque Alexandro Cardinali Farneſio dicata (*f*). Pluribus autem in locis eorundem ſuppoſitorum gravaminum, declamatur adversùs Clericos extraneos, qui eo in loco *Curtiſanorum* nomine denotantur; intelligendo Clericos familiares Papæ, & Cardinalium, alioſquę Aulam, Curiamvè Romanam ſequentes; & alicubi etiam expreſsè ad Prælatos, & Cardinales lingua extenditur; atque ut à beneficiis Germanicis repellantur, multiformiter ejulatur.

18. In uno ex dictis præfatis gravaminibus dicitur: *quum per mortes poſſeſſorum pro tempore beneficia vacare incipiunt, quorum juſpatronatus ad laicos ſpectat, ſeu eccleſiaſticos; tùnc conantur, & Papalis Sanctitas, & ejus Oratores, vel Legati, juri huic derogare hoc modo, ut conferant beneficia, ità vacantia, Curtiſanis, aut aliis quibuſcumque libuerit, ità ut patronis ipſis jus ſuum præſentandi per hoc adimatur, auferaturque, ac interìm hoc prætexitur à Sede Apoſtolicâ, quaſi præventioni hac in rè ſit locus &c. Quapropter Sacri Romani Imperii ſtatus Sanctitatem Apoſtolicam rogitant, ut talia gravamina, atque onera aboleantur* (*g*). In alio dicitur: *Curtiſanis &c. per Sedem Apoſtolicam vacantia collata ſunt, officia, & beneficia, cum familiares Sanctitatis ſuæ, aut qui Curiæ ſervirent, vel in anno, quod vocant Jubileo, intèr eundum, aut etiam Romæ agentes, mortem oppetiiſſent; tamquam ſi beneficia hæc Sedi Apoſtolicæ eſſent commiſſa &c.* (*h*). Paritèr in alio dicitur: *Technis, ac dolis malis beneficia penitùs exiguntur, enervantur, attenuanturque, cum perpetuò Romanæ Curiæ penſionibus annuis ſerviunt, fitque ut Germanorum, utcumque habilium, nemo unquam ad hæc aſpirare poſſit* (*i*). Similia recenſentur in aliis ſuppoſitis Gravaminibus, ibi ſucceſſivè deſcriptis (*l*).

19. Ad hæc autèm, quę ſincerè conſiderata, etiam à Concordatis admittuntur (quamquam lividè ſic repræſentata, notâ aliquâ carere non videantur) benè reſpondet Nauſeâ ſequenti modo; *Quoniam hæc omnia in facto conſiſtant, nec ſatis conſtet, an omnia in eum modum ſe habeant, juſtius eſſe, ut rejectis, ſi qui commiſſi ſunt abuſus, juri inibi communi ſit locus, & Principum Concordatis ultrà ſtetur.* Tùm ſic declarat ſuam Reſponſionem: *In hac parte illud evangelicum uſurpare poſſemus: quid vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? &c. Si-*

qui-

(a) *Epl. Jac. Vvinphe-ling Kal. Nov. 1510. in tom. 3 rer. German. fol. 380*

(b) *Concil. Later. 5. an. 1512 ſeſ. 4.*

(c) *Idem Vvinphelingius ut ſupr. in tom. 2. rer. German. fol. 385.*

(d) *Frider. Nauſea ità ſe intitulat in ſuis libris*

(e) *Poſſevin. Appar. ſac. in Frideric. Nauſea to. 1. fol. 516*

(f) *Nauſea in Reſponſ. ad Gravam. Princip. in epl. dedicator*

(g) *Nauſea loc. cit. Gravam. 14*

(h) *Idem in Gravam. 15*

(i) *Idem in Gravam. 17*

(l) *Idem Gravam. 18 & 19*

quidem qui nos præventionis occupandę in conferendis accuſent, potius ſint accuſandi, quoniam & ipſi eâ ſæpiùs uſi ſunt. Et Judices utuntur præventione, quippè quæ ex antiquâ ſit, & haùd improbâ conſuetudine introducta, quæ loco legis eſt habenda &c. Maximè cum protritum ſit verbum, Papam beneficiorum haberi, & eſſe Dominum. In reliquis, ſervandum jus commune dicit, ſervandaque Concordata, & abuſus,
(a) Nauſea Reſponſ. ad Gravam. 14. 15. 16. 17. ſoc. Princip. f. 12
ſi qui ſunt, omnium conſilio corrigendos (*a*). Hæc autèm cuncta patefaciunt, quod uſque ad annum 1538. in quo Fridericus Nauſea præſentes edidit Reſponſiones, Clerici extranei, Romanam Curiam ſequentes, ac Prælati, & Cardinales beneficia eccleſiaſtica in Germaniâ conſequebantur.

20. Sed ut adhùc res clariùs agnoſcatur, ponderemus alia, quæ ſequuntur. Addebant ſuppoſita gravamina: *Nec minus & illud in Romanâ Curiâ hucuſque obſervatum eſt, ut gratiæ, & reſervationes pectorales, mentales, generales, & ſpeciales, regreſſus, acceſſus, incorporationes, uniones, & concordata &c. ob pecuniæ, & privati lucri amorem, ſuper beneficiis, ac prælaturis, præſertìm per Germaniam Curtiſanis à Sede Romanâ concederentur &c. Quâ technâ factum eſt, quod plurima, aut certè pinguium beneficiorum magna, ſi non maxima portio, ex Germanorum manu Romam eſt translata: quæ beneficia hinc idiotis, inidoneis, ac inhoneſtis etiam perſonis non rarò ſunt collata, & quidem nec Germanis, ſed Barbaris, qui Germanam linguam, neque loquantur, nec intelligant &c. Quapropter Sacri Romani Imperii Status obnixè quoque rogant, ut præfata onera, ac gravamina, per quæ tàm immenſo pecuniarum cumulo ſpoliatur Germania, quæ hinc per Curtiſanos malè prodigitur, radicitùs, ac penitùs tollatur, & auferatur: itàut beneficia per Germaniam nemini, quam natis Germanis, qui perſonalitèr ea poſſideant; id quod & æquitas, & honeſtas ipſa ſibi poſtulant, poſthac conferantur, & concedantur* (*b*).
(b) Frider. Nauſea ad cit. Gravam. 21

21. Perpendat hic Lector in primis, quot aliis viis, antiquitùs beneficiorum fieret diſpoſitio, nùnc ab Aulâ Romanâ prorsùs abjectis. Quis enim nùnc Romæ audiat reſervationes pectorales, mentales, incorporationes, expectativas, & ſimiles modos, quibus olim beneficia diſpenſabantur. Perpendat ſecundò, quod tempore Comitiorum Norimbergę, de quibus hic eſt ſermo, nempè anno 1523. Sedes Apoſtolica beneficia eccleſiaſtica, ultrà montes poſita, & præſertìm in Germaniâ, Clericis quibuslibet, etiam extraneis conferebat, Cardinalibus, Prælatis, aliiſque viris, Aulam, & Curiam Romanam ſequentibus. Nàm ſi Status Imperii in Comitiis Norimbergenſibus memoratis inſteterunt, nè inpoſterum beneficia Germanica aliis quam Germanis conferrentur; oportet quod antecedentèr beneficia ipſa etiam Clericis extraneis ſolita eſſent concedi, alioquin ut quid petere prohibitionem ejus, quod de naturâ ſuâ fuiſſet prohibitum? Ut quid tamquam ex privilegio repoſcere id, quod jàm, vel de jure, vel de conſuetudine, fuiſſet incunctantèr agendum. Et quod notabile eſt, pro ratione adipiſcendi privilegii, excluſivi extraneorum à beneficiis Germanicis, Comitia illa non allegant jus divinum, naturale, vel humanum, quorum vi Contradictores autemant repelli extraneos ab eccleſiaſticis beneficiis: non exaggerant, de jure gentium eſſe præfatam excluſionem, vel jure majeſtatis poſſe à ſupremis Principibus decerni, vel ſimilibus nęmis attentari; ſed ſolum allegant congruentiam, & honeſtatem, & quod *id ęquitas, & honeſtas ipſa ſibi poſtulant*: ad quarum ſanè tenuem rationem non recurriſſent Comitia ipſa, ſi præfata jura, vel cuncta ſimùl, vel ſaltèm aliqua eorum, prędictam excluſionem popoſciſſent. Itàque, deficiente ratione, vim faciunt ſuper congruentiâ: ſupplicando petunt ex gratiâ, quod ſibi agnoſcunt ex debito non competere. Inſtant tandèm ex privilegio à Sede Pontificiâ concedi excluſionem illam, quam jura nemini concedebant.

22. Audiamus nunc, quid Fridericus Nauſea ad ſuppoſitum gravamen, mox memoratum, reſpondeat: *Reſervationes*, inquit, *pectorales nunc non habere locum: & indoctis, non minùs in Germaniâ, quàm Romæ hactenùs eſſe collata beneficia;*

nec

nec eſſe poſſibile, ut inibi æqualitas in univerſum ſervari poſſit (*a*). Tum Reſponſionem ipſam ità declarat: Quod *beneficia in Germaniâ Romæ indoctis, & improbis, & linguæ inexpertibus conferuntur: reſpondetur hîc committi in dictum Salvatoris, qui alterum velit alicujus peccati judicare, illum debere ab eo peccato eſſe immunem. Denique turpe eſſe Doctori eumculpa redarguit ipſum: Quoniam & à Collatoribus, tàm eccleſiaſticis, quam ſæcularibus hoc ipſum in Germaniâ fieri ſolet &c. Cæterum fatemur, quod & Canonicis cautum eſt ſanctionibus, nemini niſi qui cæteris ſit ſunctior, & doctor, ſacerdotia conferenda; id quod arbitramur, & Romæ quoad fieri potuit, obſervatum, quando eorum collatio plerumque fieri ſoleat ad teſtimonia eorum, qui foris ſunt. Quamquam aliquoties hominis fidelitas, & probitas coram Deo, & homine, doctrinam deficientem ſupplere valeat, hincque fieri, ut quandoque Doctrinâ non attendatur.*

(a) *Nauſea reſponſ. ad Gravam. 21 f. 14*

23. Poſteà ſubjungit: *Non mirum ſi aliquando in iis collationibus, imparitas ex humano affectu, accedente etiamnum quocumque moderamine interveniat, & malis juxtà, atque bonis; doctis, & indoctis beneficia conferantur: quum Chriſtus optimus maximus illis etiam contulerit Apoſtolatum, qui ipſum erant vendituri, negaturi, & ab omni fide in ipſius paſſione lapſuri &c. Quid quod Princeps populo, & Sacerdos Eccleſiæ non ſemper Dei arbitrio, ſed ut merita noſtra depoſcunt, datur* (*b*), *quod de ſaulè facilè eſt animadverti, de quo Dominus ait: fecerunt ſibi regem, non per mè; & Principem, non per per conſilium meum* (*c*). *Quod non ideò dictum eſt, quod circa hanc rem abuſum confirmare velimus, ſed quo æquius feratur, ſi aliquando ex humanis affectibus quid ſiniſtrè actum ſit: quod ſanè divinâ providentiâ nonnunquam fieri videmus, quâdam latente causâ, vel neceſſitatis, vel utilitatis, vel meriti, vel culpę accedente. Ità demum non probamus exteris in Germaniâ conferri beneficia, quæ ſermonem, vel perſonalem reſidentiam depoſcunt, in cæteris autèm non itidèm, quoniam & alias, & jàm Romæ, tum alibi habeant ea Germani, in hoc tamèn æquitatem ſtatuimus nobiſcum ſervandam* (*d*). Digna ſanè cedro eſt tota præſens reſponſio.

(b) Cap. audacter. 18 cauſ. 8. qu. 1
(c) *Oſeæ cap. 8*
(d) *Frider. Nauſea in reſponſ. ad Gravam. 21 fol. 14*

24. Hæc autem Fridericus Nauſea, Vir Germanus, Germanis reſpondit, in Germanicis Comitiis Norimbergæ habitis: vel Cardinali Campegio, cujus tunc erat à ſecretis reſpondenda ſuggeſſit, in contradictorio inibi habito, cum impugnantibus Eccleſiaſticam libertatem, ne Clericis extraneis in Germaniâ pateret acceſſus ad eccleſiaſtica beneficia. Itaque duo puncta in ſuâ reſponſione favore extraneorum concluſit: primò habendum eſſe intuitum ad correſpectivitatem, ut ubi Natio aliqua de beneficiis participat apud aliam; alia quoque viciſſim de beneficis participet apud illam. Et ſic cum Germanis eſſet acceſſus ad Romana beneficia; juſtum eſſe dixit, ut quoque Romani apud Germanos poſſent beneficia ſacra adipiſci. Secundò, extraneos elongandos quidem eſſe ab eccleſiaſticis beneficiis, onus reſidentię, ac linguæ intelligentiam depoſcentibus (quod & ipſæ Regulæ Romanæ Cancellariæ præſcribunt (*e*). Quià paſtoris officio perfungi non poteſt qui nec intelligitur ab ovili: quâ de rè jàm alibi ſermonem habuimus. Aſt quod à beneficiis merè ſimplicibus neceſſariò extranei ſint pellendi; hoc non eſſe admittendum cenſuit, nec juſtitiæ conſentaneum: ſervatâ tamèn congruâ moderatione, & ęquitate.

(e) *Vide Regulas Cancellariæ.*

25. Pergit aliud ſuppoſitum gravamen, & dicit: *Item, & illud hucuſque notoriè obſervatum fuit, ut Abbatiæ multæ, Cœnobia item plura, ac reliquæ id genus domus &c. Cardinalibus, Epiſcopis, ac cæteris Prælatis in tutelam commendarentur, incorporarenturque. Quare factum eſt, ut per Cardinales, Epiſcopos, ac Prælatos illos, quibus ità commendata erant Abbatiæ, ac Monaſteria, ità ſunt attenuata, exhauſtaque, quod cum antehac in uno illorum Monaſteriorum quadraginta, & quinquaginta, aut ultrà hoc etiam, perſonæ ſatis commodè potuerunt foveri; ut nunc ægrè quinque, ſex, aut decem neceſſariis provideri poſſit alimentis* (*f*). Percutit hic ſermo beneficia, ſolita in commendam, ſeù cuſtodiam dari Cardinalibus, Epiſcopis, & Prelatis, quarum inſtitutionem, nè novam cen-

(f) *Frider. Nauſea loc. cit. Gravam. 24.*

ſeamus, ſat erit intueri Concilium Toletanum X. (*a*): Sat legere Balſamonem in notis ad Concilium Trullanum (*b*): Sat demum ſacras antiquitates perſcrutari (*c*), & uſque ad S. Gregorium Magnum deſcendere (*d*): Luſtrare demùm ſufficit Auctores, de his agentes (*e*); Et invenietur Commendas, ſivè Cuſtodias Eccleſiarum, Monaſteriorum, & beneficiorum, non eſſe novas Romanæ Curię introductiones; ſed proviſiones Canonicas, uſque à remotioribus Eccleſiæ Sæculis in praxim deductas, quas certo certius eſt, de ſui naturâ eſſe optimas, & proficuas (*f*).

26. Audiamus verò quid ad ſuppoſitum Commendarum gravamen reſpondeat Fridericus Nauſea, ut ſatisfieret Comitiis Norimbergenſibus: *Cœnobiorum*, inquit, *Prælaturarum, commendarumque origo, & inſtitutio, tàm non eſt admodum vetus, quam non parum juſta, & rationabilis, nempè cui malitia, & pernicioſum Prælatorum regimen primitus anſam dederit. Cum etiam, (ut fieri aſſolet) malè præeſſent, & regimen perperam providerent, ut pro iſtorum locorum utilitate, & animarum ſalute, perſonarumque inibi meliore proviſione, & peccantium malèque præſidentium pœnâ ea ipſa loca providis, & probis, aut Cardinalibus, aut Epiſcopis, aut hoc genus Prælatis aliis, causâ, & utilitate ſubſiſtente, eâ ſub conditione data fuerint in commendam, ideſt depoſitionem, & cuſtodiam, adminiſtrationemque quandam, ut ipſi illis ità præeſſent, & maturos ſè, atque efficaces in omnibus exhiberent &c. Id quod à Divino Jure non eſt alienum, quippè quo traditum eſt, Epiſcopatum ejus qui male gerit recipiendum, & alteri dandum. Sic alias vineæ Dominus, vineam ſuam aliis nequitèr agentibus, recipiens, aliis locavit, quo malos malè perderet. Sic olim quoque Zacharias Maximus Pontifex, ob Imperatoris, tam iniquitates, tàm inutilem apud illum provinciam, Romanum Imperium in vos Germanos, cum magnâ gloriâ veſtrâ tranſtulit. Quo etiàm pacto ſępenumero, & Epiſcopis, & Prælatis, jure hoc admittente, coadjutores dari conſueverunt: & Epiſcopatus uniti, & Eccleſiæ coadunatæ ſunt. Nec interim ideò revocati neque Imperatores Germani, neque illiuſmodi Coadjutores, quod vel illorum Imperium, vel horum Epiſcopatus, in paupertatem, vel caſu quopiam, vel calamitate, infortunioque (ut ſæpè uſu venire videmus) ingruente rediguntur. Ità paritèr non è veſtigio ſunt Commendæ prorſus amovendæ, quoniam loca ipſa, quę ſunt in commendam data, ſint adeò extenuata, ut totidem, quot anteà perſonæ, ibi ſuſtentari nequeant, maximè quod ipſo jure ex iſtis locis Commendatariis ſibi, ſuęque familiæ proviſionem recipere poſſint, quum ſint perindè eorum locorum procuratores, & adminiſtratores: quamquam non inficiamus, omnia cum modo, & menſurâ fieri debere* (*g*). Et his obſtruitur os loquentium inania, & imprudentèr blaterantium adverſus Cardinales, Epiſcopos, Prælatos, alioſque viros eccleſiaſticos, commendata beneficia poſſidentes.

27. Sequitur aliud ſuppoſitum gravamen, concernens, quod per Romanam Curiam Curtiſani, etiam ignobiles fierent Canonici in illis Collegiatis Eccleſiis Germaniæ ad quatum præbendas ſoli nobiles, ex præſcriptâ conſuetudine, & privilegio, promoveri deberent, & *hæ laudabiles conſuetudines, jura non ſcripta, privilegia Papalia, nequaquàm curarentur &c.* (*h*). Ad quæ reſpondet Nauſea, Juri adverſari, quod à Cathedralium, & Collegiatarum Præbendis repellantur qui non ſunt genere nobiles. Jus quippè *in rebus Eccleſiaſticis nullam planè perſonarum habet acceptionem, & quod non ſanguini, ſed vitæ meritis beneficia confert. Hinc Moyſes &c. etſi potuerit ſucceſſores principatus filios ſuos facere, & poſteris propriam relinquere dignitatem, extraneus tamèn Joſuè Nave, de Tribu aliâ, divinâ providentiâ eligitur.* Addens, quod his rationibus permoti aliquando Romani Pontifices, Clericos nobilitate carentes, ſed virtute, & doctrinâ præcellentes, Canonicatibus decorarunt; in quo agendo non deviaverant à jure, ſed potiùs jus commune ſequuti erant (*i*).

28. Hæc Nauſea; & Cardinalis Campegius ejus herus, in Comitiis Normibergentibus, in Contradictorio, adverſùs impugnatores Eccleſiaſticę libertatis, etiam quoad collationem beneficiorum promiſcuam, tam extraneis, quam indigenis.

Nau-

(a) *Concil. Tolet. 10. ann. 656. cap. 3.*
(b) *Balſam. ad Concil. Trullan. cap. 33.*
(c) *Concil. London. ann. 1175. ante finem.*
(d) *S. Greg. l. 1. epiſt. 13. 20. 35. l. 7. epiſt. 76. l. 8. ep. 46.*
(e) *Vid. Thomaſſin. Vet. & nov. Eccl. diſcipl. p. 2. l. 3. à cap. 10. ad 21.*
(f) *Jacob. Card. Papienſ. epiſt. 93.*
(g) *Frider. Nauſea Reſponſ. ad 24. Gravam. fol. 15.*
(h) *Nauſea loc. cit. Gravam. 25.*
(i) *Frider. Nauſea in Reſponſ. ad Gravam. 25 fol. 16.*

Nauſea inquam Blancicampianus, Theologiæ, ac Legum Doctor, Ferdinandi I. Romanorum Imperatoris à ſacris ſtudiis, & Conſiliis, demùmque Epiſcopus Viennenſis. Ex quibus multa poſſumus intelligere. *Primò*, quod reſtrictio collationis beneficiorum, ad certum genus perſonarum, ut ad nobiles tantum (& idem dic de ſolis indigenis, ob æquipollentiam, vel ſimilitudinem rationis) exorbitat à jure; indigetque ſpeciali privilegio Apoſtolico, quemadmodùm illo ſe munitas eſſe profitentur memoratæ Germanicæ Collegiatæ, pro repellendis Clericis nobilitate carentibus: Aliàs tali indulto ceſſante, præfata reſtrictio non habet locum. *Secundò*, quod etiam ætate Comitiorum Norimbergenſium, hæc in Eccleſiâ vigebat generalis perſuaſio, Summum Pontificem eſſe dominum cunctorum eccleſiaſticorum beneficiorum, ut de illis poſſit pro ſuo arbitrio, & auctoritate diſponere: adeoque illa, non tam ſolis indigenis, quam etiam extraneis impertiri.

29. *Tertiò* intelligitur, quod nedum toto Seculo Decimoquinto, ſed etiam per ſubſequens Sæculum Sextodecimum, uſque ad ætatem Comitiorum Norimbergenſium, quæ habita ſunt anno 1523., imò & uſquè annum 1538. in quo Fridericus Nauſea præfatas Reſponſiones evulgavit; Clerici extranei, & preſertim Cardinales, Prelati, & alii, Romanam Curiam ſequentes, poſſidere poterant in Germaniâ Epiſcopatus, Abbatias, Monaſteria, præbendas, vel in titulum, vel in commendam. *Quartò*, quod in iiſdem Comitiis cenſitum eſt, ſervandam eſſe correſpectivitatem in provectione Clericorum ad beneficia; ita ut ubi alicujus regionis incolæ promovebantur ad aliena, ibi etiam alieni promoveri poſſent ad ſua. Quarè ſicut Germanis patent Romana beneficia; ita etiam Romanis patere debent Germanica. *Quinto*, juſtum eſſe quidem à beneficiis reſidentialibus, & Curatis ablegari Clericos extraneos, & advenas, non intelligentes Idioma loci, & qui ab incolis ejuſdem loci, quos debent paſcere, non intelliguntur, quales ſunt alienigenæ in Germaniâ: Id verò non eſſe ſtatuendum de beneficiis merè ſimplicibus, quià in eis ceſſat præfata ratio: adeoque ad illa Clericos quoque extreneos eſſe, debitâ ſervatâ moderatione, admittendos.

30. *Sextò* intelligitur, quod uſque ad mox notatam ętatem in Germaniâ nulla lex erat, arcens extraneos à beneficiis Eccleſiaſticis; & nec etiam arcebantur à Concordatis: quarè ſi hęc lex, ſeù privilegium in ea nunc eſt, oportet, quod poſt memoratum tempus advenerit, per aliquod ſubſequens Apoſtolicum privilegium. *Septimò*, quod Comitia Norimbergenſia expreſsè in ſuis ſuppoſitis gravaminibus, ſatis declararunt, non poſſe à beneficiis repelli extraneos, tamquam de jure, ſed ſolummodò ex mero Indulto Apoſtolico, pro quo ibi ſupplicant Sanctæ Sedi. *Octavò*, quod ſi in Regno libero, quale eſt Regnum, ſive Regio Germanica, hæc excluſio extraneorum, in prejudicium Apoſtolicę poteſtatis, & eccleſiaſticę libertatis, non potuit niſi per viam ſupplicationis obtineri, ex ſpeciali gratiâ Summi Pontificis; multo magis ea obtineri non poteſt in Regno feudali Sedis Apoſtolicę, quale eſt Regnum Neapolitanum. Ex quo patet, quantum ab omnis ęquitatis, rationis, obſervantię, & diſciplinę Eccleſiaſticę regulâ devient Contradictores, in eâ contentione verſantes, quod (cum poſſint Clerici Neapolitani Regni apud Romanam Eccleſiam cujuſcumque generis beneficia adipiſci, etiam Cardinalitium, & Papale: prout de facto millies obtinuerunt, & reſpectivè obtinent) vice verſa, nullâ correſpectivitate ſervatâ, non debeant Clerici Romanę Eccleſiæ, vel Romanam Curiam ſequentes, ulla conſequi beneficia, nequè reſidentialia, & curata, neque alterius ſpeciei, & etiam merè ſimplicia, in Regno Neapolitano, feudali ipſius Romanę Eccleſię. Et quod mirum eſt, id exigant, non ſupplicando, ſed vim faciendo: non velut ex gratiâ, ſed tamquam ex debito; extorquere tandèm ſatagant, non ſecus ac de jure id, quod non niſi ex peculiari, & ſpecialiſſimâ gratiâ potuerunt adipiſci Reges coronati, eorumve Regna, & ditiones, datâ Eccleſię aliqua ęquivalentiâ, vel aliter juſtis, & urgentibus cauſis, aliquo modo compenſatâ libertate Eccleſię, quę per ſimilia indulta reſtricta fuit. Quâ in rè cau-

tè proculdubiò eſt procedendum, nè Sedes Apoſtolica, nè Epiſcopi, nè alii demùm omnes, tam ordinarii, quam delegati beneficiorum Collatores, vel ad ea Nominatores, ingenitam illam, & ſibi coęvam amittant libertatem, qua prędìti ſunt, ut poſſint eadem beneficia, pro illorum libito, non modò Clericis indigenis, verùm etiam extraneis, impertiri.

CAPUT III.

In quo ex Factis, Scriptis, Brevibus, & Indultis Summorum Pontificum, *qui* Decimoquinto *Chriſti Seculo Sedi Apoſtolicæ prefuerunt, probatur libertas Ecclesię, in conferendo ſacras Prębendas, tùm Clericis indigenis, tùm etiam extraneis.*

SUMMARIUM.

1 *Ex 14. Papis ſæculi XV. tredecim fuerunt extranei, quibus ſi patet acceſſus ad Papatum, multò magis patere debet ad beneficia inferiora.*

2 3 4 *Recenſentur varii Cardinales, à Romanâ Eccleſiâ extranationales, promoti à Papis hujus ſæculi.*

5 *Si hoc ſæculo tot, & tanti, & talitèr extranei, acceſſum habuerunt ad Cardinalatum, eo fortiùs potuerunt beneficia inferiora conſequi.*

6 *Papæ iſtius ætatis variis modis pro libertate pugnarunt Eccleſiæ, in præficiendo etiam Clericos extraneos eccleſiaſticis beneficiis.*

7 *Petro Britannię Duci Nicolaus V. Papa conceſſit indultum, ne quiſquam advena poſſet in Britanniâ beneficia obtinere ſine ejus aſſenſu.*

8 *Pius II. Etruſcus, in minoribus exiſtens, Prępoſituram apud Mediolanum obtinuit, reſiſtente illi Iſidoro Roſatenſi, tamquàm extraneo.*

9 *Reſponſio Pii, tunc Eneæ Sylvii. Etiam Archiepiſcopus Mediolani tunc erat extraneus. Tandèm Pius Præpoſituram illam obtinuit.*

10 *Ex totâ ſerie recenſiti ſucceſſus Æneæ Sylvii, quinque habentur notabilia, cauſæ admiſſionis extraneorum proficientia.*

11 *Alia tria notabilia enumerantur, iiſdem extraneis faventia, ut beneficia eccleſiaſtica liberè valeant adipiſci.*

12 *Pius Canonicatum Tridentinum obtinuit, deindè parochiam Sarentanę vallis, in Alpibus ſitam, quæ Germaniam dividunt ab Italiâ.*

13 *Poſteà conſecutus eſt Epiſcopatum Tergeſtinum, id neſciente Imperatore Domino loci, & Canonicis Decanum ſibi in Præſulem eligentibus.*

14 *Succeſſivè tranſlatus eſt ad Epiſcopatum Senenſem. Habuit quoquè Cardinalatum. Demùm Epiſcopatum Varmienſem in Pruſſiâ.*

15 *Scripſit ei Martinus Meyr de excludendis extraneis. Pius erat Princeps Imperii. An eo tempore in uſu eſſent literæ naturalitatis?*

16 17 *Æneas Sylvius reſpondet Martino Mayr, tuendo jura ſua, pro adipiſcendis, & tenendis beneficiis in Germaniâ.*

18 *Aſſerit Pius, beneficia Teutonica potiùs Germanis, quàm aliis eſſe concedenda, ſed reſervata Papæ poſſe ab hoc concedi cuilibet.*

19 20 *Pius II. factus Pontifex Eccleſiam Papienſem, & Mutinenſem extraneis dedit, & Duces obſiſtentes cohibuit.*

21 *Si-*

21 *Sigiſmundum Auſtriacum, ob captum Cardinalem de Cuſâ, idem Pius anathemate percuſſit; Duxque tandèm veniam petiit.*

22 *Dux volebat repellere ab Epiſcopatibus etiam extraprovinciales: Pius Ducem compeſcuit, & in ſuâ ſe libertate ſuſtinuit.*

23 *Intèr leges in Conclavi propoſitas, antè electionem Pauli II. una eſt, ne alicui daretur jus nominandi ad Epiſcopatus, & datum revocaretur.*

24 *Ex epiſtolâ Pauli II, ad Alphonſum V. Regem Portugalliæ conſtat, quod Rex ille tunc jus non habebat præſentandi Clericos ad Epiſcopatus.*

25 *Cum proponeretur in Conſiſtorio, num tollendæ eſſent expectativæ, prævaluit negativa ſententia Cardinalis Carvajal Hiſpani.*

26 *Reſponſio Papæ II. ad Franciſcum Ducem Mediolani, petentem, ut Abbatia quædam ſui Ducatus Clerico, à ſe commendato conferretur.*

27 *Mortuo Duce, qui obſtabat Proviſo Apoſtolico, Papa urgere fecit Duciſſam, ut impedimentum tolleret poſſeſſionis præfati Proviſi.*

28 *Sixtus IV. recuſat præficere Eccleſiæ Cæſarauguſtanæ Nepotem Regis Aragoniæ: undè conſtat, quod tunc Aragonici Reges non nominabant ad Epiſcopatus.*

29 *Sixtus IV. contulit Reipublicæ Florentinæ indultum nominandi duos, vel tres, ex quibus Papa unum ſeligeret, Epiſcopatui præficiendum.*

30 *Alio indulto muniſſe dicitur Germanos, ne expectativas ibi haberent extranei. Ex geſtis Pontificum deducitur libertas Eccleſiæ, de quâ eſt ſermo.*

1 QUATUORDECIM Pontifices, intrà curſum Sæculi Decimiquinti, ſupèr Divi Petri Cathedrâ conſederunt, & ex eis unus ſolus fuit Natione Romanus, nempè Martinus V. ex præclarâ gente Columnâ; cæteri omnes fuerunt extranei, nempè tres Neapolitani, & ex Regno Neapolis, qui ſunt Bonifacius IX. Innocentius VII. & Joannes XXIII, Unus Cretenſis, ideſt Alexander V. Alter Etruſcus, videlicèt Pius II. Tres Ligures, nempè Nicolaus V. Sixtus IV., & Innocentius VIII. Totidem Veneti, ſcilicèt Gregorius XII. Eugenius IV., & Paulus II. Duo tandèm Hiſpani, nimirum Calliſtus III., & Alexander VI. (*a*). Hoc ſatis eſſet innuiſſe, ad probandam libertatem Eccleſiæ, toto præſenti Sæculo cuſtoditam, pro collatione beneficiorum, tùm Clericis extraneis, tùm indigenis. Quandoquidèm, cum Summus Pontificatus, tàm in ſenſu Theologorum (*b*), quam in ſententiâ Canoniſtarum (*c*), ſit eccleſiaſticum beneficium, & quidem omnium aliorum primarium, & excelſius, nomine etiam beneficii in Jure notatum (*d*); Arguendo à majori ad minus, à quo optimum eſt argumentum (*e*), ritè infertur, quod ſicut patet acceſſus Clericis extraneis ad præcipuum totius Eccleſiæ beneficium; ità & multo magis aditus eſt eis apertus ad cætera beneficia minoris ordinis conſequenda.

(a) *Ciacon. Platin. Joannet. Foreſt. & alii in his Pontificibus.*

(b) *Layman. l. 4. tr. 2. cap. 4. num. 4.*

(c) *Marca de juriſd. p. 2. cap. 39. num. 1. Barboſ. Juris Eccleſ. Univ. l. 3. cap. 4. num: 47.*

(d) *Cap. 1. titul. di Maledicis.*

(e) *Cap per Venerabilem. Qui fil. ſint legit Sanchez. de matr. l. 8. diſp. 1. num 21. Barboſ. tract. var. loc. 66.*

2. Sed his relictis, videamus quid hi Pontifices egerint, decreverint, ſint aggreſſi, vel alitèr exercuerint, ex quo præfata libertas promovendi Clericos etiam extraneos ad eccleſiaſtica beneficia, ritè, & rectè valeat roborari. Inprimiſque notandi ſunt Cardinales aliqui, ab his creati, à Romanâ Eccleſiâ nedùm diœceſi, ſed etiam provinciâ, & natione reſpectivè extranei. *Bonifacius IX.* promovit intèr alios Cardinales Henricum Minutulum, & Balthaſſarrem Coſſam Neapolitanos: Coſmam Melioratum Sulmonenſem, & Leonardum, atque Angelum Cybos Genuenſes (*f*). *Innocentius VII.* Sacro Collegio adſcivit Cunradum Caraciolum Neapolitanum, Angelum Corrarium Venetum, Petrum Philardum Cretenſem, Joannem Melioratum Sulmonenſem, & Joannem Ægidii Normannum (*g*). *Gregorius XII.* Cardinalitiâ purpurâ decoravit Philippum Repingtonum Anglum, Vincentium de Aragoniâ Hiſpanum, Mattheum Polonum Epiſcopum Vormacienſem, Jacobum Utinenſem, Antonium Corarium, Gabrielem Condulmerium, Angelum Barbadicum, Petrum Maurocenum, Venetos, Ludovicum Brancatium Nea-

(f) *Ciacon. vit. Pontific. in Bonifacio 9.*

(g) *Ciacon. in Innoc: VII. Onof. Panvin. ibidem.*

Digitized by Google

Neapolitanum, & alios (*a*). *Joannes XXIII.* in Cardinalium cætu locavit Joannem Luſitanum Hiſpanum, Petrum de Alliaco, Ægidium de Campis, Guillelmum Cenomanenſem, & Simonem Cramado, Gallos, Georgium Boſco Germanum, Thomam Armellinum, & Robertum de Arlun Anglos, Thomam Brancatium, & Guillelmum Carbonum Neapolitanos (*b*).

3. Paritèr *Martinus V.* intèr alios Cardinales creavit Hugonem Luſignanum Cyprium, Joannem Germanum Epiſcopum Olmucenſem, Henricum Benuſert Anglum, Joannem Cervantem, Dominicum Ram, & Joannem de Caſanovâ Hiſpanos, Joannem de Rupeſciſſa, Raymundum Mayroſium, Guillelmum Dinan Gallos (*c*). *Eugenius IV.* Cardinalium numero adſcripſit Iſidorum Theſſalonicenſem, & Beſſarionem Nicenum Græcos, Antonium Martini de Clavibus Luſitanum, Sbigneum Oleſnicium Polonum, Dionyſium Agrienſem Hungarum, Joannem Siculum Meſſanenſem, Joannem Kemp Anglum, Petrum Schovumbergum Germanum, Nicolaum Acciapacium Surrentium, Joannem ex Co. Taliacotii Neapolitanum, Reginaldum de Cervare, Ludovicum de Bar, & Guillelmum de Eſtontevillâ, Gallos, Joannem de Turrecrematâ, Alphonſum Borgiam, & Joannem Caravajal Hiſpanos &c. (*d*). *Nicolaus V.* Cardinalitio pileo inſignivit Antonium Cerdanum Majoricenſem, Aſtorgium Agnenſem Neapolitanum, Amadeum Sabaudum Allobrogem, Nicolaum de Cusâ Germanum, Alanum Cœtinum Britonem, Joannem Raolinum Burgundum, Joannem de Artus, & Ludovicum de Varambone, Gallos (*e*).

4. Itidem *Calliſtus III.* Romanum muricem donavit Jacobo Regis Luſitaniæ Nepoti, Joanni de Melâ Hiſpano, Richardo Oliverio Normanno, Raynaldo Piſicello Neapolitano, Roderico Lenzolio, & Ludovico Milano Valentinis (*f*). *Pium II.* Datorem Cardinalitiæ dignitatis habuerunt, Brochardus de Heſpriac Salzburgenſis, Ludovicus de Alibret Gallus, Jacobus Cardona Hiſpanus, Joannes Lofredi Biſuntinus &c. (*g*). *Paulus II.* Auctor fuit Cardinalatus Theodori Paleologi, ex Marchionibus Montisferrati, Joannis Balues Galli Epiſcopi Andegavenſis, Thomæ Burchei Augli Archiepiſcopi Cantuarienſis, Stephani de Varadâ Hungari Archiepiſcopi Colocenſis, Oliverii Carafæ Civis, & Archiepiſcopi Neapolitani, atque aliorum (*h*). *Sixtus IV.* Purpureis infulis perornavit Joannem Aragonium, filium Regis Neapolitani, Georgium Heslar Germanum, Philippum de Ugonecti Burgundum, Georgium Coſta Luſitanum, Aſcanium Mariam, filium Ducis Mediolanenſis, Philippum de Levis, Carolum Borbonium, Heliam de Bordeilles Gallos, Auxiam de Podio, Petrum Gundiſaluum de Mendozâ, Joannem Moles à Margaritis Hiſpanos &c. (*i*).

5. Demùm, aliis omiſſis, ab *Alexandro VI.* ſub ſivè Sęculi Decimiquinti, Albo Purpuratorum conſcripti ſunt Fridericus Caſimirus, filius Regis Poloniæ, Ludovicus de Aragoniâ Neapolitanus, Ludovicus Podocatharus ex Cypro, Græcus, Melchior Copis Germanus, Amanateus de Alibreto, Joannes de la Grolaye, Raymundus Peraululi, Guillelmus Briſſoneta, Philippus de Lucemburgo, & Georgius de Amboisâ Galli, Petrus Iſuallies Siculus, Thomas Hungarus Archiepiſcopus Strigonienſis, Joannes Mortonis Anglicay Archiepiſcopus Cantuarienſis, Bernardinus Carvajal, Didacus Hurtadus de Mendozâ, Joannes Caſtellar, Franciſcus Remolinus, & Franciſcus de Spratâ, Hiſpani, præter plures alios patriâ Valentinos, & Alexandri Papæ Concives (*l*). Porrò ut pluries oſtendimus, Cardinalatus, tàm à Theologis (*m*), quàm à Canoniſtis, intèr beneficia eccleſiaſtica recenſetur (*n*), & cum à tot, & toties, & tàm diſſitis viris, patriâ, provinciâ, natione, linguâ, regione, toto tandem cœlo à Romanâ Eccleſiâ extraneis, intrà hoc Sęculum fuerit obtentus, & talitèr perquiſitus, ut pro eo Joanni filio adipiſcendo, Ferdinandus I. Rex Neapolis minas petitionibus acervaret (*o*); nil clariùs exhiberi poteſt ad oſtendendum aditum extraneis patentem hoc Sęculo ad eccleſiaſtica beneficia; & ſi ad eccleſiaſtica beneficia tàm eminentis notæ, qualis

eſt

(a) *Ciacon. vit. Pont. in Gregor. XII. & Panvin. ibi.*

(b) *Idem in Joan. 23. & Panvin. ibidem.*

(c) *Onofr. Panvin. & Alphonſ. Ciacon in Martin. V.*

(d) *Ciacon. & Panvin. in Eugen. IV.*

(e) *Ciacon. & Panvin. in Nicol. V.*

(f) *Idem in Calliſto III.*

(g) *Iidem in Pio II.*

(h) *Panvin. in Ciacon. in Paul. II.*

(i) *Ciacon. & Panvin. in Sixto IV.*

(l) *Ciacon. & Panvin in Alexand. VI.*

(m) *Layman. l. 4 tr. 2 cap. 4. num. 4. Azor. Juſt. mor. p. 2. cap. 3. qu. 5.*

(n) *Marta de Juriſd. p. 2. c. 39. num 2. Barboſ. Jur. Eccl. Univ. l. 3 cap. 4 num 52.*

(o) *Jacob. Cardin. Papieus epi. 510. 534. & 568.*

eſt Cardinalatus; multò magis ad beneficia ordinis inferioris.

6. Prætèr hæc autèm, ex aliis actibus præfatorum Pontificum, qui hoc Sæculo Sedi Apoſtolicę præfuerunt, patet memorata libertas Eccleſiæ, in præficiendo ſacris præbendis etiam Clericos extraneos. Nàm de fortitudine, quâ *Martinus Papa V.* reſtitit Uladiſlao Poloniæ Regi, extraneos à beneficiis Polonicis repellenti; ſuperiùs dictum eſt (*a*). Vidimus etiam, quod *Eugenius Papa IV.* Pragmaticam Sanctionem Gallicanam, extraneis adverſantem, perturbativam Eccleſię declaravit (*b*). *Pius II.* nihil non egit, ut eam everteret (*c*). *Innocentius* tandèm VIII. adversùs eandem altè clamavit (*d*). Demùm Nicolaus V. Concordata Germanica ſtabilivit, quæ Clericis extraneis ſunt proficua. Hi autèm totidem Pontifices Regibus Poloniæ, aut Germanię, & reſpectivè Galliæ, prout poterant obſiſtentes, ne libertatem Eccleſiæ ſupprimerent, de ſacris præbendis pro ſuo libito, etiam favore alienigenarum, ſolitæ diſponere; unitis vocibus, junctiſque viribus oſtenderunt, quod eorum tempore Eccleſia ipſa ubilibet hac libertate potiebatur, & quod affatim in eâ erat fortitèr manutenenda: libertate inquam provehendi, non modò Clericos indigenas, verùm etiam extraneos ad eccleſiaſtica beneficia.

(a) *Raynald. anno 1429. 13. vid. hic ſupr. c. 1. à num. 4.*
(b) *Raynald. an. 1439 num. 37. & an. 1440. num. 5.*
(c) *Gaguin, l. 10. de Geſt. Franc. in Ludovic. 12.*
(d) *Raynald. an. 1516. num. 32.*

7. Sed adhuc alia dicamus de præfatis Pontificibus Decimiquinti Sæculi, ad eandem libertatem facientia. Britanniæ dominanti Petro Duci, Joannis V. filio, Nicolaus Papa V. hoc ex ſpeciali gratiâ privilegium indulſit. *Nullus alienigena, qui non ſit oriundus de Ducatu Britannię, ſeù verius illius incola, & ſinè fraude cujuſcumque dignitatis, gradus, conditionis, etiam ſi familiaris Papæ continuus, commenſaliſque, & in libro Cancellariæ deſcriptus, Apoſtolicâ, vel quavis aliâ auctoritate ſuffultus, ad aliquod ex beneficiis, ſęcularibus, vel regularibus illius Ducatus admitti poſſit, niſi ad requiſitionem ipſius Ducis id fiat* (*e*). Hoc freti privilegio, inquit Choppinus, *Armorici populi Ordines nupèr obtinuerunt à Franco Rege, nè annua penſitatio ulla, vel ſtipendiaria quidem, ex patriis fiſci reditibus, alii darentur, aut deſtinarentur, quam Originario Celticæ Provinciæ civi &c.* (*f*). Quibus ità ſe habentibus conſtat, quod, ſi Petrus Britanniæ Dux poſtulavit, ſi Nicolaus Papa V. indultum contulit, excluſivum advenarum à beneficiis illius Regionis; de jure, & ubi ſimilia indulta ceſſant; Clericis extraneis non eſt impeditus acceſſus ad eccleſiaſtica beneficia, alioquin ut quid ex privilegio impetrare, quod pretèr jus commune non eſſet? (*g*).

(e) *Nicol. V. 1. Febr. 1452. apud Renat. Choppin. de Doman. Franc. l. 1. tit. 2. num. 6.*
(f) *Renat. Choppin. loc. cit. fol. 121.*
(g) *L. 1. C. de Theſaur. l. 10. cap. ult. 25. q. 5. Barboſ. in cap. In his 30. num. 2. de privil.*

8. De *Pio Papâ II.* plura ſuperiùs diximus, plura quoque inferiùs dicenda erunt, ſed & hic operæ pretium eſt recenſere, quæ memoramus, quippè Contradictores hujus Papæ nomine, geſtiſque utuntur. uti ſuo loco videbimus, ad impugnandam libertatem, pro quâ certamus. Natus eſt apud Corſinianum in Etruriâ, gente Picolominæâ Senenſi (*h*), grandiorque factus, & Clericali militiæ addictus, diverſo tempore, diſſitis in provinciis, diverſa obtinuit eccleſiaſtica beneficia. In Concilio Baſileenſi exiſtebat: *Cumque Præpoſitus S. Laurentii Mediolanenſis Baſileæ diem clauſiſſet extremum, Franciſcus Mediolanenſium Pontifex, ingenti & doctrinâ, & ſanctimoniâ commendatiſſimus, mox approbante Concilio, Æneam illi ſuffecit, quamvis eſſent complures, & doctores, ex magni viri, natione Mediolanenſes, qui ſè promotos optabant. At cum in concione generali res ageretur, Iſidorus Roſatenſis æmulus Æneæ, quod In laudandâ Papiâ ſe inaudito fuiſſet auditus; quid agitis patres? inquit: electivam præpoſituram Æneæ homini extero committitis? ubi decretum veſtrum, quod tantoperè ſervari præcepiſtis? beneficia in terrâ Mediolanenſi, abſque ſcitu, & voluntate Principis, de vobis optimè meriti confertis? cives, & doctores ſpernitis? alienos eligitis? Niſi capitulum in ſuo jure dimittitis, ruent conatus veſtri, ridebiturque proviſio* (*i*).

(h) *Ciacon. Platina, & alii in Pio II.*

9. Tùm Æneas. *Vehementèr, inquit, admiror patres optimi Iſidorum adverſum mè verba facere, qui nupèr ex Mediolano reverſus literas Philippi Ducis ad mè detulit, quibus ille Princeps gratias mihi agit, quod ejus cauſam hoc in loco peroraverim: atque ob eam rem gratum ſibi eſſe affirmat, in ejus territorio quodcumque beneficium*

(i) *Pii II. Comment. lib. 1. fol. 6.*

Digitized by Google

neficium mè acceptare, cujus libenti animo poſſeſſionem ſit mihi daturus. Non igitur ille me extraneum habet: neque nova res eſt, unius regionis homines in alterâ dignitates habere, ſi modo linguam norint: nàm & Archiepiſcopus ex Bononiâ Mediolanum venit. Neque movere quemquam debet, quod de decreto electionis obiicitur, inferiores enim, non Concilium ligat &c. Ad quæ cum Iſidorus reſponſurus aſſurgeret, univerſæ concionis clamore correctus obticuit. At Æneas Mediolanum profectus, nobilem quendam ex magnâ domo Landrianorum, juſſu Ducis per capitulum ad eam præpoſituram vocatum, & in poſſeſſionem adductum invenit, quem ſibi mox cedere compulit, tantum Æneæ, & Princeps (Philippus Dux Mediolani) *& Curia favit (a).*

(a) *Comment. Pii II loc. cit.*

10. *Sed obtentâ Præpoſiturâ, lectum ægritudinis incidit, ingenti febre correptus &c. Intèr hæc aucta febris ingentem capitis dolorem, ac ſalutis deſperationem adduxit. Tumque fama vulgata eſt, Æneam mortuum eſſe, quæ res illi Mediolanenſem Præpoſituram abſtulit, altero in poſſeſſionem recepto &c. (b).* Habes hìc multa primò Concilium Baſileenſe, ac patres in eo confidentes in contradictorio, adjudicaſſe Præpoſituram Mediolanenſem Æneæ, ſeù Pio Etruſco, & extraneo. Secundò, prævaluiſſe Pium in aſſecutione Præpoſituræ ipſius, Landriano indigenæ, eodem tempore, quo Iſidorus Roſatenſis altis ejulatibus declamabat, ne indigena poſtponeretur extraneo. Tertiò, Pium non in angulo, ſed coram toto Concilio ſuſtinuiſſe, liberum eſſe beneficiis Sacris præficere etiam viros extraneos, dummodò idioma loci beneficii intelligerent. Quartò, Concilium Baſileenſe interdixiſſe Iſidoro Roſatenſi, nè ulteriùs peroraret, ad excludendum Pium extraneum adeò perſuaſum habuit, extraneitatem nihil obſtare conſecutioni beneficiorum. Quintò, fuiſſe excluſum à Præpoſiturâ Landrianum, nedùm indigenam, ſed etiam juſſu Philippi Ducis Mediolani ad illam vocatum, prælato ei Pio, cui Dux quidem expreſſerat, gratum ſibi futurum, ſi in illius ditione beneficium aliquod obtineret, ſed hoc nil Pio proderat in caſu Præpoſituræ, quippè ad quam Dux jàm ſategerat præfici Landrianum.

(b) *Ibidem l. 1. f. 7. & 8.*

11. Sextò, quod Concilium Baſileę mandans proviſionem Prælaturarũ per viam electionis, non comprehendit beneficia inferiora. Septimò, quod à majori ad minus optimè arguitur in hac materiâ, & ideò Pius prò ſuâ causâ allegavit, quod ſi licitè Franciſcus Piccolpaſſius dè Bononiâ, factus fuerat Archiepiſcopus Mediolani (c), licitè quoque ipſe, natione Etruſcus, poterat ibi controversâ Præpoſiturâ potiri. Octavò, demum quod Archiepiſcopus Mediolanenſis in ſuâ voluit ſe libertate tenere, diſpenſandi beneficia ſacra etiam extraneis, eligendo Pium, & negligendo Landrianum, & quod in concurſu Pii extranei, promoti à Franciſco Archiepiſcopo, cum Landriano indigenâ per Philippum Ducem Mediolani, ſive illius nutu, promoto; Archiepiſcopi voluntas Ducali prævaluit, extraneitate nihil attentâ. Nonò, quod uſque ad tempora Pii II. in ditione Mediolanenſi nulla erat cautio, extraneos repellens à conſecutione beneficiorum; quæ, uti pluries oſtendimus, cum non poſſit niſi ex indulto Pontificio proficiſci, ſi nùnc Ducatus Mediolanenſis aliquid habet, quo adverſus extraneos excipiat; oportet quod indultum illud ſit poſt præſentia tempora conſecutus, alioquin violenta, & irrationabilis ibi eſſet extraneorum repulſio ab eccleſiaſticis beneficiis.

(c) *Vide ſeriem Archiep. Mediol. nu. 111.*

12. Pergamus ulteriùs. Poſtquàm Pius ab illâ lethali, quam indicavimus infirmitate convaluit, *vacantibus per obitum Joannis Andreæ Poloni Canonicatu, & præbenda Eccleſiæ Tridentinæ, Concilium illos Eneæ ſummo favore contulit, quamvis competitores eſſent non pauci, neque contemnendi homines; ad quorum poſſeſſionem capiendam profectus, Vilichinum quendam Teutonicum litigioſum, & verſutum hominem, qui ſe ex auctoritate Capituli in illis intruſerat, placatis Canonicis, & in ſuum favorem adductis, extruſit (d).* En iterùm Concilium Baſileenſe in contradictorio adjudicans præbendam, & Canonicatum Tridentinum Pio extraneo, tunc in minoribus exiſtenti, repulſo Vilichino Teutonico, & nationali. Vi-

(d) *Commentar. Pii II. fol. 8.*

des

des hìc etiam beneficia Tridentina, à viro Polono poſſeſſa, & cum vacarent per ejus obitum, non Clerico indigenę collata, ſed Pio Etruſco, patriâ, provinciâ, & natione quoque prorsùs extraneo, hocque Tridentinis Canonicis obſiſtentibus, & viro nationali vota conferentibus. Succeſsivè Pius, tunc Æneas, *Sarentanæ vallis parochialem Eccleſiam favore Cæſaris aſſecutus eſt, quæ aureos ei ſexaginta quotannis reddidit; ſita in alpibus, quæ Germaniam ab Italiâ diſterminant* (*a*).

(a) *Pii II. Comment. lib. 1 f. 9.*

13. Pręterea Pius Epiſcopale beneficium apud Tergeſtinos in Carnis obtinuit (*b*), hocque, ut ſequitur, modo. *Rumor fuit, Nicolaum Epiſcopum Tergeſtinum, mortem obiiſſe &c. Et cum Ludovicus Cardinalis Aquilejenſis* (Erat is Ludovicus Mediarota Patavinus, Cardinalis Epiſcopus Albanus, apud Eugenium IV. Papam apprimè potens (*c*), *Eccleſiam Tergeſtinam Decano ſuo, alii aliis peterent; omnes ab Eugenio repulſi ſunt, qui Pontificatum ipſum Æneæ ſeſe commiſſurum conſtantèr affirmavit. Sed cum certitudo vacationis exquireretur, vanum fuiſſe rumorem conſtitit.* Poſt dies 16. Eugenius obiit, eique ſuffectus eſt Nicolaus PP. V. qui Cardinalibus in Conſiſtorio faventibus, *Æneam Epiſcopum Tergeſtinum pronunciavit &c. Federicus quoque Cęſar, ut ejus vacationem Eccleſiæ cognovit, hanc, inquit, Æneæ impetrabimus, quæ noſtri eſt dominii naturalis: Literaſque Pontifici in eâ re, jam ſè ignaro peracta, conſcripſit, atque ſic neſcius Æneus, cum rediiſſet ad Cæſarem, ad Epiſcopatum, & Papæ, & Cæſaris voto, ſe vocatum invenit. Neque Cives Tergeſtini, qui omnibus exteris infeſti eſſe conſueverunt, Æneæ reſtiterunt: ſed cum primarium civem, Decanum ſuum, Canonici elegiſſent, ſilere illum juſſere, poſſeſſionemque vel abſenti Æneæ concordibus animis tradiderunt* (*d*).

(b) *Cardin. Papienſ. epl. 47.*

(c) *Ciacon. in Eugen. IV. num. 11.*

(d) *Comment. Pii II. lib. 1 f. 13. 14.*

14. Non multo poſt Pius, adhùc Æneas Sylvius, ad Epiſcopatum Senarum translatus eſt (*e*); quamquam ejus Senenſes *quemdam virum, nomine Comitem, Abbatem Monaſterii S. Galgani, concivem ſuum, Regentibus acceptum, ſummis precibus Apoſtolicę Sedi commendarent* (*f*). Subſequentèr beneficium Cardinalitium in Romanâ Curiâ eſt aſſecutus, primo Diaconale S. Euſtachii, & poſteà Presbyterale tituli Sanctæ Sabinę (*g*). Hac dignitate auctus Varmienſem quoque ſedem, in Pruſsiâ ſitam, obtinuit: eâ namque vacante, *Canonicorum pars magna Æneam ſibi Pontificem poſtulavit, pars altera biſariam diviſa eſt, & quidam Luticonem Regis Poloniæ Conſiliarium elegerunt; quidam Sacerdotem aliam quendam ex his, qui cum Religioſis Teutonibus erant. Poſſeſſio Eccleſiæ à principio Leuticoni data eſt; ſed cum Calliſtus Canonicorum poſtulationi annuens, adminiſtrationem Eccleſiæ Æneæ commendaſſet, poſſeſſio quoque ad ejus procuratorem delata eſt ejus partis, quam Leutico obtinuerat, qui minimè auſus eſt Cardinali adverſari* (*h*). Ità hucuſque Pius, dum adhuc eſſet Æneas Sylvius Picolomineus, beneficia Canonicale, Parochiale, Præpoſiturale, Epiſcopale, & Cardinalitium, in titulum, & reſpectivè in commendam, obtinuit Romæ, in Inſubriâ, in Germaniâ, apud Carnos, & in Pruſſiâ, tametſi ab illis locis, nedùm patriâ, & provinciâ, ſed natione quoque eſſet extraneus.

(e) *Card. Papienſ. epl. 47.*

(f) *Comment. Pii II. l. 1 f. 17.*

(g) *Ciacon. & Panvin. in Calliſt. III.*

(h) *Comment. Pii II. lib. 1 f. 28.*

15. Dum Pius Cardinalis officio fungeretur, ſcripſit ei Martinus Meyr Cancellarius Archiepiſcopi Moguntini, querulоſas illas literas, ſuperiùs indicatas (*i*), quibus claſſicum ſonat adverſus Clericos extraneos, ad beneficia Germanica in Romanâ Curiâ provectos: mirumque eſt, iiſdem literis tangi Pium, qui præter ſervitia Germanicæ Nationi, ejuſque Imperatori diutius præſtita, *jam pridem poſt Senenſis Eccleſiæ delatam dignitatem, intèr Principes Imperii per Cæſarem aſſumptus fuerat* (*l*). Quomodò enim in Germaniâ reputandus erat extraneus, Princeps Germanici Imperii? Si hæc dignitas naturalitatem apud Germanos non conferebat; oportet quod, vel tunc naturalitas dono data, ſivè *literę naturalitatis*, quæ nunc ſunt in uſu, tunc inquam, ibi nondum eſſent inventæ: vel quod Germani tunc vellent à beneficiis excludere viros ortu extraneos, tametſi naturalitate donatos. Utcumque res ſe habeat, Pius Martino Meyr binis literis reſpondit, ejuſque objecta diſpeſcuit (*m*). In quarum alterâ, quoad ſè, reſcribit hoc modo.

(i) *Vid. hic cap. præceden. num. 9. 10.*

(l) *Comment. Pii II. lib. 1 f. 22. 3.*

(m) *Æneas Sylvius, ſeu Pius II. epist. 338. & 369.*

16. *Dicis nos, & alios pleroſque S. R. E. Cardinales, inſolitas apud vos reſervationes habuiſſe, indequè multos exoriri rumores. Nos, & Metenſem olìm Cardinalem, & alios nonnullos ſimilibus uſos gratiis compertum habemus, & ab illis literarum noſtrarum formam extraximus. Reprehendis quod hę literę Compactatis adverſari videantur: dicimus, nihil in eis eſſe contra ea, quæ Concordata vocantur, niſi fortaſſè illud recenſeatur, quod etiam Monaſteria reſervari videntur, in quibus electioni locus eſſe debet. Nos de hac parte abundè ſatisfecimus Domino Noſtro. Duo enim diximus ejus Beatitudini. Primum, quod nullius Monaſterii electionem impedire vellemus. Alterum, quod nullum Monaſterium acceptaturi eſſemus, contrà voluntatem ejus Principis, in cujus ditione ſitum eſſet, & ità procuratoribus noſtris dedimus in mandatis. Quod ſi putas etiam Collegiatarum prępoſiturarum electiones confirmandas eſſe, neque debuiſſe nos earum reſervationes acceptare; longè falleris: Nàm Concordata ipſa dignitates primas poſt Pontificales, & in Collegiatis Eccleſiis principales, Apoſtolicæ Sedis diſpoſitioni permittunt: in aliis autem beneficiis inferioribus habet ipſa Sedes ſuos menſes. Quod ſi ſupèr hujuſmodi beneficiis, ac dignitatibus reſervationes obtinuimus, accepimus à Summo Pontifice, quod nobis concedere potuit ſinè cujuſpiam injuriâ.*

17. *Sed arbitraris fortaſſe, beneficia, quæ in Germaniâ ſunt, Germanis potiùs committi debere, quàm extraneis: nec nos alitèr ſentimus. Sed cum nos jam annis ſuprà 24. Germaniam incoluerimus, non reputamus extraneos exiſtimari debere. Cumque Imperatori, ipſique Nationi longo tempore, ſummâ fide, magnis laboribus ſervierimus, & nunc ad Cardinalatum recepti, ea curemus, quæ Nationis ipſius honori, atque utilitati conducant, & ità prorsùs agamus, ut Natione Germani potiùs, quàm Itali putemur; non judicavimus, tribus illis provinciis Moguntinę, Colonienſi, Trevirenſi, indignum videri, aut gravè cenſeri, ſi annua duo millia ducatorum in eis obtineremus, ex illis beneficiis, quæ Sedes Apoſtolica conferre haberet. Putaviſſemus etiam majora in eâdem Natione, cui ſemper ſervivimus, ſpontè offerri: ſed non ſumus nos inſatiabiles, contentamur eo, quod prò debiti ſtatus conſervatione ſufficiat, nec plura circa hoc. Quod autem operas tuas ad id offers, ut gratiæ noſtrę fructum conſequamur, agimus tibi gratias, qui partes amici non negligis. Idque rogamus, ut interveniente caſu opportuno prorsùs efficias. Scis quæ ſit mens noſtra, & quomodò gratiam noſtram reſtrictam eſſe volumus. Si qua præpoſitura vacaverit, aut Eccleſia Parochialis magni reditus, velis ità efficere, ut ad complementum gratiæ noſtrę pervenire poſſimus (a).*

(a) *Æneas Sylvius, ſeu Pius II. epiſt. 369.*

18. Fidentiſſimè ergò Pius aſſeverat, beneficia quidèm Germanica *Germanis potiùs committi debere, quàm extraneis*, nempè ut plurimum, ordinariè, atque cæteris paribus; ſed ea ſibi negari non debere, tamquàm de natione illâ benemerito; imò invigilandum eſſe, ut ſi recens contingeret aliquorum vacatio, illamet ſibi ſinè contradictione darentur. Cęterum quæcumque beneficia Germanica, ad Sedis Apoſtolicæ diſpoſitionem pertinentia, vel ſibi, vel aliis Pontifex conferret, ritè conferri, quippè illis ea poterat Papa *concedere, ſinè cujuſquam injuriâ*. Hucuſque Pius II. in ſtatu privatæ fortunæ, dum adhuc eſſet Clericus, Sacerdos, Epiſcopus, & Cardinalis. Nunc aliqua de illo dicamus, dum Summum Pontificatum adeptus eſt, ſupremum, & celſiſſimum omnium totius Eccleſiæ beneficiorum, (*b*) quò tandèm, jàm ætate gravis pervenit, illoque per ſexennium potitus eſt: & ſi etiam Summum Pontificatum in Romanâ Eccleſiâ tenuit, quantumvis ab eâdem eſſet extraneus, multò magis beneficia potuit minoris ordinis adipiſci, ubi ſimili defectu tamquam extraneus laborabat.

(b) *Selva de benef. p. 1. qu. 2. n. 8. Gonzal. ad reg. Canc. gloſ. 4. n. 61. Barboſ. Jur. Eccl. univ. l. 3. c. 4. num. 47.*

19. Pius inquam II. Romanę Eccleſię præſidens, Jacobo Amanato Lucenſi, qui dictus eſt Cardinalis Papienſis (*c*), Epiſcopatum Ticinenſem contulit, ægrè id ferente Ducę Mediolani, illius urbis Principe temporali: necnon Nicolaum, paritèr Lucenſem, Epiſcopatu Mutinenſi inſignivit (*d*), cui quoque Dux Mutinenſis, Vicarius Eccleſię obſtitit. Pontifex verò, volens utramque collationem totalem ſuum effe-

(c) *Onufr. Panvin. Alphonſ. Ciacon. &c. in Pio II.*
(d) *Ciacon. in Pio II. num. 11.*
(e) *Jacob. Card. Papienſ. epiſt. 259. 312. & 435.*

effectum ſortiri, paſſus non eſt, alterutram pleno exinaniri ſucceſſu. Rem narrat Cardinalis ipſe Papienſis, præfato electo Mutinenſi ſic ſcribens: *Nullo loco defui rebus Paternitatis tuæ. Caluerunt jàm aures Pontificis vocibus prò tè meis. Indignitatem rei oſtendi; æſtimationis ſuę eum admonui. Incendi animum ad non ferendam contumeliam Sedi illatam. Sed nec ille meis exhortationibus ceſſit, in immenſum ſtomachatus, perplura quam ego in eam ſententiam ſępè locutus eſt. Priuſque ceſſurum tè oſtendit Miniſterio ſuo, quam propoſito ſemel ſuſcepto. Scripſit frequentèr Duci non lenibus verbis, ut tua Paternitas putat, ſed gravibus, rogans, admonens, increpans, & libertate plurima minans* (a).

20. Sequitur. *Cum non profuerint hęc, interdicere omninò vult Mutinæ Civitati, atque in eum ſeverè agere, qui lenitatem ſuam contempſit. Agi jàm putat non de rebus tuis, ſed de ſuis. Vincere in bonâ causâ ſubditum quęrit, non vinci: Atque hoc uno exemplo reliquos Vicarios Eccleſię officii admonere: nec eſt ut timeas Sedis, jàm datę mutationem, etiam ſi omnes uno tempore nuntiarentur vacare, quę in ditione ſunt Ducis, flecti nullis precibus poſſet, ut factum mutaret &c. Imaginem quandam rei meæ intueri in ſuam jàm videor. Menſibus ſex continuis pugnans Pius pro Papienſi Eccleſiâ contrà Ducem Mediolani, cedere illum tandèm coegit in ſententiam ſuam. Magis de Mutinenſi idem credendum, qui & potentiâ, & ęſtimatione eſt illo inferior* (b). Obtinuit demùm Nicolaus poſſeſſionem Epiſcopatus Mutinenſis, illoque fruitus eſt (c): quemadmodùm & Jacobus Amanatus eſt nactus Papienſem, uti ex quamplurimis ejus epiſtolis patet. Itaque Pius utrumque electum, à Ducibus Mutinæ, & Mediolani, impugnatos, tamquam à ditione illorum extraneos, tuitus eſt, in ſuâque ſè ſuſtinuit libertate, beneficia Epiſcopalia non minus Clericis extraneis, quam indigenis conferendi, quoties merita extraneorum depoſcerent, ut eiſdem deberent beneficia eccleſiaſtica diſpenſari.

21. A contentione Italicâ ad Alemanicam tranſeamus. Nicolaus de Cusâ, propè Treverim ortus, Archidiaconus Leodienſis, Decanus Sancti Florini Conſtantienſis, Præpoſitus Monaſterii Vvotobergenſis, & Cardinalis S. Petri ad Vincula (d), Vir pius, ac doctus (e), atque univerſis penè ſcientiis expolitus (f), Epiſcopatum quoque Brixinenſem in Noricis fuerat à Pontifice conſecutus. Quo nè quietè potiri poſſet, Sigiſmundus Auſtriæ Dux, Comeſque Tiroli, ſe oppoſùit, ſub obtentu illo, quem exprimit Krantius, nè *ea in Germaniam tenderetur conſuetudo, quod Romani Cardinales Eccleſias Germanię haberent in commendis, quomodo Abbatias, & Monaſteria Italiæ, Galliarum, Hiſpaniæ, Anglię, quę una cauſa eſt, in eis provinciis creari Cardinales, non in Germaniâ* (g). Hinc magnus ignis accenſus eſt: nam Sigiſmundus Cardinalem carceri mancipavit: Pius autem II. excommunicationem in Sigiſmundum intorſit, & ejuſdem ditionem Eccleſiaſtico ſuppoſuit protinùs interdicto (h), nec finem habuit contentio, donec Epiſpopatus Cardinali fuit in pace relictus, & *Dux humiliatus veniam, & abſolutionem à Papâ impetravit* (i).

22. Sanè obſiſtentia Sigiſmundi, non parcens Cardinali de Cusâ, tametſi Germano, patefecit, quod ei erat in votis repellere ab Epiſcopalibus beneficiis, nedùm extranationales, ſed etiam Nationales ipſos, quoties eſſent ex alienâ orti provinciâ, Nicolaus enim Cuſæ natus erat, loco provinciæ eccleſiaſticæ Trevirenſis; Brixinum autèm pertinebat ad provinciam eccleſiaſticam Salzburgenſem. Cuſa erat in Galliâ Belgicâ; Brixinum in Noricis: Illa Archepiſcopo Trevirenſi, hoc Archiduci Auſtriæ, ſivè Comiti Tiroli, in temporalibus ſubjacebat. Admittebat autèm Sigiſmundus correſpectivitatem in beneficiis adipiſcendis, ut in Italiâ, Galliâ, Hiſpaniâ, Angliâ &c. fiebat, quià ex illis Nationibus plures Cardinales conſueverant eo tempore promoveri, hocque ſolummodò intuitu Cardinalem de Cusâ impugnabat, quià ſoliti non erant Cardinales ex Germaniâ creari (l), & ideo nec fuiſſe ſolitum autumabat, beneficia Romanis Cardinalibus commendari. Sed quià hæc fabulatoria erant, & vani prætextus, Pius Papa noluit illis acquieſcere: propterea-

(a) *Jacob Card. Papienſ. epiſt. 159.*

(b) *Jacob. Papienſ. loc. cit.*

(c) *Card. Papienſ. epiſt. 455.*

(d) *Ciacon. in Nicol. V. n. 7. cum addit. Viſtorelli.*

(e) *Bellarmin. de Script. Eccl.*

(f) *Poſſevin. in Appar. Sacr. in Nicola de Cuſa.*

(g) *Krantz. lib. 11. Uvandaliæ cap. 24.*

(h) *Albert. Krant. loc. cit. Commen. Pii II. lib. 5. f. 131. 34.*

(i) *Trithem. in Chron. Hirſaug. Vol. 11. ſub ann. 1460.*

(l) *S. Antonin. Sum. p. 2. tit. 21. c. 2. ß. 2.*

que in ſuâ ſe ſuſtinuit libertate, beneficia quęlibet, etiam Germanica, & Epiſcopalia, ad ſuam proviſionem pertinentia, Clericis ſibi benè viſis, etiam extraprovincialibus, conferendi.

23. Sublato è vivis Pio II. ſucceſsit *Paulus II.* anteà Petrus Barbus Venetus Eugenii IV. ex Sorore Nepos, Archidiaconus Bononienſis, Epiſcopus Cervienſis, indè Vicentinus, & poſteà Patavinus, Cardinalis Diaconus S. Marię Novę, demùmque Presbyter S. Marci (*a*), Antequàm eligeretur in Papam, quędam leges editæ ſunt in Conclavi, ab eo qui eligeretur ſervandę, quas Paulus poſt electionem de ſè factam calamo ſignavit, ac ſe obſervaturum juravit. Intèr has poſita ſexto loco, ità Electum conſtringit, quod, *de majoribus committendis ſacerdotiis, non niſi in Conſiſtorio, ſententiis auditis, decerneret: jus ad ea nominandi omninò non promitteret: diploma eis non daret, quibus ad alienum arbitrium eadem ſe collaturum promitteret: ſi qua eſſent anteà data, uno edicto adimeret* (*b*). Jurata hæc lex oſtendit, quod uſque ad annum 1474. in quo Cathedram Pontificalem aſcendit Paulus Papa II. nulli Principum jus inerat, five indultum, nominandi Clericos, Epiſcopalibus, majoribuſque beneficiis pręficiendos; Et ſi fortè alicubi ſimile irrepſiſſet indultum, talem dans Laicis facultatem, eſſe abolendum jubetur, nec nova privilegia hujuſmodi naturæ ulli eſſe ampliùs concedenda. Quo ſanè interdicto, non tàm cuſtodita eſt libertas Eccleſię in diſpenſatione beneficiorum, independentèr à quacumque ſæculari poteſtate, quam ſartatecta quoque ſervata eſt libertas præficiendi beneficiis ipſis Clericos, etiàm extraneos: nec enim niſi indigenis, vel ſemper, vel ferè ſemper (ſi Dominis locorum indulta fuiſſet poteſtas nominandi) delata eſſent.

(a) *Ciacon. in Paul. II. cum Addition. Vi-Borel.*

(b) *Alphonſ. Ciacon. Vit. Pont. in Paul. II.*

24. De facto Paulus II. de beneficiis Epiſcopalibus Luſitaniæ, independentèr à nominatione Regiâ diſpoſuit, ſolâ illi ſupplicandi poteſtate permiſsâ. Nàm de Alvaro Gundiſſalvi, Nepote Antonii Cardinalis Portugallenſis, & Regio ſecretario, ità ſcripſit Regi: *Intendimus, Deo ita volente, ſi vacare contingat aliquam Eccleſiarum Regni tui, illi eum præficere, ut doctrina, quàm peperit, ſit in populo utilis. Hortamur ſerenitatem tuam, quæ bona opera diligit, & quæ Sedi Romanę afficitur, intentionem noſtram gratè accipiat, & eum proviſione, quam faciemus, concurrat. Inprimiſque occurrente vacatione, memor ſit hujus noſtri propoſiti, & ſi ſupplicare pro aliquo intendit, pro Alvaro ſupplicet, quia, & honor tuus erit non negligere ſervitorem fidelem, & nobis beneplacitum, convenire preces tuas cum eo, quod ſumus acturi* (*c*). Ità Paulus Papa II. Regi Portugalliæ, qui tunc erat Alphonſus V. (*d*); nec eouſque, ut videtur, Regia illius Corona privilegio potiebatur, quo nunc frui dicitur, præſentandi, & nominandi Clericos Eccleſiis Epiſcopalibus præficiendos (*e*).

(c) *Jacob. Card Papienſ epi 177.*

(d) *Duard. Nonius in Genealog. Reg. Portugaliæ Reg 12.*

(e) *Navar. in c. novit notab. 3. n. 165. de Judic. Cabe l. de Patr. Reg. c. 37. 1 Barboſ jur. Eccl. Univ. l. 1. c. 8. num 82.*

25. Sub hoc eodem Pontifice propoſita fuit in Conſiſtorio iſta propoſitio, an prorsùs abolendæ eſſent Expectativæ, quæ per Pontifices Romanos tradebantur (& ut plurimum Clericis extraneis) ad vacatura beneficia. Super quâ rè in varias partes abjerunt vota Cardinalium: prævaluitque tandèm ſententia Joannis Carvajal Hiſpani, Epiſcopi Cardinalis Portuenſis, viri *doctrinâ, & vitæ ſanctimoniâ inſignis* (*f*), ac valdè ab Hiſtoricis commendati (*g*). *Is enim dià laboraſſe dixit Sedem Romanam, antequam poſſet aſſequi, ut paterentur Ordinarii gratias in ſuis diæceſibus dari: & negligendam ideo prerogativam non eſſe, tàm multis acquiſitam moleſtiis. Ubi enim per unum tantum Pontificem deſitę eſſent dari, futurum ut dari ampliùs non poſſent ſine ſcandalo &c.* (*h*). Quis crediſſet, virum Hiſpanum hæc protuliſſe, inculcaſſe, proſecutum eſſe; niſi amor veritatis illum talia docuiſſet effari; & zelus tuendæ libertatis Apoſtolicæ Sedis, ut hæc poſſet inpoſterum, quidquid potuerat ante, in diſpenſatione beneficiorum, tàm in titulum, quàm in commendam: tàm actuali collatione, quàm per gratiam expectativę: tàm Clericis extraneis, quàm indigenis.

(f) *Card. Papienſ. epiſtola 47. circ fin.*

(g) *Ciacon. in Eugen. IV. num. 27. & ibi Addition.*

(h) *Card. Papienſ. epiſtola 92.*

26. Audiamus nunc, quid evenerit, cùm Franciſcus Dux Mediolani optavit, bene-

neficium,in ſuâ Ditione poſitum,cuidam à ſe commendato,concedi,Paulus verò Papa illud contulit Cardinali PapienſiLucano:Papa ſcripſit Duci hanc epiſtolam: *Rogas nos per literas tuas, ut Monaſterio S. Petri in Cælo aureo præficere velimus in Abbatem dilectum filium Antonium de Judicibus, fratrem Abbatis defuncti. Nos dilecte fili preces tuas optamus ſemper, quantum cum Deo poſſumus, adimplere, & has implere poſſemus, ſi Monaſterio proviſum non eſſet: auditâ enim vacatione commendavimus illud, ſicut noſſe jam debes, dilecto filio Jacobo tit. S. Chriſogoni Præsbytero Cardinali, Papienſi Epiſcopo, quem ſciebamus charum eſſe nobilitati tuę, & opportunitatem ad bonum regimen non parvam habere. Itàque jam ſatisfacere deſiderio tuo non poſſumus, & ideò hortamur tuam nobilitatem, ut bono animo neceſſitatem hanc noſtram accipias, & proviſionem factam habeas gratam &c. Si qui alitèr de Monaſterio te fatigarent, & proptèr inſtantias literarum, & precum, confiderent nos mutare, quod fecimus, oſtende confidentèr illos errare. Non enim ii ſumus, qui non ſciamus, quid gravitati officii noſtri conveniat, & quid continuare nos deceat. Hucuſque per gratiam Dei nil nos variare oportuit, nec hanc diſpoſitionem mutare intendimus &c.* (*a*).

(a) *Jacob. Card. Papienſ. epl. 171.*

27. Et quia Dux, votis fruſtratus, obſtacula poſſeſſioni Cardinalis Papienſis opponebat, citòque defunctus eſt; Papa Epiſcopum Legionenſem ſequentibus literis monitum fecit: *Commendavimus dudùm dil. fil. noſtro Jacobo tit. S. Chryſogoni præsbyt. Cardinali Monaſterium S. Petri in Cælo aureo Papienſe: ſed obſtante claræ memorię Franciſco Sfortiâ Duce Mediolani, nupèr defuncto, aſſequi poſſeſſionem non potuit &c. Sciebamus eam renitentiam non placere dil. in Chriſto filiæ nobili Mulieri Blanchæ Marię Duciſſę Conſorti ejuſdem, credidimuſque poſt obitum illius difficultatem nullam futuram &c. Sed audivimus dilationes varias adhuc interponi, & proviſionem noſtram differri: quod certè admiramur, præſertìm cum ſine offenſione Dei hoc eſſe non poſſit. Proindè Fraternitati tuę harum ſeriè injungimus, ut noſtro nomine de hac ipſâ rè alloquaris Duciſſam, eamque horteris, ut pluris ſuam conſcientiam exiſtimet, quàm importunantium preces, & Deum magis attendat, quam homines &c. Mens noſtra eſt, ut præfata proviſio valeat, nec mutare illam intendimus* (*b*). Ità perſiſtente in ſuo propoſito Paulo Papâ, Cardinalis tandèm extraneus poſſeſſionem controverſi Monaſterii ſuſcepit,excluſo Antonio commendato Ducali, & indigenâ: prævaluitque Eccleſiæ libertas provehendi, non modò Clericos indigenas, verùm etiam extraneos, ad eccleſiaſtica beneficia.

(b) *Card. Papienſ. epl. 172.*

28. Poſt Paulum II. aſcendit Apoſtolicum thronum *Sixtus Papa IV*. Natione Ligur, diœceſis Savonenſis, anteà Generalis Ordinis Minorum (*c*): qui paritèr plura documenta reliquit, libertati faventia, de quâ diſſerimus: & in primis renuit promovere ad Cæſarauguſtanas infulas Nepotem Regis Aragoniæ, qui tùnc erat Joannes II. (*d*), hancque gratiam à Sixto inſtantiſſimè poſtulabat. En literæ Papales ad Regem datæ: *Si Eccleſiæ Cæſarauguſtanæ præficere nepotem tuum potuiſſemus, in puerili nimium ætate agentem, id fuiſſet à nobis cupidiùs adimpletum, quàm à te poſtulatum. Gratificari enim majeſtati tuæ optamus, animumque in eam propenſum cunctis in rebus oſtendere; ſed idipſum ſine gravi offenſione Dei, & animæ tuæ, & noſtrę non licuit. Et cur non licuerit, aliis literis abundè oſtendimus &c. Prò tè Rex Sereniſſime pati omnia poſſumus, ſed jacturam animæ facere, nec debemus, nec poſſumus, nec ut eam faciamus, tuam piam intentionem credimus velle &c.* (*e*). Docemur hinc, quod tempore Sixti IV. Reges Aragonici privilegio carebant pręſentandi ad Eccleſias Cathedrales, quo Reges Caſtellæ ab eodem Sixto communitos eſſe tradunt Hiſtorici (*f*). Cumque Papa poſtulatos à Rege ad beneficia eccleſiaſtica refutaret, indicium eſt, quod ea poterat, tàm illius Regi ſubditis, quàm aliis quoquè extraneis impertiri.

(c) *Ciacon. in Sixt. IV. Raynald ann 1467. num. 16.*

(d) *Hieron Paul. in Serie Reg. Aragon. num. 37. ap. Jo. Gualt. Chron. Chron p. 1.10.5.*

(e) *Card. Papienſ. epl. 512.*

(f) *Mariana rer. Hiſpan. l. 24. cap. 16. Barb Jur. Eccl. Univ. l. 14. 8. num. 79. & alii.*

29. Hujus Papæ indultum, Florentinis conceſſum, exhibet pluries memoratus Cardinalis Papienſis, tenoris ut ſequitur: *Cupitis, ſicut ſignificatum eſt nobis, eos Præſules dari civitatibus veſtris, quorum non modò doctrina, & vita apud Apoſto-*

licam

licam Sedem, ſed apud vos quoquè fides probetur, putantes ad conſervationem Status veſtri eam rem plurimùm pertinere. Propterèaque optatis, ut antè proviſiones noſtras, quod ſit veſtri judicii expectare dies aliquot non dedignemur. Nos qui, prætèr animarum ſalutem, & commoda populorum, aliud nobis in dandis Epiſcopis non proponimus; Rempublicam autem veſtram ſemper amavimus, & ſalvam voluimus; huic deſiderio paternè annuentes, ſignificamus, daturos nos deinceps operam, quantum cum Deo poterimus, ut cum vacare Cathedrales Eccleſias Dominii Florentini contigerit, veſtris petitionibus liberalitèr ſatisfiat. Erit tamèn gratum duas, aut tres perſonas, meritis, & virtute idoneas ſemper proponi, ut in ſatisfactione publicâ, etiam nos, quod melius ſit offerre Deo ex noſtro officio valeamus (a). Tendit hoc diploma, in ſuo primo conceptu, ſive continet jus quodammodò patronatus, ſeu facultatem nominandi viros, Eccleſiis Cathedralibus præficiendos: indirectè tamèn proſpicit etiam ad excluſionem extraneorum ab iiſdem Eccleſiis: quippè ſemper, vel ferè ſemper Florentini perſonas connationales erant ad beneficia Epiſcopalia propoſituri. De quo paritèr Sixto IV. memoriæ proditum eſt, indulſiſſe, ne viri, ex Germaniâ non oriundi, poſſent gratias expectativas ad beneficia Germanica obtinere (b). Alia quoque conſimilia privilegia fortè aliis gentibus, vel Principibus, eſt largitus: fuit enim facilis, & *cum admodùm liberalis eſſet, neque ulli prorsùs negare quidquam ſciret; plurimis eaſdem gratias importune rogantibus ſæpè conceſſit; Quâ de causâ, ut litium, & diſcordiarum initia, & occaſiones tolleret, ſubſignandis libellis Joannem de Monte mirabilem virum, in aulâ exercitatum, & induſtrium, ſeverioriſque ingenii præfecit, qui non ritè conceſſa annullare poſſet* (c).

30. Profectò, ſi Germani, ſi Caſtellani, ſi Florentini, & ſi qui alii ſunt, indultum præſentandi ad beneficia, vel ab illis viros extraneos repellendi, ex ſpeciali gratiâ à Siſto Papâ IV. impetrarunt; ſignum eſt primò, quod ante illud tempus tali privilegio carebant. Secundò, quod iſta poteſtas, ſive iſtud jus extraneis fatale nulli de jure competit, niſi Apoſtolico privilegio ſuffulciatur. *Fruſtrà enim precibus impetratur, quod à jure communi competit*, inquit lex (d). Tertiò, quod ubi deeſt conſimile privilegium, excluſio extraneorum locum non habet. Habemus ergò & facta, & ſcripta Summorum Pontificum, quæ nos edocent, Eccleſiam Sæculo Chriſti Quintodecimo, in quo ipſi vixerunt, fuiſſe liberam in diſpenſatione beneficiorum, tàm Clericis extraneis, quàm indigenis, & Sedem Apoſtolicam plenariè, atque integrè hac libertate potitam eſſe toto præfato tempore, Quâproptèr ſi alicubi nùnc nudata reperitur ipsâmet libertate; oportet quod poſt hæc tempora ab eâdem deciderit. Sed nullibi ritè, ac rectè decidit, niſi ubi ex privilegio Apoſtolico, ſpecialitèr indulto, ſic eſſe cautum reperitur, ut extraneis repulſis, beneficia ſolis indigenis conferantur. Alioquin ubi ſimile diploma deeſt, ſubſiſtit memorata libertas: liberumque, & licitum eſt Eccleſiæ, illiuſque miniſtris, ac in primis Romano Pontifici, ejuſdem Eccleſiæ Capiti, necnon Epiſcopis, aliiſque omnibus, tàm ordinariis, quàm delegatis beneficiorum Collatoribus, vel ab illâ nominatoribus, ipſamet beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiam extraneis elargiri.

(a) Jacob. Card. Papienſ. epl. 654

(b) Jacob. Winpheling. in reſponſ. ad Æneâ Sylvium eſt inter. German. Script. tom. 2. f. 389. 8.

(c) Alphonſ. Ciac. in Sixt. IV poſt. num. 25. 1256 E.

(d) L. 3. C. de theſauris l. 10

CA

CAPUT IV.

In quo ex Scriptoribus Eccleſiaſticis, *qui* Sæculo Chriſti Quintodecimo *floruerunt, nempè ex* S. Antonino: *ex* Abbate Panormitano: *ex* Petro de Alliaco: *ex* Cardinali Papienſe: *ex* Alphonſo Toſtato, *&* *ex* Joanne de Turrecremata, *probatur libertas Eccleſię, in conferendo Eccleſiaſtica beneficia, tùm Clericis extraneis, tùm indigenis.*

SUMMARIUM.

1 *Intèr Scriptores eccleſiaſticos Sæculi XV. doctrinà, & ſanctitate fuit eminens* S. Antoninus, *Archiepiſcopus Florentinus.*

2 *Sentit D. Antoninus, Clericum alienę diœceſis poſſe eligi ad beneficia, quod probat ſacris canonibus, admiſſioni extraneorum faventibus.*

3 *Docet D. Antoninus, Cardinales ex omni regione aſſumendos eſſe, juxtà ſenſum B. Auguſtini de Anconâ,*

4 *Intèr Cardinales, & Epiſcopos currit analogia. Sicut Papa poteſt undecumque aſſumere Cardinales; ſic & Epiſcopus Canonicos ſuos.*

5 *Conſonat D. Antonino Paulus Corteſius, improbans Urbanum VI. quod nimios Neapolitanos promoveret, concives ſuos.*

6 *Claruit Sæculo XV. Nicolaus* Abbas Panormitanus, *celeberrimus Canoniſta, qui docet, alienæ provinciæ Clericum eligi poſſe.*

7 *Sicus per viam poſtulationis, & electionis, ità etiam per viam liberæ collationis, & nominationis extraneis patent beneficia.*

8 Petrus de Alliaco *tuetur, multis ex cauſis potuiſſe Papas ſibi reſervare ordinationes beneficiorum.*

9 *Mutila eſſet poteſtas Papæ, ſi beneficia ſibi reſervare poſſet, non verò illa etiam extraneis diſpenſare.*

10 Jacobus Cardinalis Papienſis *habuit beneficia in Latio, in Brabantiâ, Ticini, & alibi, cum Cardinalatu, & Epiſcopatu Portuenſe.*

11 *Habuit & Archidiaconatum Santonenſem, & Monaſterium apud Avenionem, quod Rex Franciæ alteri concedi poſcebat.*

12 13 *Narrat Cardinalis Papienſis, quid ei accidit ſuper beneficio Monaſterii Avenionenſis, cum quodam ſuo Competitore.*

14 *Fortitèr ſuſtinuit ſua jura, pro tenendo beneficio in Franciâ. Senſit quoquè, Cardinales literis naturalitatis non indigère.*

15 *Per ea quæ contigerunt in Cardinali Papienſe, patet, Eccleſiam tunc prævaluiſſe & in ſuâ libertate conſtitiſſe admittendi etiam extraneos ad beneficia.*

16 *Narrat Papienſis mortem feſtinam Cardinalis Riarii, qui innumera beneficia, in cunctis orbis partibus, obtinebat.*

17 *Ex aliis epiſtolis Cardinalis Papienſis patet, quod hoc Sæculo XV. nulla eſt habita ratio diverſitatis nationis, quoad beneficia.*

18 *Hocque accidebat nedum in perſonâ Cardinalium, verùm etiam in aliis Clericis, conditionis inferioris.*

19 Al-

19 Alphonſus Toſtatus *docet, eſſe peccatum acceptionis perſonarum, eligere aliquem ad beneficium, hac ſolâ ratione, quod ſit indigena.*

20 *Juxtà Toſtatum idoneus extraneus eſt præferendus indigenæ non idoneo: & hic ſolum cæteris paribus eſt illi anteponendus.*

21 *Quatuor ſunt qualitates, facientes aliquem dignum beneficio, intèr quas non eſt indigenatus: undè extraneitas eſt res adiaphora.*

22 *Epiſcopus poteſt, in æqualitate meritorum, præferre Agnatum ſuum exterum Clerico indigenæ. Pharao commiſit regimen Regni ſui Joſepho extraneo.*

23 Joannes de Turrecrematâ *tuetur, quod Papa eſt Dominus bonorum Eccleſiæ: Scilicèt quoad illorum diſpenſationem.*

24 *Docet paritèr, nullam humanam poteſtatem reſtringere poſſe auctoritatem Papalem, quia hęc à Deo eſt inſtituta.*

25 *Uſque ad Sæculum XV. imò & uſque ad præſens tempus, libera ſemper fuit poteſtas Papæ, & Eccleſię, præficiendi etiam Clericos extraneos beneficiis.*

26 *Si dicatur, non tolli Papæ poteſtatem, ſed caveri, nè in diſpenſando beneficia Regni exeat à perſonis Regnicolarum; eluſorium eſt hoc eloquium.*

27 *Poteſtas diſponendi de beneficiis, quæ eſt in inferioribus collatoribus, vel nominatoribus, profluit à Summo Pontifice.*

28 *Pręfata libertas Papæ detrahi non poteſt, quin cæteris omnibus abſcindatur Collatoribus beneficiorum, vel ad ea Nominatoribus.*

1. DIGNUM eſt, ut poſtquam de libertate Eccleſię, in admittendo ad ſacras prębendas etiam Clericos extraneos, docuimus, Romanorum Pontificum geſtis, & ſcriptis, Conciliorum decretis, Principumque, ac Nationum factis, & contentionibus, quæ Decimoquinto Chriſti Sæculo ſucceſſerunt, eandèm nunc libertatem muniamus doctrinâ *Scriptorum eccleſiaſticorum*, qui eodem Sæculo claruerunt. Sanè *qui cognoſcunt veritatem, conveniunt in unâ ſententiâ* (*a*). Et quia Scriptores eccleſiaſtici cunctorum ſæculorum, unanimi ſenſu, favore libertatis, de quâ agimus, eloquuntur; patet quod ſola vis veritatis ad ſic perorandum eorum, & mentem inſtruit, & calamum impinguat, & eloquia coadunat. Scriptores ergò eccleſiaſticos in hoc quoque ſæculo referamus: quos intèr primum locum damus (non chronologiæ, ſed ſanctitatis ordine ſervato) *D. Antonino Archiepiſcopo Florentino*, viro doctiſſimo paritèr, & ſanctiſſimo (*b*), quem Nicolaus Papa V. admirans, & de D. Bernardino Senenſi ſermonem habens, ait: *non minus ego Archiepiſcopum Florentinum Sanctorum Catalogo adhuc vivum adſcribendum putarem, quam Bernardinum mortuum* (*c*). Sanè ſanctus hic vir in ſuâ Summâ, titulum inſtituens de ſtatu Prælatorum, & ad tractatum de illorum electione deſcendens; quærit, ac dilucidat, *quis poſſit eligi*. Ad finemque paragraphi progreſſus, inquit: *De Clericis alterius diœceſis, utrum poſſint eligi, vide infrà: Poſtulatio* (*d*).

2. Tùm capitulum de poſtulatione extendens, hęc ponit: *Utrum Clericus alienæ diœceſis ſit poſtulandus, vel poſſit eligi, Reſp. ſecundum Ber. extr. cap. etſi unanimitèr, quod quamvis Clerici non poſſint dimittere Eccleſias ſuas, ſinè conſenſu Epiſcoporum ſuorum, nihilominùs eligi poſſunt, ſivè in ſuâ, ſivè in alienâ diœceſi: extr. de electione. cum intèr Canonicos* (*e*). Eſt ergò D. Antoninus in ſenſu, quod Clericus extraneus optimè poſſit eligi ad eccleſiaſtica beneficia: & id quod reſpondet, juribus probat. Nàm in cap. cum intèr, ab eo citato, clarè decernitur, non poſſe quemquam à beneficio, etiam Epiſcopali repelli, quia ſit ex alienâ diœceſi (*f*). Et in *cap. etſi unanimitèr*, ab eo paritèr citato, disertè præſcribitur, non poſſe quidem eligi alienum Clericum, beneficio reſidentiali jàm inſignitum: poſſe tamèn poſtulari. Ubi gloſſa inquit, *Quamvis omnes Clerici adſtricti ſint, nè poſſint dimittere Eccleſias ſinè conſenſu Epiſcoporum eorum; nihilominùs eligi poſſunt, quia non eſt*

tanta

(a) Gonet Clyp. Theol. tom. 4 trac. 10. diſp. 1. art. 8. §. 12. num. 276.

(b) Bellarm. de Script. eccleſiaſt. in S. Antonin.

(c) Anton. Poſſevin. Appar. ſacr. tom. 1. in Antonin. Florent.

(d) S. Antonin. ſum. p. 3. tit. 19. cap. 2. §. 5.

(e) S. Antonin. loc. cit. cap. 3. §. poſtulatio.

(f) Cap. cum inter Canonicos 22., & ibi gloſ. V. Ignoles de electione.

tanta conjunctio intèr eos, & eorum Eccleſias, ſicut intèr Epiſcopum, & Eccleſiam, cui eſt matrimonialitèr alligatus (*a*).

(a) *Gloſ. in cap. Etſi unanimitèr V. permiſſione de poſtul.*

3. Alibi D. Antoninus, agens de Cardinalibus, ità loquitur: *Cardinales omnes quamvìs Papa poſſit eligere unâ de patriâ; non tamèn decet, quia hoc pertinere videtur ad acceptionem perſonarum. Prò cujus declaratione, dicit Auguſtinus de Anconâ, quod Papa poteſt ſibi aſſumere Cardinales in ſuum adjutorium, & conſilium, undè vult, quos vult, & quales vult &c. Veruntamèn Bernardus de congruo aſſignat rationes in libro de conſideratione ad Eugenium, quod non de unâ patriâ, ſed de toto Orbe Cardinales ſunt eligendi. Primò proptèr juſtitiam ſervandam: quilibet enim melius cognoſcit conditionem hominum ſuæ patriæ, quam alius &c. Secundò proptèr carnalem affectionem removendam, ſi de unâ patriâ omnes eligantur &c. Tertiò proptèr unitatem in populo Chriſtiano nutriendam. Contemptus eſt enim cauſa diviſionis, & ſchiſmatis in Eccleſiâ: principale enim motivum ſchiſmatis Græcorum fuit contemptus eorum, qui ad eccleſiaſticos ordines non aſſumebantur.* Itàque, inquit, *nulla patria excluditur, ex quâ ad Cardinalatum aliquis non poſſit vocari* (*b*).

(b) *S. Antonin. 3. p. ſum tit. 21. c. 2. §. 2.*

4. Sermonem habet hìc D. Antoninus de ſolis Cardinalibus Romanæ Eccleſiæ. Verùm ejus ſenſus, & verba generalìter quadrant pro cunctis quoque beneficiariis: tùm quià intèr Cardinales, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Patriarchas, aliqua congrua concurrit analogia, petitâ ex illâ etiam ratione, quod in Cardinalibus ea omnia exiguntur, quæ de qualitatibus Epiſcoporum ſunt conſtituta (*c*): quamvis Cardinales Epiſcopis præcedant (*d*). Et ideò ſicut Cardinales ex omnibus orbis Chriſtiani partibus eligi poſſunt; ità etiam Epiſcopi, Archiepiſcopi, & Patriarchæ ex iiſdem Chriſtiani orbis partibus poſſunt eligi. Tùm etiam, quià Cardinales habent aliam configurationem ad cæteros beneficiarios: ſunt etenim pars nobilior Cleri Romanæ Eccleſiæ, talemque quodammodò tenent reſpectum ad Summum Pontificem, qualem habent Canonici aliarum Eccleſiarum ad proprium Epiſcopum, cum quo faciunt unum corpus, eo modo, quo DD. Cardinales illud faciunt cum Papâ (*e*). Ipſi in Eccleſiis ſuorum titulorum juriſdictionem habent Epiſcopali conſimilem (*f*). Ipſi tandèm rè verâ ſunt beneficiati, & beneficium eccleſiaſticum poſſidere dicuntur (*g*). Et ideò ſicuti poteſt Papa undecumque ſibi adſciſcere Cardinales, etiam origine extraneos; ità quoque quilibet alius Epiſcopus poteſt ſibi adſciſcere undecumque Canonicos, etiam origine extraneos. Et quod dicitur de Canonicis, ex paritate rationis, verificatur etiam in Parochis, cæteriſque beneficiariis.

(c) *Paul. Corteſ. de Cardin. l. 3. cap. 9. f. 128 & ſeq.*
(d) *Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 1. de reſ. 2*
(e) *Eugen. 4. conſt. 15 DD. ap. Barboſ. jur. Eccl. Univ. l. 1. c. 4. n. 26 Dian p. 5. t0. 2 reſ. 1*
(f) *Barboſ. loc. citat. num. 18*
(g) *Cap. bis qu. 11. de major. & obed. Alban. de Card qu. 4. Barboſ. loc. cit. num. 33*

5. D. Antonini ſentibus conſonat ſermo Pauli Corteſii Scriptoris ejuſdem Sæculi, ad finem vergentis, & initium ſequentis Sæculi pertingentis, qui in ſuo tractatu de Cardinalatu, poſtquam improbavit Urbanum VI., *qui cum eſſet agreſti acerbitate atrox, ac ambigui imperii retinendi cupidus, unis comitiis, novem & viginti, ex Parthenopeâ urbe, in ſenatum cooptaſſe dicitur &c.* concludit, *dicimus gentem in orbe terrarum reperiri nullam, ex quâ ſit Comitiali exceptione cautum, nè quis in Senatum cooptari poſſit*: In Senatum nempè Cardinalitium (*h*). Quotquot ergò in orbe univerſo ſunt Clerici, Catholici, benemerentes, & digni; òmnes virtute duce, comite fortunâ, poſſunt in Eccleſiâ Romanâ conſpicuum Cardinalatus officium, & beneficium adipiſci: ergò alia quoque alibi beneficia poſſunt acquirere, extrà loca munita diplomate Pontificio, reſtringente capacitatem beneficiorum ad ſolos indigenas. Prætereà ſicuti quilibèt univerſi orbis Clerici poſſunt beneficium Cardinalitium in Romanâ Eccleſiâ adipiſci, ità etiam Cardinales Romanæ Eccleſiæ debent poſſe adipiſci beneficia eccleſiaſtica in qualibet orbis parte, ut ſervetur æqualitas, & correſpectivitas. Quodque dicitur de DD. Cardinalibus, verificatur etiam de aliis Prælatis, Abbatibus, Canonicis, Parochis, Clericis &c. congruâ ſemper proportione ſervatâ, ſingulaque ſingulis opportunè referendo.

(h) *Layman. l. 4. tr. 2 c. 4. n. 4. Selv. de benef. p. 1. q. 2. n. 3. Barboſ. jur. Ecl. univ. l. 3. c. 4. n. 52*

6. Claruit quoquè Sæculo Quintodecimo, Nicolaus Tudeſcus, Nazione Siculus, mo-

(a) *Ciacon. poſt. Eugen. 4 in Felic. 5 Antip. n. 16*
(b) *Bellarm de ſcript. Eccl. in Nicol. Panormit.*
(c) *Ughel. in Addit. ad Ciacon loc. cit.*
(d) *Abb. in c. ad decorem de inſtit.*

monachus primum Cœnobii Sanctæ Agathæ Catanenſis, deinde Abbas Maniacenſis (*a*), Archiepiſcopus Panormitanus, demumque Cardinalis, à Felice V. Antipapâ creatus, *Abbas Panormitanus* communiter nuncupatus; vir juris Canonici peritiſſimus (*b*); Lucerna juris appellatus, & Juris conſultorum omnium ſui temporis celeberrimus (*c*). Hic inter opera, quæ ad publicam utilitatem elucubravit, plura profert, admiſſioni Clericorum ad ſacras præbendas faventia (*d*), ſed peculiaritèr in capit. Te nobis de Clericis peregrinis, movet quæſtionem, an Clerici alienæ provinciæ fieri valeat electio? Et reſpondet hoc modo; *Tu tene quod poteſt, nec exigitur ſolemnis poſtulatio, ſed benè non ſolemnis, per quod pateat, quod habetur in tranſitu licentia ſui diœceſani: & proptèr hoc exiguntur literæ dimiſſoriæ, & quod cognitus ſit; nàm ſi incognitus, non admittitur abſque liberatione, & inveſtigatione Epiſcopi; nec hæc eſt diſpenſatio, ſed potiùs examinatio.*

7. Tum addit, *Nunquid autèm Abbas, & Monachi Clericum extraneum poſſint in Eccleſiis ſuis inſtituere, dimiſſorias habentem, ſi Eccleſia etiam cum populo eſt exempta, in quâ vult inſtituere: & tùnc, dato quod pro inſtitutione non debeat recurri ad Epiſcopum, tamèn dicit Innocentius, quod dato, quod ſit plenè exempta, & ad eos ex privilegio ſpectet inſtitutio, ad Diœceſanum recurrendum eſt, ut non præſtet aſſenſum, ſed ut cognoſcat de literis dimiſſoriis: & poſtquam pronunciavit eum plenè dimiſſum, poterunt eum inſtituere &c: Si verò populus non eſſet exemptus, neceſſarius eſſet aſſenſus diœceſani, quem ſi malitiosè præſtare negligit, recurritur ad ſuperiorem, de jurepatr. cap. nullus. Si autèm Capellæ ſunt exemptæ, & non habent populum, placet Innoc. quod poſſit inſtituere extraneum, habentem dimiſſorias, etiam ſine licentiâ Epiſcopi* (*e*). Si ergo & beneficiarii, & Clerici omnes extranei poſſunt ad aliam Eccleſiam, vel eligi, vèl reſpective transferri, etiam ſi nedum extradiœceſani, ſed etiam ſint extraprovinciales; jàm patet, quod per electionis, & poſtulationis viam, poſſunt Clerici extranei beneficia ſacra adipiſci: quod ſi hoc poſſunt per viam electionis, & poſtulationis, non eſt cur & per viam præſentationis, & Collationis pleno jure factæ, idipſum non poſſint, prout benè idem Abbas alibi docet (*f*).

(e) *Abb. in c. Te nobis n. 5. de Cler. peregr.*
(f) *Abb. in c. ad decorem n. 2 de inſtit.*

8. Intèr Scriptores eccleſiaſticos quoquè Sæculi Decimiquinti numeratur *Petrus de Alliaco* (*g*), Natione Gallus, Provinciâ Picardus, natus Compendii, Academiæ Pariſienſis Cancellarius, & Theſaurarius Sanctæ Capellæ, primò Epiſcopus Podienſis, ſive Anicienſis, Provinciæ eccleſiaſticæ Bituricenſis; indè Epiſcopus Vivarienſis, Provinciæ eccleſiaſticæ Viennenſis; poſteà Epiſcopus Cameracenſis, tùnc Provinciæ eccleſiaſticæ Remenſis: demùmque Presbyter Cardinalis S. Chryſogoni (*h*), Vir Doctrinâ clariſſimus, & à Scriptoribus uberrime commendatus (*i*): Aquila Franciæ dictus, & Malleus à veritate aberrantium indefeſſus (*l*). Hic agens de poteſtate Summi Pontificis in diſpenſatione beneficiorum ait: *Papa jure potuit ordinationes majorum, & electivarum dignitatum, ac collationes aliorum beneficiorum ſibi, & Sedi Apoſtolicæ reſervare: quia hæc antiquiſſimo jure ſibi competebant &c. Hæc etiam non ſolum jure univerſalis adminiſtrationis Papalis potuerunt competere, ſed etiam ex ſpeciali causâ, ratione materiæ ſubjectæ, utpotè quià inferiores in ſuis electionibus, & ordinarii collatores in beneficiorum collationibus abutebantur, & per potentiam laicalem ſæpè jure ſuo non liberè uti permittebantur, ſeu aliâ aliquâ ſpeciali ratione &c.* (*m*).

(g) *Card. Bellarmin. de Script. Eccl. in Petr. de Alliac.*
(h) *Ciacon. in Joan. 23 n. 5 cum addition. Ughel.*
(i) *Trithem. de Script. Eccl. Poſſevin in Appar. Sacr. Sixt. Senenſ. Bibl. ſanct. l. 4*
(l) *Ughell. in addit. ad Ciacon loc. cit.*

9. Deindè ſubdit; *Ex quo ſubinfertur, quod cum Sedes Apoſtolica in præmiſſis præſcripſerit, ſuppoſito, quod Summi Pontifices in hoc abuſi fuerint, vel exceſſerint, non proptèr hoc eſt ab eis hujuſmodi jus tollendum, ſed abuſus pellendus, & exceſſus reſtringendi ſunt.* Profectò ſi Papa licitè, & jure potuit, poteſtque ordinationes, & collationes beneficiorum ſibi reſervare, ea quoque poteſt perſonis quibuslibet ſibi benè viſis largiri, dummodò idoneis, atque dignis. Alioquin valdè mutila eſſet illius poteſtas, ſi jure quidèm collationem beneficiorum ſibi reſervare valeret; beneficia verò ipſa non poſſet quibuslibet benemerentibus impertiri, ſed ea cogeretur

(m) *Petr. Alliac. de Auctor. Eccleſ. p. 2 §. Unde ulterius*

Digitized by Google

rur ſolis indigenis dare : præſertim cum quotidiana praxis , per cuncta Eccleſiæ Sæcula continuata , oppoſitum doceat . Et ſi liberè poteſt Papa beneficia ſibi reſervata etiam Clericis extraneis diſtribuere ; poterunt quoquè Epiſcopi , aliique beneficiorum diſpenſatores , vel ad ea nominatores , reliqua beneficia non reſervata , Clericis extraneis paritèr , ac indigenis , pro illorum libito , & voluntate largiri,prout effectivè docet praxis,& Eccleſiæ libertas expoſcit. In hoc enim exercitio poteſtatis conferendi beneficia, vel ad ea nominandi, Collatores , & Nominatores participant de poteſtate Pontificis, dantis approbationem , & vim ſacris legibus , quæ facultatem ipſam conferendi , & nominandi ad beneficia authorizant.

10. Scriptoribus Eccleſiaſticis paritèr Sæculi decimiquinti annumerandus eſt *Jacobus Cardinalis Papienſis* , qui progenie de Amanatis , *natione Lucenſis , privilegio Senenſis* , à Pio II. *Pontifice , qui dexteritatem ingenii dilexiſſet , Picolomineâ Donatus eſt familiâ* : *(a)* , à quo etiam Epiſcopatum Papienſem , & Cardinalatum S. Cryſogoni *(b)* demùmque Epiſcopatum Portuenſem *(c)* , & adhuc quoquè Lucenſem obtinuit *(d)* . Innuimus Capitulo præcedenti reluctantiam Ducis Mediolani , ne Cardinalis hic , tamquam extraneus, Epiſcopatum Papienſem aſſequeretur ; ſed Pius Papa II. *pugnans contrà Ducem Medialani , cedere illum tandèm coegit in ſententiam ſuam (e)* . Innuimus & obſiſtentiam , ab eodem Duce illi factam , nè Monaſterio , in eâdem Ticinenſi Civitate ſito , potiretur ; ſed Paulum Papam II. Apoſtolicâ auctoritate interpoſitâ , illum ſui voti compotem effeciſſe *(f)* . Habuit quoquè in Latio Monaſterium Privernas *(g)* . In Brabantiâ præbendam Trajectenſem *(h)* , & in Britanniâ Prioratum quemdam , ex quo cuidam Epiſcopo debebat penſionem ducentorum quadraginta aureorum annuali ſolutione perſolvere *(i)* .

(a) *Commentar. Pii II. lib. 7. f. 184. 17.*
(b) *Ciacon. in Pio II. num. 11.*
(c) *Jacob. Card. Papienſ. epiſtola 666.*
(d) *Idem epl. 670.*
(e) *Idem epl. 159.*
(f) *Idem epl. 171. & 172.*
(g) *Idem epl. 365.*
(h) *Idem epl. 652.*
(i) *Idem epl. 365.*

11. Sed & in Franciâ tenuit Archidiaconatum Santonenſem , & Monaſterium Avenionenſe : ſcribitque Cardinali Alano Archiepiſcopo Avenionenſi: *Ad hæc duo, si addi aliquid aliud , ex tantâ Gallici agri meſſe poteſt , meminerit Avenionenſis meus , quidquid Papienſi additur , addi ſibi (l)* . De Archidiaconatu Santonenſi ſæpiùs memoriam facit , nàm propter juriſdictionem illi annexam , graves habuit cum Santonenſi Epiſcopo controverſias *(m)* . Meminit quoquè pluries Monaſterii Avenionenſis , pro quo competitorem habuit quemdam , de quo Paulus Papa II. Ludovico XI. Regi Franciæ ſcripſit , *Commendavit nobis tua ſublimitas per literas ſuas dilectum filium Joannem de Toloniaco , quem ad Monaſterium S. Andreæ Avenionenſis diœceſis electum ſcribebas. Procurator ſuus &c. Decretum electionis ſecum apportaſſe aſſeruit . Nos cupientes tuæ Serenitatis intuitu juſtitiam illi favorabilem facere , & nihilominus dil. filium &c. Cardinalem Papienſem in ſuo jure audire , cui dictum Monaſterium per fel. rec. Pium Prædeceſſorem noſtrum dicitur commendatum ; gratum habuiſſemus dictum decretum præſentatum fuiſſe. Cum verò hoc factum non fuerit &c. non debuimus Cardinalem ſpoliare de facto &c. (n)* .

(l) *Idem epl. 264.*
(m) *Jacob. Card. Papienſ. epl. 264. 310. 459.*
(n) *Idem epl. 125.*

12. Seriem totam narrat ſucceſſus ipſemet Papienſis in epiſtolâ ad Albericum Malletam , Ducalem Oratorem apud Regem Francorum : *Pius Pontifex* , inquit , *commendavit mihi Cœnobium S. Andreæ Ordinis S. Benedicti &c. poſitum ad radicem pontis Avenionenſis , in Regiâ Ditione , quamquam bona pars fructuum in Comitatu ſit Venaiſino , Summa totius annui Cenſus quadringentos apportat . Miſi ſtatim qui poſſeſſionem apprehenderet : ſed paucis obſtantibus , prohibitus eſt procurator Cœnobium ingredi . In foribus apprehendit , ut potuit . Quidam enim ex Monachis , non vocatis iis , quos oportebat , ſolemnitate conſuetâ non obſervatâ , electionem paucorum prætendens , extrà tempus legitimum factam , totam mihi hanc moleſtiam præſtat . Quatuor tantum , ut audio , homines elegerunt : ſeptem qui reſtant , mecum ſenſerunt , & ſentiunt , verumque Commendatarium publico confeſſi ſunt documento . Hic noſter pſeudo electus excurrit ſtatìm ad Regem , mentituſque electionem monachorum unanimem , ad Pontificem Paulum , & mè literas impetrat , quibus rogor , ut cedam electo . Rogatur Pontifex , ut electionem admittens , Cœnobio illum præficiat (o)* .

(o) *Idem epl. 69.*

13. Sequitur. *Hoc ipſo tempore, nomine illorum ſeptem, quos memoravi, unus in Curiam venit, procurationem pleniſſimam habens impugnandæ electionis hujuſce: auditâ rè, adverſarius à præſentando ex more, electionis decreto abſtinuit, veritus nè illo inſpecto vanitas tota pateret. Res mea in ſtatu hoc eſt &c. Scio quid ille, quid nos habeamus armorum ad pugnam. Sola Regis voluntas me terret, omniſque hic nodus eſt noſtræ moleſtiæ. Si nutu uno ſignificet improbari à ſe vexationem injuſtam, ſilebunt illicò adverſarii mei: quippè qui non tàm cauſâ, quàm Regio nomine niti ſè dicunt. Sin excluſionem meam habeat cordi, aſpera, & dura cuncta redduntur. Rè ille, verbis ego fruſtrà contendam. Vides jàm quàm medicamento tuo ſit opus, & quàm tollere brevi interceſſione contentionem hanc poſſis &c. Si ad impugnationem meam adderetur, me Regni naturalem non eſſe, nec diplomata naturalitatis tenere, proindèque non potuiſſe in ditione Regis beneficium petere: primum neſcio an Romanæ Eccleſiæ Cardinalem lex illa conſtringat: Deindè Cardinalis Atrebatenſis literas teneo &c. in quibus apertè affirmat, sè, & Secretario Regis precantibus, privilegium naturalitatis ad ſummam duorum millium aureorum eſſe impetratam.*

14. Et infrà: *Denique ſi requireretur antè ut dimiſſo titulo, penſione annuâ eſſem contentus; hoc nullo modo Albrice accipito &c. Inſtante autem Rege vehementiùs, & nullâ ampliùs nobis relictâ ſpè, hoc rurſum meis verbis ſpondeto, paratum mè eſſe monaſterio cedere, quando ſuffragio Majeſtatis ſuæ, tantundèm alio in loco ditionis ejus fuero ſine lite aſſecutus &c. Summa tamèn eſt deſiderii mei, ut omnia cures, omnia tentes, omnia moveas, quo monaſterii dati poſſeſſor evadam, & poſſeſſionem continuem &c.* Vide hic Papam liberè conferentem beneficium, in Regis Galliæ ditione ſitum, Cardinali Papienſi, natione Etruſco; & Cardinalem illud accipientem, illudque omninò dimittere recuſantem, niſi ei æqua compenſatio in eodem Regno tradatur. Qui paritèr Cardinalis, ex modeſtiâ, ſe neſcire dicit, ſed rè ſe profiteri contendit, nullum Cardinali obſiſtere interdictum carentiæ naturalitatis; tametſi ex abundanti, & ad abſcindendas in radice diſcordias, ejuſdem naturalitatis ſibi diplomata procuraſſet.

15. Nèc dimittenda eſt obſervatio, quod Cardinalis Papienſis poſſeſſionem præfati Monaſterii, ſinè alio Regio aſſenſu ſuſcepit, & in câ ſe confovit, nec ab illâ ſe deiici paſſus eſt. Imò & alibi adverſus eos declamavit, qui ſecùs agunt, ad Cardinalem Gonzagam ità ſcribens: *Id ut plurimum accidit, ut poſſeſſum nobis ire prohibitis, aut indignis precibus cogamur, quod datum eſt aſſequi; aut turpi ceſſione triumphare de nobis Principes doceamus* (a). Igitùr conſtantèr sè gerens Papienſis, tandem id obtinuit, ut controverſum Monaſterium fuerit aſſecutus (b). Et ità quoad sè, nactus beneficia Monaſteriale apud Privernum in Latio, Priorale in Britanniâ, Canonicale in Eccleſiâ Trajectenſi, Archidiaconale apud Santones, Abbatiale in Galliâ, propè Avenionem, Epiſcopale cum alio Monaſterio Papiæ in Inſubriâ, Cardinalitium presbyterale in Romanâ Curiâ, demum Epiſcopale Portuenſe, & Lucenſe; hæcque nactus contradicentibus ſibi Duce Mediolani, Regeque Francorum; certè operibus, & quidem multiplicatis, oſtendit extraneitatem ei neutiquam obſtitiſſe, quominùs beneficia conſequeretur in locis, undè erat nedum diœceſi, ſed etiam provinciâ, & natione extraneus: probavitque apertiſſimè Eccleſiam tunc ſuâ nativâ libertate potitam eſſe decorandi ſacris præbendis; etiam Clericos extraneos, & quod ſi Principes temporales interdùm aliquibus obſiſtebant; id non de jure, nec ratione ſic exagente faciebant, ſed de facto, & per præpotentiam procedebant, talitèr tamèn, quod ſi collatores, & ſuſceptores beneficiorum fortes in ſuo jure conſiſterent; Principes illis tandem juſtitiæ, atque libertati Eccleſiæ per eos cedendum eſſe cognoſcerent.

(a) *Card. Papienſ. epl. 547*
(b) *Card. Papienſ. epl. 117.*

16. Digna ſunt, quæ hic addantur, effata ipſius Cardinalis Papienſis, Cardinali Mantuano directa, supèr præcipiti morte Petri Riarii Cardinalis Sancti Sixti, vigeſimum nonum ætatis annum agentis: *Euntem*, inquit, *illum in curiam, atque*

quæ redeuntem, ſcis quanta omnis ordinis; ac dignitatis multitudo comitaretur. Multitudini antecedenti, ac ſequenti, jàm viæ ſatis non erant. Manentem quoque domi plures multò adiiſſe negotii causâ, quam ipſum propè Pontificem &c. Poſtremò & admirati pernimium ſumus congeriem ſacerdotiorum, ad hæc explenda creſcentem quotidiè, nec ulli ſorti, aut nationi parcentem. Nàm prætèr illuſtria cœnobia magna, & multa ubique gentium comparata, prætèr inferiora, imęque dignitatis non ſpreta, etiam ex ſupremæ ſedes in unum ipſum etiam aggeſtæ: Patriarchalis Conſtantinopolitana, Metropolis Hiſpalenſis, Metropolis Florentina, & Mimatenſis Gallicana &c. Biennio toto hic tantus fortunæ ſucceſſus fuit, tàm ut apparet feſtinatus, quam brevi erat caſurus (*a*). Cardinalem hunc poſſediſſe quoque Tarviſinum, & Senogallienſem Epiſcopatum legimus (*b*): & ità cum eſſet Ligur, patriâ Savonenſis, in quâlibet parte orbis Chriſtiani beneficia poſſedit, quamvis indè eſſet extraneus,

(a) *Card. Papienſ. epl.548.*
(b) *Ciacon.inSixt.IV num.1.*

17. In aliâ epiſtolâ ad Joannem Cardinalem Atrebatenſem ſcribit. *Hodie habitum eſt Conſiſtorium. In eo cum veniſſet in conſilium Hiſpanienſe cœnobium tuæ fidei commendatum, eam ſententiam dixi, ut non modo conſecrationis tuæ filium probaverim mè, ſed (uno excepto Pontifice) aliorum nulli in tè ornando conceſſerim* (*c*). Hic eſt Joannes Lofredi, vel Joſridus, de quo Joannes Trithemius, de viris Illuſtr. Ordin. S. Benedicti (*d*): Fuit Natione Gallus, patriâ Lixinienſis, diœceſis Biſuntinæ, Monachus Cluniacenſis, primò Epiſcopus Albienſis, & deindè Atrebatenſis (*e*). Succeſſivè idem Cardinalis Papienſis ſcribit Cardinali Epiſcopo Novarienſi, dolens quod in diſtributione beneficiorum, nihil eidem Novarienſi obtigiſſet, ſimulque deteſtans, quod Monaſterium Ceretis in Italiâ Cardinali Rotomagenſi fuiſſet in commendam collatum: *Doleo*, inquit, *nil tibi obtigiſſe. Ceretis cœnobium quid homini Gallo, ad verticem pleno, quam Italo tibi multorum egeno convenientius fuit?* (*f*) Ex quibus evidentèr apparet, quod Sæculo Chriſti Quintodecimo currente, nullâ habitâ ratione diverſitatis nationis, & Galli in Italiâ, atque Hiſpaniâ, & Itali in Galliâ, & Hiſpaniâ, & ſic de aliis, beneficia eccleſiaſtica conſequebantur.

(c) *Card. Papienſ. epiſtola 331.*
(d) *Trithem.l.4. cap. 36.de Vir.Illuſt.*
(e) *Ciacon.in Pio II. num.3 cum Addition. ibi.*
(f) *Jacob.Card.Papienſis epiſtola 647.& 750.*

18. Nè autem putemus id factum eſſe ſolummodò reſpectu Cardinalium, en quid etiam ſuggerit Papienſis de Clericis ordinis inferioris. Juverat Nicolaum Lucenſem, ut poſſet beneficium Epiſcopale Mutinenſe nanciſci, quem jàm diù Epiſcopatum poſſidentem, pro Andreâ familiari ſuo interpellat, nè dedignetur illi ſacerdotiolum aliquod impertiri. *Si de tè*, inquit, *ego confeſſione tuâ benè ſum meritus: ſi auctor tibi, vel extortor magis Mutinenſis Eccleſiæ; tu quomodò vicem retribuis? & acceptæ ſedis primitias offers? Andreæ meo totiens rogatus anno jàm integro, vel unum modò ſacerdotiolum non confers: & multa tamèn interim vacaverunt. Hęceine indicia animi memoris ſunt?* (*g*) Eſt quoque intèr ejus literas epiſtola Jacobi Minutuli Clerici, qui Papienſis Cardinalis interpoſitionem implorat, pro acquirendo beneficia in diœceſi Lucenſi (*h*). Obtinuit autèm ſucceſſu temporis Epiſcopatum Agathenſem (*i*): cum certè, vel à Lucenſi, vel ab Agathenſi beneficio proculdubiò eſſet extraneus. Sed jàm ſatis de Cardinali Papienſi; ad alios eloquio tranſeamus.

(g) *Jacob. Papienſ. Card. epiſtola 455.*
(h) *Idem epl.368,*
(i) *Idem epl.874.*

19. Eminentiſſimè refulſit intèr Scriptores eccleſiaſticos præſentis Sæculi Decimiquinti *Alphonſus Toſtatus*, natione Hiſpanus, ex Oppido Madrigali (*l*): Preſbyter primùm, & doctor Salmanticenſis (*m*): Ubi & publicè docuit, triplici ſtipendio conductus, quod nulli nec antè, nec poſt eum legitur contigiſſe (*n*). Tantæ aſſiduitatis in legendo, dictando, ſcribendo, ut adamantinus quodammodò fuerit (*o*). Tantę doctrinę, ut de illo concinat carmen: *Hic ſtupor eſt mundi, qui ſcibile diſcutit omne* (*p*). Floruit anno 1440. in Abulenſi Eccleſiâ Epiſcopalibus infulis redimitus (*q*). Movet iſte Doctor quæſtionem: *An ſit acceptio perſonarum, quod eligendus in prælatum ſit de corpore Eccleſiæ?* Et reſpondet affirmativè. *Si enim*, inquit, *in eâdem Eccleſiâ nemo invenitur dignus ſecundum conditiones*

(l) *Sixtus Senenſ. Biblioth.Sanct.l.4.*
(m) *Anton.Baldaſſar. Compend. riſtret. delle Vite &c.f.9.*
(n) *Paſſevin. Appar. Sacr. in Alphonſ. Toſtato.*
(o) *Sixtus Senenſ. loc.cit.*
(p) *Baldaſſar. loc. citat.*
(q) *Bellarminus de Script. Eccleſ. in Alphonſ.Toſtato.*

Digitized by Google

nes determinatas à jure, & foris inveniuntur aliqui, accipere de ipſâ Eccleſiâ indignum, ſolum proptèr hoc, ut ſit de Eccleſiâ, acceptio eſt perſonarum, & peccatum, quià accipitur non cauſa, ut cauſa, & dant alicui bonum, pratèr proportionem ſuæ dignitatis. Si autèm in eâdem Eccleſiâ invenitur aliquis dignus, etiam ſi foris inveniatur aliquis dignior, non tenetur illum eligere (a), poteſt enim eligi dignus de Civitate, vel gremio Eccleſię, poſthabito digniore extraneo (b).

20. Et poſt plura ſubjungit: *Jura non concedunt electionem fieri de alienis extrà corpus Eccleſiæ, niſi in defectum regularitèr, vel proptèr manifeſtam utilitatem. Et ob hoc ſi electores volunt aliquem extrà Eccleſiam eligere; neceſſe eſt, quod ille ſit melior quolibet de Eccleſiâ, pro æquali enim non licet eligere alienum &c.*(c). Loquitur de proviſione beneficiorum pèr viam electionis Canonicæ, quatenùs eo tempore hoc modo, ut plurimum diſpenſabantur. Cum autèm jàm electioni Canonicæ ſucceſſerit libera collatio, & reſpectivè inſtitutio (d): Subrogatum autèm naturam ſapiat ejus, cui fuit ſubrogatum (e); hinc fit quod juxtà doctrinam Toſtati idoeus extraneus, eſt præferendus indigenæ minus idoneo: quod proptèr manifeſtam utilitatem Eccleſię, extraneus eſt præferendus indigenę: & quod generalitèr loquendo, indigena non eſt præferendus extraneo abſolutè, ſed ſolummodò comparativè, ac cęteris paribus. In praxi autèm, an magis idoneus ſit, aut magis utilis, indigena, vel extraneus, & intèr eos ſit meritorum ęqualitas, vel inęqualitas; cętera tandèm ſint paria, vel imparia; non ad populum, neque ad otioſos, vel cavilloſos viros dijudicare pertinet, ſed ad ſolos beneficiorum Collatores, Inſtitutores, & Nominatores, atque illorum legitimum Superiorem, ſi habent: illorumque conſcientię relinquendum eſt, an juſtitię fuerit ſatisfactum, nec nè.

21. Moverat antecedentèr Toſtatus aliam quæſtionem: *An ſit acceptio perſonarum, ſi Prælatus det beneficium alicui cognato ſuo, omiſſo alio æqualitèr, vel magis digno*, & reſpondet, quod in his attendendæ ſunt Conditiones, *quæ perſonam dignam, & capacem faciant, ſecundùm legem, & iſtæ ſunt quatuor conditiones, ſcilicèt morum honeſtas: ſcientiæ ſufficientia: ætatis menſura; & natalium legitimitas. Cum autem aliquam aliam conditionem prætèr has conſideret, ad providendum beneficio propter illam conſideratur non cauſa ut cauſa, quià nulla alia facit ad negotium iſtud, ſicut ſi quis judicaret intèr pauperem, & divitem, & definiret pro divite, eo quod dives erat. Nam illa non eſt cauſa eum faciens dignum, ut pro eo judicetur* (f). Vide quod inter quatuor conditiones, reddentes virum dignum ecclesiaſtico beneficio, naturalitas, vel indigenatus non computatur. Sed potiùs hic eſt inter qualitates adiaphoras, quæ non faciunt dignum, nec indignum quoad hoc, uti eſſe divitem, aut pauperem; niſi cęteris paribus; in paritate namquè meritorum pauper præferri debet diviti (g), licèt aliquando, ditior quoque præferendus ſit pauperiori, ſi ita exigat ſervitium Eccleſię vacantis (h). Quâ ratione etiam, cæteris paribus, indigena eſt extraneo præferendus (i).

22. Concludit poſteà, quod Epiſcopus poteſt licitè beneficium conferre cognato ſuo, ſi ſit æquè idoneus ac alter, quià cum unus non præcedat alterum dignitate, locus eſt gratificationi. Et ità quoniàm ut plurimum Epiſcopi non ſunt nativi ejus diœceſis, cui præſunt; licitè poſſunt cognatum ſuum, tametſi extraneum, ſed dignum in illâ diœceſi fovere aliqua præbenda, prætermiſſo diœceſano æquè idoneo, tum quià poteſt Præſul cui mavult ex eis gratificari; tum proptèr plures alias rationes à Toſtato relatas, quarùm quarta eſt hæc, quod beneficium cognato impertiri, *magis pertinet ad pacem, & quietationem animi Prælati, quam providendo alteri: nam cognatus diligit cognatum ſuum, & ità non procurabit diſcordias contra Prælatum, ſicut ſæpè ſubditi faciunt* (l): Citatque textum Geneſis, ubi Pharao nedum uſus eſt Joſepho extraneo in præfecturâ ſui Regni, ſed etiam ei præcepit: *Si noſti in eis, idest in fratribus tuis eſſe viros induſtrios, eos Magiſtros pecorum meorum inſtitue* (m): *Et ità conceſſit ſibi accipere fratres ſuos potius, quam alios ad prælationem gregum*.

(a) *Zecch. de benef. c. 12. num. 36. Piaſſec. prax. Epiſcopor. p. 2. c. 5. n. 19. Barboſ. ad Conc. ſeſſ. 25. c. 12. n. 130.*

(b) *Toſtat. in Matth. 22. quæſt. 119.*

(c) *Toſtat. loc. cit. §. quarto.*

(d) *Fagnan. in cap. Mellus 1. de elect. num. 25. lib. 1.*

(e) *Barboſ. in cap. 3. §. 4. ut lit. pend. lib. 2.*

(f) *Toſtat. in Matth. q. 2. c. 115.*

(g) *Perez. de Lara de Anniverſ. l. 2. c. 3. n. 11. Barboſ. ad Conc. ſeſſ. 24. c. 18. num. 134.*

(h) *Fagund. de exam. Theol. mor. p. 4. c. 4. §. 3 num. 5. Barboſ. loc. cit.*

(i) *Perez. de Lara loc. cit. n. 19. Faſc. de Viſit. l. 2. c. 15. n. 13. & c. 21. n. 25. Covar. prac. quæſt. c. 25. num. 5. §. 2. Barboſ. ubi ſupr. n. 130*

(l) *Toſtat. in Matth. 22. qu. 115. §. quarto.*

(m) *Geneſ. 47.*

23. De-

23. Demùm Catalogum Scriptorum Eccleſiaſticorum ſuo nomine, ſcriptiſque prętioſiſſimis decoravit *Joannes de Turrecrematâ*, ità dictus à loco, in quo natus eſt, diœceſis Palatinę in Hiſpaniâ (*a*). Vir doctiſſimus, nec minus pius, ex ordine Prædicatorum, Cardinalis priùs S. Sixti, & poſteà Epiſcopus Sabinenſis (*b*): ad cujus laudem ſat ſit dixiſſe, quod *fidei defenſor appellatus eſt, primus hactenus, & poſtremus, qui hoc nomine vocari promeruerit* (*c*). Hic reſpondens cuidam objectioni, negat, *quod Papa non ſit Dominus rerum Eccleſię: quoniam quemadmodùm dicitur Papa Dominus Eccleſiæ, ideſt rector, atque gubernator ejus; ità debet dici Dominus rerum Eccleſiæ. Undè Bernardus dicit, quod Romanus Pontifex locum tenet ejus, quem coſtituit Dominus Dominum domus ſuæ, & principem omnis poſſeſſionis ſuę* (*d*). Itàque Papa eſt Dominus rerum Eccleſiæ; Dominus, inquam, quoad illarum diſpenſationem, uti docet D. Thomas (*e*). De ratione autem dominii eſt, quod Dominus valeat bona, quorum eſt Dominus, pro ſuo libito moderari, atque, de illis diſponere, quatenùs quilibet rerum ſuarum eſt moderator, & arbiter (*f*): Igitur ſi Papa eſt Dominus bonorum Eccleſiæ, quoad diſpenſationem, liberè illa debet poſſe in quoslibet ſibi benè viſos diſtribuere, & ſic beneficia eccleſiaſtica conferre, non tantum Clericis indigenis, quantum etiam extraneis, alioquin non erit eorum totalis Dominus, & plenarius diſpenſator.

(a) *Anton. Baldaſſar. compendioſo Riſtret. in Vit. Cardin. Turrecrem.*

(b) *Bellarmin. de Script. Eccl. Sixt. Senenſ. Bibl. Sanct. l. 4.*

(c) *Ciacon. in Eugen. IV. num. 19.*

(d) *Turrecrem ſum. Eccl. l. 2. c. 88.*

(e) *S. Thom. 2. 2. qu. 100. art. 1. ad 7.*

(f) *Card. de Luca de ſervit. diſc. 38. n. 4.*

24. Sermonem alibi inſtituens idem Turrecremata de poteſtate Pontificis, ait: *Demonſtrato quod poteſtas, ſive Pontificatus Papalis à ſolo Deo ſit inſtitutus; facilè eſt intelligere, quod à nullo puro homine; nec à toto Mundo, poſſic reſtringi, aut ampliari, ſed à ſolo Deo &c. Ad illum enim pertinet poteſtatem aliquam reſtringere, aut ampliare, ad quem pertinet eam inſtituere, cum ad inſtituentes poteſtatem aliquam, pertineat determinare poteſtatem, quanta, & qualis ſit. Sed poteſtas Papalis, ut ſuperiùs plenè oſtendimus, à ſolo Deo eſt inſtituta, & habetur in cap. quamvis diſt. 21. Ergò per nullam aliam poteſtatem à divinâ poteſt reſtringi, aut ampliari.* Paritèr; *Nullus poteſt mutationem facere, reſtringendo, ſive diminuendo, ſive deſtruendo in poteſtate, ſuper quam fundata eſt univerſalis Eccleſia, niſi ſolus Chriſtus, qui eam fundavit, aliàs non eſſet vera illa Chriſti promiſſio, quod adverſus eam portæ inferi non prævalerent. Sed poteſtas Papalis eſt hujuſmodi, ergò nullus hominum poteſt, nec etiam totus Mundus, poteſtatem Papalem tollere, reſtringere, aut diminuere &c.* Item; *non licet ſine periculo hæreſis detrahere privilegio Apoſtolicę Sedis, dato ſibi à Chriſto* (*g*). *Sed diminuere, aut reſtringere poteſtatem Apoſtolicę Sedis, eſt detrahere privilegiis, juri, honori, & dignitati; datis Apoſtolicę Sedi à Chriſto, ergo hoc nulli licet &c.* (*h*).

(g) *Cap. omnes diſt. 22.*

(h) *Turrecrem. l. 2. ſum. Eccl. c. 44.*

25. His ità ſe habentibus, unum hoc eſt certum, & inconcuſſum, quod Summus Pontifex uſque ad Sęculum Chriſti Quintodecimum; imò & uſque ad præſens decimumoctavum, quod percurrimus, liberam, & liberrimam habuit poteſtatem conferendi eccleſiaſtica beneficia cujuſcumque loci quibuslibet Clericis, tàm extraneis, quàm indigenis, uti notum eſt lippis, & tonſoribus, & experimentalitèr probari poteſt, nominando infinitos Clericos, adhùc viventes, qui beneficia retinent, poſſidentque actualitèr in diœceſibus, atque locis, quamvis indè ſint origine extranei (excipiendo ſemper loca, privilegiis Apoſtòlicis munita, coarctantibus beneficiorum collationem ad ſolos nationales alicujus Provinciæ, vel Regni, proptèr graves cauſas, quæ dederunt impulſum conceſſioni talis indulti, & præbuerunt æquilibrium, ſivè compenſationem libertati, quæ in loco illo fuit Eccleſiæ coarctata). Ergò in locis, tali privilegio non ſuffultis, nullus poteſt reſtringère libertatem Pontificis, in diſpenſatione beneficiorum, ad ſolos indigenas, ſed liberum ei debet eſſe beneficia ipſa etiam Clericis extraneis, prout anteà diſpenſare. In quo benè poſſet Summus Pontifex Contradictores objurgare verbis S. Gregorii Papæ VII. ad Manaſſen Remenſem; *miramur &c. id nobis in ſolius veſtri negotiis non debere licere, quod in negotiis omnium, prędeceſſores noſtri, ſine omni contradictione, & licitum, & legitimum tenuere* (*i*).

(i) *S. Greg. VII lib. 6. epl. 2.*

26. Nec

Digitized by Google

26. Nèc dicatur, quod libertas diſpenſativa beneficiorum tota, plena, & perfecta relinquitur Pontifici, nec illi tollitur per ea, quæ agunt Contradictores, illorumvè Auctores, ſed ſolum cavetur, ne excedat limites nationalium, nempè incolarum Regni Neapolitani, pro quibus ipſi perorant: itàut liberum ſit Papæ beneficia cuilibet prò ſuo arbitrio elargiri, Regnicolæ tamèn, & non extraneo. Non inquam id dicatur, nam puerile, & eluſorium eſt hoc eloquium, illique optimè quadrat reſponſio, quâ idem Turrecremata retundit quandam objectionem, aliâ occaſione ſibi propoſitam, *Habere, inquit, totam, plenam, & perfectam poteſtatem jurisdictionis, & non habere totum, plenum, & perfectum exercitium, ità quod non eſſet validum omne, quod juxtà poteſtatem ſibi datam facere vellet; eſt dicere habere plenam poteſtatem, & perfectam judicandi, vel alia faciendi, & tamen non poſſe illa facere, nec perfectè, nec totaliter, quod eſt habere plenam, & non plenam, quod eſt manifeſtè contradictio. Præterea quod præfata reſponſio nullius ſit roboris, & valoris, putes, quià ſicut tollere poteſtatem aliquam non poteſt, niſi poteſtas ſuperior; ità nec reſtringere, vel impedire de jure exercitium illius poteſt, niſi ſuperior poteſtas. Cum ergò ſide tenendum ſit, ut diximus, quod poteſtas Papæ ſit ſuprema in Eccleſiâ, nulli dubium eſt, quod ſicut nulla quorumcumque poteſtas poteſt tollere poteſtatem Papę, ità non poſſit impedire, aut reſtringere exercitium ejus* (*a*).

(a) *Card. Turrecremat. Sum. Eccleſ. l. 2, c. 44. in fin.*

27. Hæc quoàd Papam. Quoàd Epiſcopos verò, & alios ordinarios, vel delegatos beneficiorum collatores, aut ad illa nominatores, idem dicendum eſt, ac de ipſo Summo Pontifice, congruâ tamèn proportione ſervatâ. Nam in ſententiâ communi Canoniſtarum, poteſtas conferendi eccleſiaſtica beneficia, quæ reſidet in Epiſcopis, fluit in eos à Papâ, tamquàm à fonte (*b*). Et quæ reperitur in inferioribus Collatoribus, vel Nominatoribus, provenit aut ab Epiſcopis, illam ſecundum jura concedentibus (*c*), aut ab ipſo Papâ, eandem, ex privilegio, largiente: & hi omnes reductivè in conferendò, vel nominando, ſunt quodammodò Locumtenentes Pontificis (*d*). Sicut autèm nullus arctare poteſt auctoritatem Summi Pontificis ad conferenda beneficia ſolis Clericis indigenis, quia, ut arguit idem Turrecremata, *poteſtatem cujuſcumque Vicarii nemo poteſt reſtringere, aut ampliare niſi principalis, cujus eſt Vicarius. Sed Papa eſt Vicarius Jeſu Chriſti* (*e*), *ejuſque Vicesgerens in terris; ergò hujuſmodi Vicarii poteſtatem nemo, niſi Chriſtus, cujus Vicarius eſt, poteſt reſtringere, diminuere, aut mutare* (*f*); Ità etiam poteſtatem, quam habent Epiſcopi, & alii, tàm ordinarii, quam delegati beneficiorum Collatores, vel ad ea Nominatores, nemo poteſt imminuere, niſi ſolus Papa: ergò ubi deeſt indultum Papæ, reſtringens collationem, vel nominationem beneficiorum ad ſolos indigenas, Collatores ipſi, & Nominatores, beneficia à ſe dependentia, tàm Clericis extraneis, quàm indigenis liberè valent deferre.

(b) *Gonzal. ad reg. 8 Cancel. §. 1 proœm. n. 4 & 9.*

(c) *Idem num. 12.*

(d) *Selva de benef. 2. p. qu. 1. n. 19. Gonzal. loc. cit. n. 6.*

(e) *Cap. intèr corporalia c. quanto e licèt de translat. Epiſcopi DD. ap. Barboſ. jur. Eccl. Univ. l. 1. cap. 2. n. 17.*

(f) *Turrecrem. loc. cit. in med.*

28. Hinc vides, quam ſtrictè intèr sè colligatę ſint perſonæ Summi Pontificis, Epiſcoporum, & omnium, tàm eccleſiaſticorum, quàm laicorum (ad quos ſpectat de beneficiis diſponere) in jure conferendi beneficia, vel reſpectivè ad illa nominandi. Non poteſt libertas admittendi extraneos detrahi, vel minui Summo Pontifici, Romanæque Eccleſiæ, quin detrahatur, & minuatur cunctis Eccleſiis inferioribus, Epiſcopis, Archiepiſcopis, Regibus, Clericis, & Laicis, habentibus jus beneficia conferendi, & reſpectivè ad ea nominandi. Undè benè S. Leonem Papam IX. contrà præſumptionem Michaelis Conſtantinopolitani declamaſſe allegat, idem Turrecremata: *Quiſquis Romanę Eccleſiæ auctoritatem, vel privilegia evacuare, vel diminuere nititur, non hic unius Eccleſię, ſed totius Chriſtianitatis ſubverſionem, & interitum machinatur. Cujus compaſſione, vel ſuſtentatione ulterius reſpirabunt filiæ, à quovis oppreſſæ, unicâ illâ ſuffocatâ* (*g*)? Stat ergò Summi Pontificis, & in eo Epiſcoporum, aliorumque omnium Collatorum, & Nominatorum libertas, prꝍficiendi eccleſiaſticis beneficiis, non modò Clericos indigenas, verùm etiam extraneos, benemerentes, & dignos.

(g) *Joan. Turrecrem. loc. cit.*

SÆ-

SÆCULUM CHRISTI XVI.

CAPUT V.

In quo ex Sacris Conciliis Generalibus Lateranenſi V, *&* Tridentino, *probatur libertas Eccleſiæ, in conferendo Eccleſiaſtica beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis.*

SUMMARIUM.

1 *Duo Concilia generalia celebrata ſunt Sæculo Chriſti XVI. quorum primum fuit Lateranenſe V. cui ferè omnium Principum Oratores interfuère.*

2 *In dicto* Concilio Lateranenſi V. *abrogata eſt Pragmatica Sanctio, quæ contrà extraneos, & contrà reſervationes Apoſtolicas perſtrepebat.*

3 *Super hac Pragmaticâ pedes figunt Contradictores, quæ tamèn extraneis non præjudicat, ſed potiùs proficit.*

4 *Etiàm ſi Pragmatica Sanctio fuiſſet ab initio extraneis exitialis; tamèn nil prodeſt, eo quod ſubindè abrogata eſt, ſubſtitutis illi Concordatis.*

5 *Senatu appellante ad Papam meliùs informandum, & Papâ declarante, ſe eſſe informatum, cuinam ſtandum eſt? præſertìm Concordatis Pragmaticæ ſubrogatis.*

6 *Si Concilium Pragmaticam, excludentem extraneos condemnavit; certè voluit extraneos poſſe præfici beneficiis.*

7 *Opponunt Contradictores Concilio Lateranenſi V. non fuiſſe liberum, & decreta non ibi edita, ſed nudè lecta fuiſſe, prout exhibebantur à Papâ.*

8 *Addunt Concilium non fuiſſe generale, ob tenuem numerum Patrum, & non fuiſſe acceptatum, nec pro univerſali reputatum.*

9 *Edmundus Richerius, antè mortem, ſuum librum judicio Romanæ Eccleſiæ ſubmiſit. Eundem ſenſum habuit fortè etiam Simon Vigorius.*

10 *Aſſeruntur laudes, & præconia, quibus Julium Papam II. proſequuntur Jovius, Volaterranus, & Panvinus.*

11 *Alia elogia recenſentur, quibus eundem Pontificem afficiunt Alphonſus Ciaconius, Antonius Foreſtus, & Franciſcus Joannettus.*

12 *Quod ſuum eſt tueri, & ablatum vi recuperare, culpam non continet. Plures Papæ, & Epiſcopi, etiam Sancti, arma tractarunt?*

13 *Nil detrahit, ſed potiùs gloriam infert Julio II. arma tractaſſe, prò recuperandis terris Eccleſię, nec refert ſi aliqui de illo malè dixerunt.*

14 *Non repugnat, quod quis ſit Sacerdos, & Princeps: tales fuerunt Melchiſedec, Heli, Moyſes; taleſque ſunt Prælati, habentes dominium temporale.*

15 *In Concilio Lateranenſi V. poſtulabatur mens Patrum, & eorum reſponſum notabatur: non deerat ergò ibi libertas.*

16 *Nullus fuit terribilior Joanne Papâ XXIII., & tamèn non impetitur Concilium Conſtantienſe, quod eidem Papa ille præſederit.*

17 *In Conciliis Epheſino, Chalcedonenſi, & Conſtantinopolitano III. definitiones fidei non fuerunt editæ, niſi juxtà dictata, à Legatis Papæ propoſita.*

18 *Concilium Generale non eſt ob majorem, vel minorem numerum Patrum, ſed proptèr convocationem eorum legitimam, & quod cuncti poſſint illàc accedere.*

19 *Conciliis Conſtantinopolitano I., & II., Lugdunenſi I., & Florentino, tenuis Patrum numerus adfuit, & tamèn generalia fuerunt.*

20 *Nèc bona Patrum Ariminenſium intentio, nec eorum multitudo fecit, quin conſeſſus ille fuerit Pſeudoſynodus. Octavæ Synodo ſoli 102. Patres adſuerunt.*

21 *Perperàm contenditur Julium II. limitaſſe Epiſcopos, qui ad Concilium accederent, cum ex Bullâ indictionis Concilii pateat oppoſitum.*

22 *Ex ſubſcriptione Antiſtitum Concilio appoſitâ, conſtat, quod ei interfuerunt plures quàm duo Epiſcopi de quâlibet provinciâ.*

23 *Si Julius limitaſſet numerum Antiſtitum, rem non egiſſet præcedentèr non factam. Si aliquem ſeditioſum arcuiſſet, benè feciſſet.*

24 *Licere dicitur interdùm Regibus aliquos Epiſcopos retinere, nè ad Concilium accedant; Cur autèm id non erit licitum etiam Papæ!*

25 *Nicænam, Epheſinam, & Chalcedonenſem Synodos, ac libros quoſdam Scripturę, aliqui non acceptant. Illis Conciliis, & Sacræ Scripturæ nihilominus nihil deperit ex hac eorum non acceptatione.*

26 *Vis Concilii, obligandi populos, ab horum conſenſione non pendet. Lex quoquè à ſolo Pontifice lata, obligat Chriſtianos, etſi non acceptata.*

27 *Interfuerunt Concilio Lateranenſi V. Oratores Principum, & Epiſcopi ex cunctis nationibus. Ut quid autem hi eidem adhærunt?*

28 *Rex, Epiſcopi, & Doctores Gallici adhæſerunt Concilio Lateranenſi V. Quomodò ergò hoc non eſt acceptatum in Galliâ?*

29 *Non poteſt una pars Concilii acceptari, alterâ refutatâ. Abolitio Pragmaticæ Sanctionis, & admiſſio Concordatorum ſunt pars Concilii præfati.*

30 *Si dubitatur, an quædam Cenſuræ, in dicto Concilio contentæ, ſint uſu receptę, non ideò dubitandum eſt de generalitate, & validitate ipſius.*

31 *Alii aſſerunt, de univerſitate dicti Concilii quoſdam dubitare, hiſtoricè hoc narrantes, ſed hoc nil detrahit univerſalitati ipſius Concilii.*

32 Conciliun Tridentinum *beneficiorum retentionem extraneis non prohibuit. Prohibere illam antem debuiſſet, ſi crimen eſſet, ut à Contradictoribus venditatur.*

33 *Noluit Concilium reſtringere ad indigenas beneficia, tametſi Præſules* Gallici *id conſultarent. Agitur de verbis illis* Proponentibus Legatis.

34 *An Papæ competat jus limitandi res in Concilio tractandas? Verba præfata non fuerunt ab Epiſcopis aliarum Nationum impugnata.*

35 *Conſultabatur in Concilio, ut ſaltèm beneficia curata ſolis indigenis conferrentur, tamèn Concilium id noluit definire.*

36 *Cum tot Concilia Generalia, Nationalia, & Provincialia faveant extraneis, hoc ſufficit, ut eis quoque beneficia ſint conferenda.*

ME-

1. **M**EMORABILE ſemper erit Sęculum Chriſti Decimum Sextum, propter varios eventus, quos Eccleſia, in diverſis regionibus eſt perpeſſa, non ſine ingenti Chriſtianæ pietatis, ac Religionis orthodoxę diſpendio. Ad quarum fulcimen duo Concilia Generalia celebrata ſunt: unum apud Lateranum, in ordine quintum, quod inter Generalia ſolet computari decimumoctavum, vel juxtà calculum aliorum, omittentium Conſtantienſe, decimumſeptimum (*a*), Aliud Tridenti decimumoctavum, ſivè decimumnonum, & ultimum ex Oecumenicis. In utroque autèm illorum talia tractata ſunt, quę cauſæ noſtræ peregregiè ſuffragantur: & Clericos extraneos unà cum indigenis, eſſe beneficiis eccleſiaſticis decorandos, diſertiſſimè profitentur. Habitum eſt *Concilium Lateranenſe V.* Romæ in Laterano anno Chriſti 1512. & ſequentibus, tempore Julii Papę II. & Leonis X. Romanum Imperium tenente apud Germanos Maximiliano I. Auſtriaco (*b*), cujus, & ferè omnium Chriſtianorum Principum Oratorçs, ad eandem Synodum confluxère (*c*). Aſſidentibus in eâ ab initio 16. Cardinalibus, duobus Patriarchis, & 81. Epiſcopis, atque Archiepiſcopis (*d*), ac ſubindè creſcente numero Patrum uſque ad 114. prætèr Abbates, & Generales Ordinum plures (*e*), duravitque uſque ad annum Chriſti 1517.

2. In hoc Concilio intèr alia ſtirpitùs abrogata eſt *Pragmatica Sanctio* Caroli VII. Regis Francorum, quæ per annos circitèr ſeptuaginta, gravibus diſſidiis cauſam dederat intèr Sedem Apoſtolicam, & Pręſules, atque Proceres Gallicanos. De illâ jàm ſuprà diximus Sęculo præcedente (*f*), unde illuc benevolum lectorem remittimus. Hìc adnotato, quod in eâdem Pragmaticâ Sanctione graves eduntur adversùs Clericos extraneos ejulatus: dicitur ibi namque: *Eccleſiarum, & beneficiorum eccleſiaſticorum peculia manus occupant indignorum, & nonnunquam exterorum, & plerumque dignitates, ac beneficia notabiliora, & opulentiora, perſonis conferuntur ignotis, & non probatis, quæ in eiſdem beneficiis non reſident. Sicque vultus commiſſi ſibi gregis non agnoſcunt, linguam aliquandò non intelligunt: quinimò animarum curâ neglectâ, velut mercenarii ſolummodò temporalia lucra quærunt &c.* (*g*). Succeſſive alia fit ibidem exaggeratio adversùs Reſervationes Apoſtolicas, & expectativas, à Romano Pontifice collatas: & ut beneficia Epiſcopalia, Abbatialia, Dignitates, aliaque ibi expreſſa, per viam electionis Canonicæ diſpenſentur, gravi calami liturâ jubetur (*h*).

3. Super hâc Pragmaticâ Sanctione pedes figunt Contradictores, illâque proprios, conatus tamquàm validiſſimo documento fundari, & roborari ſibi blandiuntur. Nos verò ſupra oſtendimus, hanc Pragmaticam nihil præſidii eorundem Contradictorum negotio conferre, ſed potiùs provectioni extraneorum ad eccleſiaſtica beneficia favere. Quinimò Senatus Pariſienſis, commonens Ludovicum XI. Regem, anno 1461., ne aboleretur eadem Pragmatica, quam utilem ſuo Regno eſſe autumabat, in eo actu proteſtatus eſt, inquit Coquæus, *ſe nihil velle derogare ſublimi Sanctitati, dignitati, honori, & auctoritati Sanctiſſimi Patris Papæ, & S. Sedis Apoſtolicæ, imò omnem honorem reverentiam, & obedientiam, quam boni, & fideles Catholici debent ſupremo Paſtori Eccleſiæ, velle illi tamquam veros Eccleſiæ filios tribuere, & exhibere, & ſi quid ſit, quod correctionem mereatur, illud omne cenſurę, & judicio Eccleſiæ, quæ errare non poteſt, ſubiicere. Non igitur aliquid contrà Summi Pontificis auctoritatem intendebant ſtatuere, cum Pragmaticam Sanctionem, quæ illis utilis Regno, & juſtis rationibus munita videbatur, retinere volebant. Eam verò Pontifices hoc nomine potiſſimùm abrogari cupiebant, quod in ſchiſmate nata eſſet, & Concilii Baſileenſis auctoritate niteretur* (*i*).

4. Sed quatenùs etiam Pragmatica Sanctio fuiſſet Clericis extraneis exitialis; & uti talis à Senatu Pariſienſi defenderetur, hoc nihil refert; quia ſucceſſivè fuit

(a) *Jo. Baptiſta Gonet Clyp. Theolog. tom. 4. tract. 10. diſp. 5. art. 2. f. 310.*

(b) *Raynald. an. 1512. num. 16.*

(c) *Vid. act. Concil. Lateran. 5.*

(d) *Raynald. loc. cit. num. 35. Cabaſut. Synopſ. hiſtor. Sæc. 16. num. 8.*

(e) *Binius in notis ad Con. Later. 5. lit. F. Petr. Annats Appar. ad poſit. Theol. l. 5. art. 21.*

(f) *Vide ſupr. hic tom. 2. Sęc. 15. cap. 1. à num. 17.*

(g) *Pragm. Sanct. ap. Guymer in proœm.*

(h) *Idem loc. cit. vid. & Gaguin. l. 10. num. 3. 4. 5.*

(i) *Leonard. Coquęus in Antimornęo tom. 2. ad oppoſ. 63. f. 296.*

(a) Concil. Later. 5 act 5 & 11.
(b) Leonard Coquæus loco mox citato.

in Concilio Lateranenſi V. abrogata (*a*), *& Concordata intèr Leonem X. & Franciſcum I. Regem Chriſtianiſſimum in ejus locum ſucceſſerunt* (*b*). Sicut & nihil officit, quod idem Senatus Pariſienſis adversus hanc abrogationem Pragmaticę à Leone PP. X. in Concilio Lateranenſi V. præfato editam, appellaverit ad futurum Concilium; nàm actus temere facti, nulli hominum ſuffragantur, & cum appellatio ad futurum Concilium fuiſſet antecedentèr damnata per Pium Papam II. (*c*); actio illa Senatus Pariſienſis, quid fuit, niſi evidentiſſimum attentatum? Præterquam quod Senatus proteſtatus eſt, ſe appellare à Papâ *malè conſulto*, & nihil adversùs auctoritatem ejus *benè conſulti* velle tentare, imo velle emendare ſi quid ex lubrico, male dixiſſet. *Quæſtio igitur erat, an benè conſultus fuiſſet Pontifex in abrogantiâ Pragmaticâ Sanctione, novorum Concordatorum editione, & Chriſtianiſſimus Rex Franciſcus in conſentiendo eiſdem* (*d*).

(c) Pius Papa II. Conſtitut. 5.

(d) Coquæus in Antimorago tom. 2. fol. 334.

5. Sanè cum Senatus contenderet, Papam non fuiſſe benè conſultum, è contrà verò Leo Papa X. & cum eo Concilium Lateranenſe,profiterentur,Papam optime ſuper hac rè fuiſſe conſultum, & Papa ipſe declararet, ſe benè inſtructum eſſe, conſcium, & conſultum de omnibus, pertinentibus ad rem illam; neminem eſſe tàm dementem credimus, ut præferendam cenſeat ſententiam, ſivè actum Senatus Pariſienſis, contrà jus editum; ſententiæ, ſive actui Summi Pontificis, unà cum Concilio generali, operationem ſuam legalitèr, & conſonè ad jura, cum exquiſito examine, ac deliberatione præcedentibus, exequentis. Præterquam quod ſi abolitio Pragmaticæ, & introductio Concordatorum, ſtatìm poſt Bullam Leonis Papæ X. in Concilio Lateranenſi promulgatam (*e*), ſuum plenum, integrum, & totalem incæperunt ſortiri effectum, & jàm à ducentis annis in eodem effectu perſeverant; quid prodeſt Contradictoribus refricare vim abolitæ Pragmaticę Sanctionis, & an ejus abolitio contradictiones habuerit, nec ne; quando conſtat illam eſſe abolitam, & ejuſdem retentionem eſſe prohibitam, ſub pœna delicti læſæ majeſtatis: & demum, quod Rex Franciſcus, qui eidem abolitioni ultimam manum dedit, atque Concordatis viam aperuit, tàm abolitionis prẹfatę, quàm introductionis Concordatorum ratihabitionem à Galliæ Parlamentis elicuit (*f*)? Adde quod Rex, Clerus, & Regnum Gallicanum, jàm àduobus Sæculis pacificè abolitioni, & Concordatis præfatis acquieſcunt, effectumque dant, & juxtà conſtituta ſuper iiſdem à Concilio Lateranenſi V. & Leone X. vivunt (*g*); quid quęſo ergo ex abolitâ ipſâ Pragmaticâ ſcalpere ſibi volunt Contradictores?

(e) Leon X. Conſtit. 20. & Concil. Later. 5. ſeſſion. 11.

(f) Saufai Panoplia Epiſcopalis lib 2. Bal ſumma Concil in Concil Later. 5.
(g) Petr. Annati: Apparat. lib. 6 art 1. in Pragmat. & Concordatis.

6. Itàque Pragmatica Sanctio, Clericos extraneos à beneficiis eccleſiaſticis Galliæ repellens, fuit à Concilio Lateranenſi V. & in eo à Julio Papâ II. ac ſucceſſivè à Leone Papâ X. percuſſa, in irritum miſſa, condemnata, abolita, exinanita, deſtructa, jam ducentis ab hinc annis. Nec redactio hæc Pragmaticæ ad nihilum, ſive illius abolitio, facta fuit clandeſtinè, ſed ſolemnitèr à Papâ, in Concilio Generali præfato, coaſſidentibus Epiſcopis, & aſſenſum ſuum abolitioni, atque condemnationi ipſius Pragmaticæ prẹbentibus, per Verbum Placet (*h*): præſentibus quoquè Oratoribus Principum: imo & ipſis duobus Epiſcopis, Legatis Cleri Gallicani, non diſſentientibus; tametſi memoratæ condemnationi perſonalitèr non interfuerint, ob motiva quædam politica (*i*). Si ergo Concilium Lateranenſe V. Pragmaticam ipſam Sanctionem, & in eo contenta, condemnavit, & abolevit, ſeu condemnationi, atque abolitioni, prius per Julium II. Papam inceptæ, & poſteà per Leonem Papam X. completæ, conſenſum præbuit; jam patet, quod Concilium in ſimul etiam condemnavit excluſionem Clericorum extraneorum ab Eccleſiaſticis beneficiis, hæcque voluit poſſe liberè, & licitè, non modò Clericis indigenis, verum etiam extraneis diſpenſari.

(h) Concil. Later. 5. ſeſſion. 11.

(i) Reynald. an. 1516. num 21. & 27.

7. Opponunt Contradictores Concilio Lateranenſi V. non parva, & quidem per figuram præteritionis, veluti nolentes illud impugnare; ſed tamen quidquid poſſunt effundentes, ut ejuſdem & dignitatem infirment, & auctoritatem minuant, & in illo definita deludant: nempè aſſerunt, hanc Synodum non fuiſſe liberam,

beram , neque generalem , neque à Nationibus acceptatam . *Non liberam*, quià ei præfuit Julius Papa II. quem virum dicunt animi *inquieti, & difficilis* ex Oldoino (a), & pervicacem , ac terribilem , qualem eum effutiunt , ab Hiſtoricis demonſtrari : cui propterèa quis auderet reſiſtere (b)? Ajunt ex Simone Vigorio, nihil in hoc Concilio liberè fuiſſe ſtatutum , ſed ſolum decreta, à Pontifice dictata , nudè lecta in ſeſſionibus fuiſſe, nullâ Patribus deliberatione relictâ, qui decretis ipſis quomodo auderent obſiſtere, Julio II.& Leone X. armorum vi præpollentibus, atque cunctà prò eorum arbitrio moderantibus (c)? Addunt Edmundum Richerium ſic de illomet Concilio pręfari : *tela promamus , quibus totum Lateranenſe Concilium labefactatur , quoniam nulla eſt ſeſſio , in quâ aliquid Synodicè conditum fuerit , ſed cuncta diſpotico imperio edita , & concluſa ſunt , etiam à Julio , & Leone X. armatis* (d). Ità de Concilio ipſo reſonanti voce declamant : quæ tamèn quantam contineant veritatem paulò infrà videbimus .

(a) *Auguſtin. Oldoin. in addit. ad Ciacon. in Julio II.*
(b) *Jouius , & Guicciard in Hiſtor. Pallavic. Hiſt. Concil. Trident. cap. 2.*
(c) *Vigor. de ſtat. & regim. Eccl. lib. 4. c. 4.*
(d) *Edmund. Richerius tom. 4. Hiſt. Conc. cap. 4.*

8. Paritèr inquiunt , eandem Lateranenſem Synodum , non fuiſſe *Generalem*, quià perpauci adfuerunt Patres , iique Itali , & illi ſoli ad eam Synodum admiſſi, qui Julio Papę faverent: A quo etiam, ſub prætextu quod non diſpendium paterentur Eccleſiæ , ſolis duobus Epiſcopis , ex qualibet provinciâ fuerit patefactus acceſſus (e). Ob quem exiguum Patrum numerum, Andream Duvallium hoc affirmare: Concilium Lateranenſe *quidam ajunt, non fuiſſe verè , & propriè generale, cum ei vix centum Epiſcopi interfuerint* (f). Et Bellarminum ipſum, Romanæ Sedis acerrimum tutorem, ſic aſſerere: *De Concilio Lateranenſi nonnulli dubitant , an verè fuerit generale* (g). Demùm exaggerant, Concilium hoc *non fuiſſe acceptatum*, ſeu prò univerſali reputatum , quià de facto Eccleſia Gallicana memoratum Concilium Lateranenſe V. prò Generali non habeat , teſtibus Edmundo Richerio (h), Natali ab Alexandro (i), Deſiderio Paleofilo, & aliis (l). Ergò, inſerunt ipſi aliam quidem conſequentiam (concernentem ſequeſtrationem redituum eccleſiaſticorum , de quâ nobis impręſentiarum non eſt tractatus) ſed benè ex talibus præmiſſis , hæc illatio , in eorum ſenſu deducitur ; ergò, inquam, cum Concilium Lateranenſe V. nec liberum , nec generale fuerit , neque prò tali à nationibus acceptatum ; quidquid in eo factum eſt , ad abolendam Pragmaticam Sanctionem , nibil præſidii præſtat prò libertate admittendi Clericos extraneos ad eccleſiaſtica beneficia .

(e) *Simon Vigorius loc. mox citato .*
(f) *Andr. Duvall. de poteſt. Papæ qu. 7.*
(g) *Bellarm. de Concil. Auctor. lib. 2. c. 13.*
(h) *Edmund. Richerius Hiſt. Concil. Gener. tom 4. cap 4.*
(i) *Natal ab Alex. tom 8. Hiſt. in Schol. 12 ad differt. 8. art 7.*
(l) *Paleofilus de Imag. Pontif. dignitat. cap. 3.*

9. Verum quoad hæc citò obſtruitur os loquentium inania , ſi deſtruatur machina , quæ ferè tota dicteriis Edmundi Richerii, & Simonis Vigorii , ejuſdem patrocinatoris , innititur . Utriuſque hujus Auctoris intemperantiam , & procacitatem adversùs Sedem Apoſtolicam, & Pontifices , nemo intèr doctos ignorat . Verumtamèn Richerius , antè mortem reſipiſcens , proteſtatus eſt , sè ſuum librum de eccleſiaſticâ , & politicâ poteſtate , ſubmittere judicio Sanctæ Romanæ Sedis , quod & ſcripto chirographo, & coram teſtibus, repetitâ declaratione firmavit (m). Huncque eundem ſenſum de omnibus aliis ſuis ſcriptis habuiſſe , quiſque prudens , & æquanimis confitebitur . Quarè, quidquid Richerius de Concilio Lateranenſi V. & de Julio Papâ II. imprudentèr dixerit ; præſidium ullum Contradictoribus non impertit : quippè cujus opinio , vi præfatæ proteſtationis , redacta eſt ad ſenſum , quem de Concilio , & Papâ prædictis , habet Romana Eccleſia : quæ cum Concilium Lateranenſe V. prò legitimo , & Generali ; ac Julium prò legitimo , & juſto Papâ tenuerit, atque teneat ; tantundèm etiam de utroque ſenſiſſe Richerium , benè omnibus innoteſcit . Parem reſignationem de Simone Vigorio non habemus ; ſed quià notatur, quod ipſe librum ſuum poſtremum, quem contrà Novatores edidit , Summorum Pontificum decretis locupletiſſimè inſperſit , rationabilitèr creditur , eum ad cor reverſum, omnia opera ſua judicio Sedis Apoſtolicæ ſubmiſiſſe (n). Verum quatenùs bæc non eſſent , imprudentia, vel procacitas Richerii , & Vigorii adversùs Sedem Apoſtolicam id efficeret , ut poſſet uterque intèr ejus adverſarios non incongruè computari . Cur autem credendum eſt potiùs his , aliiſque

(m) *Andr. Duvallius de Supr. Pontif. poteſtat. in præfac.*
(n) *Idem Duvallius loco citato.*

que Romanæ Sedi ex profeſſo adverſantibus, quam infinitis aliis Scriptoribus ingenuis, & æquanimibus contraria dictantibus? Quæ, & quanta poſſit haberi fides teſtibus hoſtibus, & adverſariis, prudens, & eruditus lector noſter definiat, vel ex Auctoribus in margine citatis eliciat (*a*).

(a) *Seraph. dec. 1069 num. 1. & dec. 1076. nu. 4. Farinac. de teſt. qu. 46. num. 52. qu. 53. nu. 7. & alibi.*

10. Sanè nos quoad Julium Papam II. legimus apud Jovium, & alios, illum fuiſſe publicè conclamatum ſpecioſo titulo *liberatoris Italiæ*. (*b*) Raphael Volaterranus, de ipſo dicit, nihil habuiſſe *magnificentiùs, quam libertatem omnibus concedere: quam proximis annis exulantem, nunc tandem reducem fuiſſe, Roma ſimul cum Patribus, ac populo gaviſa eſt*. (*c*) Onuphrius Panvinus Veronenſis, talitèr de illo ſenſit: *Nemo ſuperiorum Pontificum Petri patrimonium majore animi præſtantiâ tutatus eſt &c.* Si Venetis, clade attritis, *Julius ſua cum recepiſſet, uti pius, æquiſſimus, ac verè Italus Pontifex, Venetorùm nomen, tantis fluctibus obrutum, & penè demerſum, miſeratus, eos ſupplicitèr deprecantes, ſublevandos cenſuit &c. Ideoque ſubindè fœdere, quo illi maris imperium ejurabant, & ſacerdotia Pontificis arbitrio conferenda relinquebant; in amicitiam, fidemque recepit &c. Fuit Julius Pontifex animo magnus, conſtans, rerum eccleſiaſticarum defenſor acerrimus, contumeliarum inſolens, & contumacibus implacabilis, in calamitatibus ſemper ſe ipſo major, & excelſior, invicto animo, in rebus proſperis continens, ingenti liberalitate: neque ob alias cauſas tot bella geſſit, quam ut imperium eccleſiaſticum, à diverſis occupatum, recuperaret* (*d*).

(b) *Jovius in Alphonſo Ciacon. in Julio 2. §. His omnibus*

(c) *Raph. Volater. Commentar. in præfat.*

(d) *Onuphr. Panvin. in Vit. Julii 2. poſt. Platin.*

11. Alphonſus quoque Ciaconius, de illo hæc profert: *Nec enim probari ad minus debet, quod tam infractâ animi virtute contra Eccleſiæ dignitatis invaſores propugnaverit, quando temporum ea conditio, tantum virum, religione, ac fortitudine verè maximum Pontificem poſtulabant. Neque ſanè ob alias cauſas tot bella geſſit, niſi ut à pluribus occupatum ſacræ ſedis imperium recuperaret &c. Erat animo magnus, acer, conſtans, liberalis, contumacibus implacabilis, in proſperis continens, in calamitatibus ſe ipſo ſemper excelſior* (*e*). Pariter Antonius Foreſtus, hoc brevi eloquio, prolixè de illo effatur, *eſſere ſtato Giulio un gran Ponteſice, dato da Dio, quale abbiſognava in tempi tali alla ſua Chieſa* (*f*). Franciſcus Joannettus hujuſmodi de Julio texit elogium, *Julio II., viro principi fortiſſimo, juſto, atque eximio, arma, vel invito, adversùs Eccleſiæ rebelles, & bonorum ejus invaſores ſumenda planè fuerunt. Bononiam etenim, quæ civilibus diſſidiis, ſtupris, rapinis, & perpetuis homicidiis expoſita, cruore tota madebat, è Tyrannorum faucibus eripuit. Ravennam, Faventiam, & alias plures in Romandiolâ Munitiones, Civitates, Agros, & Oppida, è manibus Venetorum, qui illa nupèr occuparant, magnâ armorum vi, animique tolerantiâ, laudatiſſimus Pontifex, prò Eccleſiâ Dei, extorſit. Mutinam, & Regium Urbes Romanæ Eccleſiæ ſuâ virtute recuperavit: multaque alia eccleſiaſticæ ditioni firmiſſimè adjecit* (*g*).

(e) *Alphons. Ciacon. in Julio 2. ſ. ætc.*

(f) *Foreſt. Mappa. Hiſtor. in Julio 2. §. 11. f. 149*

(g) *Joannet. de Pontif. Rom. cap. 191*

12. Planè ſi quod ſuum eſt tueri; & quod ablatum eſt vi, & armis recuperare, dum alius facilior modus non ſuppetit; in culpam vertitur, & virum improbum facit, & animi inquieti, ac difficilis; væ Regibus, & Principibus, qui arma quotidiè ad hunc effectum movent, & militaria pertractant. Si Julio II. Papæ calumnias intulit, imitatum eſſe Joannem Papam X., qui contrà Saracenos arma tractavit (*h*): Leonem IX. qui adversùs Normannos, Eccleſiæ patrimonio infeſtos, & clavibus Petri, & gladio Pauli pugnavit (*i*): Innocentium II. qui Rogerio Siciliæ Regi, eccleſiaſtica jura uſurpanti, bellum intulit (*l*): Gregorium VI. qui, tàm latrones agri Romani, quàm Henricum Cæſarem, Eccleſiæ hoſtem, præliis attrivit (*m*); actum erit de Sede Apoſtolicâ. Licebit etenim cunctis impunè, & Civitates ditionis Eccleſiaſticæ auferre, & Provincias diripere, & privilegia quaſſare. Sed blaterent, prout volunt Scriptores, Romanis Pontificibus malè affecti, quòd *nec malam conſcientiam ſanat præconium laudantis, nec bonam vulnerat convicìantis opprobrium* (*n*). Arma tractarunt præfati Papæ; Arma tractarunt S. Germanus Epiſcopus Autiſiodorenſis (*o*) S. Lupus Epiſcopus Trecenſis (*p*) S. Jacobus Epiſcopus Niſibi-

(h) *Sigon. de Regno Italiæ l. 6. an. 914, & 915. Azor. inſt. mor. p. 2. l. 5. c. 44.*

(i) *Sigon. loc. cit. l. 8 Platin. Ciacon & alii in S. Leoni 9.*

(l) *Sigon. l. 11. Regn. Ital. ann. 1139 Platin. Ciacon loc. in Innoc. 2*

(m) *Leo Oſtienſ. in Hiſt. Caſſin. Azor. loc. citat.*

(n) *S. Auguſt. lib. 3. contr. liter. Petilian. tom. 7 f. 127. 2.*

(o) *Conſtantius in Vit. S. Germ. l. 1. c. 19.*

(p) *Baron. ann. 429. num. 19. & 20.*

ſibitanus (*a*) S. Bernardus Abbas Claravallenſis (*b*) Judas, Jonathas, Simon, & Joannes Machabęi, Duces ſimul militum, & Sacerdotes (*c*). Nunquid autèm deterioris conditionis fuit Julius Papa II. Machabęis, Abbatibus, & Epiſcopis, Pontificibuſque præfatis? Certè quo zelo juſtitiæ potuerunt hi omnes armis incumbere; potuit & Julius: Nec indè quiſquam inveniet, cùr ei crimen inurat; niſi & memoratos ſanctos, vel pios viros, de peccato priùs convincat.

(a) *Baron anno* 318 *num.* 18.
(b) *S. Bernard. epl.* 258 *Baron. ann.* 1146. *num.* 2.
(c) *Ex lib. Machab. Joſeph. Antiqu. Iudaic. l.* 12, *& ſeq.*

13. Ergò nihil detrahit Julio II. arma moviſſe, & claves Petri, & gladium Pauli prò temporum opportunitate tractaſſe: quinpotius ei congerit gloriam, in manu forti, & brachio extènto, recuperaſſe terras, quę Chriſto, & ejus Eccleſiæ injuſtâ fuerant occupatione ſubtractæ. Nam & Judæ ſacerdoti, ad recuperandam terram, divino ſervitio, peculiari titulo, mancipatam, cœlitus arma ſunt miniſtrata, per manus Jeremiæ, dicentis, *accipe ſanctum gladium, munus à Deo, in quo dejicies adverſarios populi mei* (*d*). Quod ſi de Julio ab aliquibus fuerunt maledicta prolata; quid mirum, nàm & nonne S. Damaſus, S. Symmachus, S. Sixtus tertius, S. Gregorius primus, S. Gregorius ſeptimus, aliique per plures Romani Pontifices, doctrinâ, & ſanctitate celeberrimi, fuerunt calumniis impetiti, & dicteriis infamibus laceſſiti? Sed & nonne de Chriſto, *qui benè omnia fecit, & ſurdos fecit audire, & mutos loqui* (*e*), variè ab hominibus eſt judicatum? murmur *enim, multum erat in turbâ de eo, quidam enim dicebant, quià bonus eſt, alii autem dicebant: non, ſed ſeducit turbas* (*f*). Contradictoribus igitùr nihil juvat congerere Scriptores, mordentes Julium Papam, ut Concilii Lateranenſis V. auctoritatem imminuant, cum non niſi calumnias expromant, quæ laudem Julio inferunt, non opprobrium: eo vel maximè quòd nos alios Auctores, longè ęquiores, minimèque ſuſpectos, aggregavimus, integritatem, & fortitudinem magni illius Pontificis commendantes.

(d) 2. *Machab. c.* 15. *num.* 16.
(e) *Marci capitol.* 7. *num.* 17.
(f) *Joannis cap.* 7. *num.* 12.

14. Porrò nihil repugnat, quod aliquis unà ſimul ſit Princeps politicus, & Sacerdos: temporalia, & ſpiritualia miniſtret. Nàm præter exempla Romanorum (*g*) Ægyptiorum, & aliorum Gentilium (*h*); Certum eſt quod Melchiſedech erat ſimul Rex, & Sacerdos (*i*): Heli ſimul erat Pontifex, & Judex politicus (*l*): Moyſes erat *Principum Princeps, & Sacerdotum ſacerdos* (*m*). Illi autem Deo, cui famulabantur Moyſes, Heli, Melchiſedech &c. famulatur etiam Romanus Pontifex, & alii Prælati Eccleſiæ, qui temporalibus præſunt ditionibus, quorum etiam nunc multi ſunt in Germaniâ. Benè ergo ſummo Pontifici utrumque gladium competit adhibere, prout latè probant Theologi (*n*), Et D. Bernardus id edocet hiſce verbis ad Eugenium Papam III. *Quid tu denuò uſurpare gladium tentes, quem ſemel juſſus eſponere in vaginam? quem tamen qui tuum negat; non ſatis mihi videtur attendere verbum Domini, dicentis ſic: Converte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo, & ipſe tuo forſitan nutu, etſi non tuâ manu evaginandus, alioquin ſi nullo modo ad te pertineret; dicentibus Apoſtolis, ecce gladii duo hic; non reſpondiſſet Dominus, ſatis eſt, ſed nimis eſt. Uterque Eccleſiæ, & ſpiritualis ſcilicet gladius, & materialis &c.* (*o*). Si itaque Papæ competit uterque gladius, competit etiam utrumque pro opportunitate adhibere. Quandonam autem uti poterit gladio materiali; ſi ad recuperandum id, quod ſibi raptum eſt, uti non poteſt? *Juſtum eſt bellum*, inquit S. Iſidorus, *quod ex edicto geritur, de rebus repetendis, aut propulſandorum hoſtium causâ* (*p*). *Juſta bella definiri ſolent*, ait S. Auguſtinus, *quæ ulciſcuntur injurias, ſi qua gens, vel civitas, quæ bello petenda eſt, vel vindicare neglexerit, quod à ſuis improbè factum eſt, vel reddere quod per injuriam ablatum* (*q*). Si ergo Julius Papa II. bella geſſit, ut Urbes, & Oppida ſuæ Eccleſiæ ablata recuperaret, cujus jura tueri tenebatur; nedum non malè operatus eſt; ſed imò uſus eſt jure ſuo, fecitque omninò quod debuit: & ideò de hoc non niſi calumnioſè in culpam vocatur. Hæc quoad perſonam Julij.

(g) *Dig lib.* 13.
(h) *Plato in Politic.*
(i) *Geneſ. capit.* 14. *Pſalm* 109. *Hebr. c.* 9.
(l) 1. *Reg. c.* 1, *&* 4.
(m) S. *Greg. Nazianz. in orat. ad Greg. Nyſſen.*
(n) *Bellarm. tom.* 1. *de Rom. Pont l.* 5. *cap.* 9 *Coquæus in Antimorneo to.* 1. *f.* 20, *& alibi plures*
(o) *S. Bern. de Conſid. l.* 5. *c.* 3. *& epl.* 256.
(p) *S. Iſid. Etymol. l.* 18. *c.* 1. *c. juſtū* 23. *q.* 2
(q) *S. Auguſt. in lib. quæſt.* 6. *qu.* 10. *c. Dominus* 23. *qu.* 2.

15. Quòad libertatem autèm Concilii Lateranenſis V. ſatis eſt legere illius acta, ut libertas geſtorum in ipſo appareat, & facultas relicta quibuslibet Epiſco-

pis

pis renitendi. Nunquid enim non poſtulabatur mens Patrum Synodalitèr conſidentium per *verbum, placet ne vobis*: Notato exactè ſingulorum reſponſo (*a*)? Nunquid non adfuerunt Concilio Oratores Imperatoris, Regumque Gallię, Hiſpaniæ, Poloniæ, Portugalliæ, Anglię &c., nec non Rerumpublicarum Venetæ, Helvetæ, Florentinę, Lucenſis: Ducum tandèm Sabaudię, Mediolani, Brandemburgi, Mantuæ, Montis Ferrati, Ferrarię &c. (*b*)? Hi, quæſo, quid faciebant ibi, ſi deerat Concilio libertas? Ut quid ibi ſedebant velut *canes muti, non valentes latrare* (*c*)? Quomodò ſe adeſſe Concilio legitimo profitebantur, ſi Patribus negabatur agendi, vel dicendi libertas? Cur prò libertate, ſi deerat, non perorabant? Cur tot Oratores, eorumque Principes, & Monarchæ; cur voces non dederunt, defectum libertatis Synodi conclamantes? Nænię ſunt hę, mulierculis apud ignem, non viris doctis, & ſapientibus, enarrandę. Vides ergò Lector, quomodò ex ipſis actis Concilii plena illius libertas probatur, & quomodò libertatis defectus, qui opponitur huic Concilio, non in ſenſu veritatis opponitur, ſed ſolùm politicè objectatur, ut diminuatur ejus auctoritas, quâ quædam decreta, viris politicis parum grata, conſtituit. Sed veritas in æternum permanet; & de ſuis impugnatoribus nunquam non invicta triumphat.

(a) *Vide Act. Conc. Later. 5*

(b) *Vide eadem Act. in plur. ſeſſionibus*

(c) *Iſai. cap. 56. n. 10.*

16. Nihil penitùs relevante, quod Julius arma tractaret, & quod eſſe diceretur vir terribilis; quippè illius terribilitas ad fortitudinem pertinebat, non ad vim Patribus inferendam. Cæterùm quiſnam fuit Papa terribilior Joanne XXIII. Capitanei potius, quam Pontificis in ſuis operibus imaginem referente (*d*), qui arma adversùs Ladislaum Regem Neapolis movit, in eum Ludovicum Andegavenſem concitavit, ac totam Italiam diro bello turbavit (*e*)? Cui etiam, teſte Joannetto, *Nonnulli putant, vi potiùs, atque potentiâ, Pontificatum fuiſſe delatum* (*f*), eo quod, inquit Platina, *Legatus Bononienſis eſſet*, ubi electio facta eſt, *& armatos milites, tùm in urbe, tùm in agris, prò ſtatione habuerat, ut ſi præcario id obtinere non poſſet; minis, & armis tandèm conſequeretur* (*g*). Et tamen hic Concilium Generale Conſtantiæ convocavit, eique præſedit, licèt admonitus, & rogatus, ne ad Concilium accederet (*h*). Quod Concilium, tàm Contradictores, quàm cuncti Heterodoxi magni faciunt, tamquàm quod quædam, auctoritati Pontificis præjudicialia, decrevit, abſque eo quod Concilio ipſi defectus libertatis, ex Joannis Papæ terribilitate objectetur, ibi quidem armis propriis non muniti, ſed tamen connaturali ſibi fortitudine, ac terribilitate ſtipati. Quod paritèr Julius II., & Leo X. urbem Romæ, ubi Concilium Lateranenſe habebatur, militum cuſtodiâ roboraſſent; hoc ad prudentiam pertinet, & ad ipſius Concilii libertatem tuendam non impediendam, ſcilicèt, ut ait Bail, ad hoc ut *locus tutus ſervetur, omniaque in illo cum debito ordine peragantur, contrà adverſantium, aut protervorum nequitiam, fraudes, ac inſultus, qui diverſis actibus Concilia interturbare moliuntur* (*i*). Hac enim de causâ quandòque Principes Conciliis perſonalitèr adfuerunt, vel Præfectos, & Comites eorum nomine tranſmiſerunt, militibus ſtipatos, & potentiâ fretos, ut libertatem Conciliorum adversùs pravorum hominum inſidias tuerentur. Sic Romanæ ſub Sylveſtro, & Nicænæ primæ generali Synodo Magnus Imperator Conſtantinus interfuit; Chalcedonenſi, Martianus Auguſtus: Conſtantinopolitanæ tertiæ, Conſtantinus Pogonatus: Conſtantienſi Sigiſmundus &c. Aliis alii Comites, & Præfecti Cęſarei.

(d) *Foreſt. Mappam. Iſtor. in Giovan. 23.*

(e) *Idem Foreſt. loc. citat.*

(f) *Joannet de Pont. Rom. in Joan. 23.*

(g) *Platina in Joan. Pap. 23.*

(h) *Platina loc. cit. circ. med.*

(i) *Bail. Sum. Concil. tom. 1. de tripl. Verb. Dei ſ. 27. § poſſunt*

17. Nec obſtat, quod in Concilio Lateranenſi V. non dictarentur, ſeù extenderentur decreta, ſed ſolæ cedulæ, jàm factæ à Julio, vel à Leone Pontifice, legerentur: nàm quatenùs etiam res ità eſſet, (quod non facilè admittimus) hoc nihil omninò refert, nec dignitati, vel libertati Concilii quidquam prorsùs abſcindit. Etenim etiam in Concilio Generali Epheſino, adversùs Neſtorium coacto, dictata non fuerunt decreta, Maternitatem Deiparæ definientia, ſed Anathematiſmi S. Cyrilli Alexandrini, qui erat Legatus Papæ Cæleſtini I. ab eo pridem compoſita, lecta ſunt, & conciliaritèr approbata (*l*). Ipſe namque Cæleſtinus, in Commo-

(l) *Vid. Act. Concil. Epheſ. Petr. Annat. Apper. l. 5. art. 4. n. 7.*

Digitized by Google

monitorio aliis Legatis ſuis, Româ ad Concilium ipſum directis, quorum nomina erant Arcadius, & Projectus Epiſcopi, ac Philippus Presbyter; hæc illis fidelitèr, & circumſpectè obſervanda præſcripſit: *Auctoritatem Sedis Apoſtolicæ cuſtodite. Siquidèm & inſtructiones, quæ vobis traditæ ſunt, hoc loquantur, ut intereſſe conventui debeatis; ad diſceptationem ſi fuerit ventum, vos dè eorum ſententiis judicare debeatis, non ſubire examen* (a). Exequenda ergò Patribus Epheſinis, non decernenda Cæleſtinus Papa tranſmiſit (b). Et tamen proptèr hoc Concilium Epheſinum minùs liberum, & minùs Generale non fuit. Paritèr in Concilio Chalcedonenſi, adversùs Eutychen congregato, ſumma definitionis fidei à lecturâ epiſtolæ S. Leonis Papæ I. de Incarnatione Verbi, pependit (c): & *Paſchaſinus, ac Lucentius Vicarii Sedis Apoſtolicæ dixerunt, ſi non conſentiunt epiſtolæ Apoſtolicæ Beatiſſimi Papæ Leonis, jubete nobis reſcriptum dari, & revertamur* (d). Nunquid autem proptèr hoc Concilium Chalcedonenſe non fuit liberum, & Generale? Abſit. Demùm in Concilio Conſtantinopolitano III. Generali VI. definitio fidei adversùs Monothelitas fuit facta juxtà præſcriptum Agathonis Papæ, cui Synodus ſcripſit: *Tibi, ut primæ Sedis Antiſtiti Univerſalis Eccleſiæ, quid gerendum ſit permittimus, ſtanti ſuprà firmam fidei petram, acquieſcentes veræ confeſſionis literis, à veſtrâ paternâ Beatitudine ad piiſſimum Imperatorem miſſis; quas ut à Summo Apoſtolorum vertice divinitùs ſcriptas agnoſcimus: per quas exortam nupèr multiplicis erroris hæreticam ſectam depulimus* (e): Et tamen non propter hoc Concilium Conſtantinopolitanum III. Generale eſſe ceſſavit. Eodem igitur modo, etiàm ſi in Concilio Lateranenſi V. decreta non ederentur, ſed edita à Pontifice, proponerentur; hoc nihil officit libertati Concilii, quandò conſtat, quod propoſitis decretis, relicta eſt Epiſcopis facultas, eiſdem per verbum *placet*, vel *non placet*, calculum ſuæ voluntatis addendi; talitèr enìm, & auctoritas Pontificis ſervata eſt, & Patrum cuſtodita libertas, *multumque*, (liceat cum Divo Leone Magno profari) *multum Sacerdotalis officii meritum reſplenduit, ubi ſic ſummorum ſervata eſt auctoritas, ut in nullo Inferiorum putetur imminuta libertas* (f).

(a) Commonit. Cæleſtin. ap. Balutium
(b) Baron. ann. 431. num. 14
(c) Baron. ann. 449. n. 41. & an. 451. n. 10. & 71
(d) Concil. Chalced. Act. 5.
(e) Baron. ann. 681. num. 49
(f) S. Leo epiſt. 67. ad Theodoric.

18. Quoad exilem numerum Patrum, Concilio Lateranenſi V. aſſidentium, cenſemus eſſe ſuperfluum diſputare; quandoquidem nullum Concilium eſt, vel non eſt, generale, proptèr numerum Patrum, ad illud confluentium, ſed proptèr cunctorum Epiſcoporum, eorumve, qui, vel de jure, vel de conſuetudine, in illo votum deciſivum habent, convocationem, à Summo Eccleſiæ Capite factam, ut ad illam poſſint occurrere, ſi voluerint: vel ſi, juſtâ de causâ præpediti, accurrere non voluerint, adheſione tacitâ, vel expreſsâ, aliorum definitionibus aſſentiantur. *Hoc nomen* Concilii univerſalis, inquit Sanctesius Epiſcopus Ebroicenſis, de Concilio Conſtantienſi loquens, cui ſoli 150. Patres interfuerunt, *hoc nomen meritò ſibi vendicat multitudo Paſtorum, à primo Paſtore Eccleſiæ convocata, reliquis animo, & conſenſu præſentibus, qui ob rationabilem cauſam abſunt corpore. Æquè Conſtantienſis Synodus generalis fuit, ut Nicæna. Sic Paulus corpore abſens, ſed ſpiritu præſens in Eccleſiâ Corinthiorum agebat, quandò inceſtuoſus ille Satanæ tradebatur. Sic Auguſtinus dicit plenario Concilio obtinuiſſe catholicam ſententiam, contrariam errori Cypriani: ubi plenarium Concilium non eſt neceſſe intelligere omnium totius Orbis Epiſcoporum in unum locum conventum, ſed conſenſum omnium Patrum totius Orbis, qui etiàm ipſo ſilentio in aliorum ſententiam pedibus tranſierunt, aut ſcriptis ſuum ſuffragium ſunt conteſtati: quemadmodùm Euſebius ait, ex provincialibus Synodis, de Paſchate Patres intèr ſe contuliſſe per epiſtolas, atque ex actis generalium Synodorum ità ſolitum fieri conſtat* (g).

(g) Sanctesius Ebroicen. repet. 10. cap. 4

19. Hinc numerus major, vel minor Patrum, in Synodo conſidentium, ejuſdem generalitati nullum præjudicium inſpergit. Et de facto videmus, perplura Concilia in Eccleſiâ Dei celebrata fuiſſe, generalia, & prò generalibus habita, quæ tenui valdè Patrum numero conſtiterunt. Conſtantinopolitano I. adversùs Macedonium celebrato, ſoli 150. Epiſcopi interfuerunt. Conſtantinopolitano II. prò

cauſâ Trium Capitulorum collecto, ſoli 160. Epiſcopi cõcurrere. Lugdunenſe I. prò depoſitione Friderici II. Imperatoris convocatum 147. Patres tantummodò compleverunt. Florentino, prò unione Græcorum cum Latinis coadunatum, ſoli 140. Epiſcopi ſubſcripſerunt. E contrà verò Concilia Provincialia, vel Nationalia, aliquandò ex tanto Patrum numero coalverunt, ut aliquas Generales Synodos ſint tranſgreſſa (*a*). Concilio Pictavienſi 140. Epiſcopi interfuerunt. Concilium Claromontanum 205. Epiſcopi conſtituerunt. Concilii Carthaginenſis IV. Patres ad numerum 214. pervenerunt. Concilio Tullenſi duodecim provinciarum Epiſcopi concurrerunt &c. In Africano coaſſiderunt 217. Antiſtites. In Romano ſub Silveſtro 286. In Francofurdienſi 300. (*b*). In Conſtantinopolitano ſub Photio 383. (*c*). In Lateranenſi ſub Gregorio III. 905. Patres fuerunt (*d*). Et tamen nullum ex his, Concilii generalis titulum eſt adeptum. Quid plura? Concilium Ariminenſe ingens Patrum numerus conflavit, qui vel fuerint 400., ut aliquibus placet (*e*), vel 600., ut alii cenſent (*f*); hoc certum eſt, multitudinem eorum fuiſſe ingentem, ac talem, ut S. Hieronymus, ad Oceanum ſcribens, de eis liberè ſit effatus: *Miror autem tè unum protraxiſſe in medium, cum omnis mundus bis ordinationibus plenus ſit; non dico de Presbyteris; non de inferiori gradu: ad Epiſcopos venio, quos ſi ſigillatim voluero nominare, tantus numerus congregabitur, ut Ariminenſis Synodi multitudo ſuperetur* (*g*). Loquitur ibi S. Hieronymus aliâ de re; ſed ex ipſo ſermonis ejus eloquio ſatis eniteſcit, numerum Patrum Concilii Ariminenſis fuiſſe ingentem. Hoc tamèn ingenti numero non obſtante, Congregatio Ariminenſis, nedum Concilii Generalis decus non eſt ſortita, ſed imò potius Pſeudoſynodi, & Synagogæ peccantium, dedecus adepta eſt: per eam enim *ingemuit totus orbis, & Arrianum ſe eſſe miratus eſt* (*h*).

(a) *Vide Gregorium Vives in Epit. Canon Conc. Verb. canonum numerus*

(b) *Concil Francford. an.794. Bail ibi f.294. Baron eod. an.*

(c) *Foreſt. Mappam Hiſtor.in Joan.Pap.8.n. 11 f.390.*

(d) *Alphonſ Ciacon. in Gregor.Pap.3.*

(e) *Baron an.359.n. 3.Bail.ad Conc.Arimin. tom 1 f 77.*

(f) *Petr.Annat.Appar.lib.5.art 5.n.23*

(g) *S. Hier epi.83.ad Ocean poſt princ.*

(h) *S. Hier. adv.Luciſ.in medio*

20. Abſque eo quod quidquam profuerit Ariminenſi Congregationi numeroſitas Patrum, eorumque involuntaria prævaricatio, ex paucorum doloſitate producta; de quibus Patribus S. Hieronymus: *Ariminenſibus dolis irretiti, ſinè conſcientiâ hæretici ferebantur: conteſtantes Corpus Domini, & quidquid in Eccleſiâ Sanctum eſt, ſe nihil mali in ſuâ fide conſpicatos. Putavimus, ajebant, ſenſum congruere cum verbis; nec in Eccleſiâ Dei, ubi ſimplicitas, ubi pura confeſſio eſt, aliud in corde clauſum eſſe, aliud in labiis proferri timuimus. Decepit nos bona de malis æſtimatio. Non ſumus arbitrati Sacerdotes Chriſti adversùs Chriſtum pugnare* (*i*). Non inquam ei profuit bona Patrum intentio, neque ipſorum numeroſitas, quin eorum adunatio, Arimini acta, Pſeudoſynodi opprobrium obtineret, clamante Concilio Romano, ſub Liberio Pontifice celebrato, *numerus Epiſcoporum, qui erant Arimini congregati, præjudicii vim habere non debet, præſertim cum formula illa compoſita ſit, neque Epiſcopo Romano, cujus ſententia antè omnia expectanda erat, neque Vincentio, neque aliis conſentientibus* (*l*). Igitùr majoritas, vel minoritas numeri Epiſcoporum, ad Concilium concurrentium, non facit, quod illud ſit, vel non ſit, Generale, hocque libentèr ſolent concedere nedùm Orthodoxi, ſed etiam hæretici, atque alii, qui Romanæ Sedi libenti animo obſiſtunt, à quibus & Conſtantienſis Synodus, & Baſileenſis, & Piſana, ex paucis, & interdùm prævaricantibus Patribus compoſitæ, ubi confert eorum intentioni, prò Conciliis Generalibus jactitantur. Legitima ergò Patrum convocatio, non eorum major, vel minor numerus, dat eſſe Concilio, illive titulum Generalis impertit. Et ideò Concilium Lateranenſe V. etiàm ſi ex paucis Patribus coaluerit, centenarium numerum parum excedentibus (*m*), tamèn dignitatem Concilii OEcumenici non amittit; nec minùs Generale fuit, quàm Concilium IV. Conſtantinopolitanum, contrà Photium celebratum, cui, prætèr Legatos Papæ, & Patriarchas Orientales, non niſi 102. Epiſcopi ſubſcripſerunt, cæteris majori numero excluſis (*n*).

(i) *S. Hieronym. loc. mox citato*

(l) *Concil.Rom.anno 359.*

(m) *Vide hic ſupr.in hoc cap.num.1.*

(n) *Concil. Conſtantinopol.4.& ibi Bail f. 391.D.tom.1.*

21. Nullum paritèr detrimentum infert Concilio Lateranenſi V. calumnia, Julio Papę ingeſta, de limitato numero Epiſcoporum, ad duos tantùm, qui ex qualibet provinciâ Synodo adeſſent. Nàm hoc in primis perperàm allegatur, & ſinè

docu-

documentis legitimis objectatur: cum viceverſa in Bullâ convocationis Concilii Julius Papa ità pręcipiat: *Inſupèr præfatis, & aliis venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, monaſteriorum Abbatibus, & Prælatis &c., omnibuſque aliis Eccleſiaſticis, vel Sæcularibus, etiam Regibus, & Principibus, cęteriſque perſonis, quæ de jure, vel conſuetudine in congregationibus generalium Conciliorum ſolent intervenire, ceſſante legitimo impedimento &c. ſub excommunicationis, aliiſque, de jure, vel conſuetudine, aut aliàs non accedentibus ad generale Concilium indictum, pœnis, mandamus, ut ad ipſum Concilium Lateranenſe accedere, & uſque ad dicti Concilii concluſionem, & diſſolutionem, per Nos, vel auctoritate noſtrâ faciendam, in dictâ Urbe morari debeant &c.* (a). Sanè ſi Julius Epiſcopos ſub pœna excommunicationis ad Synodum Lateranenſem vocavit; gratis aſſeritur, ab eo fuiſſe numerum Patrum, qui ad illam confluerent, coarctatum.

(a) *Bulla Judict. Concil. Lateranen. 5 in ejus Actis*

22. Et licèt Pontifex, ad connivendum Epiſcopis, qui vel ob bellorum infeſtationem, vel ob Principum obſtentiam, Piſano Conciliabulo ad hęreſcentium, vel ob alias cauſas ad Concilium non properabant; optaverit, ut ſaltèm aliqui ex qualibet provinciâ concurrerent; non ideò tamèn, eorum numerum, qui ad Synodum accederent, pręfinivit: ſed uſque ab initio, & ſemper, liberum acceſſum cunctis accurrere volentibus patefecit. Hocque comprobatur ex facto, nàm de facto plures, quàm unus, & duo, ex eâdem provinciâ illi Concilio interfuerunt. Ex provinciâ enim eccleſiaſticâ Ravennatenſi adfuerunt Galaxius Sarſinatenſis Epiſcopus, Chriſtophorus Cęſenatenſis, Simon Ariminenſis, Jacobus Faventinus, Scabonius Imolenſis, Angelus Britonorienſis, Thomas Comachienſis, & Petrus Cervienſis. Ex provinciâ Aquilejenſi adfuerunt Marinus Patriarcha Aquilejæ, Bernardus Epiſcopus Terviſinus, Altobellus Polenſis, & Gelaſius Bellunenſis. Ex provinciâ Capuanâ adfuerunt Maximus Iſernienſis, Joannes Caſertanus, & Marius Aquinatenſis. Ità & de aliis provinciis (b). Non ergò Pontifex numerum Epiſcoporum, ad unum tantùm, vel duos ex quâlibet provinciâ coarctavit, ſed plenum, & liberum dedit cunctis Epiſcopis, ut ſuprà convocatis, acceſſum.

(b) *Vide Acta Concilii Lateran. 5.*

23. Verumtamèn quatenùs etiàm, quod non conceditur, Julius ex rationabilibus, & juſtis cauſis, animum ſuum moventibus, limitatum numerum duorum Antiſtitum ex quâlibet provinciâ, qui adeſſent Synodo pręfiniſſet, nil novi in Eccleſiâ Dei introduxiſſet. Nàm etiam, dum Concilium generale Epheſinum celebraretur, petita fuit à Theodoſio II. alia Synodus, pro parte Neſtorianorum, in quâ ſoli duo Epiſcopi ex quâlibet provinciâ convenirent, ab eâque repellerentur Ægyptij (c): quæ petitio licèt facta fuerit ab Hęreticis, regulam non dantibus, quoad agenda, vel omittenda; tamen, quantum ſpectat ad intentum noſtrum, ſatis eſt, quod fuerit facta. Pręterquamquod ſi Julius Papa II. vel aliquos, vel etiàm multos Epiſcopos à Concilio Lateranenſi elongaſſet, prę ſertìm vel quia ſeditioſos, vel quia ad diſſenſiones ſuſcitandas acclines; nonnè optimè, nonnè prudentèr egiſſet? Utinam à Concilio Florentino fuiſſet repulſus Marcus Epiſcopus Epheſinus, qui unionem Gręcę cum Latinâ Eccleſiâ, nè fieret, infeſtavit (d), & factam, ità ſcriptionibus ſuis, & dicacitatibus perturbavit, ut nunquam quieverit, donèc Gręcos ad priſtinum ſchiſma miſerabiliter revocavit (e). Porrò cum agenda eſſet generalis Synodus Epheſina, Theodoſius Imperator Theodoreto Epiſcopo Cyrienſi interdixit, ne illuc accederet. Dioſcoro quoquè Alexandrino præfinivit numerum Metropolitanorum, ſecum ad illam Synodum ducendorum. Barſumam tandèm ſolum Archimandritam, adire Concilium ipſum pręcepit, ut ibi cęterorum Archimandritarum Orientis, & locum teneret, & cauſam ageret, atque jura, ſi quę habebat diſceptanda, cum Epiſcopis cuſtodiret (f). Subindè Concilium Conſtantinopolitanum IV. Generale VIII. præcepit, ut omnes Epiſcopi debeant convocati ad Synodum properare, nullâ Principum attentâ juſſione, contrarium perurgente: *quoniam ſunt quidam Metropolitanorum, qui nè ſecundùm vocationem Apoſtolici Pręſulis occurrant, à mundi Principibus ſe detineri ſinè ratione cauſantur; placuit ta-*

(c) *Baron. an. 431. n. 68. in fin.*

(d) *Reynald. an. 1440 num. 16.*

(e) *Reynald. an. 1444 n. 19. & 1445. n. 15. & ſeq.*

(f) *Liberat. Breviar. cap 11. Baron. an. 449. num. 22.*

lem excuſationem omnimodè eſſe invalidam. Cum enim Principes prò ſuis cauſis frequentèr conventus agans; impium eſt ut Summos Præſules ad Synodos, prò eccleſiaſticis negotii celebrandis impediant &c. (*a*). Hoc tamen juſto, & pluſquàm rationabili Canone non obſtante, Reges interdum inhibuerunt Epiſcopis ſuæ ditionis, nè ad Concilium accederent, & querulè Petrus de Marcâ Archiepiſcopus Pariſienſis, notat, quod *Octava Synodus, mores in Galliâ receptos, & jura regia videtur variis canonibus peſiviſſe Epiſcopos omnes ſiſtere ſe Concilio Patriarchæ jubet canon 17., neque Principum juſſu poſſe impediri* (*b*).

(a) *Concil. Conſtantinopol.4.cap.17.*

(b) *Petrus de Marca Concord. lib.2.cap. 17.*

24. Si ergo Regibus licere cenſetur, omnes, vel aliquos ſui Regni Epiſcopos, retinere, ne ad Concilium accedant, abſque eo quod Concilium ipſum ex hinc perdat jura, & dignitatem Synodi Generalis; neſcimus videre, quare & tantundèm Papæ non liceat? O tempora, ò mores. Prò Principis ſæcularis arbitrio licitum eſſe contenditur Epiſcopos à concurſu ad Concilium Generale inculpabilitèr removari; & parilis facultas Papæ, prò Eccleſiæ commodo, denegatur? Undè queſo hæc diſparitas? Ad commodum Reipublicæ pertinere, inquit Franciſcus Boſquetus, Epiſcopis ſinè regali veniâ acceſſum ad Synodum interdicere: *Evocandi poteſtas eſt canonibus Metropolitis relicta. Superiorem nihilominùs veniam, prò majoris Reipublicæ commodo ſibi reſervatam Principes crediderunt* (*c*): Quandoquidèm egreſſus Epiſcoporum e Regno, eorumve alibi convocatio, poſſet inſidias bono Regni publico inferre. Non tamen propter horum Epiſcoporum deficientiam, Concilium ceſſabit eſſe Oecumenicum. Si hoc eſt; ergò eodem modo, eâdemque ratione, ſinè præjudicio generalitatis Concilii, licitum erit Papæ idem facere, licuiſſetque Julio II. ſi voluiſſet, aliquos Epiſcopos, ab acceſſu ad Concilium Lateranenſe V. abſque ſui veniâ, retinere, quos prudenti ſuo intuitu prævidiſſet, quod potuiſſent felicitati Concilii obſiſtere, vel quietem Reipublicæ eccleſiaſticæ perturbare. Quæ hucuſque allegata, opportune ſint dicta ad tuendam validitatem, & dignitatem ipſius Concilii, & ad evacuandas calumnias, quibus à Contradictoribus lancinatur.

(c) *Boſquet ad literas Innoc.III.lib.2. epl. 8.*

25. Ad id poſtmodum, quod ipſi Concilio Lateranenſi V. objectatur, non eſſe acceptatum, præſertìm in Galliâ, atque à Bellarmino, & aliis, Romanæ Sedi prorsùs addictis, pro non Oecumenico haberi; Reſpondemus cum Sanctefio Ebroicenſi, Heterodoxis eſſe *innatum nullam Synodum amplecti, niſi per eam, quo jure, quave injuriâ, obtineant quod cupiunt. Ab Arrianis nunquam Nicæna: nec à Neſtorianis Epheſina; nec ab Eutychianis Chalcedonenſis Synodus prò generali, & legitimâ habita fuit, vel credita, ſed eas, à quibus damnantur, ſolent imperitiæ acuſare* (*d*). Aſt hæc nihil officiunt validitati, & auctoritati Conciliorum, ſicuti nihil officit auctoritati Sacræ Scripturæ perfidia Hæreticorum, qui hos, vel illos libros profitentur ſe prò Canonicis non habere. *Marcionitę* libros omnes Teſtamenti veteris impugnabant. *Gnoſtici* Pſalmos David. *Alogiani* Evangelium Joannis. *Manichæi* Actus Apoſtolorum. *Ebionitę* Epiſtolas Pauli. *Porphyrius* Danielis prophetiam memordit. Melito Arrianus librum Eſther pro ſpurio habuit. *Theodorus* Mopſueſtenus, Job, Cantica Canticorum, & Prophetas omnes, è Scripturarum canone abſcidit. *Julianus* Apoſtata totam Scripturam, & præcipuè quatuor Evangelia contempſit. *Marcion* epiſtolas ad Titum, & Timotheum vellicavit. *Lutherus*, ejuſque Aſſeclæ, Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Machabæorum libros, epiſtolaſque Jacobi, & Judæ contemnunt. *Kemnitius*, Brentius, & alii, Petri, & Joannis epiſtolas in dubium vocant. Alii de præfatis, atque de aliis divinæ Scripturę libris malè ſenſerunt, de quibus fuſiùs Bellarminus (*e*). Nunquid autèm proptèr hoc iſti libri non ſunt Canonici? non ſunt verbum Dei? non faciunt legem à Chriſtianis humilitèr obſervandam? (*f*).

(d) *Abraham. Bzovius de Roman. Pontif. cap.10.*

(e) *Bellarmin. tom. 1 de Verbo Dei lib.c.5. & 6.*

(f) *Joan. Bapt. Gonet. Clyp. Theolog. tom. 4. Tract. 10. diſput. 2. artic. 1. per totum Joan à S. Thoma Curſ. Theolog. tom 4. de Sum. Pontif. diſput. 9. artic. 1.*

26. Sanè Concilia Generalia dignitatem, & poteſtatem ſuam à Nationum, vel populorum acceptatione non poſtulant; nec vis legum, in eis conditarum, à fidelium conſenſione, illis ſuperadjectâ, dependet; ſed à facultate ipſis cælitùs im-

impertitâ, quotiès convocatis à Summo Pontifice, ex toto Orbe Patribus Eccleſię, in Spiritu Sancto legitimè celebrantur; & diſcuſſis diſcutiendis, quæ ſunt decernenda, decernunt. *Intrepidè*, ait Fagnanus, *concludendum eſt, legem eccleſiaſticam, poſt publicationem ligare, à ſui principio, antè ullam populi acceptationem (a)*. Sicque vel Concilium Lateranenſe V. fuerit acceptatum, vel non; adhùc ſuum decus Concilii Generalis retinet, ejuſque canones vim jurium poſſident, Eccleſiam univerſalitèr obligantium. De ſolo Pontifice, canones condente, hæc ſentit Mauclerus, quod *obligationem inferre poteſt in conſcientiâ ſervandi leges Canonicas, à ſe conditas, & ſufficienti promulgatione Orbi Chriſtiano communicatas, ut Alphonſus à Caſtro, Turrecremata, aliique de meliori notâ Doctores crediderunt: quod adeò verum eſſe credo, ut ſecundùm fidem, negari non poſſe putem &c. Neque proptercà lex minùs legis nomine, & honore dignabitur, ſi juſta, & ſufficientèr promulgata, non recipiatur à populo (b)*. Si autem hoc de ſolius Pontificis lege verum eſt; magis verificandum eſſe concedent Contradictores de lege, per Pontificem cum Concilio ſancitâ, quales ſunt leges, & canones in Concilio Lateranenſi V. contenti.

(a) *Fagnan. in cap. arguas de treg. & pace.*

(b) *Michael. Maucler. de Eccleſ. Monarch. part. 2. lib. 4. cap. 3.*

27. Præterquam quod quâ fiduciâ veritatis dici poteſt, Concilium Lateranenſe V. non fuiſſe ab Eccleſiâ acceptatum, ſi ei adfuerunt, ut innuimus, Oratores Imperatoris, omniumque Regum, & Principum Chriſtianorum? Hi quæsò ut quid Concilio adſtiterunt, ſi non erat ab eorum Nationibus acceptandum? Adfuerunt huic etiam Concilio, prætèr Italos Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos; ex aliis quoquè Chriſtianitatis Regnis, Epiſcopi, & Archiepiſcopi. Ex *Galliâ* fuerunt Robertus Cardinalis Nannetenſis, & Archiepiſcopi Viennenſis, & Avenionenſis, ac Epiſcopi Cavallicenſis, Maſſilienſis, & Tholonenſis. Ex *Hiſpaniâ* adfuerunt Archiepiſcopus Cæſarauguſtanus, & Epiſcopi Salamantinus, Inſulæ S. Dominici: & per procuratorem Archiepiſcopus Compoſtellanus. Ex *Angliâ*, Chriſtophorus Cardinalis Eboracenſis, & Silveſter Epiſcopus Vigornienſis. Ex *Hungariâ*, Thomas Cardinalis Strigonienſis, & Archiepiſcopus Colocenſis, atquè Epiſcopus Budenſis. Ex *Germaniâ*, Matthæus Cardinalis Gurcenſis, Joannes Epiſcopus Renalienſis, & per procuratorem, Archiepiſcopi Magdeburgenſis, & Moguntinus, ac Epiſcopus Trajectenſis. Ex *Dalmatiâ*, & Illyrico, Archiepiſcopi Antibarienſis, Spalatenſis, Dyracchienſis, & Jadrenſis, ac Epiſcopus Sibinicenſis. Ex *Poloniâ*, Archiepiſcopus Gneſnenſis. Ex *Sueviâ* Archiepiſcopus Upſalenſis per procuratorem. Ex *Græciâ*, Archiepiſcopi Nicoſienſis, & Corinthienſis, & Epiſcopi Famaguſtanus, Chienſis, & Paphenſis. Ità ex omnibus Chriſtiani Orbis Regionibus adfuerunt Epiſcopi: qui etiam ſi non adfuiſſent, adhuc Concilium eſſe Generale non deſtitiſſet, quotiès adfuit Papa cum Patribus, qui ad illud accurrere voluerunt, cuncta in eo ſancita ſuâ auctoritate confirmans, uti de ſeptimâ Synodo generali, Patres in eâ conſidentes, profeſſi ſunt, *hoc autèm ſubtiliùs eſt conſiderandum in ipſâ ſacrâ, & venerabili ſeptimâ Synodo, in quâ nullus eorum, qui in his partibus Epiſcopi erant, conveniſſe repertus eſt; ſed nullum ex hoc Sanctæ adhæſit Synodo præjudicium, neque prohibitio vires habuit aliqua ſtatuendi, & manifeſta faciendi recta dogmata, præcipuè cum Sanctiſſimus, & Apoſtolicus Papa concordaverit; & in eâ juventus ſit per ſuos Apocriſarios (c)*.

(c) *Concil. Gener. 7. Act. 3. in epiſtola. ad Oriental.*

28. Et ſignantèr quoàd Concilii Lateranenſis V. acceptationem in Galliâ, ſatis eſt attendere, quod anno 1513. Ludovicus XII. Galliæ Rex miſit Romam Federicum Cardinalem Sanſeverinum, Claudium electum Maſſilienſem Epiſcopum, & Ludovicum Furbin, ſuos Legatos ad Concilium prefatum: ubi exhibitis literis credentialibus, Regis nomine, *à Piſano Concilio penitùs diſceſſerunt, illique plenariè renuntiarunt, ac purè, liberè, & ſimplicitèr Sacroſancto Lateranenſi Concilio, tamquàm vero, unico, & legitimo adhæſerunt &c. Et ulteriùs promiſerunt præfati procuratores, quo ſuprà nomine, quod quamprimùm fieri poterit, venirent*

rent

Digitized by Google

rent aliqui Prælati, & inſignes viri, nomine totius Eccleſiæ Gallicanæ, cum ſufficienti mandato, qui dicto Concilio Lateranenſi adhærebunt, & aſſiſtent, quemadmodùm cæteræ Nationes (*a*). Idemque Epiſcopus Maſſilienſis anno ſequenti, literas Concilio exhibuit, exponentes, quod Epiſcopi Lexovienſis, Engoliſmenſis, Ambianenſis, Cabilonenſis, & Laudunenſis, unà cum duobus Archidiaconis, & totidem Theologiæ Magiſtris, iter ad Pontificem arripuerant, ut renuntiarent Conventui Piſano, & adhærerent Concilio Lateranenſi, juxtà ea, quæ anno anteacto Rex Ludovicus ſpoponderat, ipſos verò per viam remorari, ob ſalvum conductum, à Duce Mediolani, atque à Genuenſibus denegatum (*b*). Si ergò & Rex Galliarum, & Epiſcopi Gallicani, ac Doctores, ipſique qui Conciliabulo Piſano adhæſerant, hoc reprobato, Concilium Lateranenſe ſunt complexi; undè eſt quod hæc Synodus habeatur pro non acceptatâ apud Gallos?

(a) *Concil. Lateranen. V. ſeſſ. 8.*

(b) *Concil. Lateran. V. ſeſſ. 9.*

29. Accedit quòd in eodem Concilio abolita eſt, uti oſtendimus, Pragmatica Sanctio, & publicata fuerunt Concordata Gallicana, inita intèr Leonem Papam X. & Franciſcum I. Galliarum Regem, qui eadem acceptavit; & tàm præfata abolitio, quàm Concordata ipſa, fuerunt Actis Concilii inſerta (*c*): quæ omnia facta ſunt poſtquàm ſuppoſitus metus Julii II. Papæ, & coarctatio numeri Epiſcoporum, ac defectus Patrum ex nationibus Chriſtianis, adheſioque Regis Galliæ, & Imperatoris Pſeudoſynodo Piſanæ, & aliæ næniæ, in oppoſitum allegatæ, defecerant. De quorum quidem Concordatorum juſtitiâ, & utilitate per Sauſſai (*d*), Duarenum, & alios defenſa (*e*), nihil eſt diſputare; cum jam ducentis penè ab hinc annis, communi totius Regni Gallici conſenſione vigeant, Pragmaticâ Sanctione ſtirpitùs abrogatâ. Igitùr quià & Concordatorum introductio, & Pragmaticæ Sanctionis abolitio, ſunt pars Concilii Lateranenſis V. ſubſiſtere non poteſt, quod Concordata ſerventur, & quod Concilium Lateranenſe non ſit acceptatum. Alioquin hi, qui illud reprobant, ratione poterunt urgeri, quâ Virgilius Papa uſus eſt in ſuo Conſtituto, dicens prò defenſione Concilii Chalcedonenſis: *unâ Concilii parte oppugnatâ, totum infringitur, ac dubium redditur, nec poteſt oſtendi, cur in uno potiùs, quàm in alio Concilium poterit errare*. Concludendum eſt ergò, Concilium Lateranenſe V. & fuiſſe Generale, & acceptatione, ſi quâ indiguit, jam gaudere, præſertìm in Galliâ, ubi ſinè controverſiâ, Decreta XI. Seſſionis, Pragmaticam Sanctionem, & Concordara, concernentia, obſervantur. Cæterùm dato etiam, ſed non conceſſo, quod Concilium Lateranenſe V. non eſſer acceptatum in Galliâ; quid proficit hoc intentui Contradictorum? Ipſi non ſunt Galli, ſed Itali, & Regni Neapolitani cives, & incolæ, nec vivunt moribus Gallicanis, ſed Italicis. In Italiâ autèm exceprio non habet locum, quod præfatum Concilium non fuerit acceptatum.

(c) *Concil. Lateran. V. ſeſſ. 11.*

(d) *Andreas Sauſſai Panoplia Epiſcopalis lib. 2.*

(e) *Bail Sum. Concil. in Conc. Later. V. f. 616. 2. D.*

30. Paritèr nihil relevat, quod de præcitati Concilii vi, Thomas de Vio Cardinalis Cajetanus dubitet (*f*), & Bartholomæus quoquè Caranza Archiepiſcopus Toletanus ambigat (*g*); nam uterque non de illius validitare, & generalitare titubat; ſed de obſervantiâ cenſurarum, pluribus Conſtitutionibus ipſius Synodi oppoſitarum. En Verba Caranzæ: *ambiguum tamèn eſt, an cenſuræ latæ in hoc Concilio ſint uſu receptæ, ut annotatur à Cajetano in Summâ verbo Excommunicatio, & à mè etiam ambigitur: pleræque earum uſu non obſervantur, quo ſolo poterant abrogari* (*h*). Certum eſt enim aliquas leges eccleſiaſticas dari, juſtè, & ritè ſancitas, quæ uſque ab initio, ſciente, & connivente Pontifice, non fuerunt executioni mandatæ, tales autem cenſetur à Cajetano, & Caranzâ, eſſe quaſdam cenſuras, in Lateranenſi Synodo fulminatas. De his namque legibus prævalet id, quod Bartolomæus Fumus in ſuâ Aureâ Armillâ doctè deponit: *Dicit gloſſa in cap. quo circà de conſanguinit. & affinit. quod tolerantia, & diſſimulatio Principis, in actu, de jure prohibito, inducit diſpenſationem. Quod D. Antonius intelligit, quandò Conſtitutio Papæ ab initio non recipitur, Papâ ſciente, & tolerante: quo caſu tolerantia excuſat à peccato; non autem ſi à principio recepta fuit à majori parte, ſecun-*

(f) *Cajetan. in Summa V. excommunicatio.*

(g) *Caranz. ad Conc. Later. V. in fine.*

(h) *Idem Bartolom. Caranza. Summa Conciliorum in Concil. Lateran. V. in fine §. Ambiguum.*

dum

dum quod limitat Panormitanus (*a*). At aliud eſt, aliquas cenſuras Concilii Lateranenſis non obſervari; aliud eſt, Concilium ipſum, nec eſſe Generale, nec acceptatum. Permulta ſunt decreta in Conciliis Generalibus Nicænis, Conſtantinopolitanis, Chalcedonenſi, Epheſino, Viennenſi, Florentino, Lateranenſibus, Lugdunenſibus, quæ ob non uſum exoleverunt: nunquid autem proptèr hoc illa Concilia non fuerunt Oecumenica, & ab Eccleſiâ acceptata?

31. Demùm nihil officiunt dignitati, & univerſalitati Concilii Lateranenſis V. fragmina ſcriptorum Bellarmini, & Duvallii, aſſerentium, de univerſalitate hujuſmodi Concilii ab aliquibus dubitari (*b*). Nàm uterque nil de rationabilitate dubitationis affirmat; ſed ſolum, ab aliquibus dubitari, velut hiſtoricè narrant. Et ſicut ſi narraſſent, quod de immortalitate Animæ rationalis, in eodem Concilio definitâ (*c*), per aliquos dubitatur; nempè per Hæreticos, & Atheos, ac etiam fortè per alios; nullum præjudicium ipſius Concilii dignitati intuliſſent; ità nihil ei deperire fecerunt ex eo, quod memoraverint, ab aliquibus dubitari, an ſit Concilium univerſale. Quale certè, teſte Binio (*d*), Leonardo Coqueço (*e*), & aliis fuit Concilium Lateranenſe V. & ut ait Bail, *& non fuiſſe Generale vix dici poteſt: nam etſi fuerint Epiſcopi pauciſſimi* (*nam ad centum non pervenerunt*) *tamèn Concilium omnibus patebat, & omnes vocati fuerant, & in eo Summus Pontifex verus, & indubitatus præſidebat: quod autem non fuerit receptum ab omnibus, parum refert: nàm Decreta Conciliorum non egent approbatione populi, cum ab eo non accipiant auctoritatem. Verum eſt quidem decreta de moribus, ſi non recipiantur, & Pontifex conniveat; tandèm conſuetudine abrogari, quià cum videt ea longo tempore non obſervari, & tacet; cenſetur ipſe abrogare* (*f*). Et hæc ſatis ſint dicta de Concilio Lateranenſi V.

32. Demùm hoc eodem Sæculo habitum eſt Concilium Tridentinum, Tridenti in Rhætiâ celebratum ab anno 1545. uſque ad annum 1563. tempore Pauli Papæ III. Julii III., & Pii IV. ac Imperatoribus Carolo V. & Ferdinando I. confluentibuſque ad illud Epiſcopis 303. In eo plura edita ſunt decreta, in quibus habetur ſermo de beneficiis, præſertìm merè ſimplicibus, quæ hùc illùc detinebantur per Cardinales, & Prelatos Romanæ Curiæ, exteros proculdubio à locis ipſorum beneficiorum, nec in eiſdem perſonalitèr deſervientes. Quorum beneficiorum retentionem cum Concilium non reprobet, certè illam agnoſcitur comprobaſſe: quippè Synodus Univerſalis, in Spiritu Sancto legitimè congregata, non permiſiſſet tàm grave, & tàm enorme facinus, quale eſſe decantant Contradictores Collationem beneficiorum, factam extraneis. Porrò qui Hiſtoriam OEcumenici hujuſce Concilii legit, intuitus erit, quantâ ſollicitudine, quantoque ſtudio, ac zelo, Patres ad minora mala eradicanda operam impenderunt: hiſque ità ſe habentibus, prudentèr credere non valebit, relicturos inultum crimen tàm deforme, quale eſſe venditant Contradictores, largitionem beneficiorum, factam extraneis. Proh Deus! Minores Juris Canonici apices: minutiones rei beneficiariæ velitationes, fuerunt in OEcumenicâ illâ Synodo examinatæ, ac diſcuſſæ, ut cuncta pro poſſe ad ſuum ordinem redigerentur; & largitionem beneficiorum extraneis, Divino, & naturali juri contrariam, atque Canonico, & Civili Juribus adverſans, ut ipſi ſupponunt Contradictores, Tridentini Patres, vel cæcutientes non obſervarunt, vel obſervatam dereliquerunt intactam? *Quis ſapiens, & intelliget hæc* (*g*)? Ergò Concilium Tridentinum exiſtimàvit, collationem beneficiorum, factam extraneis, omni prorsùs vitio carere, & ideò non eſſe prohibendam, quià omnis malitiæ, & injuſtitiæ titulo vacuatam.

33. Et quod mirum eſt; noluit hoc prohibere Concilium, licèt Galli Antiſtites, qui numero 26. Tridentinæ Synodo interfuerunt, articulum hunc definiendum conſultarent (*h*), nihil metuentes verba illa, *Proponentibus Legatis*, quæ non parum ab ipſiſmet Contradictoribus lancinantur. Verba, inquiunt, in decimâ ſeptimâ Seſſione Tridentini exorta, quæ Hiſpanis Epiſcopis, Hiſpaniarumque

Regi

(a) *Summa Armilla Verb. Lex. num. 11.*

(b) *Bellarmin. de Concil. auctorit. l. 2. c. 13. Duvallius de poteſt. Eccleſiæ qu. 7.*

(c) Concil. *Lateran. V. ſeſſ. 8.*

(d) Binius *in not. ad Concil. Later. V. V. OEcumenicum.*

(e) *Coquæus in Antimornæo tom. 2. f. 334.*

(f) *Bail. Sum. Conc. ad Concil. Later. V. prop. finem.*

(g) *Oſeæ cap. 14. num. 10.*

(h) *Didac. Covaruv. quæſt. cap. 35. num. 1.*

Regi Philippo II. atque hujus Oratori Comiti de Lunâ, talitèr diſplicuerunt, ut epiſtolas, & proteſtationes, & ejulatus ediderint, ne libertas Concilii generalis per eadem arctaretur; nequè unquam acquieverunt, donèc Synodus ſpeciale decretum ſupèr eiſdem verbis edixit, ſub hoc tenore. *Cupiens Sancta Synodus, ut ex decretis ab eâ editis, nulla unquàm futuris temporibus dubitandi occaſio oriatur, verba illa &c. Proponentibus Legatis &c. explicando declarat, mentis ſuæ non fuiſſe, ut ex prædictis verbis, ſolita ratio tractandi negotia in generalibus Conciliis, ullâ ex parte immutaretur &c.* (*a*). Quę tamèn verba à Contradictoribus remur impeti, & exagitari, potiùs ad opportunitatem ſuæ cauſę, quàm ad explicandum verum, & ſincerum eorum animi ſenſum: quippè eos legiſſe cenſemus, quod in Sardicenſi Concilio ferè omnes canones fuerunt ab Oſio Cordubenſi propoſiti (*b*), quem certum eſt fuiſſe Legatum Julii Papæ I. & ejus nomine Synodo illi Oecumenicæ, vel Oecumenicæ compari, præſediſſe (*c*). E contrà verò in Concilio Chalcedonenſi ea, quæ à S. Leonis Papæ Legatis propoſita non fuerunt, licèt ab Epiſcopis determinata, prò nihilo habita ſunt, de quibus Gelaſius Papa I. *alia autèm, quæ illic prolata ſunt, vel potiùs ventilata, quæ Sedes Apoſtolica gerenda nullatenùs delegavit; mox à Vicariis Sedis Apoſtolicæ contradicta manifeſtum eſt* (*d*).

34. Sanè, prætermiſsâ hìc quæſtione, an Papæ competat jus limitandi res, in Synodo pertractandas, quæmadmodum Principi competit poteſtas limitandi negotia, in Comitiis ſuis Principatus tractanda: & cuilibet ſimplici Decano facultas ineſt proponendi res, in ſuo Capitulo diſcutiendas (*e*); An, inquam, hoc jus competat Papæ, ad quem ſpectat ipſam generalem Synodum indicere, indictam congregare, congregatam regere, eique præeſſe, & completam tandèm ſuâ auctoritate confirmare; certè illa verba, *Proponentibus Legatis*, aliquandò in Concilio Tridentino adhibita, cum non fuerint ab aliarum Nationum Epiſcopis impugnata, Italis, Gallis, Siculis, Germanis, Polonis, Hungaris, Sardis, Luſitanis, Anglis, Hibernis, Græcis, Illyricis, Belgis, Moravis; à nullis aliis tandèm, pratèr quam ab Hiſpanis; ſignum eſt, eos cunctos exiſtimaſſe, ipſa verba nullum poſſe libertati Concilii præjudicium inferre: quia cum res in ſeſſionibus publicis definiendæ, priùs in privatis Conſeſſibus à quibuslibet proferrentur, ventilarentur, maturarentur, inibique quodammodò concordarentur; nonnè juſtum erat, ut poſtmodùm in publicâ ſeſſione à Legatis Apoſtolicis proponerentur? Quod cum fiebat, ecquid libertatis Conciliari conſeſſui deperibat? Judicet benignus Lector.

35. Utcumque autèm hoc ſe habeat; ut ad rem noſtram redeamus: Patres Gallicani citrà formidinem illorum verborum, *Proponentibus Legatis*, definiendum proponebant, ut eccleſiaſtica beneficia ſolis indigenis conferrentur; hocque ſi generalitèr ſanciri non poſſet, ſaltèm prò beneficiis, animarum cura præditis, decerneretur. *Enaſcitur hinc dubium*, inquit Soto, *de beneficiis patrimonialibus, ad quæ non recipiuntur niſi cives, vel qui indè ſunt oriundi &c. Reſpondetur leges illas æquiſſimas eſſe, quas utinam de beneficiis ſaltèm parœcialibus, quibus annexa eſt animarum cura, ubique ſanciret Eccleſia; quemadmodùm, & in Tridentino Concilio, ſummo omnium conſenſu, mè præſente, conſultabatur* (*f*). Conſultabatur ergò, inſtabatur, optabatur, ut expreſſus canon à Concilio Oecumenico ſanciretur, quo extranei à beneficiis eccleſiaſticis arcerentur, ſaltèm Curatis. Sed Concilium Tridentinum hoc noluit definire, etſi perdurando per plures annos, tempus habuerit rem iſtam ſatis commodè ventilandi, & hanc quoquè determinandi, quemadmodùm alias minoris fortè momenti decrevit. Quod certè non omiſiſſet facere, ſi reputaſſet, largitionem beneficiorum extraneis, eſſe piaculum, jus divinum, & naturale poſternens, ac omnia jura humana conculcans, proùt eandem Contradictores eſſe decantant. Eccur autèm Concilium, hunc articulum non definivit? Profectò non aliâ de causâ, niſi quià

(a) *Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 21.*

(b) *Card. Baron. an. 347. num. 10. Ball. ad Conc. Sardic. tom. 1. f. 182. E.*

(c) *Idem Baron. an. 347. num. 19.*

(d) *Gelaſ. tom. de Anath. vinc. ab init. in tom. 2. Concil.*

(e) *Barboſ. de Canon. & Dignit. cap. 35. num. 2.*

(f) *Dominic. Soto de Juſt. & jur. lib. 3. qu. 6. ar. 2.*

judica-

judicavit, & jure naturali, & divino, & humano, beneficia eccleſiaſtica indiſtinctè cunctis viris idoneis, ſinè nationum, & populorum, diverſitate deberi, ubi aliud Apoſtolico diplomatæ non cavetur. Et cum Canonum decreta, & Patrum doctrina, & Conciliorum auctoritates, tùm Clericos extraneos, tùm indigenas, ad beneficia eccleſiaſtica admittant; juſtiſſimè, & ſapientiſſimè noluit Concilium Clericos extraneos ab eorum conſecutione repellere.

56. Sed de Concilio Tridentino alibi (*a*). Et quià hucuſque per totum hoc opus multa Concilia allegavimus, quæ tàm diviſim, quàm ſimul cuncta, conclamant, poſſe, & debere beneficia eccleſiaſtica, non modò Clericis indigenis, verùm etiam extraneis diſpenſari; Si omnes aliæ rationes, Legales, Theologicæ, Scripturales, vel alterius cujuſque ſpeciei deeſſet, quę libertatem Eccleſiæ in conferendo eccleſiaſtica beneficia, tùm indigenis, tùm extraneis tuerentur, hæc ſola ſufficere deberet, & debet, quod Concilia, & Generalia, & Nationalia, & Provincialia, ſententiam hanc promovent, tàm ſuis dictis, quàm factis. Quapropter ſtatuendum eſt, licere Summo Pontifici, atque Epiſcopis, omnibuſque aliis, tùm ordinariis, tùm delegatis beneficiorum Collatoribus, vel ad ea Nominatoribus, eccleſiaſtica beneficia, non modò Clericis indigenis, verum etiam extraneis impertiri. Nec ſinè pietatis, & veritatis diſpendio, poteſt hoc arbitrium, & libertas eis licitè denegari, quam tàm numeroſa congeries Conciliorum, & tot millia Patrum, atque Doctorum, qui in eis, vel vota ſua, vel conſilia contulerunt, ſuggerit, ac tuetur. Quod ſi quis adhùc rationis incapax, vel ignarus, hujuſmodi veritati contumax obluctatur, eamve, ſivè politico, ſivè captioſo intuitu, nititur impugnare, liceat eum, programmate Marciani Imperatoris, appetere, ſic de Concilio Chalcedonenſi loquentis (*b*): *Verè impius, atque ſacrilegus eſt, qui poſt tot Sacerdotum ſententiam, opinioni ſuæ aliquid tractandum relinquit. Et injuriam facit religioſiſſimis Synodis, ſi quis ſemèl judicata, ac rectè diſpoſita, revolvere, & diſputare contendit*.

(a) *Vid. infra tom. 3. in Objectionibus Conciliaribus cap. 7. à num. 34.*

(b) *Vide Concil. Chalced. Action. 3.*

CAPUT VI.

In quo ex Indultis, per Romanos Pontifices collatis; & præſertìm per Leonem X. *Romanis, & Milevitanis, per* Clementem VII. *Hydruntinis, & per* Sixtum V. *Valentianis, probatur Eccleſiæ libertas, in conferendo Eccleſiaſtica Beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiam extraneis.*

SUMMARIUM.

1 *Quis, & qualis fuerit* Leo PP. X. *citò factus Cardinalis, & in flore juventutis ad Summum Pontificatum provectus.*

2 *Recenſentur nomina plurium Cardinalium, quos ipſe Leo ad purpuram promovit, beneficiis inſignitos in locis, à quibus erant extranei.*

3 *Referuntur alii Cardinales ejuſdem Pontificis, varia beneficia, ut ſuprà, in diverſis Regionibus retinentes.*

4 *Leo X. indultum contulis Romanis Civibus, nè extraneis beneficia Romana conferantur, cujus indulti verba exſcribuntur.*

5 *Si Romanis opus fuit præfato privilegio, patet, quod extraneorum excluſio à beneficiis non eſt de jure, ſed ex gratiâ.*

6 *Idem Leo X. indultum incolis Terræ Fluminis morum in Calabriâ conceſſit, quo docemur, patere beneficia extraneis in Regno Neapolitano.*

7 *Quę conventio inita ſit intèr Carolum V., & Magnum Magiſtrum Equitum Hieroſolymitanorum, in conceſſione Inſulæ Milevitanæ.*

8 *Eam conventionem confirmavit Clemens PP. VII. quæ favet provectioni extraneorum ad beneficia.*

9 *Epiſcopus Milevitanus edixerat, repellendos eſſe extraneos. Rexque Siciliæ id confirmaverat: ſed non habuit effectum, niſi poſt indultum Apoſtolicum.*

10 *Nèc ergò Præſulis, nèc Principis juſſio prævalet ad repellendos extraneos, ſed opus eſt omninò privilegio Pontificio.*

11 *Bononienſibus, Panormitanis, Florentinis, Sardis, Majoricenſibus, privilegia ineſſe Apoſtolica dicitur, excluſiva extraneorum.*

12 *Papæ interdùm dabant Eccleſiis privilegia, nè aliquis, niſi de vacantis Eccleſię gremio eligi poſſet in Præſulem.*

13 *Simile privilegium Hadrianus PP. I. conceſſit Tilpino Remenſi, cui Eccleſię multi extranei præfuerunt.*

14 *Varii Papę indultum Monaſteriis contulerunt, nè quiſquam, niſi de gremio Conventus, præficeretur in Abbatem.*

15 *Alia ſimilia recenſentur. Aliquandò Principes, vel ſibi accipiebant, vel aliis laicis poſſidendas tradebant Abbatias regulares.*

16 *Præficere aliis aliquem diverſi ordinis, eſt evertere ordinis profeſſionem. Otho Magnus Imperator Abbatiam laico tradere detrectavit.*

17 *In variis Conciliis clamatum fuit adverſus Principes concedentes, & adverſus eos, qui ab illis Abbatias ſuſcipiebant.*

18 *Monaſteria virorum, olim erant intèr sè independentia, nec poterat monachus unius fieri Abbas alterius.*

19 *Mo-*

19 *Monachie id prohibebatur, non ut extraneis, ſed ut diverſi Inſtituti, nàm ſi erant ejuſdem, poterant alienis præfici monaſteriis.*

20 *Ubi talia privilegia deerant, liberum erat Abbatiali beneficio præficere etiam extraneos, ſi Monachi eos eligebant.*

21 *Poſito Apoſtolico privilegio, an adhùc in actibus practicis, liberum ſit electoribus extraneum beneficio præficere?*

22 *Hoc ſæculo Mahometes II. Turca, poſt ingentes victorias, excidium fecit Hydruntinæ Urbis, Italiam totam ſubjugare affectans.*

23 *Quanta fuerit illa clades Hydruntinæ Civitatis, tunc penè deſolatę, recenſetur ex Crantzio, & Lenovio.*

24 *Clemens PP. VII. ipſi Urbi privilegium impertitus eſt, nè ibi quiſquam extraneas; ſed ſoli indigenę poſſint beneficia ſacra adipiſci.*

25 26 *Refertur privilegium ipſum Hydruntinis conceſſum, docens quem ſenſum habuerint Neapolitani ſupèr exclusione præfatâ.*

27 *Si Urbes, & Monaſteria extraneos repellere ſinè indulto Apoſtolico non potuerunt; velle nunc eos excludere ſinè illo, contrà omnem juſtitiam eſt.*

28 *Malè contenditur ex oppoſito, quod privilegium Apoſtolicum, ſit mera recognitio bonæ fidei rei, à jure conceſſæ.*

29 *Si hęc ſuppoſita recognitio bonæ fidei admitteretur, deluderentur omnia privilegia, & cum jure communi confunderentur.*

30 *Afferuntur aliæ rationes, patefacientes, indulta præfata Sedis Apoſtolicæ non fuiſſe recognitiones bonæ fidei, ſed meras ejus gratias.*

31 32 33 *Bulla refertur Sixti PP. V. mandans, beneficia eccleſiaſtica in Regno Valentiæ non niſi Clericis ejuſdem Regni conferri.*

34 *Si Valentinis opus fuit hoc indulto, de plenitudine poteſtatis conceſſo, malè Contradictores denegant Papæ plenitudinem ipſam.*

35 *Hoc indultum non ſinè aſſenſu Regis Hiſpanię fuit obtentum. Literæ Apoſtolicæ antè executionem benè perpenduntur in Hiſpaniâ.*

36 *Ex dicto Sixti V. privilegio dignoſcitur, excluſionem extraneorum ſinè peculiari Pontificio indulto fieri non poſſe.*

37 *Allegantur alia duo motiva, proptèr quę conceſſio Apoſtolici privilegii, non eſt bonæ fides recognitio, ſed gratia Pontificia.*

38 *Si hæc indulta ſumerentur prò ſimplici recognitione bonę fidei, alienaretur animus Pontificis ab iis concedendis.*

39 *Indultum Sixti V. non eſt recognitio bonę fidei, quià reſtringit poteſtatem Regiam. In Hiſpaniâ repelluntur extranei ſolo vigore indulti Apoſtolici.*

40 *Carolus V. Edictum ſuum non fundavit in jure communi, ſed ſupèr privilegium Sixti IV. ad repellendos extraneos.*

1. PAULO poſt mortem Pii III. qui Romanum Pontificatum, præproperâ morte raptus, potiùs ſalutavit quodammodo, quàm poſſedit (*a*); in Cathedrâ D. Petri, ſummâ omnium admiratione, locatus eſt Leo X. qui quemadmodum ferè puer Cardinalitiam dignitatem obtinuit, ſic & Pontificiam in juventutis flore acquiſivit, annum agens 37. (*b*). Undè Alphonſus Petruccius Cardinalis, ejus electionem denuncians populo ex Conclavi, elatâ voce clamavit, *Pontificem habemus Leonem X. vivant, vigeantque juniores* (*c*). Fuit Leo natione Etruſcus, & patriâ Florentinus, anteà Joannes Medices nuncupatus, Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Domnicâ, & pinguem Abbatiam in Franciâ poſſidens, quamquàm indè natione eſſet extraneus (*d*). Claruit variis Legationibus, quas in eccleſiaſticâ ditione laudabilitèr exercuit (*e*), & Præfecturâ exercitus Pontificii, ſub Julio II. quam tenens, clade acceptâ, captivus factus eſt; è manibus tamen

(a) *Raynald. ann. 1503. à num. 13. ad 19.*

(b) *Ciacon. in Leon. X. Raynald. ann. 1513. à n. 13.*

(c) *Binius in vita Leon. X.*

(d) *Ciacon. in Innoc. VIII. n. 7. & Leon. X.*

(e) *Angel. Politian. l. 4 epl. ad Jacob. Antiquar.*

hoſtium evadens, Florentiam priùs, deindè Romam perrexit, ubi Pontificatu inito, ſuper eodem equo vehi voluit ad Lateranum, ſuper quo anno præcedenti, ex hoſtium manibus evaſerat, & ſe in loco tuto receperat (*a*).

2. Nedùm autem ipſe Leo beneficia Abbatiale, Cardinalitium, & Papale, tenuit Romæ, & reſpective in Galliâ, undè prorſus erat extraneus; ſed etiam in Cardinalibus à ſe delectis oſtendit, quantâ tunc potiretur libertate Eccleſia, in præficiendo ſacris beneficiis extraneos. Nam ex his Laurentius Pueeius Florentinus, fuit etiam Epiſcopus Piſtorienſis, Melphitanenſis, Rapollanenſis, Venetenſis in Galliâ, & Caputaquenſis (*b*). Bernardus Tarlatus de Bibienâ fuit Epiſcopus Conſtantiæ (*c*), Thomas Volſeus Anglus, præter locupletiſſimas Abbatias, quas pluribus in locihabuit, poſſedit quoquè partim conjunctim, partim diviſim Epiſcopalia beneficia Lincolnienſe, Dunelmenſe, Vintonienſe, & Eboracenſe (*d*). Guillelmus Jacobus Groy Belga, Civis, & Epiſcopus Cameracenſis, fuit etiam deinde Archiepiſcopus Toletanus (*e*). Joannes Dominicus de Cupis Romanus, Archiepiſcopus Tranenſis, & Epiſcopus Montis Peluſii, Adrianenſis, Maceratenſis, Recanatenſis, & Camerinenſis (*f*). Andreas de Valle Romanus habuit Archimandritatum Meſſanæ, Abbatiam S. Philareti apud Calabros, nec non Epiſcopatus Melitenſem, Cajacenſem, Gallipolitanum, Neocaſtrenſem, Umbriaticenſem, Crotonenſem, Sulmonenſem, & Valvenſem, prætèr Albanum, & ſucceſſivè Præneſtinum (*g*).

3. Paritèr Joannes Baptiſta Pallavicinus Genuenſis fuit Epiſcopus Cavallicenſis in Galliâ, & Abbas Ripaltæ in diœceſi Taurinenſi, Majolæ in Regienſi, S. Antonii in Urbe Genuâ, S. Michaelis de Cluſâ (*h*), Pompejus Columna Romanus Archiepiſcopatu Montis Regalis in Siciliâ, & Epiſcopatibus Aquilano in Regno Neapolis, nec non Reatino in ditione Pontificiâ potitus eſt (*i*), Guillelmus Raymundus Vich Hiſpanus, pręfuit Epiſcopatui Cephaludenſi in Siciliâ, & deindè Barcinonenſi in Cataloniâ (*l*). Alexander Cæſarinus Romanus claruit Epiſcopatu Pampilonenſi, & Albanenſi (*m*). Joannes Salviatus Florentinus, Epiſcopatibus Vulturanenſi, Tranenſi, S. Severinæ, Biterenſi, S. Populi, Olerenſi, ac Vaſenſi cumulatus fuit, partim in Regno Neapolitano, partim in Galliâ, ultrà Epiſcopatum Portuenſem (*n*). Nicolaus Rodulphus Florentinus præſulatu effulſit plurium Epiſcopalium beneficiorum, Urbevetani, Vicentini, Florentini, Forolivienſis, Viterbienſis, Imolenſis, atque Salernitani (*o*). Et ne plures referamus, Leo PP.X. in eundem Cardinalium ordinem cooptavit Herardum Marca Germanum, Alphonſum infantem Portugalliæ, Joannem e Ducibus Lotharingiæ, Albertum ex Marchionibus Brandeburgenſibus, Ludovicum Burbonium, Hadrianum Florentium Belgam (*p*), qui omnes à beneficiis Cardinalitio, & Epiſcopali, quibus reſpectivè potiebantur, fuerunt extranei. Hos autem omnes arguere læſę legis divinæ, naturalis, & humanæ, non eſt ſapere, ſed deſipere: non eſt prudentèr ratiocinari, ſed delirantèr effari.

4. Ad hæc, *Leo* ipſe, ſub initiis Pontificatus adepti, ſinceram animi dilectionem quâ proſequebatur *Romanum Populum* oſtenſurus; ad ejus favorem prolixum diploma, refertum gratiis præclariſſimis expedivit, & hoc, inter cętera, indulgens, ut beneficia eccleſiaſtica Romanę Urbis, & diſtrictus, ſolis Romanis Civibus conferrentur. En textum Privilegii, aliis ad rem non facientibus, intermiſſis. *Et quod S. Gregorii intrà, S. Sebaſtiani extrà dictæ Urbis muros, S. Benedicti, & Ciſtercienſis Ordinum, & alia Monaſteria, ac Prioratus, Canonicatus, & Prębendas, Dignitates, Perſonatus, Adminiſtrationes, & Officia, cæteraque beneficia eccleſiaſtica, cum curâ, & ſinè curâ, in dictâ Urbe, & illius diſtrictu exiſtentia* (exceptis Titulis Cardinalium, & quibuſdam aliis beneficiis) *non niſi Romanis civibus conferri, ſeù commendari, aut aliàs de eis, in alios quoquo modo, præterquàm ſi beneficia prædicta ex reſignatione alienigenę vacarent, quæ etiam alienigenis conferri valeant, etiam per nos, & Sedem Apoſtolicam, diſponi nullo modo poſſit, collationeſque, proviſiones, commendę, & aliæ quævis diſpoſitiones de illis, etiam per nos, & Sedem*

ean-

(a) *Ciacon. in Leo X. §. poſt. Raynald. ann. 1512. n. 12. 59. & c.*
(b) *Ughel. in addit. ad Ciacon. in Leon. X. num. 1.*
(c) *Ciac. in Leon. X. num. 2.*
(d) *Ughell. loc. cit. n. 5.*
(e) *Ciacon. in Leon. X. num. 8.*
(f) *Ciaconius, & Ughell. in Leon. X. n. 11.*
(g) *Victorellus, & Ughel. in addit. ad Ciac. in Leon. X. n. 14.*
(h) *Ciacon. loc. cit. num. 16.*
(i) *Ciacon. loc. cit. num. 17.*
(l) *Ughel. in addit ad Ciacon. in Leon. X num. 29.*
(m) *Ciacon. & Victorel. in Leon X. n. 33.*
(n) *Ciaconius, & Ughell. loc. cit. n. 34.*
(o) *Ughell. in addit. ad Ciacon. in Leon. X. num. 15.*
(p) *Panvin & Ciacon. in Leon. X.*

eandem, etiam cum expreſſâ præſentium derogatione, etiam motu proprio, & ex certâ ſcientiâ, prò tempore factæ, nullius ſint roboris, vel momenti, nullumque alicui etiam coloratum tribuant titulum poſſidendi (a).

5. Cernit hic Lector ſanctionem, omnia beneficia Romanæ Urbis capientem, & ea prò parte indigenis addicentem, prò aliâ verò parte, liberæ Collatorum diſpoſitioni ſinentem, ut illa poſſint etiàm extraneis elargiri. Si opus fuit Civibus Romanis hoc ſe clypeo contueri, ut prætaxata beneficia ipſis ſolis conferantur; certum evincitur, quod nec de jure divino eſt, neque de naturali, neque de humano (prout autumant Contradictores) excluſio extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis. Quippè ſi ità eſſet, nec oportebat à Civibus Romanis poſci hujuſmodi privilegium, nec à Leone Papâ conferri. Ut quid enim legi privatæ, & gratioſæ committere id, quod omnia jura, divinum, naturale, & humanum generalitèr prædefiniunt, & faciunt cunctis commune (b)? Certè ſi oportuit ad diploma expreſſum recurrere; ſignum eſt, quod nec Romæ antè hoc diploma repellebantur extranei, nec extrà Romam, ubi conſimile indultum deeſt, poſſunt, jure ſic exigente, repelli. Demùm ſi Pontifex non niſi aliqua beneficia ejuſdem Urbis voluit eſſe indigenis debita, & reliqua decrevit debere eſſe extraneis quoquè communia; ex hinc evidentiſſimè apparet, excluſionem extraneorum, vel totalitèr, vel pro parte, ab eccleſiaſticis beneficiis, unicè referendam eſſe ad Apoſtolicum privileginm: & ſic impugnatores eccleſiaſticæ libertatis in hoc negotio debere antè omnia exprimere Indultum, loco illi collatum, à quo intendunt extraneos diſtinere.

6. Eâdem libertate, quâ Leo X. fovit Romanos, proſecutus eſt etiam aliorum locorum indigenas: nam incolis Terræ Fluminis morum Rhegienſis diœceſis in Calabriâ, privilegium contulit, ne beneficia extraneis conferantur (c), Calabri ergò, & cum eis reliquum Regnum Neapolitanum, cujus ipſi ſunt partes, in eo ſenſu tunc erant, quod à beneficiis eccleſiaſticis extranei de jure divino, vel naturali, vel humano nullatenùs repellantur, alioquin hoc Leonis privilegium non imploraſſent. Nova itaque in illo Regno eſt doctrina, quam ibi aliqui in oppoſitum nunc ſuſſurrant. Novitas eſt conatus, quo quidam indè à beneficiis extraneos repellere ſine privilegio Pontificio laborant. A ſæculo tandèm ibidem noneſt auditum, excludendos eſſe per vim extraneos; per vim extorquendum diploma Apoſtolicum, eandèm præſcribens excluſionem: per vim tandèm adigendum eſſe Pontificem, ut libertati Eccleſiæ, faventi extraneis, cedat, & vel invitus, ac ſine causâ concedat indultum, quod aliquibus aliis locis, non niſi pluries rogatus, graviſſimiſque cauſis ſic exigentibus, eſt largitus.

7. Qui paritèr Pontifex indultum ſimile conceſſit indigenis inſulę Milevitanæ (d): Ità nihilominus, ut non excluderentur familiares, & conſanguinei Epiſcopi, tametſi extranei (e). Nàm ab eo tempore uſque ad præſentem ętatem nullus Epiſcopus Melitæ fuit ejuſdem inſulæ nationalis, præter unum, tametſi numerum quinquaginta millium incolæ ipſius inſulæ excedant. Imò in pactis intèr Carolum V. Imperatorem, tamquàm Regem Sicilię, & Philippum de Villars Magnum Magiſtrum Religionis Equitum S. Joannis Hieroſolymitani, in conceſſione pręfatę inſulę, Imperator hanc appoſuit conditionem. *Juſpatronatus Epiſcopatus Milevitani, remaneat, prout eſt diſpoſitioni, & præſentationi noſtræ, ac ſucceſſorum noſtrorum Regni Siciliæ. Ità ut &c. in quemcumque caſum vacationis &c. dictus Magnus Magiſter, & Conventus dicti Ordinis, habeant nominare Viceregi Regni pręfati Sicilię tres perſonas ejuſdem ordinis, quarum una ſaltèm ſit, & eſſe debeat ex ſubditis noſtris, noſtrorumque in dicto Regno ſucceſſorum, idoneos, & ſufficientes ad ipſam paſtoralem dignitatem exercendam. Ex quibus tribus ſic nominandis, Nos noſtrique ſucceſſores in Regno prędicto, pręſentemus &c. ad dictum Epiſcopatum &c.* (f).

8. Clemens PP. VII. eodem anno 1530. conventionem ipſam confirmavit (g). Et en, non ſolum non excluſos extraneos à beneficio Epiſcopali Milevitano; ſed imò in pactum deductam eorum incluſionem, intèr Imperatorem, & Magnum Ma-

(a) *Leo X. conſt. 1. §. 5.*

(b) *Barboſ. in cap. in his 30 num. 2. de privil. Sylveſt. V. Privilegium qu. 6.*

(c) *Rota coram Carillo dec. 232. p. 7. rec.*

(d) *Roc. Pir. Sicil. Sacr. Notit 7. n. 37.*

(e) *Gonzal. ad reg. 8. Conc. gloſ. 9 §. 2. n. 45.*

(f) *Boſius Hiſt Hieroſol. Relig. f. 80.*

(g) *Rocc. Pir. Sicil. Sac. Notit. 7. ad ann. 1530 tom. 2.*

Magiſtrum Religionis Hieroſolymitanæ, Papâ pactum ipſum approbante, ità ut hìc tres Magnos Principes habeamus, beneficium epiſcopale præfatum aſſignantes extraneis: effectu vim ipſius pacti comprobante: quippè ab eo tempore uſque nunc, Epiſcopi Melitenſes fuerunt ſemper extranei, Germani, Aragonenſes, Caſtellani, Itali &c. & unus ſolus Balthaſſar Cagliares Melitenſis. Tam autem Papa, quam Imperator, & Magnus Magiſter, nec non illi cuncti, qui beneficium Epiſcopale Milevitanum, ut ſuprà ſuſceperunt, imò, & cuncti Papæ, Regeſque Sicilię, vi pactorum præfatorum, conferentes epiſcopatum illum, vel ad ipſum reſpectivè nominantes, omnes damnati eſſent; ſi elargiri extraneis beneficia eſſet adeò enorme crimen, quale illud exaggerant Contradictores, lęſivum jurium divini, naturalis, & humani. Quis autem hoc audebit effari, niſi eleboro indigeat, quo ſanetur, velut inſanus?

9. Redimus ad privilegium Leonis PP. X. collatum Milevitanis, arctativum largitionis beneficiorum ſolis indigenis illius inſulę. Edixerat pręcedentèr Maurus Epiſcopus Melevitanus, de ſui Capituli, Clericorumque ſuæ diœceſis conſenſu, *ne quis beneficia Melitę habere, vel obtinere poſſet, niſi ſit Melevitanus, vel Melitę continuus habitator*: hancque ſanctionem Martinus Rex Sicilię confirmaverat anno 1398. (a). Nihilominùs iſta lex nullius fuit momenti, nec advenarum excluſio ibi habuit effectum, niſi ab eo tempore, quo Leo PP. X. Apoſtolico diplomate Clericos extraneos excludendos eſſe decrevit. Iſtud autem poſteà privilegium temporis prolixitate fatiſcens, vel in deſuetudinem abiens, atque alitèr impugnatum à Clemente PP. VIII. fuit novo indulto ſuffultum, roboratum, & confirmatum, cujus tenor eſt qui ſubſequitur, prætermiſſis aliis, hic non neceſſariis. *Clemens Epiſcopus ſerv. ſervor. Dei &c. dudùm pro parte clarę memorię Caroli Romanorum Imperatoris, tunc in humanis agentis, fel. recordationis Leoni Papę X. prædeceſſori noſtro, expoſito, quod cum Civitas, & diœceſis Milevitan. Africanis infidelibus vicinę exiſtant, & earum incolę, ac habitatores, ſæpiùs contrà eoſdem Africanos, & alios Chriſti nominis hoſtes pugnarent, graviaque damna propterea ſuſtinerent, ſi de cętero, quod beneficia Civitatis, & diœceſis præfatarum non niſi Clericis illarum originariis, & in eis oriundis conferri poſſent, perpetuò ſtatueretur, & ordinaretur, ex eo profectò incolæ, & habitatores præfati, ad pugnandum contrà dictos infideles redderentur ferventiores, & eidem prædeceſſori pro parte ipſius Caroli Imperatoris, qui etiam utrinſque Siciliæ Rex exiſtebat, tam ſuo, quam bon. mem. Bonifacii electi Milevitani, nec non eorundem incolarum, & habitatorum nominibus humilitèr ſupplicato, ut in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolicâ dignaretur; Idem prædeceſſor &c. ſub dat. xj. Kal. April. Pontif. ſui anno 9. quod de cætero beneficia Civitatis, & diœceſis prædictarum non niſi Clericis illarum Originariis, & in eiſdem Oriundis conferri, nec ad illa alii, quam ipſi Clerici Originarii, & Oriundi præſentari, eligi, vel alio quovis modo aſſumi poſſent Apoſtolicâ auctoritate perpetuò ſtatuit, & ordinavit &c. Et nihilominùs eidem Bonifacio &c. & ſucceſſoribus ſuis ejuſdem Eccleſiæ Milevitanæ Præſulibus, ut ipſi de beneficiis, ad eorum collationem ſpectantibus &c. conſanguineis, & affinibus, ac familiaribus ſuis &c. licet forenſes exiſterent. &c. providere poſſent &c. ſtatuto, & ordinatione, ac decreto prædictis nequaquam obſtantibus, eâdem Apoſtolicâ auctoritate &c. indulſit &c. Ne autèm de ſtatuto, ordinatione, conceſſione, indulto &c. pręſatis, pro eo quod ſicut accepimus, ſuper illis certæ dicti prædeceſſoris literę, ſupplicationi deſuper ab eo ſignatæ, & poſtmodùm reformatę minimè concordes confectę, & propterea minus ritè expeditę fuerunt, & exindè graves lites, & controverſię ſunt exortæ, valeat quomodolibet hęſitari, ac incolę, & habitatores, ac alii pręſati, illorum fruſtrentur effectu; volumus, & eâdem Apoſtolicâ auctoritate decernimus, quod præſentes literæ, tamquam ſupplicationi, & illius reformationi hujuſmodi conformes, & ad debitam formam reductę, ad probandum plenè ſtatutum, ordinationem, indultum &c. prædeceſſoris hujuſmodi ubicumque ſufficiant &c. Dat.*

(a) *Rocc. Pir. Sicil. Sac. to. 1. notit. 7. n. 18. poſt med.*

Ro-

Romæ &c. anno 1591. 5. *idus Febr. Pontif. noſtri anno* 1. (*a*)

10. Vides hic, nullibi excludi poſſe Clericos extraneos abſolutè, etiam ſic decernente Antiſtite, ac Principe temporali tantundèm confirmante, niſi ubi, quando, qualitèr, & ſub quibus terminis præſcribit Apoſtolicum privilegium, unam intèrdùm ſpeciem extraneorum repellens ab eccleſiaſticis beneficiis, & aliam ſpeciem, prò ſuo libito non repellens, quales ſunt conſanguinei, affines, & familiares Epiſcopi, tametſi aliundè progeniti, de quibus in præfato Indulto Milevitano. Vides etiam hæc Apoſtolica privilegia, non oſcitantèr, non tumultuariè concedi, ſed ad preces Magnorum Principum, Præſulum, & Populorum, hocque non ſinè gravi, graviſſimâque causâ, compenſante diſpendium libertatis, quod patitur Eccleſia hujuſmodi reſtrictione collationis beneficiorum ad ſolos indigenas: Ut mirum ſit, quomodo noſtri Contradictores, illorumve Auctores, qui novitatem hanc promovent, velint à toto Regno Neapolis extraneos ablegare, ſine causâ, quæ receſſum expoſcat à ſtylo, uſquè ad hoc tempus, citrà ullam interruptionem ſervato: ſinè Indulto Apoſtolico, quod excluſionem ipſam decernat, & ſinè compenſatione, quę arctationi libertatis Eccleſię det congruum ęquilibrium. Demùm adeò irregularitèr ſe aſſequi poſſe arbitrentur, quod pręcipui Chriſtianitatis Principes non potuerunt niſi diuturnis precibus adipiſci!

11. Conſimilia, vel proportionalia his ea ſunt Indulta, quæ aliis etiam locis reperiuntur eſſe conceſſa, ut extranei à beneficiis eccleſiaſticis longè fiant, & de quibus à Scriptoribus ſit memoria. Tale eſt illud, quo Diœceſim Bononienſem fuiſſe à Gregorio XIII. conſtipatam refert Homobonus de Bonis (*b*). Tale aliud, quo decoratam nominat Diœceſim Panormitanam Hieronymus Nicolius (*c*): Item illud, quod Florentinis à Sixto Papâ IV. (*d*), Incolis Inſulæ Sardiniæ à Clemente Papâ VIII. (*e*), & indigenis Inſulæ Majoricenſis à Joanne XXII. Eugenio IV., & Pio V. (*f*), dicitur eſſe conceſſum; Etſi quæ alia ſunt, quæ cenſeantur, vel etiam fuerint Urbibus, Regionibus, locisuè conceſſa. Ibi etenim ſolis viribus talium indultorum innititur excluſio Clericorum extraneorum. Quæ diplomata ſi deeſſent, vel ubi ea fortè in deſuetudinem abierunt, extranei promiſcuè cum indigenis admittuntur: neque ex hoc capite locus eſt invalidandæ collationi beneficiorum: ceſſantque omninò ſuppoſita illa jura, divinum, naturale, & humanum, à Contradictoribus exaggerata, velut repellentia extraneos ab eccleſiaſticis beneficiis. Ut quid etenim repoſcere ab indulto ſpecialitèr impetrato id, quod omnia jura præfata cunctis generalitèr impertirent?

12. Alterius ſpeciei privilegia, ſed in idem cum recenſitis collimantia ſunt illa, quæ olìm per Pontifices aliquibus Eccleſiis data ſunt; ne ad beneficia illarum Eccleſiarum quiſquam, niſi ex ejuſdem gremio, admitteretur: ità ut indè nedùm Clerici extranei ablegarentur, ſed etiàm indigenæ, quoties dè corpore illius peculiaris Eccleſiæ non eſſent, indulto, ut dictum eſt, Apoſtolico communitę. Horum aliqua hic opportunè referemus, quæ licèt extrà Seculum, de quo effamur, emerſerint, quià tamèn eloquio, quod præ manibus habemus, conſentanea ſunt, repellendi à beneficiis extraneos, vi diplomatum Pontificiorum: & uniformitatem antiquę diſciplinę cum illa præfati Sęculi patefaciunt; bonum eſt ipſa hìc inſeri, & pleno calamo ad eruditionem omnium exhiberi. Itàque Stephanus Papa XI. diploma dedit Arnulpho Archiepiſcopo Narbonenſi, hæc intèr cætera includens: *Illud quoquè noſtrâ Apoſtolicâ auctoritate juxtà canonicam ſanctionem nobis addere placuit, ut quandò divinâ vocatione vos, veſtrique ſucceſſores, ex hac luce migraveritis, quandiù in ipsâ Eccleſiâ Narbonenſi repertus fuerit, qui dignus ſit officio Pontificatus ipſius fungi, nulli liceat ex alio loco inibi ingredi, nec jàm dictam, ſibi præditus quacumque dignitate, aut Regiâ auctoritate, uſurpare ſedem. Sed conventu vicinorum Coepiſcoporum occurrere valentium facto, abſquè alicujus poteſtatis interdicto, benedictionis Cleri, vel plebis, percipias dignitatem* (*g*). Hæcque Stephanus favore Eccleſiæ Narbonenſis edixit: deindè ad ſuffraganeas Eccleſias illius Metropolitanę ref-

(a) *Pir. Corrad. prax. benef. l. 3. c. 10. n. 45*

(b) *Homobon. Bonis Commentar. par. 3. tr. 14 qu. 4.*

(c) *Nicolius Floſcul. V. Concurſus §. nuſ. in fin.*

(d) *Card. Papienſ. epl. 664.*

(e) *Lotter. de rè benef. l. 2. qu. 31 m 121*

(f) *Rota cor. Merlin. dec. 814 fol. 387*

(g) *Steph 6. Epiſtola ad Arnulph. Narbon.*

reſpiciens, alia, uti ſequitur, ſubadjunxit, *Si verò aliquem de ſuffraganeis Coepiſcopis contigerit mori, perquirens Metropolitanus Epiſcopus electionem plebis ipſius, eam viſitare ſtudeat, utpotè viduatam Eccleſiam. Quod ſi fortè ibi talis non repertus fuerit, qui onus ſacerdotale ferre queat, per canonicam auctoritatem, & noſtram Apoſtolicam permiſſionem, licentia ſit illi abſquè ullâ retractatione de ſuâ Eccleſiâ talem inthronizare, qui ſuffraganeæ ſuæ Eccleſiæ dignus præeſſe valeat paſtor* (a).

13. Conſonat aliud privilegium, quod Hadrianus Papa I. Tilpino Archiepiſcopo Remenſi conceſſit, cavens, *ut nullus audeat, juxtà Sanctorum Canonum traditionem, ex alio Epiſcopatu ibidem translatare, aut conſtituere Epiſcopum, poſt tuam ex hoc Sæculo evocationem* (b). Præfuerant Remenſi Eccleſiæ uſque ab initio Antiſtites alienigenæ, quos intèr, S. Sinicius, & S. Amantius Romani: Betavius Græcus: Bennaudius Arelatenſis, frater S. Hilarii: Romanus monachus Jurenſis, Abbas Muntiniacenſis, in Diœceſi Trecenſi, & alii (c). Cumque ſubſequentibus quoquè temporibus plures extranei eximiam illam Metropolim ſint adepti; privilegium præfatum Hadriani Papæ I. Tilpino directum, temporaneum fuiſſe oportet, ac limitatum ad electionem Epiſcopi, poſt obitum ipſius Tilpini, proximè ſecuturam, quod & ipſa verba diplomatis, poſtremo loco allata, ſatis enuntiant. Quoàd intentum tamen noſtrum pertinet, ſufficit ex illis evinci, quod, præciſo tali Indulto, potuiſſent tunc Eccleſiam Remenſem Clerici aliundè venientes adipiſci. Rurſùs ex dictâ epiſtolâ Stephani VI. Arnulpho Narbonenſi directâ, patet, Metropolitano illi fuiſſe jus, Apoſtolicâ conceſſione collatum, novem Sedibus ſibi ſuffraganeis de propriâ Narbonenſi Eccleſiâ dandi Paſtores: quod idem eſt ac præficere Clericos ortu extraneos, ac inſimùl judicare, abſquè ullâ retractione, an his extraneis præferendi, an verò poſtponendi eſſent indigenæ. Undè ex hoc privilegio, vel quà repellit à Narbonenſi Eccleſiâ viros extraneos; vel quà ad ſedes ſuffraganeas Clericos Narbonenſes admittit; bicipiti ratione cauſa extraneorum ſuffulcitur, ut hi promiſcuè cum indigenis, ſint beneficiis eccleſiaſticis inſigniendi.

14. His addantur diplomata, Monachis per diverſos Pontifices conceſſa, ut non aliundè quàm de eorum gremio, deberent Abbates præfici Monaſteriis: parilitas etenim congrua concurrit intèr beneficia Abbatialia, & Epiſcopalia, quià ſicut Epiſcopalia, ſunt eccleſiaſtica beneficia (d); ità etiam intèr eccleſiaſtica beneficia, ſunt Abbatiæ (e), nedùmque Abbatiæ ſæculares, ſed etiam regulares (f). Et ideò benè ſcripſit Nicolaus Papa I. in epiſtolâ ad Carolum Calvum Regem: *ergà Monachos eadem profectò regula, quæ circà Clericos, qui promovendi ſunt, conſervanda eſt* (g). Sanè Nicolaus ipſe favore monaſterii *Corbejenſis*, hoc exaravit indultum: *Abbatem fratres ipſius monaſterii de sè ipſis eligendi ſempèr habeant poteſtatem* (h). Paritèr favore monaſterii S. Carileſi: *Abbatem verò de ſe eligendi fratres cœnobii Sancti Carileſi ſemper habeant poteſtatem* (i). Marinus Papa I. monaſterium *Solemniacenſe*, hoc privilegio inſignivit, *ut obeunte Abbate prædicti cœnobii, nullus ibi quacumque ſubreptionis ambitione, Abbatem ſtatuere præſumat, niſi quem ejuſdem loci monachi, ſecundum authenticam, & regularem ſubſtitutionem, ex ſe ipſi elegerint ordinandum* (l). Joannes PP. VIII. conſimili diplomate *Floriacenſe* monaſterium communivit: *A propriis Abbatibus Monachis ex eodem cœnobio regularitèr electis: in perpetuum gubernetur* (m). Idipſumque indulſit monaſterio *Nonantulano*: quod cum invaſiſſet Adelardus Epiſcopus Veronenſis, eum Papa à fidelium communione ſejunxit: *timorem*, inquit, *Divinum parvipendendo, contrà Sacras Prædeceſſorum noſtrorum, noſtrique privilegii inſtitutiones, quibus de propriâ ſemper Congregatione Abbatem fieri jubetur* (n).

15. Eodem modo Alexander Papa III. indultales literas prò Abbate, ſeù Archimandritâ S. Salvaroris *Meſſanenſis* apud Siculos exaravit, ſic eum alloquens: *Obeunte verò tè nùnc ejuſdem loci Archimandritâ, vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi, quâlibet ſubreptionis aſtutiâ, ſeù violentiâ præponatur, niſi quem fratres monaſterii &c. de sè ipſis providerint eligendum* (o). Similitèr Urbanus Papa II.

alio

(a) Idem loc. cit.

(b) Hadrian. I. epl. 35

(c) Vide ſeriem Arpor. Remenſ. n. 2. 3. 4. 14. 15.

(d) Mart. de juriſd. p. 2 c. 39. n. 7.

(e) Barboſ. jur. Eccleſ. Univ l. 3. c. 4. n. 69

(f) De Luca de benef. diſc. 97. n. 17.

(g) Nicol. I epl. 54. ap. Concil. Gall. tom. 3.

(h) Nicol. I. epl. 24.

(i) Nicol. I. epl. 62.

(l) Marin. Papa I. apud Sirmond. tom. 3. Conc. Gall. f. 520

(m) Jo: Papa VIII. apud Sirmond. loc. cit. fol. 484.

(n) Joan. Papa VIII. epl. 47. apud Binium to. 7. Concil.

(o) Alex. III epl. 27.

alio non difformi diplomate monaſterium *Sancti Pauli Narbonenſis* Metropolis decoravit (*a*): pluraque alia hujuſce generis privilegia poſſent hîc affatim congregari, niſi exuberantia faſtidium, onuſque eſſet lectoribus allatura. Unum non omittemus, quod hujuſmodi indulta ideò à Sede Apoſtolicâ præbebantur, ut laicorum, & etiàm Clericorum, necnon & Monachorum, qui in aliis cœnobiis regularem vitam profeſſi erant, retunderetur audacia, quâ conabantur in alienis beneficiis Abbatialibus inſilire, vel alios reſpectivè in eis intrudere. Notum eſt enim, quod ſæpè ſæpiùs Principes aliqui, propriâ freti potentiâ, meros Clericos ſæculares, imò & aliquandò ſè ipſos, & alios puros laicos, Monaſteriis Regularibus præponebant. Ità Magnus Hugo Pariſienſis (Pater Hugonis, primi qui ex lineâ Capetinâ Gallicanum tenuerit Sceptrum) quamquàm miles, & militum ductor, dictus fuit communitèr Abbas, quippè tribus inſignibus præerat Abbatiis; nempè S. Martini Turonenſis, & S. Dionyſii, atque S. Germani Lutetiæ Pariſiorum (*b*). Eandem Abbatiam S. Martini Carolus Craſſus Hucberto conjugato donavit (*c*): & Ludovicus II. *quos potuit, reconciliavit ſibi, dans eis Abbatias, & Comitatus, & Villas, ſecundum uniuscujuſque poſtulationem* (*d*). Narrat Cedrenus, Theophilum Imperatorem Iconoclaſtam cœnobia, pulſis Monachis, viris ſæcularibus tradidiſſe (*e*): & Balſamon memorat, aliquandò Conſtantinopoli fuiſſe laicos, qui tenebant *complura Monaſteria, & Clericorum Officia* (*f*).

(a) *Urban. Papæ II. in confirm. Privil. Monaſt. S. Paul. Narbon.*

(b) *Foreſt. Mappam. Hiſtor. in Lothar. Reg. Franc. f. 222*

(c) *Annal. Bertinian. an. 862. to. 3.*

(d) *Thomaſſin. Vet. & nov. Eccl. diſcipl. p. 2. l. 2. c. 28. n. 10.*

(e) *Cedren f. 528.*

(f) *Balſam. in Concil. Trullan c. 33.*

16. Ità non attendebant Principes illius temporis, quod *Monachico ordini præficere vel Laicum, vel Canonicum, non eſt ſervare ordinis profeſſionem, ſed evertere: quod unuſquiſque præpoſitus, cujus eſt ordinis, ejus quoque erit & propagator: nec benè diſpones aliquando cujuſcumque militiæ vitam, cujus non fuerit ipſe, qui diſponit æmulator* (*g*). Ità non omnes Principes imitatores erant Magni Othonis Imperatoris, de quo Luitprandus: *Comes quidam prædives cum eo erat, cujus multitudo militum Regis aciem condecorabat. Hic itàque, videns quamplurimos ex Regis acie deſertores, ac transfugas fieri &c. tacitus hæc ſecum volvere cœpit. Quidquid à Rege, in hac turbatione conſtituto, petiero, ſinè dubio impetrabo &c. Nunciis itàque directis, Regi ſupplicat, ut Abbatiam quandam, Laureshaim dictam, prædiis ditiſſimam, ſibi concedat, cujus poſſeſſionibus quod ſibi deerat militibus ſuis miniſtrare prævaleat &c. Cui Rex, populo circumſtante: Obedire, inquit, magis oportet Deo, quam hominibus &c. ſcriptum eſt enim, nolite ſanctum dare canibus. Quod quamvis à Doctoribus ſpiritualitèr intelligendum eſſe prædicetur; ego tamèn ſatis mè dare canibus Sanctum cenſeo, ſi monaſteriorum prædia, quæ à religioſis viris Deo ſunt militantibus tradita, tulero, & Sæculo militantibus dedero* (*h*).

(g) *Nicol. Pap. I. ep. 24 ad Fraſulfum Corbejenſ ap. Sirmon. tom. 3. Conc. Gall. f. 219.*

(h) *Luitprand. Ticinen. Hiſt. l. 4. c. 15.*

17. Porrò adverſus hujuſmodi invaſiones, altis ejulatibus conclamarunt Patres in Conciliis congregati, & præſertim in Concilio Nicæno II. (*i*): in Trullano ubi renovatus eſt canon 24. Chalcedonenſis (*l*): in Concilio Meldenſi anno 845. (*m*): in Aquiſgranenſi anno 836. (*n*), & in pluribus aliis. Celebriſque eſt invectiva, quâ Patres, in Concilio ad Theodonis Villam conſidentes, ità ſunt Carolum Principem allocuti, *Sacrum Monaſticum ordinem, & quædam etiam loca ſpecialiùs venerabilia, contrà omnem auctoritatem, & rationem, & Patrum veſtrorum, ſed Regum præcedentium conſuetudinem, laicorum curæ, & poteſtati in maximo veſtro periculo, & illorum perditione, & Dei, ac Sanctorum non modicâ ad iraſcendum provocatione, vos commiſiſſe dolemus* (*o*). Nèc dubitavit Concilium Pariſienſe occupatores Abbatiæ Corbejenſis cenſuris eccleſiaſticis coercere, hoc decreto, *ſi quis gratiâ apud Dominos rerum, monaſterium illud impetrare voluerit, primò ſecundum canonicam auctoritatem, quià ſæculari poteſtate Eccleſiam Dei obtinere voluit, anathematizamus, cum Sanctis omnibus Patribus, qui ſacros canones edidere* (*p*). Quæ dùm agerent Concilia; etiàm Romani Pontifices ea præſidio poteſtatis Apoſtolicæ, muniebant, Indultis peculiaribus Monaſteria roborantes, ne quiſquam eiſdem præficeretur, contrà fratrum conſenſum, & qui parilem cum Monachis regularem obſervantiam non teneret. En verba Nicolai Papæ I., vim addentis decreto, quod pri-

(i) *Conc. Nicæn. 2. cap. 15.*

(l) *Concil. Trul. c. 49.*

(m) *Concil. Meldenſ. an 845. c. 41. 42.*

(n) *Conc. Aquiſgran. 2. c. 19.*

(o) *Concil. ad Theod. Vill. c. 3*

(p) *Concil. Pariſ an. 846 ap. Syrmond to. 3. Conc. Gall. f. 62.*

pridèm favore dicti cœnobii Corbejenſis allegata Synodus definierat: *nequè Rex, nequè poteſtas aliqua ullam monaſterio Corbejenſi præponat perſonam, quam non fratres ipſius elegerint monaſterii* (*a*).

(a) *Nicol. I. epl. 24.*

18. Nec ſolùm laicos, & Clericos ſæculares, ut innuimus, à regularibus Abbatiis abſtinere ſatagerunt Pontifices, & Concilia; ſed etiàm Monachos, in aliis cœnobiis vitam cœnobialem profeſſos. Olim etenim monaſteria erant intèr ſè tàm late diſciſſa, ut unum ab alio non penderet, eo modo quo nùnc monaſteria Monialium, necnon domus Patrum Oratorii S. Philippi Nerii, ſunt intèr ſè independentes, ac omnimodè ſeparatæ. Quarè unuſquiſque Monachus ab initio erat Xenochoreta, ſive incola, filius peculiaris, proprius, & affixus monaſterio, in quo vitam cœnobiticam profeſſus fuerat (*b*). Quibus ità ſe habentibus, licitum non erat Monachis ab uno monaſterio ad aliud tranſmigrare, prout patet ex Novellâ Juſtiniani (*c*), ac ex decreto Lucę Patriarchæ Conſtantinopolitano, pro Monachis illius diſtrictus, quod memorat Balſamon, & ex eo Fileſacus (*d*). Ideò in pręfatis privilegiis cavebant Pontifices, nè Monachus unius cœnobii, alterius Aſceterii Abbas evaderet. Et ità in præfato diplomate Corbejenſe Nicolaus Papa expreſsè decernit, ne quis ei præficiat *Canonicum, aut laicum, nequè alterius monaſterii Monachum* (*e*). In Synodo quoquè Magdunenſi cœnobitę S. Petri Senonenſis conqueſti eſſent, sè plurimum diſcriminis toleraſſe *idcircò, quod eis à ſuis Pontificibus, Senonenſis videlicèt Eccleſiæ præſidibus, multi ex aliis cœnobiis in prælaturam regiminis Abbates conſtituerentur*, Epiſcopi decreverunt, *ut nullus deinceps ordinaretur Pater monaſterii, niſi quem ipſi ſuâ diſpoſitione, & libitu voluntatis, ex ſuis eligerent* (*f*). Itàque ſi opus fuit, ut, ad repellendos extraneos à beneficiis Abbatialibus, interponerent Pontifices diplomata; & ut Concilia Epiſcoporum, reſpectivè, ſanctiones ederent, id vetantes; proculdubiò extraneorum excluſio à nullo jure præcipiebatur: quippè aliàs ſuperfluum fuiſſet ſub ratione privilegii ſtatuere id, quod jàm præventivè cuncta jura ſtatuiſſent. Et ſic quot mox Pontifices aggregavimus, & Concilia, ſive prò beneficiis Epiſcopalibus, ſive prò Abbatialibus, indulta, & decreta edentia, quibus extranei repellerentur; tot rationes in unum colligavimus, dictitantes, quod, præciſis memoratis privilegiis, liberum eſt beneficia eccleſiaſtica, etiàm Clericis extraneis elargiri.

(b) *Fileſac. de Sacr. Epiſcopor. auctorit. c. 7. §. 1. f. 165.*
(c) *Novel. Juſtin. III. cap. 2.*
(d) *Joann. Fileſacus loc. citato Vid. ſupra tom. 1. ſæc. 4. c. 6. n. 22.*
(e) *Nicol. PP. I. epiſtola 25.*
(f) *Dacher. in Spicileg. tom. 2.*

19. Omittimus hìc notare, quod excluſio extraneorum à beneficiis Abbatialibus, vi diplomatum Pontificiorum deſignata; non à diverſitate originis, ſed à diſparitate profeſſionis regularis diffluebat, ne ſcilicèt viri diſtinctum inſtitutum profeſſi, præſiderent Monachis, diverſæ vivendi formæ, ac diſciplinæ differenti, aſſuetis. Et ſic ſi viri præfati monaſteriis præficiendi, eandem regulam, & in eodem cœnobio privilegiato profeſſi eſſent; quantumlibet ortum ex diſſitiſſimis Orbis partibus deduxiſſent, optimè ibi beneficia Abbatialia conſequi potuiſſent, quià inibi fuiſſent Xenochoretæ. Præterquàmquod ipſa diplomata Pontificia tales in sè particulas continebant, quę admiſſionem extraneorum intrinſecùs imbibebant. Sic enim cum Innocentius Papa II. monaſterio S. Ægidii privilegium contulit poſtulatum; hoc modo effatus eſt, *veruntamèn eodem Abbate decedente, vel ad locum alium, ipſo, vel ejus ſucceſſoribus tranſmigrantibus, fratres monaſterii S. Ægidii eligendi de congregatione ſuâ Abbatem, abſque impedimento habeant poteſtatem* (*g*); ubi per ly *ad locum alium tranſmigrantibus*, patet, quod jàm res monachales eo deductæ erant, ut Monachus poſſet de uno ad aliud beneficium Abbatiale, tranſire, à quorum profectò alterutro neceſſario erat extraneus. Ità etiam Innocentius Papa III. conventui S. Leufredi de Cruce ſcribens, hæc recenſuit, *cum quondam Monachi S. Leufredi Abbatem quendam aliundè, quàm de S. Audoeni gremio elegiſſent, Abbas S. Audoeni hæc comperiens, appellavit, & proptèr ſententiam delegatorum Apoſtolicę Sedis, electum renuntiare oportuit Abbatiæ, qui cum factâ profeſſione Abbati per dies aliquot in ipſo monaſterio reſediſſet, per Abbatis conceſſionem datus fuit præfatis Monachis in Abbatem.* Et infrà; *electo à vobis, nos ipſi munus benedictionis*

(g) *Innoc. II. epl. 33.*

ctionis curavimus exhibere &c. (*a*); quæ dicens, patefacit, quod Abbatiale beneficium S. Leufredi poſſidens, vel tunc erat extraneus, cum à Monachis cœnobii ipſius eligebatur, vel cum ei è gremio monaſterii S. Audoeni præficiebatur.

20. Paritèr idem Pontifex conventui S. Salvatoris de Tileſio haſce literas dedit: *Mandamus &c.*, ut *vel de ipſius monaſterii gremio, ſi quiſpiam ibi reperitur idoneus, vel de alio etiam monaſterio, ſecundùm regularem obſervantiam, talem perſonam ſtudeatis eligere in Abbatem, quę afflicto monaſterio prȩeſſe valeat, & prodeſſe, quem cum electus canonicè fuerit &c. noſtro conſpectui præſentetis, benedictionem recepturum à nobis, ſi veſtris votis duxerimus annuendum; ſi verò ſecùs agere præſumpſeritis &c. nos ipſi per alios faciemus indemnitati monaſterii providere* (*b*): per quæ clariſſimè apparet, fuiſſe in optione fratrum, vel aliquem de gremio eligere, vel indè extraneum accerſire, & tantundem fuiſſe liberum Papæ, vel electum à fratribus approbare, vel alium aliundè ſumptum Abbatiali illi beneficio prȩficere. Demùm cum ipſe Innocentius III. indulſit Fulconi Abbati Corbejenſi, ut nullus illi cœnobio præponatur, niſi quem fratres *de eodem collegio, vel alterius cœnobii, ſi ibi aliquis ad hoc regimen dignus repertus non fuerit, providerint eligendum* (*c*). Cum quoquè Leo Papa IX. idipſum favore ipſius monaſterii Corbejenſis, nec non & Cluniacenſis, & S. Sophiæ Beneventanæ, decrevit (*d*): Cum tandèm Joannes Papa XIII. cœnobio Glaſſengeburienſi tantundem conceſſit, ità ut etiam extremus de illius gremio eligi poſſet, dummodò idoneus; ſin minùs alibi conquireretur (*e*); Hi Pontifices, inquam, oſtenderunt, quod nedùm ubi privilegium deerat, ſed etiam in ipſis monaſteriis, quibus talia indulta favebant, & in quibus erat moralitèr impoſſibile, quod nullus de illorum gremio, ad prælaturas monaſticas eſſet idoneus; adhùc extranei ad Abbatiale beneficium poterant accerſiri: & ad Monachos pertinebat, vota vel alicui de gremio conferre, vel extraneo impertiri: & omninò illorum erat dijudicare, an hic & nunc, dum agenda erat electio, ſatius eſſet concœnobitam aliquem eorum, vel alium extraneum, advocare, ac ſibi in ſuperiorem præficere.

21. Alia de hac rè videantur inferiùs (*f*); nec enim volumus hìc ulteriùs eruditiones ſimiles aggregare, nè onus afferamus lectoris, & nè à ſuſcepto itinere ſȩculi, quod percurrimus, lóngiùs abſcedamus. Eſt ergò ſumma ſummarum totius argumenti, à numero 1. uſque ad præſentem producti, quod ex totâ ſerie hiſtoriarum, tàm geſta, quàm privilegia prȩfata continentium, id evidentiſſimè comprobatur, quod ad hoc ut in aliquâ Eccleſiâ non poſſit beneficio munerari Clericus extraneus, oportet ut adſit privilegium Apoſtolicum, id expreſſiſſimè interdicens. Et quod ubi quoque indulta talia concurrunt, ad electores pertinet definire, an quoties beneficium concedendum eſt, opportunius ſit virum indigenam extraneo, vel è contrà, præferre: ſicque quocumque vertatur ratio, ſemper favore libertatis Eccleſiæ perorat. Quicquid autem liberum erat electoribus operari, circà prȩlationem extraneorum, quando beneficia per viam electionis canonicȩ concedebantur; liberum etiam eſt nùnc Collatoribus beneficiorum, vel Nominatoribus ad ea, exercere: tàm Collatores quippè, quàm Nominatores, in locum electorum ſuccedunt: ſubrogatum autem ſapit naturam ſubrogati (*g*): & jure ejus uti debet, qui in jus ſuccedit alterius (*h*). Sed ad alia tranſeamus.

22. Intrà curriculum ipſiuſmet Sæculi Decimiſexti datum eſt Hydruntinis à Clemente PP. VII. privilegium, excluſivum extraneorum, propter infauſtam illam vaſtitatem, quam paſſi ſunt ab impiis Mahometanis. Nàm ſeviſſimus Mahometes II. Turcarum Rex, ſivè Tyrannis, victoriis factus inſolens, & ſuo turgidus faſtu, quod *duo Imperia, Conſtantinopolitanum, & Trapezuntinum, ac duodecim Regna ſubvertiſſet, & pluſquam ducentas magnas urbes Imperio ſuo ſubjeciſſet* (*i*); Italiam quoquè occupare in votis habens, Hydruntum infelicitèr expugnavit, operâ Achmetis præfecti maritimæ illius claſſis, qui poſt dies 17. obſidionis, ruptis mœniis, ad veſperam diei, urbem ipſam intravit, multaque ibi

(a) Innoc. III. to. 1. epiſtolar. f. 320. & ſeq.

(b) Innoc. III. tom. 1. epiſtolar. f. 140.

(c) Innoc. III. epiſtolar. to. 1. f. 236.

(d) S. Leo IX. epl. 15. 16. & 19.

(e) Joan. PP. XIII. epiſt. 2.

(f) Vid. infr. tom. 3. c. 7. à n. 12.

(g) Barboſ. in cap. 3. Ut lit. pend. lib. 2.

(h) DD. ap. Barboſ. Axiom. 135. num. 9.

(i) Spondan in Auctar. ad Card. Barò an. 1480. & 1481.

edidit immaniſſimæ crudelitatis exempla. Oppidani penè omnes necati, matres familias, ac elegantiores fœminæ conſtupratæ, Eccleſiæ profanatæ, ſacra contaminata, cuncta cruore natantia: quę res tanto terrori fuit, ut niſi poſt annum tertium, ob Mahometis mortem Turcæ diſcedere coacti eſſent, valdè metuendum erat, ne totam Italiam progreſſu temporis ſubjugarent (*a*). Ipſi namquè Turcæ audito Principis obitu, & adventu Matthiæ Corvini Hungariæ Regis, Italiam deſeruerunt, & Hydruntum, poſt aliquot menſium obſidionem, deditione dimiſerunt, cunctis Turcis præſidiariis in captivitate remanentibus (*b*).

(a) *Raphael. Volater. Geograph. l. 6. in Papygia.*

(b) *Spondan. ubi ſupr. an. 1481.*

23. Deſcribit Crantzius acerbiſſimam lanienam Hydruntini populi, quandò Mahometani urbem illam primò expugnarunt. Archiepiſcopus captus, & morti traditus eſt: illi qui in hoſtium manus venère, omnes capite plexi: Dux civitatis captus, & ipſe excoriatus, & medius diſſectus: ſuprà duodecim millia civium periiſſe ait, evaſiſſe bis mille, & ducentos (*c*). Lanovius verò adhùc majorem fuiſſe cladem indigitat, inquiens, Achmetes Hydruntum *aggreditur, & obſidet, ac poſt dies ſeptemdecim expugnat, invadit, diripit, pueris, & mulieribus in acerbiſſimam ſervitutem abductis, ac reliquis civibus, ad quatuordecim millia, in valle, quæ Martyrum dicitur, trucidatis, cæſis, & in proximo colle, qui Martyrum quoquè dictus eſt, pluſquam ſeptingentis hominibus: Archiepiſcopo homine ſene, & ſuprà modum reverendo, per inauditam eatenus crudelitatem ſerrâ ligneâ diſſecto. Indè in Apuliam tranſgreſſus, obvia quæque populatur, vaſtat ferro, flammaque abſumit, ut univerſa penè Italia in diſcrimen abducta videretur* (d).

(c) *Crantz. l. 2. Metrop. c. 15.*

(d) *Franciſc. Lanovius Chron. Minim. an. 1480.*

24. In tanti excidii calamitate quærere erat apud Hydruntum urbem Hydrunti, deſolatam, exciſam, opibus, & civibus vacuatam, clero exinanitam, & ſolis crudelitatis exuviis redundantem. Rex nihilominus Neapolis Ferdinandus I., ejuſdem civitatis infortunio commotus, prout potuit, illi miſertus eſt, & ut eandem populo iterùm repleret, remediis politicis, atque civilibus eſt conatus. Idipſum fecerunt alii Reges, qui prò tempore ſucceſſere. Interque alia remedia, implorata quoquè eſt pietas *Clementis Papæ VII.*, ut eidem urbi largiretur indultum, cavens, nè quiſquam extraneus in eâ Diœceſi poſſet beneficia ſacra adipiſci. Clemens cladis ejuſdem urbis miſertus, cum illâ volens gratioſe agere, ac facilè Caroli V. Imperatoris, Regiſque tùnc Neapolis, interventione commotus, diploma contulit poſtulatum (*e*). In quo recenſet ſibi ab Hydruntinâ Communitate, fuiſſe expoſitum miſerabilem ſtatum ſuæ civitatis, propter vaſtationem Turcarum, quæ in cauſâ fuerat, quo tàm Clerici, quam cæteri cives ejuſdem urbis valdè erant inopiâ fatigati, atque magnâ pauperie laborabant.

(e) *Clemens 7. 7. Idus Novembris 1524.*

25. Tùmque ſubjungit: *Et licèt poſt recuperationem hujuſmodi, jàm per 44. annos, vel circa, Reges, & Principes ſæculares Regni Siciliæ diverſas immunitates, & commoda civitati, & civibus præfatis conceſſerint, ac eos ab omnibus functionibus fiſcalibus, ordinariis, & extraordinariis, exemerint, & exemptos conſervaverint: necnon omnia illius officia ſæcularia ſolis civibus ejuſdem civitatis conceſſerint, & concedant; nihilominùs ipſa civitas nondùm prò medietate reſtaurata exiſtit, ſed cives adhùc in paupertate adeò ſunt, quod Clerici præfati opere manuali vivere coguntur. Nos igitùr &c. Decernimus &c. Omnia, & ſingula beneficia ejuſdem civitatis, etiàm diſpoſitioni Apoſtolicæ reſervata, ac ſi de jure patronatus Clericorum, vel Laicorum, & nobilium fuerint, quæ per ceſſum, vel deceſſum, ſeù quamvis aliam dimiſſionem, aut admiſſionem, & ſeù aliàs quovis modo apud Sedem Apoſtolicam vacare contigerit, ex civitate hujuſmodi oriundis, & naturalibus, ac benemeritis, & idoneis perſonis, & non aliis conferri, aut commendari debeant; nec de iliis aliàs quovis modo diſponi poſſit: ac collationes, proviſiones, uniones, ſuppreſſiones, & quaſvis alias diſpoſitiones de beneficiis ipſis aliàs, quam ut præmittitur, etiam per ſedem prędictam, & exindè ſecuta quæcumque, nullius roboris, vel momenti, ac nulla, & infecta exiſtant: ipſaque beneficia nihilominùs, tàm de jure, quàm de facto, donèc oriundis hujuſmodi conferantur, vacare cenſeantur* (*f*).

(f) *Clem. 7. ubi ſupr. apud Ferd. Ughellum Ital. Sacr. tom. 9 in Epiſc. Hydrunt. num. 36.*

26. Ad-

26. Additque, ſivè extendit indultum ad alia dicens: *Quodque exemptio decimarum Clerici, & perſonæ eccleſiaſticæ dictę civitatis &c. à quibuſcumque decimis, exactionibus, & collectis, etiam Apoſtolicâ auctoritate prædictâ, etiam prò expeditione contrà infideles, ac redemptione captivorum, & fabricæ Baſilicæ Principii Apoſtolorum de Urbe, ac ex quacumque aliâ, etiam quantumcumque neceſſariâ, & urgentiſſimâ causâ prò tempore impoſitis, & contributionibus in illis faciendis, penitùs, & omninò exempti, & liberi exiſtant, & ad illarum præſtationem, ſeù ſolutionem minimè teneantur, nec ad id compelli, nequè propterea aliquibus cenſuris, ſeù pœnis innodari poſſint &c.* (*a*). En qualem ſenſum habuerunt hucuſque incolæ Regni Neapolitani circà excluſionem Clericorum extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis. Si tota Communitas Hydruntina, & illam protegens Rex Neapolis, non niſi ex ſpeciali gratiâ, & ex peculiari Indulto Apoſtolico, illam conſequi potuerunt; ſignum eſt primò, quod de jure Clerici extranei à beneficiis eccleſiaſticis non repelluntur. *Fruſtrà* enim, inquit lex, *precibus impetratur, quod à jure communi competit* (*b*). Signum eſt ſecundò, quod hęc excluſio non alitèr, quàm ex gratiâ, nec ab alio, quàm à Summo Pontifice poteſt obtineri, & ex cauſis adeò gravibus, quæ relevantiam arctationis libertatis eccleſiaſticæ aliquo modo compenſent.

27. Sanè cum Privilegium ſit lex privata, ſivè jus ſingulare, contrà jus commune conceſſum (*c*); de ſui naturâ habet, quod aliquid operari debeat, à jure communi diverſum: alioquin privilegium non erit (*d*). *Nequè enim privilegia aliquibus concederentur, ſi prætèr generalem legem nulli aliquid ſpeciale indulgeretur* (*e*). Si ergò opus fuit Hydruntinis, ſi opus eſt cuilibet Eccleſiæ, diplomate Sedis Apoſtolicæ ſe munire, ut à beneficiis Clericos extraneos valeat protelare; jàm patet ad evidentiam, quod ubi privilegia talia non habentur, licitè, ac juſtè Clericis extraneis nec debent, nec poſſunt beneficia eccleſiaſtica denegari. Et cum oculis intueamur, manibuſque palpemus, quod & Reges, & Regna, & Urbes, & Monaſteria, & Eccleſiæ, quibus in deſiderio fuit Clericos ipſos extraneos à ſuis finibus elongare, nè beneficiis eccleſiaſticis præficiantur; id implorarunt ex gratiâ peculiari à Pontifice; contendere prò eorundem excluſione ſinè tali privilegio, non eſt juſtitiam ſequi, ſed veritatem cognitam impugnare.

29. Abſque eo, quod quidquam proficiat futilis illa gloſſatio Contradictorum, quod hæc privilegia Apoſtolica non ſint gratioſa indulta, nequè conceſſiones gratuitæ, aliquid indebitum conferentes, ſed potiùs quædam recognitiones bonę fidei, idipſum indulgentes, quod jus de ſui naturâ diſponit. Nàm *inprimis* hæc gloſſatio repugnat in terminis eſſentiæ privilegii; cum enim, ut innuimus, de ratione privilegii ſit, quod aliquid juri contrarium, ſive diverſum ab eo, quod jus diſponit, debeat continere; certè privilegium Apoſtolicum, excluſivum extraneorum, non poteſt eſſe recognitio bonę fidei, tantundem declarantis, quod contineat jus commune. *Secundariò*, recognitio bonæ fidei ſupponit debitum alicujus rei, à jure præſcriptæ; privilegium autem ſupponit, rem, quam confert non eſſe debitam; ſed ex merâ liberalitate, & gratiâ id impertiri, quod confert: ergò privilegium, de quo agimus, non poteſt eſſe recognitio bonæ fidei. *Tertiò*, recognitio bonæ fidei præviam poſſeſſionem, vel quaſi poſſeſſionem imbibit rei recognitæ, favore illius, prò quo fit recognitio: privilegium verò poſſeſſionem ipſam, vel quaſi poſſeſſionem excludit: & ità ſe habet privilegium præfatum. *Quartò*, recognitio bonę fidei nihil aliud eſt, quàm declaratio veritatis: ſed nulla veritas eſt, quod jura excludant, tàmquàm ex debito, Clericos extraneos à beneficiis; imò veritas eſt, quod eos jus commune, ac praxis totius Eccleſiæ non excludit, ubi privilegia pręfata ceſſant, prout hucuſque mille penè rationibus patefecimus; ergò indulta Pontificia, prò præfatâ excluſione impetratâ, & reſpectivè conceſsâ, non ſunt recognitiones bonæ fidei, ſed conceſſiones gratioſę; non ex debito, ſed ex merâ largitate collatæ: nęc niſi ex tali, & tàm gravi causâ collatæ, ut compen-

ſatum

(a) *Apud. Ughellum loc. cit.*

(b) *L. 1. C. de theſaur. lib. 10.*

(c) *Abb. in cap. olim. num. 7. de verb. ſign. Azor. inſt. mor p. 2. l. 5. c. 22. Barboſ. indit. 33. num. 5. de privil. & in c. ſane 9. de privil. & in cap. Abbate 25. de verb. ſignif. l. 5.*

(d) *Eman. Rodriq. qu. Reg. tom. 1. qu. 11. ar. 9. & to. 2. q. 63. ar. 2. & to. 3. qu. 50. ar. 3. Barboſ. in c. in biſ. 30. de privil. l. 5.*

(e) *Cap. ult. § ſi ergò 25. qu. 1.*

ſtatum remaneat diſpendium nativæ libertatis; quod Eccleſia per ipſamet diplomata incurrit.

29. Præterea, *Quintò*, ſi hæc gloſſatio Contradictorum locum haberet, deluderentur omnia privilegia conceſſa, & clauderetur via illorum conceſſioni in futurum. Deluderentur jam conceſſa, quia hoc modo quidquid à Papis, quidquid ab Imperatoribus, quidquid à Regibus, Præſulibus, & Principibus ex privilegio conceditur, reciperetur à conceſſionariis tamquàm ex debito, tamqnàm de jure, tamquàm ex neceſſitate collatum: & ſic jam nulla eſſet gratioſa indultorum collatio, & confunderentur quælibet privilegia cum jure, & ludificaretur, ſeù deluderetur eorum vera ſignificatio. Clauderetur poſteà via illorum conceſſioni in futurum: quandoquidem nullus Princips Eccleſiaſticus, vel Sæcularis, inpoſterum conceſſurus erit ullum privilegium, ſi ſciet, quod illud à recipiente, non cum ſenſu gratitudinis, & velut ex gratiâ, ſed tamquam quid ex juſtitiâ debitum, poſtuletur. Quis enim privilegium conferat ei, qui prætendit illud ex debito? qui, quod eſt gratuitum, ex obligatione depoſcit? qui à gratiâ ſubſtantiam gratiæ divellit?

30. Ad hæc *Sextò*, ſi indultum Pontificium, excluſivum extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis eſſet recognitio bonę fidei, & non privilegium gratioſum; Rex Neapolis non illius impetrationem Hydruntinis ſuis ſubditis permiſiſſet, nè vulnerarent vim juris, idipſum, ut ſupponitur, ſinè privilegio ſancientis: & nè à gratiâ ſpeciali Pontificia repoſcerent, quod ſinè illâ gratiâ ſibi eſſe debitum reputarent. Et ità quando Bonifacius PP. VIII. obtulit indultum Philppo IV. Francorum Regi, diſponendi, uti faciebat, de beneficiis eccleſiaſticis, dicens, *volumus, quod Rex faciat licitè, quod facit illicitè* (a); Rex diploma accipere recuſavit; quia jus illud aliundè quàm à novo illo privilegio ſe habere contendebat. *Septimò*, ſi Brevia Apoſtolica ſuperius enunciata, & ſignantèr Breve Clementis Papæ VII. favore Hydruntinorum, excludens à beneficiis illius diœceſis extraneos, non fuit gratioſa conceſſio Papæ, ſed ſola recognitio bonæ fidei, tantundem concedens, quantum concedit jus commune; cum ab officiò ad beneficium, & è contra, à beneficio ad officium, valeat argumentum (b); conſequens erit, quod etiam indultum Regium, in eodem Brevi enunciatum, per quod officia politica Hydruntinę urbis, ſolis Hydruntinis concedi aſſeruntur, non eſſet liberalis, & gratioſa Regis conceſſio, & privilegium gratuitum, ſed mera recognitio bonæ fidei, quippè aliqua jura, vel ſtatuta, depoſcunt, ut officia civilia terrarum indigenis committantur. Contradictores autem hocnè audebunt aſſerere? Et quatenus illud aſſerant, Rexnè id approbabit? *Octavò*, ſi excluſio Clericorum extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis eſt de jure, & indultum Pontificium, id pręſcribens, non eſt niſi mera recognitio bonæ fidei; Ut quid Hydruntini, hoc idem, ut ſupponitur, à jure habentes, illud à Pontifice ex ſpeciali gratiâ popoſcerunt? Ut quid ante vaſtitatem, à perfidis Mahometanis acceptam, & poſt eam adhuc per alios 44. annos, ante obtentum diploma, jus iſtud excluſivum extraneorum, ad effectum non perduxerunt? Dicamus majora. Ut quid Ordines Regni Neapolitani, qui totum Regnum ipſum repreſentant, hanc gratiam pluries, atque pluries à Regibus Neapolis poſtularunt; & tempore Magni Ducis Conſalvi, & tempore Caroli V. & aliis temporibus, uti ſuo loco dicetur (c), Reges verò nunquam gratiæ huic conſenſum dederunt? Cur ſubditi petere, cur Reges negare id, quod jus commuue pręſcribat? Vides quot modis oſtenditur indultum, ſivè indulta Pontificia præſata non eſſe recognitiones bonæ fidei, ſed gratias ſpeciales (d).

31. Addamus nunc aliam rationem, ex indulto *Sixti PP. V.* favore incolarum Regni *Valentiæ* dato, deſumptam; ubi hæc, intèr cætera, decernuntur: *In ſupremo &c. Cum itàque Regnum Valentiæ, in citeriori Hiſpaniâ conſiſtens, anguſtiſſimos fines habeat, & nihilominùs populi multitudine refertum ſit &c. & alienigenæ, præſertìm ex aliis Hiſpaniarum Regnis, provinciis, & dominiis, & illis* adia-

(a) *Spondan. ad an. 1302. Bail. Sum Conc. in Conc. Pariſ. vel Galli. ann. 1301. f. 617.*

(b) *Barboſ. tract. var. Loc. 14. & 75.*

(c) *Vide infra in hoc tomo c. 27. à num. 16. uſque ad finem.*

(d) *Vide infra in hoc cap. num. 37.*

Digitized by Google

adiacentibus inſulis, oriundi, dignitates, canonicatus, præbendas, & alia beneficia eccleſiaſtica, in dicto Regno Valentiæ conſtituta, ambientes, ſibi de illis provideri, & fructus eorumdem, ſeù penſiones deſupèr reſervari procurent, & paſſim abſque ullo obſtaculo ad beneficia, fructus, & penſiones hujuſmodi recipiantur, & admittantur, ipſius verò Regni Valentiæ indigenæ, in aliis Regnis, provinciis, dominiis, & inſulis prædictis, prętextu quorumdam privilegiorum, & indultorum Apoſtolicorum, ſeù conſtitutionum, aut ſanctionum pragmaticarum nuncupatarum, vel conſuetudinum, ibidem vigentium, ab aſſecutione quorumcumque beneficiorum, & perceptione fructuum, & penſionum, omninò excludantur &c. Alia prolixiori ſtylo recenſet, deindè ſubſequitur.

32. *Nos ſtatui indigenarum Regni Valentię hujuſmodi paternâ charitate compatientes, ac æquum, & rationi conſonum eſſe cenſentes, ut ipſi in beneficiorum ejuſdem Regni aſſecutione exteris pręferantur, aut ſaltèm ad beneficia aliorum Regnorum, Provinciarum, dominiorum, & inſularum hujuſmodi adinſtar incolarum eorundem æquo jure admittantur, ac eandem conditionem experiantur &c. Motu proprio, non ad indigenarum prædictorum &c. inſtantiam, ſed ex merâ deliberatione, ex certâ ſcientiâ noſtrâ, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac noſtrâ in perpetuum valiturâ conſtitutione, ſtatuimus, & ordinamus, quod ex nunc deinceps, perpetuis futuris temporibus, omnia, & ſingula beneficia eccleſiaſtica, in univerſo Regno Valentiæ hujuſmodi, nunc & prò tempore conſiſtentia, etiam ſi canonicatus, præbendæ, dignitates, etiam majores poſt Pontificales, & principales, perſonatus, adminiſtrationes, & officia, etiam curata, & electiva &c. nec non parochiales Eccleſiæ, ſeù earum perpetuæ vicariæ, ac in Romanâ Curiâ, vel extrà eam litigioſa, & de jure patronatus, etiàm Regum, Ducum, vel aliorum Laicorum; etiam ex fundatione, vel donatione, aut indulto Apoſtolico, ſeù aliàs quomodolibet qualificata ſint, vel fuerint, quotièṡ illa per ceſſum, etiàm ex causâ permutationis, vel deceſſum, ſeù quamvis aliam dimiſſionem, vel amiſſionem, aut privationem, ea prò tempore obtinentium, ſeù jus in illis, vel ad illa habentium, aut aliàs quovis modo, etiàm apud Sedem prædictam, ac etiàm in aliquo ex menſibus, in quibus vacantium beneficiorum diſpoſitio nobis, & Sedi prædictę &c. fuerunt reſervata, vel etiam ordinariis collatoribus &c. ſimul, vel ſucceſſivè vacare contigerit &c. ſolis indigenis dicti Regni, verè, realitèr, & non fictè in co natis, & naſcituris affecta, & debita ſint &c.*

33. Subindè declarat dictos alienigenas incapaces præfatorum beneficiorum, in titulum, commendam, & adminiſtrationem. Arcet eos quoquè à penſionibus inibi conſequendis: interdicit Ordinariis, & inferioribus Collatoribus, ac Patronis beneficiorum, ne beneficia ipſa cuipiam extraneo dilargiantur, & poſt alia plura ſubjungit: *Et quatenùs ullo unquàm tempore licuerit, & permiſſum fuerit prædictis indigenis beneficia, fructus, & penſiones in aliquo ex aliis Regnis, provinciis, dominiis, & inſulis prædictis liberè, & indiferentèr abſque aliquo obſtaculo, perindè, ac ſi ibidem nati eſſent, obtinere, & percipere; ipſi quoque alienigenæ ex tali Regno, ſeù provinciâ, vel dominio, aut inſulâ, orti, ad ſimilia beneficia, ac fructus, & penſiones in dicto Regno Valentiæ viciſſim admitti debeant, & ad illa, habiles, & capaces cenſeantur* (a). Sequuntur alia perplura, quæ uti ad inſtituti noſtri rem non facientia, brevitatis ergò intermittimus. Interimque plura adnotamus, quæ in toto hujuſce privilegii decurſu ſunt peculiaritèr attendenda. Et primò, quòd in Regno Valentiæ, ante hujuſmodi conſtitutionem beneficia eccleſiaſtica etiàm extraneis tradebantur. Secundò, quod Papa rationi conſonum eſſe cenſet, ad beneficia Regni Valentię indigenas eſſe pręferendos, ità ut extranei, eorum capaces non repellantur ab ipſis abſolutè, ſed reſpectivè, datâ nempè indigenis, ſolummodò cæteris paribus, prælatione. Tertiò, quod non omnes extranei, ſed illi ſoli declarantur incapaces beneficiorum Valentię, apud quos viciſſim Valentini à beneficiis eccleſiaſticiṡ repelluntur. Quartò, quod in hoc diplomate Six-

(a) *Sixt. X. Conſt.* 64.

Sixti non comprehenduntur beneficia Epiſcopalia, & ſic extranei ab his non reputantur excluſi. Quintò, quod excluſio extraneorum à beneficiis Valentinis, non ordinariâ facultate à Sixto facta eſt, ſed de plenitudine poteſtatis.

34. Ponderet benignus Lector quinque iſta motiva, & ſe adactum inveniet ad ingenuè confitendum, excluſionem extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis non eſſe de jure divino, naturali, vel humano, uti autumant Contradictores, ſi opus fuit incolis Regni Valentię eam à Sede Apoſtolicâ peculiari diplomate promereri. Nèc ibi prò extraneis reputandos eſſe Clericos omnes, in aliis Regnis exortos, ſed illos ſolos, apud quos indigenę Valentini à beneficiis repelluntur. Paritèr adnotet, quòd improvidè ipſi Contradictores denegant Romano Pontifici plenitudinem poteſtatis reſpectu beneficiorum, ſi non niſi de plenitudine poteſtatis Apoſtolicę poſſunt leges peculiares edici, ſeù privilegia concedi, quorum vi beneficia ipſa poſſint legitimè viris extraneis denegari. Demùm cum juxtà preſcriptum Bullę Sixti V. adhùc in Regno Valentię alienigenæ ſint capaces beneficiorum Epiſcopalium, & antè Bullam eſſent omnium, ſinè diverſitate capaces; patet, quod ubi deeſt conſimile privilegium Apoſtolicum, vel Apoſtolicâ approbatione ſuffultum, extranei tutâ conſcientiâ non valent à beneficiorum conſecutione repelli. His accedunt conſenſio totius Regni Valentię, & Philippi II. Hiſpanię Regis, in promovendâ hujuſmodi privilegii impetratione, Regnum autèm numeroſo populo abundat: Metropolim habet amplam, cum multo Clero, pluribuſque Epiſcopis, Abbatibus, aliiſque in dignitate eccleſiaſticâ conſtitutis. Academia quoque publica ibi eſt, & quidem floritiſsima, ubi ſcientię dictitantur: ad regimenque politicum, & œconomicum tres ordines Statuum totius Regni concurrunt.

35. Privilegium ipſum obtentum fuit, Philippo II. Rege Hiſpaniæ promovente, vel ſaltèm conſentiente, quem nemo ignorat, quàm cautus eſſet, ac circumſpectus in rebus, quibus, vel ęquitati, vel veritati, vel Regiæ ſuæ coronæ aliquod poſſet ingeri præjudicium. Nec ſinè illius aſſenſu, quiſquam delirando ſupponet, indultum hujuſmodi fuiſſe in Hiſpaniâ ſubintruſum, quippè res tanti momenti, invito Principe, vel nunquàm facta fuiſſet, vel facta obſtacula non minima reperiſſet. Hocque tùm quietis publicæ, tùm reverentię Regi debitę, tùm bonæ œconomiæ, ac politiæ ratio depoſcit, ut privilegia notabilia nunquàm Eccleſiis ſinè aſſenſu ſupremi Principis procurentur, quidquid ſit, an eo etiam invito valeant obtineri. Sanè in Spicilegio legitur, quod Epiſcopus Aurelianenſis non anteà confirmationem privilegiorum ſuæ Eccleſiæ à Sede Apoſtolicâ poſtulavit, quàm aſſenſum ſupèr hoc antecedentèr à Carlomanno Rege popoſcit, qui dè hocità ſcriptum reliquit, *exoravit, ut noſtræ auctoritatis præceptum ſupèr hoc ſuæ denuò confirmaſſemus Eccleſiæ, atque liberam à noſtrâ parte licentiam eidem conceſſiſſemus antiquam auctoritatem more canonico à Sede Apoſtolicâ impetrandi* (a). Quod ſi ullibi locum habet, certè in Hiſpaniis eſt, ubi literæ Apoſtolicæ, priuſquàm executioni mandentur, in Regio Prætorio, illas attentiſſimè perſcrutante, exhibentur, ſindicantur, examinantur, nec ſinè illius auctoritate publicantur (b): citràque ullum dubium ibidem etiàm indultum Sixti, Valentinis collatum, tranſiſſe cenſemus per ignem, & aquam, priuſquàm fuerit ad praxis complementum redactum.

(a) *Spicileg. to. 2. f. 194.*

(b) *Covarruvias queſt. c. 35. num. 6.*

36. Ex facto itàque Sixti Papæ, diploma concedentis: Ex facto Epiſcoporum, Abbatum, & omnium Eccleſiaſticorum Regni Valentiæ illud optantium: ex facto Philippi Regis, idem diploma admittentis: ex facto Regii Prætorii, ipſimet diplomati executionem præbentis: ex facto demùm trium Ordinum Statuum Regni Valentiæ, illud acceptantium: & ut ſinè illorum aſſenſu revocari nullo tempore valeat, approbantium (c); patet non unâ, ſed multiplicatis rationibus, & motivis, quod Clerici extranei ritè non valent ab eccleſiaſticis beneficiis, niſi ex ſpeciali privilegio, & Pontificiâ conſtitutione repelli. Aliàs ad quid Sixtus concedere; ad quid eccleſiaſtici, & laici Valentini acceptare; ad quid Rex Hiſpaniarum, & Præ-

(c) *Vid. Conſtit. 64. Sixti V. circ. finem.*

Prætorium Regni Valentiæ ratum habere, & accipere, & executioni mandare, tamquàm gratioſum indultum, & veluti peculiare privilegium, hanc reſtrictionem collationis beneficiorum ad ſolos indigenas Valentinos; ſi id abſque tali diplomate jura, ſeù divinum, ſeù naturale, ſeu humanum (uti ſupponunt Contradictores) commune eſſe omnibus definirent? *Fruſtrà precibus impetratur, quod à jure communi competit* (a).

37. Nec hic opponatur id, quod refricant Contradictores, nempè, quod hoc, & ſimilia privilegia, nihil novi contulerint, ſed ſolum fuerint bonę fidei recognitiones illius excluſionis Advenarum, quæ à lege communi determinatur. Nàm hæc ſuppoſita bonæ fidei recognitio locum non habet proptèr multiplices rationes, paulò ſuperiùs allegatas (b): quibus alias modò adjungimus, ità conſertas. *Primò* negatur ſuppoſitum, quod ulla ſit lex in toto corpore juris communis, reſtringens collationem beneficiorum ad ſolos indigenas, tamquàm de præcepto: quidquid enim ex jure carpitatur per Contradictores ad hoc probandum, non probat velut ex debito, ex obligatione, & ex præcepto, ſed ſolum tamquàm ex decentiâ, ex honeſtate, & cæteris paribus. *Secundò*, & quatenus admittatur ſuppoſitum; nihil probat, quià nimium probat: nàm canones illi, in oppoſitum allegati, nedum probant excluſionem extraneorum à toto aliquo Regno, vel Natione, ſed etiam à determinatis urbibus, imo & à particularibus oppidis, locis, & vicis, atque Eccleſiis: adeòque excludunt nedum extranationales, ſed etiam nationales, provinciales, & ipſos etiam diœceſanos, ſi non ſint de gremio illius Eccleſiæ peculiaris, ex quâ diſpenſandum eſt beneficium. Quarè ſi jus commune, vel non excludit extraneos, tamquàm ex debito, vel non ſolum excludit extraneos, ſed etiam reſpective excludit indigenas, qui non ſunt de gremio peculiaris alicujus Eccleſiæ; profectò indultum Pontificium, advenas ut ſuprà repellens, non poteſt eſſe præſatæ bonæ fidei recognitio. Sed de his legibus infrà ex propoſito ſermo erit (c).

38. Inſupèr *tertiò*, non ſolum in ſenſu veritatis non ſubſiſtit, quod Breve Sixti Papæ V. memoratum, & alia quæcumque ſimilia Pontificum indulta, ſint bonæ fidei recognitiones; ſed etiam in lineâ utilis, & laudabilis politicæ, non ſunt pro talibus habenda: quippè hac illorum interpretatione alienatur animus Romani Pontificis à ſimilium diplomatum conceſſione: nec ultrà erit alicui Regno, Eccleſiæ, provinciæ, civitati &c. ſpes talia indulta obtinendi, quandoquidem nullus Romanus Pontifex ſe acclinem reddet ad illorum conceſſionem, quoties agnoſcat ſuum privilegium, non pro gratiâ ſuſcipi, nec prò ſpeciali favore; ſed prò juridicâ, neceſſariâ, atque debitâ conceſſione, vel pro ſcripturâ inutili, quæ in ſubſtantiâ nil ſuſcipientibus elargiatur, niſi quod præventivè ab ipſo communi jure obtinuerant. Et ità ſi per hypoteſim indulta hæc eſſent rè verâ, prout non ſunt, ſimplices bonæ fidei recognitiones, non eſſent politicè loquendo, prò talibus decantanda: multo ergò minùs prò talibus venditari debent, cum talia non ſint.

39. Inſupèr *quartò*, ſi memoratum indultum Sixti eſſet ſola bonę fidei recognitio, cum in ventre contineat reſtrictionem poteſtatis Regiæ, vetando, ne beneficia *de jure patronatus etiam Regum*, extraneis conferantur; non fuiſſent adeò hebetes Reges Hiſpaniç, ut illud impetrari, & impetratum ad effectum perduci permitterent, quando antecedentèr jus commune poteſtatem ipſam Regiam intrà illos terminos non arctabant. *Quintò*, demùm & praxis Hiſpaniæ, & leges Regum illius regionis, repellentes extraneos à beneficiis, vel Regni Valentini, vel reſpectivè Caſtellani non vagè, & abſolutè loquuntur, neque innituntur diſpoſitioni juris communis, ſed peculiaribus indultis ab Apoſtolicâ Sede impetratis (d): ergò hæc indulta non ſunt recognitiones bonæ fidei, neque prò talibus reputantur, ſed prò privilegiis peculiaribus, ex ſpeciali gratiâ conceſſis. Quod ſi quę leges editæ ſunt à Regibus, ad hoc facientes; hæ nullum habuerunt effectum, uti ſuprà patefecimus, niſi poſt obtentum ſupèr hoc à Sixto IV. ſpeciale diploma. Et idcircò Carolus V. Imperator, & Rex in ſuo edicto, ſupèr excluſione Clericorum extraneorum edito

(a) *L. 1. C. de theſaur. l. 10.*

(b) *Vide ſupr. in hoc capit. à num. 28*

(c) *Vide infra to. 3. cap. 13. & 14*

(d) *Vide Creſp. de Valdaura par. 1. obſerv. 6*

Valisoleti anno Chriſti 1523. mandavit ſervari, non jus commune, ſed Indultum Sixti IV. En ſeries edicti Regii: *Ley* 16., *en que ſè revocan las cartas de naturaleza dadas, excepto las contenidas en eſſa Ley: y que ſe guarde la Bulla del Papa Xiſto IV, dada en favor de los naturales: y que no den los naturales penſiones à los eſtrangeros. Mandamos que no ſe den cartas de naturaleza, y ſè guarden las Leyes ſuſodicas, y quanto alas dadas, que ſe den noſtras cartas, paraque detro de dos menſes primeros ſiguientes, qui comiençan à correr dende quattro de Agoſto del anno de mil y quinientos y veinte y cinco, las perſonas, que tuvieren las dichas cartas de naturaleza, las preſenten en el noſtro Conſejo, paraque viſtas ſe proveo lo que mas convenga: y nò ſe preſentando dentro del dicho termino, deſde agora los revocamos. Y en quanto à las que ſe vuierent fecho, ò hizieren por ſervicios becos à nos, y noſtra Corona real de Caſtilia, mandamos ſean guardados, y à hager eſtas termenos, y el reſpecto, y templança que conviene al bien de noſtras reynos. Y queremos, que noſtros naturales no den aviſo à los eſtrangeros de las vacantes, ny uſen de fraudes algunos para las haver, dandoles penſiones ſo pena que el quelo fiziere, por el miſmo fecho ſin otra ſentencia, ni declaration las avenidos por privados de la naturaleza de noſtros reynos, y de las temporalidades que tuvieren en ellos, paraque no puedan tener à quellos ni otros beneficios algunos en ellos. Y mandamos que cerca deſtro ſe guarde la Bulla del Papa Xiſto, concedida à los naturales detos reynos* (*a*).

(a) *Recopil. l. 1. tit. 3 leg. 17 ſ. 11.*

40. Hæ leges Regię, vel edicta, de rigore, nec Eccleſiam, neque viros eccleſiaſticos ligant (*b*). Nihilominus, quantum attinet ad rem noſtram, vides quod Imperator Carolus V. cum Joannâ ejus matre, Hiſpaniæ Reges, rejectionem extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis refundunt in privilegium Sixti Papæ IV., quod ſupponunt conceſſum Regi, ſive Regno Caſtellæ. Nil tamen exprimunt de Regno Aragonię, quod ſi conſimili fruitur privilegio, neſcimus à quo Pontifice illi fuerit impertitum. Ipſi autem Carolus, & Joannâ ſi quas alias leges enuntiant, non enuntiant jus commune, ſed leges Hiſpaniæ, poſt dictum privilegium Sixti IV. editas à Regibus Caſtellæ, ne indultum illud in deſuetudinem abiret, vel incurreret inobſervantiam. Quapropter nec idem indultum Sixti IV., quod favore Caſtellanorum ibi editum pronuntiatur, nec indultum Sixti V. quod ille Valentianis conceſſit, ſunt recognitiones bonæ fidei, ſed ſunt vera diplomata gratioſa, & privilegia gratuita, id concedentia, quod jus commune non indulget. Cæterum pro certo habendum eſt, *non tantoperè laboraturos fuiſſe Catholicos Hiſpaniæ Reges, ut à Sede Apoſtolicâ ea impetrarent privilegia &c. ſi illis præjudicatum fuiſſet Regiæ ſuę coronę*, illiuſque Regnis, & incolis eorum (*c*). Sed & neque Valentiani, neque Hydruntini, neque Romani, neque Milevitani, neque alii quotquot ſuprà memoravimus, indulta Pontificia, quibus excludunt à beneficiis extraneos, procuraſſent, vel acceptaſſent, & ut ad effectum plenariè perducantur, egiſſent, jugitèrque agerent, ſi perſuaſum illis eſſet, nil hujuſmodi privilegiis eſſe ipſi collatum, niſi quod jus commune favore cunctorum, ſinè ullius exceptione decernit.

(b) *Surdus Conſil. 301. n. 51.*

(c) *Thomaſſin. Vet. & nov. Eccl. diſciplin. p. 2. l. 2. c. 35. n. 9. in fin.*

CA-

CAPUT VII.

In quo ex decem Theologis inſignibus, qui Sæculo Chriſti Sextodecimo *claruerunt, probatur libertas, Eccleſię, in conferendo ſacra beneficia, non ſolùm Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis.*

SUMMARIUM.

1 *Ubi leges clarè loquuntur, non eſt neceſſaria Doctorum auctoritas; bonum tamèn eſt hîc aliquos allegare.*

2 Joannes Major Scotus, *docet etiam extraneos eſſe beneficiis eccleſiaſticis munerandos, alioquin eſt perſonarum acceptio.*

3 *Tametſi Clerici ſint ex regione non ſubditâ Principi loci, ubi erectum eſt beneficium, adhùc poſſunt præfici beneficio.*

4 *Improbat Joannes Major onus adjectum aliquibus beneficiis, ut ſolis Conterraneis conferantur.*

5 6 7 8 *Aſſertur doctrina* Dominici Bannes, *qui latè loquitur de extraneis admittendis ad beneficia.*

9 *Lex reſtringens electionem ad ſolos Clericos talis qualitatis, debet eſſe à Romano Pontifice approbata, alioquin nihil valet.*

10 *Bonum pacis, & virtutis commodiùs ſervatur eligendo digniores ex quocumque loco, niſi aliud poſcat privilegium Apoſtolicum.*

11 12 Ex Dominico Soto, *iniqua eſt lex, privatâ auctoritate facta, quæ reſtringit collationem beneficiorum ad aliquas perſonas tantùm.*

13 *In Tridentino fuit conſultatum, ut beneficia parochialia fierent patrimonialia, & ſolis diœceſanis conferrentur.*

14 *Non omnia beneficia ſunt patrimonialia. Nec talia voluit illa declarare Concilium Tridentinum, nec etiam ſola curata.*

15 *Nulla lex reſtringit electionem paſſivam Summi Pontificis ad ſolos Cardinales, Idemque eſt de cæteris beneficiis.*

16 Petrus Aragonius *idem ſentit de Summo Pontificatu, & quid de aliis beneficiis, alicui de gremio Eccleſiæ conferendis.*

17 *Canones diſponentes electionem de gremio, non præceptivè, ſed directivè loquuntur. Plures Papæ extrà Collegium electi ſunt.*

18 Franciſcus Suarez, *id quod ſuprà ſentit de electione Papæ; quod & ſentiunt plures Thologi, & Canoniſtæ.*

19 *Si ad Summum Pontificatum; & ad Epiſcopatum provehi poteſt extraneus; cur non eligi valet ad minora beneficia?*

20 Sylveſter Prieras, *provehi poſſe ſcribit Clericos extraneos ad beneficia, extra locum nativum poſita.*

21 *Ex* Martino Navarro *valet electio facta de extraneo. Hancque ait eſſe communem ſententiam, quam uſus Eccleſiæ ſervat.*

22 Michael Salonius *recenſet opinionem Joannis Majoris, excluſionem extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis improbantem.*

23 *Indè refert D. Thomam, & Sotum, approbantes conſtitutionem, eorum excluſi-*

vam, ſi per Sedem Apoſtolicam edita ſit.

24 *Ex Salonio lex, quæ à beneficiis excludat extraneos, non eſt generalis. Nec Concilium Tridentinum eam ſancire voluit.*

25 *Approbat idem Salonius translationes Antiſtitum de unâ ad aliam Eccleſiam, à quarum alterutrâ neceſſariò ſunt extranei.*

26 Antonii Cordubenſis *doctrina eſt, damnabile eſſe non communicare cum hâc, vel illâ Natione, in diſpenſatione beneficiorum.*

27 *Errabant Judæi converſi ad Fidem Chriſti, nolentes ad eam admittere Gentiles, Evangelium ſuſcipientes. Omnes in Chriſto unum ſumus.*

28 *Probat Cordubenſis hujuſmodi excluſiones, & diviſiones intèr Nationem, & Nationem, eſſe contrà unitatem Chriſtianam.*

29 *Vix conſervari poteſt charitas intèr eos, qui nolunt communicare cum aliis, in participatione rerum Eccleſiæ.*

30 *Tàm à beneficiis eccleſiaſticis, quàm etiam ab officiis Reipublicæ, aliquem repellere, ex ſolâ ratione generis, non eſt ſinè culpâ.*

31 *Secus autem eſt de muniis particularibus, ad quæ nulli jus ineſt, niſi particularitèr ad illa vocatis.*

32 *Admittere ad officia, & beneficia publica, non eſt actus dilectionis particularis, ſed generalis, debitæ omnibus, qui ut idonei ad illa jus habent.*

33 *Magis ſunt extranei à beneficiis eccleſiaſticis viri deſcendentes ab infidelibus, quam in alienâ patriâ orti ex antiquis fidelibus.*

34 Joannes Azorius *tuetur, licitam eſſe conditionem, beneficio appoſitam, ne conferatur niſi certo generi perſonarum.*

35 *Legem, nè beneficia conferantur extraneis, ait nullam eſſe, niſi à Papâ approbatur. Quid de non accipienda poſſeſſione ſinè licentiâ Principis?*

36 *Oportet ergò, quod Contradictores, pro juſtificandâ excluſione extraneorum à beneficiis, exhibeant diplomas Pontificium, ſi habent.*

1. QUAMQUAM Doctorum auctoritas neceſſaria non ſit, ubi leges apertè loquuntur (*a*), leges verò Canonicæ diſertiſſimè ſanciant, nulli obſtare rationem extraneitatis, quominùs liberè, & licitè apertũ habeat acceſſum ad eccleſiaſtica beneficia (*b*); Nihilominùs quià Doctorum auctoritas probabilitatem ingerit propoſitionibus, quas pronuntiant, ſtatque prò ratione extrinſecâ, dante illis pondus, & momentum (*c*), ac præſertim quando punctualiter, & re bene examinatâ loquuntur (*d*), & multò magis quandò Doctores valde periti ſunt, & egregii, ac rem ex propoſito tractant, rationemque reddunt, cur ita ſentiant (*e*); Ideò ſatis opportunum eſſe cenſemus hìc decem Theologos allegare, qui Sæculo Chriſti ſextodecimo floverę: quorum tanto validior erit auctoritas, quanto antiquior eſt doctrina (*f*): id etiam prò sè habens, quod fuit eo tempore dictata, quo de præſenti quæſtione nulla actio movebatur: adeòque omni caret vitio ſuſpicionis, ob quod rationabilitèr debeat in dubium revocari: præſertìm, cum non unus, vel alter; neque unius Regni, provinciæ, vel urbis cives, & originarii; ſed ex diverſis Regionibus prodeuntes: neque unius ordinis religioſi profeſſi, ſed diſtinctarum Regularum alumni: neque demùm Scriptores levis momenti, ſed multi, & quidem profundæ doctrinæ viri, in unum conſentiant, & ſuum calculum porrigant ſententiæ, quam nos tuemur.

2. Itàque *Joannes Major*, natione Scotus, patriâ Hadyngtonenſis (*g*), Theologus Pariſienſis, & intèr Scriptores Eccleſiaſticos numeratus (*h*), agens de eccleſiaſticis beneficiis, opportunè ad cauſam noſtram in hæc verba deſcendit: *Quoad beneficia ſemper maximè idoneus præferendus eſt, de quacumque gente fuerit, alioquin eſt perſonarum acceptio, nam omne ſolum eſt forti patria, ſicut dicebat bonus ille*

Ana-

(a) *De Luca de fideicom. diſc. 126 n. 2. & de credit. diſc. 33. n 4.*

(b) *Cap ad decorem 4 de inſtit. c. tum inter. 21. de elect. c. cum dilectus 32. & cap. cum nobis, eodem titul., cap. etſi unanimiter. 6 de poſtul. c. bon. mem. eod tit. c. cum nobis c. intèr corporalia de tranſlat c. ult. de Cleric peregr.*

(c) *Lander. de præcept. Eccleſ. tract 5. diſt. 4. qu. 17. Diana p. 2 tr. 1. reſol. 99 a 6. cum aliis ab eo citat.*

(d) *De Luca de empt. diſc 6. num. 8 de feud. diſc. 19 n. 4. & de juriſd. diſc. 84. n 4.*

(e) *Tamburin. in Decalog. l. b. 1. c. 3. de conſcient. § 3. n. 5. Azor. par 1. cap. 17 qu 6. Vide cap ſeq. num 1.*

(f) *Fagnan. in cap. ne innitaris num. 349. de conſtit l. 1.*

(g) *Poſſevin. Appar. Sacr. in Jo: Major.*

(h) *Bellarmin de ſcript Eccleſ. in Joan. Major.*

Anacharſis, & dicti mei probativum eſt caput ad decorem, de inſtitutionibus, ubi Innocentius III. Conſtantinopolitanum Patriarcham carpit, eo quod Venetos tantum in Eccleſiis Conſtantinopolitanis collocavit, ſic inquiens: Ad decorem, & infrà: ſicut noſtris auribus ſuggeſtum, Conſtantinopolitanus Patriarcha, aliarum nationum Clericos ſpernens, Venetos tantummodò in Conſtantinopolitanis Eccleſiis ſatagit collocare: non attendens, quod in omni gente, qui facit juſtitiam, acceptus eſt Deo, nec Sanctuarium Dei convenit jure hæreditario poſſideri. Quocircà mandamus, quatenus moneatis eundem, ut viros literatos, & alios idoneos, undecumque originem duxerint, in prædictis Eccleſiis, & maximè in Majori inſtituere non poſtponat.

3. Sequitur Joannes Major elocutionem ſuam, ac dicit: *Et iſtud patet 40. diſt. Nos qui. Nihil refert quo loco quis natus fuerit Clericus, vel quibus parentibus 56. diſt. undecumque cap. naſci, & cap. Dominus: & patet ratione. Normannus in Franciâ, & Picardiâ habet beneficium, & è converſo. Fortè dicis, ſunt ſub eodem Rege, hoc non ſatisfacit: nam quando Normanni erant ſub Anglorum Regibus, ſi fuiſſet unus Normannus magis idoneus, quam aliquis alius ad beneficium in Franciâ, quis diceret eſſe malefactum Normanno illud beneficium conferre? Etiam diù poſt incarnationem varia Regna erant ſub Imperatore. Si ergò Sortes, idoneus erat admittendus, quarè nunc non admittetur? Vel ſi unus Rex ſui Regni partem amittat, quarè negabitur, quod multum idoneus ex illâ oriundus, ad beneficium admittetur potiùs quàm minus bonus? Si linguam non intelligat, ubi beneficium linguæ peritiam requirat, jam non eſt idoneus, & per conſequens non admittendus: hoc in lumine naturali eſt notum, & patet 98. diſt. Aphros: vel ſi ſit veroſimile aliquid aliud, quod in idoneitati obicem præſtat, de tali non loquor.* Vides quod capacitas beneficiorum à limitibus Regnorum, & a confiniis ditionis Principis laici non arctatur: margines enim dominii politici prò rebus temporalibus legem dare poſſunt, non verò pro rebus ſpiritualibus: ideoque Clericus undecumque ſit, poteſt beneficiis eccleſiaſticis inſigniri.

4. Tum ipſe Major ſubjungit: *Statuta Regum in aliquibus regnis in oppoſitum ſunt diſpenſabilia: & non ſolum cum excellentèr idoneis, ſed & cum mediocribus diſpenſant, hoc eſt habilitant* (*a*). Hęc Joannes Major, qui etiam paulo ante improbaverat onus, adjectum aliquibus beneficiis, ut ſolis Conterraneis conferantur, quamquàm quoad hoc alicubi contrarium obſervetur, ut in diœceſibus Palentinâ, Calaguritanâ, Legionenſi, & Burgenſi (*b*), & ſi quæ alia ſunt ſimilia loca, vel ex peculiari fundatorum diſpoſitione, vel ex privilegio Apoſtolico, juſtis de cauſis conceſſo. Sententia ergò Majoris eſt, quod locus naturalitatis Clericorum nihil eis obſtet, quoad acquirenda eccleſiaſtica beneficia; & quod ſivè Clericus de uno Regno ſit, ſive de altero; liber illi pateat acceſſus ubilibet ad eccleſiaſtica beneficia, non obſtantibus quibuslibet ſtatutis in contrarium, quæ ſi laica ſunt, non afficiunt, (ex defectu juriſdictionis, quâ carent Principes temporales decernendi de rebus ſpiritualibus: eiſque ſufficere debet moderari ea, quæ regimen ſæculare concernunt, relinquendo diſpoſitionem eccleſiaſticarum rerum ſuperioribus eccleſiaſticis: qui non minorem habent poteſtatem in ſuâ ditione, prò ſacris rebus regulandis, quàm ibidem habeat ſuperior ſęcularis pro ſolis rebus temporalibus dirigendis). Et quatenus etiam afficerent, ea diſpenſabilia eſſe Joannes Major, ſuperius memoratus pronuntiat, favore Clericorum, undecumque venientium, qui majori idoneitate præpollent. Quæ ſanè major idoneitas ab eo diſcutienda eſt, & definienda, ad quem ſpectat beneficia conferre, vel ad ea nominare; non ad ſingulos, & neque ad omnes de plebe, de civitate, vel de populo, quos plerumque latent qualitates, meritum, vel demeritum ingerentes, quæ Superioribus innoteſcunt, & ideò de juſtitiâ prælectionis hujus, vel illius, indigenę, vel extranei ad beneficium, in caſibus practicis judicium rectum, & adequatum dare non poſſunt.

5. *Dominicus Bannes* Mondragonenſis Hiſpanus, Ordinis Pręadicatorum, excellens doctor Salmanticenſis, & multis clarus operibus typis datis (*c*), proponit ſibi

(a) *Jo. Major. in 4. diſt 24. quæſt. 9.*

(b) *Azor. p. 2. l. 6. cap 4. qu. 25. Riccius prax. for. Eccleſ p. 2. reſ 275 n 3 Salon. 2. 2. qu 63 art. 2. controv. 3 in fine.*

(c) *Poſſevin. Appar. Sacr. in Dominico Bannes.*

bi dubium: Utrum diſtribuentes beneficia peccent mortalitèr, non aligendo digniorem; & prò parte negativâ varias rationes adducendo, per modum arguendi, hanc quoquè quarto loco allegat: *ſequeretur quod illæ leges, quæ præcipiunt miniſtrum fore eligendum de gremio ſolum unius Eccleſiæ, aut oppidi, eſſent iniquæ; conſequens eſt contra communem uſum, approbatum à Summis Pontificibus, ergò &c. Sequela patet, quia ſæpè in tali Eccleſiâ, aut oppido non eſt miniſter dignus, at vero extrà ipſum digniores reperiuntur* (a). Indè poſitâ concluſione, quod eligere dignum, prætermiſſo digniore, eſt peccatum mortale ex ſuo genere (b); objectis reſpondet, atque argumentum ſuperiùs allegatum, ità diſſoluit. *Ad quartum reſpondetur, quod Joannes Major in 4. diſt. 24. qu. 8. & 9. tenet hujuſmodi leges, quæ determinant electiones ad certum locum, aut Eccleſiam, non eſſe juſtas, nec ferendas: Et præter argumentum factum, confirmat ſuam ſententiam ex cap. ad decorem de Inſtitutionibus, ubi Innocentius III. reprehendit Patriarcham Conſtantinopolitanum, eo quod omnia beneficia Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ diſtribueret Venetis: & ideò præcipit, ut in Eccleſiis illis eligantur, & præficiantur literati, & magis idonei, undecumque originem duxerint: & adducit illud, quod habetur Actuum 10, nam in omni gente, qui facit juſtitiam acceptus eſt illi.*

(a) Bannes in 2. 2. D. Thom. qu. 63. art. 2. dub. 3. § quinto f. 156

(b) Idem loc. cit. concl. 3.

6. *Nihilominus ſententia oppoſita communis eſt: quam docet Divus Thomas hìc ad quartum, & videndus eſt Soto ubi ſuprà, ante decimam concluſionem, & Covarru: & ratio D. Thomæ hoc convincit, quià regularitèr loquendo, electi de gremio Eccleſiæ magis diligunt illam, magiſque reſident: & hoc adeò verum eſt, ut oppoſitum non ſinè temeritate dicatur, & ità iſtæ leges conſuetudine à tempore naſcentis Eccleſiæ, & decretis Pontificum approbatæ ſunt. Colligitur hæc veritas Deuteron. 17. Non poteris eligere alterius gentis hominem in Regem, & qui non ſit frater tuus. Vide Divum Hieronymum ſuper illud Oſeæ 2. Dabo eis vinitores ex eodem loco. Ubi per vinitores intelliguntur Apoſtoli. Et eadem ratione communitèr Sancti dicunt, quod Chriſtus elegerit ex ſibi conſanguineis, & notis in Apoſtolos. Quarè ad Argumentum factum reſpondetur, quod nunquam licebit eligere indignum, etiamſi hujuſmodi leges exiſtant, quæ determinant eligendos ad certum locum. Quod ſi non fuerint digni in tali loco, vel Eccleſiâ, ſuſpendatur electio, vel ſaltèm de licentiâ Epiſcopi, aut Pontificis, ſi opus fuerit, eligatur prò eâ vice extrà gremium, qui dignus habeatur. Nèc inconvenit ad æquitatem iſtarum legum, quod alii extrà Eccleſiam illam digniores exiſtant: nàm proptèr rationes ſupra dictas digniores reputantur, qui ſunt intrà gremium Eccleſiæ ejuſdem, licèt non abundent ſcientiâ, & induſtriâ; quià hoc compenſant dilectione, & reſidentiâ, quibus maximè Eccleſia ſolet augeri.*

7. *Ad caput illud Innocen. reſpondetur, quod ideò reprehenditur Patriarcha ille, quià cum illic non eſſent hujuſmodi leges, diſpenſabat beneficia ſolum Venetis, omittendo digniores Conſtantinopolitanos, & etiam quià pollicitus fuerat ſe hoc facturum, quandò electus eſt, ut patet ex verbis extremi illius capitis. Veruntamèn circa hujuſmodi leges nota primò, quod non debent condi frequentèr. Alias communia beneficia, quaſi ad jus hereditarium reducerentur, & deſidioſi efficerentur eligendi: eo quod jàm eſſet lege firmatum, qui deberent eligi in hac, vel in illâ Eccleſiâ. Secundò nota, quod rationes D. Thomæ ſufficentèr honeſtant hujuſmodi leges abſolutè loquendo: nihilominùs tamèn aliæ cauſæ particulares exquirendæ ſunt à confirmatoribus iſtarum legum, ut juſtè, & prudentèr ferantur, alioquin eſſet juſtum prò omnibus Eccleſiis, & populis eas dare leges: ſiquidem omnes poſſent dicere, eligo meos, quià magis diligunt ſuam Eccleſiam, magiſque reſident. Cauſæ ergò, quæ particularitèr requirendæ ſunt, tales debent eſſe, videlicèt, quod in Eccleſiâ abundent ſapientes, aut quod experientiâ compertum ſit, quod extranei in tali Eccleſiâ, vel Oppido ſolum curant expilare ſubditos, vel quod ex talibus legibus excitentur de facto ad ſtudia colenda naturales: qui aliàs deſides exiſterent, & ignari.*

8. *Poſ-*

Digitized by Google

8. *Poſſemus diſputare in præſenti, an ſicut leges de eligendo ſolum de gremio hujus Eccleſiæ juſtę ſunt; ità etiam licitè, & ſinè vitio acceptionis perſonarum poſſint eſſe leges, de non eligendo de iſtâ Eccleſiâ, aut de Conventu illo, vel intra tale tempus, ut poſt quadriennium tranſactum, qualitèr ſolent eſſe apud religioſos: & idem dubium eſt de alternativis. Reſpondetur nihilominùs brevitèr, quod iſtæ leges poſſunt honeſtari ex fine ſupervenienti, maximè proptèr bonum pacis. Veruntamèn rarò concedendæ ſunt: quià bonum pacis, & virtutis commodius ſervatur, & conſequitur eligendo digniores quoſcumque, & à quocumque loco exiſtans. Et quidem multi ambitioſi lites fingunt, aut excitant, ut in eas leges ſuperiores inducant, & ſibi arripiant ex lege alternante, quod alioquin indigni, aut minùs digni non conſequentur. Quod maximè advertant legislatores, præſertim in officiis ſupremis, ad quæ dignè ſuſcipienda vix poteſt unus, aut altèr inveniri* (a).

(a) *Bannes 2. 2. qu. 63. ar. 2. dub. 3. 6. ad 4. f. 159.*

9. Attendat hìc Lector multa, nempè quod ex doctrinâ Bannes, lex reſtringens electionem ad ſolos Clericos de gremio, vel de tali loco, non eſt lex univerſalis, ſed particularium tantummodo Eccleſiarum: & non omnium, ſed aliquarum ſolummodò: & hæc debet eſſe approbata à Romano Pontifice. Quę lex quia non erat in Eccleſiâ Conſtantinopolitanâ, ideò dicit carptum fuiſſe à Papâ Thomam Patriarcham, eo quod beneficia eccleſiaſtica non niſi Venetis largiretur. Impugnat verò Bannes Joannem Majorem, ſed immeritò, quia Major improbat hujuſmodi leges, non abſolutè, ſed uti à Pontifice non approbatas, vel tamquàm à laicis conſtitutas: & ideò eas injuſtas eſſe pronunciat: in quo ſenſu etiam Dominicum Bannes convenire dubium non eſt. Qui prætereà ſubjungit, quod etiam ſi leges illæ, prò Eccleſiis particularibus approbatæ ſint à Romano Pontifice, & uti tales, abſolutè loquendo, validæ ſint, & juſtæ, prout eas reputat S. Thomas; nihilominùs alię cauſæ particulares concurrere poſſunt, quę reddant eas injuſtas, & ideò monet illos, ad quos ſpectat haſce leges confirmare, ut cautè procedant: ne ſcilicèt eas ſine magnâ maturitate approbent, ut non plus obſint, quam poſſint, quia facillime locum dant vitio acceptionis perſonarum, quod omninò longè debet eſſe à diſpenſatione rerum eccleſiaſticarum.

10. Deindè ſubjungit, quod aliâ lege prohibere, nè eligantur Clerici de iſtâ, vel illâ Eccleſiâ, quamquam aliquandò cohoneſtari poſſit ex fine; tamèn generalitèr deviat à juſtitiâ, & in vitium acceptionis perſonarum impingit: *quia bonum pacis, & virtutis commodius ſervatur, & conſequitur, eligendo digniores quoſcumque, & à quocumque loco exiſtant*: præſertim ad evitandas lites, quas ambitioſi excitare ſolent, ad arripienda beneficia, quorum alioquin, vel indigni, vel minùs digni eſſent (b). Tota ergò doctrina Bannes, attentè conſiderata, & prout eſt in sè ſumpta, pugnat adversùs Contradictores, niſi hi probent, quod in Eccleſiis Regni Neapolitani ſit lex, à Pontifice Romano approbata, quæ caveat, ut electio ad beneficia reſtringi debeat ad ſolos Clericos de gremio Eccleſiæ vacantis, vel de toto Regno, excluſis Clericis Romanæ Eccleſię, vel cujuſcumque alterius loci, ex quo nolint aſſumi Clericos ad beneficia. Hoc autèm certè nunquàm probabunt, quià nunquàm hæc lex fuit in rerum naturâ; ſed potius apud ipſos lex eſt manifeſte in contrarium, quià à principio Eccleſiæ, uſque ad hanc ætatem, ſemper in ſingulis Eccleſiis totiùs Regni Neapolitani, patuit extraneis aditus ad eccleſiaſtica beneficia, ut notum eſt, & nos etiam in decurſu præſentis operis individualitèr oſtendemus (c).

(b) *Bannes ubi ſupr. §. poſſemus, & ſeq.*

(c) *Vide infrà in hoc tomo à Capit. 25. uſque ad finem.*

11. *Dominicus Soto* Segobienſis, Lector Salamantinus, & Regis Hiſpaniæ Confeſſarius, Doctor egregius, cujus nomen, & ſcientia in Concilio Tridentino magnum plauſum habuit, & honorem, eandem quęſtionem promovet de acceptione perſonarum in diſpenſatione beneficiorum: ſtatuitque nono loco iſtam conclusionem: *quoàd culpam in foro conſcientiæ, & poli, præceptum eſt eligere digniorem*; quam probat variis rationibus (d). Tùm diſſolvit argumenta in contrarium, quorum unum eſt hoc: *Arguitur ex cap. Monaſterium 16. qu. 7. quo habe-*

(d) *Soto de juſt. & jur. l. 3. qu. 6. ar. 2. Conel. 9.*

Digitized by Google

habetur, quod ubi quis Dominus inſtituerit Oratorium, vel Capellaniam, poſſit cuicumque presbytero dare. Arguitur ergò. Poteſt quis eâ lege Sacerdotium inſtituere, ut ſolis ſuis agnatis, aliiſve deſignatæ proſapiæ, in perpetuum obveniat: nàm quicumque quorumlibet bonorum Dominus poteſt ea prò ſuo libito diſpenſare; ergò tali caſu non eſt neceſſarium, imò non licet digniorem exquirere. Sunt qui dicant, etiam in tali caſu inquirendos eſſe digniores, ſi opus fuerit, extrà illam familiam, attamèn & uſus, & ratio in contrarium reclamant, ſatis enim eſt intèr illos deſignatos, & vocatos præſtantiorem eligere: niſi unus ſit tantùm, ut puta ſanguine proximus appellatus. Nàm cum tali inſtitutori, ac fundatori non incumbat munere ſuo, & officio diſtributionem facere, & illa ſint ſua bona, non adſtringitur rationem habere dignioris.

12. Indè duas addit limitationes, dicens: *Prius, quod ſi qui deſignatus eſt, fuerit omninò indignus, alius ſubſtituendus venit, quià nemo, neque de ſubſtantiâ ſuâ poteſt Sacerdotium contrà naturale jus, ac divinum creare. Secundum eſt, quod ſi inſtitutio illa adnexam habeat curam aliquam animarum, vel gubernationem; tunc iniquiſſima eſt, & non ferenda, quatenùs obſtiterit, ut dignior eligatur. Ut ſi quis proventibus ſuis Monaſterium fundaret, eo vinculo, ut Prior, vel Abbatiſſa non niſi ex ſuo genere, aut patriâ crearetur, non eſt in contumeliam evangelii lex illa ſervanda* (*a*). Vide quomodò iniuſta eſt, & iniqua lex, privatâ auctoritate facta, etiam in dotatione beneficii Curati, quæ arctet ipſius beneficii collationem, ad aliquas ſolas perſonas unius patriæ, vel familiæ, quatenùs obſiſtit, nè dignior eligatur: dignior inquam, non reſpective, ſed formaliter, & in sè: digniorque, ac prò tali reputandus, non à populo, vel à plebe, ſivè ab otioſis, vel captioſis hominibus, ſed à Superiore, & Collatore, qui conſideratis conſiderandis, dijudicet, an ad tale, vel tale beneficium curatum vacans, in actu practico, dignior ſit habendus iſte, vel ille. Quod ſi verum eſt in beneficiis erectis peculiari dote, ex bonis particularibus, ei à laico inſtitutore aſſignatis; multò magis verum eſt in beneficiis eccleſiaſticis, quæ ſunt ex communibus Eccleſiæ bonis dotata.

13. Proſequitur ſermonem Soto, & adjungit: *Enaſcitur hic præterea dubium de beneficiis patrimonialibus, ad quę non recipiuntur niſi cives, vel qui indè ſunt oriundi: videtur enim ſententiæ nonæ concluſionis derogare: ſiquidem poſſent pręſtantiores aliundè quandoquè acciri. Reſpondetur leges illas æquiſſimas eſſe, quas utinam de beneficiis ſaltèm parœcialibus, quibus annexa eſt animarum cura, ubique ſanciret Eccleſia, quemadmodùm & in Concilio Tridentino, ſummo omnium conſenſu, mè præſente conſultabatur. Nàm ut modò dicebam, non parvi æſtimandus eſt ingenitus amor, quem quiſque ad nativum ſolum habet &c.* (*b*). Introducit Soto præſens dubium intuitu ad quędam beneficia, ſuperius memorata, Eccleſiæ Burgenſis, Palentinæ, Legionenſis, & Calaguritanę in Hiſpaniâ (*c*), quæ prò patrimonialibus conſiderantur, & non niſi diœceſanis conferri ſolent, hocque non populi arbitrio, vel laicali lege, ſed ex privilegio Apoſtolico, immemorabilem conſuetudinem roborante, uti teſtatur Covarruvias (*d*). Quod privilegium non facit legem, aliis Regnis, provinciis, urbibus, & Eccleſiis communicabilem. Privilegia etenim ſunt leges particulares (*e*): & ideò privilegia dicuntur quià à communi jure diſcedunt (*f*).

14. Ex doctrinâ ergò Soti plura diſcimus, & primò, quod omnia eccleſiaſtica beneficia non ſunt patrimonialia: ſed aliqua tantum, & in diœceſibus limitatis; hæcque ibi, non alibi ſunt neceſſario indigenis conferenda. Secundò quod in generali Tridentinâ Synodo conſultatum fuit, ut omnia totius mundi beneficia fierent patrimonialia, ad hoc ut ſolis locorum incolis eſſent danda, ſed nihil ſuper eâ re fuit concluſum. Tertiò quod ſatis eſſet ſi lex patrimonialitatis beneficiorum, excluſiva extraneorum, ad ſola beneficia, curam animarum habentia, ſe extenderet, cæteris, ſivè reſidentialibus, ſivè merè ſimplicibus in ſuo primævo

eſſe

(a) *Soto ubi ſupr. ad 2. argum.*

(b) *Soto loc. cit. poſt 2. argum.*

(c) *Aloyſius Riccius prax. fori Eccleſ. part. 3. reſol. 275. num. 3. Azorius inſtit. moral. part. 2. lib. 6. cap. 4. quæſt. 25. Salonius 2. 2. qu. 63. art. 2. Controver. 3. in fin.*

(d) *Covar. pract. quæſ. c. 37. num. 3. §. olim.*

(e) *Azor. inſt. mor. p. 1. l. 5. c. 22. qu. 1. Barboſa in Tit. de privil. nu. 5. & in cap. ſanè 9. num. 10. eod. tit. lib. 5. Abb. in cap. o'im. num. 7. de verb. ſign.*

(f) *Sylveſt. V. Privilegium Barboſ. in c. Abbate 25. num. 4. & 5. de verbor. ſignif.*

eſſe relictis. Quartò quod lex arctativa collationis beneficiorum ad ſolos indigenas, non poteſt fieri ab ullâ poteſtate ſæculari, ſed à ſolâ *Eccleſiâ*, & conſequentèr, vel à Patribus in Concilio generali congregatis, vel à Summo Pontifice, Eccleſiæ Capite. Quintò quod legem illam uti ſuprà arctativam, & excluſivam extraneorum, Concilium Tridentinum non fecit, ſed ſolum Sotus cum aliis optabant, ut eam faceret. Oportet ergò quod Contradictores oſtendant fuiſſe poſt illa tempora aliquod Concilium, vel aliquem Papam, qui talem legem ediderit, vel univerſalem per totâ Eccleſiâ, vel particularem prò cunctis Eccleſiis illorum Regni, & tunc rationabiliſſimè Clericos extraneos ab ejuſdem Regni beneficiis excludent.

15. Pergit poſteà Sotus ad diſſolvenda argumenta, quę ſibi propoſuerat in contrarium: & ad quartum objectum, *quod in ſupremâ electione Pontificis Maximi jàm pridem uſus inolevit, ut nemo niſi à Reverend. Cardinalibus aſſumatur, cum tamèn poſſent quandoque extrà illum ordinem alii diſquiri, quorum fortè electio gratior Deo eſſet, & acceptior;* Reſpondet inquam ità. *Nunquàm rumorem illum perſuadere mihi potui, videlicèt ſtatutum illis eſſe, non poſſe deligere, niſi ex ſuo gremio. Et tamèn ab ipſis Dominis Cardinalibus audivi, falſum eſſe. Enim verò quod activas voces, ad ipſum Sacrum Senatum Eccleſia retulerit, decentiſſima ratio perſuaſit 23. diſt. can. in nomine Domini, & can. licèt, extrà de elect., & cap. ubi periculum eo lib. 6. videlicèt nè tantus Epiſcoporum cœtus à remotiſſimis regionibus Romam ad eligendum Papam cogeretur. Attamèn cum tanti referat optimum Epiſcoporum orbis ad ſummam ſedem evehere, quod intrà paucos urbis paſſiva electio coerceatur; licèt ſit credibile intèr eos nunquam defore dignum, certè ſinceritas evangelica non permittit. Undè in eo cap. in nomine Domini, ſi in Romanâ Eccleſiâ non inveniatur idoneus, ex aliâ ſumi jubetur* (*a*). Diximus autèm pluries, neminemque latet, quod Summus Pontificatus, uti præcipuus orbis Epiſcopatus, quatenùs Papa dicitur Epiſcopus Epiſcoporum (*b*), eſt etiam primum, & pręcipuum totius Chriſtianitatis eccleſiaſticum beneficium (*c*). Et ità arguendo à majori ad minus, à quo deducitur optimum argumentum (*d*); Si ſecundum Sotum, & ſecundum alios quoque, de quibus infrà (*e*), nulla eſt lex, quæ coerceat electionem paſſivam Summi Pontificatus ad ſolos Clericos de gremio Eccleſię Romanę; nulla quoque lex erit, quę reſtringat electionem paſſivam cæterorum beneficiorum ad Clericos de gremio, ſivè de illa Regione, in quâ ſitum eſt beneficium.

(a) *Soto de juſt. & jur. l. 3. qu. 6. ar. 2. poſt. ad 5. argum.*

(b) *Cap. Novatianus 7 qu. 1. cap. loquitur 24. qu 1. Paris de reſignat. l. 2. qu 7. num. 310.*

(c) *DD. ap Barboſ. Jur. Eccl. Univ. l. 3. cap 4 num 47.*

(d) *Vid jura & DD. apud Barboſ. tract. var. loc. 67.*

(e) *Vide Aragonium & Suarez. mox citados.*

16. *Petrus Aragonius* eminens Theologus Accademiæ Salmanticenſis, quædam non contemnenda profert, ſententiæ, quam defendimus, conſentanea. Scribit ergò: *Jure communi videtur approbari conſuetudo, de non eligendis extraneis ab eâ Eccleſiâ, cujus eſt beneficium, ut conſtat ex epiſtolâ 2. Cæleſtini Papæ ad Epiſcopos Galliæ cap. 5. & ex Beato Leone epiſt. 82. cap. 5. & ex B. Gregorio, ut habetur in cap. nec emeritis, & in cap. nullus invitis, & in cap. obitum 61. diſt. ubi habetur, quod non ordinetur Epiſcopus extraneus, quandò ex Clericis ejuſdem Eccleſiæ reperitur aliquis dignus. Specialitèr etiàm habetur hoc ipſum in cap. in nomine Domini 23. diſt. de electione Summi Pontificis: ubi dicitur quod ſolum is eligatur ex Clericis Romanę Eccleſiæ. Imo in cap. oportebat, & in cap. nullus 79. diſt. expreſſè dicitur, quod nemo promoveatur ad Pontificatum, niſi ex Cardinalium Collegio, ſi ibi fuerit repertus aliquis idoneus &c. Verum eſt quod iſta decreta non ità obligant Cardinales, ut ex rationabili causâ, non poſſint eligere in Pontificem aliquem non Cardinalem, uti ſæpè fuit factum.* Hæc ille (*f*). Totam ergò vim obligationis eligendi beneficiarium de Clero Eccleſiæ vacantis collocat hic Auctor ſuper canonibus, ab eò citatis, uti conſuetudine roboratis, & ſic tacitè ſignificat, quod ubi conſuetudo deeſt, quæ obſervantiam retineat illorum canonum (prout de facto ubilibet deficit, prætèrquàm in Germaniâ, quoad ſolos Epiſcopatus, & Abbatias, per viam electionis canonicæ diſpenſandas, non tamen conferendas neceſſario Clericis de gremio ipſius

(f) *Aragon. in 2. 2. D. Thomæ qu 63 ar. 2 §. 2 concluſio.*

Eccleſiæ, neque de peculiari aliquâ Diœceſi, vel Provinciâ) deficit etiam debitum electionis de gremio, & ſic nulla indè probatur obligatio deferendi ſacras præbendas ſolis indigenis.

17. Et quod præfata canonum diſpoſitio non ſit preceptiva, ſed directiva, & uti talem eam cenſeat Aragonius, patet ex illius verbis, ubi exemplum de Pontifice interſerit. Primum enim, & ſupremum beneficium eccleſiaſticum, quod ſit in orbe terrarum, prouti mox innuimus eſt Summus Pontificatus (*a*). Porrò Papam præcipiunt canones, de eo individualitèr eloquentes, & ab ipſo Aragonio mox citati, ut non niſi ex Clero Romano, ſive de Cardinalium Collegio deligatur. Et tamen ſepè ſæpius extrà Collegium electus eſt. Sic Clemens II. ex Epiſcopo Bambergenſi: Damaſius II. ex Epiſcopo Brixinenſi: Leo IX. ex Epiſcopo Tullenſi, Nicolaus II. ex Epiſcopo Florentino: Alexander II. ex Epiſcopo Lucenſi: Cæleſtinus II. ex Archiepiſcopo Viennenſi: Sylveſter II. ex Archiepiſcopo Ravennate: Eugenius III. ex Abbate S. Anaſtaſii extrà Romam: Urbanus IV. ex Patriarchâ Hieroſolymitano: Gregorius X. ex Archidiacono Leodienſi: Cæleſtinus V. ex Eremitâ Iſernienſi: Clemens V. ex Archiepiſcopo Burdegalenſi: Urbanus V. ex Abbate S. Victoris Maſilienſis: Urbanus VI. ex Archiepiſcopo Barenſi (*b*). Hi omnes extrà Cardinalium Collegium electi ſunt: nec quiſquam eorum electionem de invaliditate impugnavit, eo quod eſſent Galli, Samnites, Neapolitani, Allobroges, Etruſci &c. & à Romano Clero, atque à Cardinalium Collegio prorsùs extranei. Quorum tamèn electio illico fuiſſet invalida, ſi neceſſariò beneficia fuiſſent ſolis indigenis conferenda. A ſupremo igitùr beneficio Summi Pontificatus ad alia inferiora, per legitimam conſequentiam, ducatur ratiocinium, & fatendum erit ex mente Aragonii, quod quemadmodùm beneficium Romani Pontificatus, licitè potuit pluries extraneis deferri; ità etiàm, & multò magis, id fieri poteſt de beneficiis ordinis inferioris. Non enim eſt ulla ratio, quæ incapaces reddat extraneos beneficiorum ordinis inferioris, ſive minoris momenti; ſi uſque ad Summum Pontificatum Eccleſiæ Dei, virtute duce, comite fortunâ, liberè, ac licitè valent pervenire, ac multotiès promoti ſunt.

18. *Franciſcus Suarez*, Theologus conſummatiſſimus Accademiæ Conimbricenſis, in opere de triplici virtute Theologicâ, ſic eloquitur: *Quęret ultimò aliquis, an electus* ad Papatum *debeat neceſſariò eſſe de numero Cardinalium? Conſtat quidem non fuiſſe id per sè neceſſarium; attamèn uſus Eccleſiæ ità habet, ac fieri oportet, ut dixit Stephanus Papa cum Concilio in cap. oportebat, & cap. nullus diſt. 79. Nihilominus crediderim ſi aliquis extrà Collegium Cardinalium legitimè eligeretur; electionem fore ratam, & firmam, quià non videò quo jure ità revocata ſit electio paſſiva ad perſonas Cardinalium, ut alias nulla ſit habenda.* Hęc Suarez (*c*). Idipſum, nempè quod ſi eligeretur in Papam extraneus, à gremio Cardinalium, valida foret electio, diſertis verbis tenuerunt ex Theologis prætèr *Sotum de juſt. & jur. lib. 3. quæſt. 6. art. 1. ad 4. argum. Azorius par. 2. lib. 4. cap. 5. quæſt. 6. Diana par. 5. tr. 2. reſ. 63. §. Sed ſi aliquis, cum aliis ab eo allegatis.* Et ex Canoniſtis *Barboſ. in cap. oportebat diſt. 79. Hieronymus Campanilus in Diverſ. jur. can. rubr. 7. cap. 6. n. 71. Caſtellin. de electione. c. 10. Iſidorus Moſconius de Majeſt. milit. Eccleſiæ l. 1. cap. 3.* qui intèr cætera hæc habet, quod non ſolum de numero Cardinalium inveſtigandus eſt idoneus, ſed ex omnium fidelium congregatione magis idoneus eſt aſſumendus, ut retulerunt Peleg. lib. 2. cap. 10. Auguſt. de Ancon. quæſt. 3. art. 6. Franc. in dict. cap. ubi periculum §. prætereà de elect. Florent. 3. part. tit. 21. cap. 2. §. 7. *Hoc ad evitandum acceptionem perſonarum &c.* & infrà: *Præferendus eſt unus de numero Cardinalium cęteris non Cardinalibus, quià Cardinalium ſtatus judicatur aptior, & peritior in regimine Eccleſiæ &c. Propterea omnibus aliis anteponendi ſunt ex debito honeſtatis: ex debito autèm conſilii non eſt repellendus qui dignior, & aptior extrà Collegium reperiretur.*

19. Suarez ergò cum aliis, tùm Theologis, tùm Canoniſtis mox citatis, in

eâ

(a) *Laymin. l. 4. tr. 2. cap. 4. n. 4. Mart. de juriſd. p. 2. c. 39. n. 1*

(b) *Ciacon. Panvini Joannes. Platina, Foreſt. & alii de Roman. Pontif.*

(c) *Suar. de fid. diſp. 10. ſec. 4. n. 19*

Digitized by Google

eâ ſunt ſententiâ, quod Summus Pontifex licitè poſſit extrà Romanæ Eccleſiæ gremium aſſumi, nec niſi ad honeſtatem ſpectet, quod de ipſius Clero eligatur. Itàque recurrit argumentum paulò antè ex Aragonio propoſitum, quod ſi ſupremum, & maximum totius Eccleſię beneficium, quale eſt Summus Pontificatus, licitè, & liberè valet nedum indigenis, ſed etiam extraneis deferri; neſcimus quarè hac libertate potiri non poſſint beneficia ordinis inferioris, in quibus nec minima ratio concurrit, Clericum de gremio Eccleſiæ depoſcens, quæ cum rationibus, idipſum in Pontifice poſtulantibus, poſſit legitimè coæquari. Si (non obſtantibus tot, & tantis canonibus, electionem Epiſcoporum, & individuè Summi Pontificis, ex ſolis Clericis de gremio Eccleſiarum fieri peroptantibus, quià forma electionis jàm receſſit ab aulâ (*a*), nec ulla eſt lex pręceptiva, electionem paſſivam ad ſolos Clericos de gremio coarctans) dicit Suarez, ſe non videre quo jure electio Pontificis ſit ad ſolos Cardinales, qui gremium Romanę Eccleſiæ conſtituunt, revocata; quid dicemus de inferioribus beneficiis? Qui alia deſiderat ex Suarez, videat à ſe ipſo ejuſdem opera: nec enim neceſſarium eſt hic omnia, quę de extraneorum admiſſione protulit, aggregare: ſatiſque nobis eſt ea memoraſſe, quæ opportunè ad materiam Summi Pontificatus, ad quam ex pręcedentibus Auctoribus noſter ſermo diffluxerat, ipſe quoque docto ſuo eloquio peroravit.

(a) *Garcia de benef. p.4.c.1.n.11*

20. *Sylveſter Prieras* Pedemontanus, ordinis Prædicatorum, Theologus nominatiſſimus, qui hoc Sæculo Decimoſexto florebat, & à Bellarmino intèr Scriptores eccleſiaſticos aggregatur (*b*), in ſuâ Summâ, quæ Sylveſtrina communitèr appellatur, ad rem noſtram hæc profert: *Peregrini Clerici ſecundum Ray. large appellari poſſunt omnes, qui non ſunt de Epiſcopatu Ordinatis, quià nullus talis, ſive Clericus, ſive Laicus poteſt recipi à tali Epiſcopo ad dignitatem, vel ordines, vel alia eccleſiaſtica Sacramenta diſt. 71. per totum, & ſpecialitèr in cap. primatus extr. de paroc. c. 2. & 3. Inſtitui tamèn poſſunt in Eccleſiis extranei per Abbates, & inferiores Prælatos de mandato ipſius Epiſcopi* (*c*). Si alienigenæ inſtitui poſſunt in beneficiis Epiſcopi loci, à quo ſunt origine extranei; jàm inibi licitè valent eccleſiaſtica conſequi beneficia: neque hęc ſolis indigenis ex juſtitiâ, & obligatione ſunt debita. Quę ſanè beneficia, ſive per viam plenæ collationis, ſive inſtitutionis, ſive alitèr diſpenſentur; & ſive ab Epiſcopo, ſive ab Abbate, ſive ab alio ordinario, vel delegato beneficiorum largitore tradantur; ſemper eorum proviſio eſt largitio eccleſiaſtici beneficii; à legitimò illius adminiſtratore facta, & ad favorem, tàm indigenarum, quàm extraneorum communicata.

(b) *Bellarm. de Script. Eccl. in Sylveſter Prieras.*

(c) *Sylveſt. V. peregrinus in princip.*

21. *Martinus ab Azpilcueta*, Navarrus vulgò appellatus, ordinis Canonicorum Regularium Lateranenſium, & ipſe quoque inter Scriptores eccleſiaſticos recenſitus (*d*), in titulo de electione ſic ait: *Præſuppono primò, quod electio Prælati jure communi non eſt neceſſariò facienda de aliquo, qui ſit de Collegio electorum, ad hoc ut valeat: quoniam licet honeſtiùs, & ſanctiùs ſit eligere aliquem de Collegio, quam extraneum, juxtà cap. nullus invitis, & cap. obitum 61. diſt. & alia ſimilia; electio tamen facta de extraneo idoneo à toto Collegio, vel à majori ejus parte, valet, ut ſatis efficacitèr probat capit. cum intèr canonicos, quorum opinionem ſequuntur Innocentius, Hoſtienſis, Panormitanus, & communis ibidem, eamque uſus Eccleſiæ ſervat* (*e*). Grata erit auctoritas hujus Doctoris Contradictoribus, quoniam ipſi, torquentes ejuſdem doctrinam, in alio propoſito, adversùs noſtram ſententiam, illam exaggerant, & magnifaciunt. Sed ab hoc punctuali ejus dictatu convincuntur, quod nedum non eſt de jure divino, naturali, & humano electio beneficiariorum de gremio Eccleſię, vel ex indigenis, ut ipſi comminiſcuntur; ſed imò hæc nullo jure eſt præceptiva: validaque prorſus, & licita, eſt extraneorum electio.

(d) *Bellarm. de Script. Eccl. in Martin. Navar.*

(e) *Navar. Conſil. 6 de elect. t. 1. Vol. 1.*

22. *Michael Salonius*, Ordinis S. Auguſtini, Academiæ Valentinę Doctor, & Lector, qui & ipſe claruit Sæculo Chriſti Decimoſexto, in ſuis controverſiis de juſtitiâ, & jure, explicans doctrinam D. Thomæ Aquinatis, movet quæſtionem,

ſitnè optimum, quod præcipitur in aliquibus Eccleſiis, nè beneficia aliis conferantur, quam naturalibus illarum Eccleſiarum. Et reſpondet: *In quibuſdam Eccleſiis, ut Palentinâ, Burgenſi, & Legionenſi, & modo in hac noſtrâ Valentinâ ex conſtitutione D. N. Sixti V. beneficia ſolis naturalibus ejuſdem diœceſis, vel Regni conferuntur, eligendo digniorem ex ipſis, nullâ factâ comparatione ad alios digniores extraneos. An hoc rectè fiat videndum eſt. Major.in 4.diſt.24.qu.3.ad 1. quem ſequuntur nonnulli Canoniſtæ, videtur condemnare iſtas conſtitutiones* (*a*): allegatque prò rationibus primò celebrem reprehenſionem Innocentii PP. III. factam Thomæ Patriarchæ Conſtantinopolitano (*b*). Secundò textum Scripturæ dicentis, quod in omni gente, qui facit juſtitiam, acceptus eſt Deo (*c*). Tertiò, quod hæc videtur eſſe quædam ſucceſſio hæreditaria in beneficiis, & quod ex D. Gregorio in præbendis, non eſt habenda ratio patriæ, vel nationis, ſed virtutis, & meritorum (*d*).

23. Tùm Salonius ſubjungit. *Divus autem Thomas, ad quartum, approbat has conſtitutiones, & hanc conſuetudinem aliquarum Eccleſiarum, quem ſequutus Soto lib.4.de juſt.quæſt.6.art.2. antè* 10.*concl.art.Utinam in Eccleſiâ eſſent tales conſtitutiones, ſicut in Concilio, ait Tridentino mè præſente tractabatur. Tractabatur autem ad petitionem reverendiſſimi, & Sanctiſſimi Patris Thomæ à Villanovâ Archiepiſcopi Valentini, ut conſtat ex noſtro opuſculo de vitâ ipſius lib.2.cap.*1. Alibi legibus hanc petitionem à quibuſdam Gallis Epiſcopis profluxiſſe. Adhæret autem Salonius opinioni D. Thomæ, haſque conſtitutiones licitas eſſe conſentit, & meritò, quia à Sede Apoſtolicâ, vel editas, vel approbatas. Nàm quoad Valentinos, certum eſt, legem vetantem, nè beneficia illius Regionis Clericis extraneis conferantur, eſſe Sixti Papæ V. (*e*): quæ etiam non excludit cunctos extraneos, ſed illos ſolos locorum, in quibus viceverſa Valentini excluduntur ab eccleſiaſticis beneficiis. Rursùs illa lex, ſive privilegium, locum non habet quoàd beneficia ordinis Epiſcopalis: & ſic lex illa partim favet, partimque obſiſtit extraneis. De excluſione quoque extraneorum, quæ fit in diœceſibus Legionenſi, Palentinâ, & Burgenſi, ſuprà oſtendimus illam provenire à Sedis Apoſtolicæ approbatione (*f*).

24. Intantum ergo Solonius adhæret opinioni juſtificanti excluſionem extraneorum, rationeſque adducit prò illâ, & objecta in contrarium diſſoluit, inquantum excluſio ipſa fit auctoritate Pontificis: adeòque Solonius oſtendit, legem excluſivam extraneorum, non eſſe generalem, ſed particularem, ad aliqua tantum loca reſtrictam, & patefacit, quod Concilium Tridentinum, tametſi conſultaretur prò hac lege univerſalitèr edendâ, eam nihilominùs noluit ſancire. Juſtam demùm eſſe demonſtrat excluſionem extraneorum à beneficiis, ſed ſolum in iis locis, quibus adeſt Apoſtolicum privilegium, eandem juſtificans excluſionem. In quo & nos convenimus, & manus victas Contradictoribus damus; & eiſdem officia noſtra, lingua noſtram, calamum noſtrum, qualiacumque ſint, exhibemus, prò tuitione illorum jurium; quoties in propatulo ponant, edantque privilegia, ſi quæ habent Apoſtolica, vel à Romanâ Sede approbata, caventia nè in eorum Regno quiſquam extraneus valeat beneficia ſacra adipiſci. Sed quia in Regno Neapolitano hæc lex Pontificia, hoc privilegium Apoſtolicum, cunctas illius Regni complectens Eccleſias, nec eſt, nec unquam fuit, niſi prò Eccleſiâ Hyſdruntinâ, & prò illâ Terrę Fluminis morum in Calabriâ (*g*), & ſi quæ aliæ ſint, ſimili diplomate peculiaritèr communitæ; Salonii autem doctrina ſolis favet habentibus indultum Apoſtolicum; hinc fit, quod in ſententiâ hujus Auctoris, extranei licitè non valent à beneficiis Regni Neapolis univerſalitèr protelari.

25. Progreditur deindè Salonius, & examinat, an expediat mutationes Epiſcoporum facere, quos conſtat neceſſariò, vel à primâ, vel à ſecundâ Sede eſſe extraneos: & poſt quædam allegata motiva pro parte negativâ, ipſe adhæret affirmativæ, quia, inquit, *judicant electores ſic convenire bono communi, & quantumvis quis dignus ſit; non conferatur ei ſtatim Epiſcopatus major, ſed minor, ut ſi in*

(a) *Salon.in 2.2. D. Thomæ qu. 63. art.2. Controv.3 in fin.*
(b) *Cap.ad decorem 5.de inſtit.*
(c) *Actor.10.c.35.*
(d) *Cap.Nos qu. diſtinct.40.*
(e) *Sixt.V.Conſt.64*
(f) *Covarruv.pract. qu.c.35 n.3.§.olim Vid. ſupr.in iſto cap. n.13.*
(g) *Vide hic ſupr.cap. 6.num.6 & 24.*

ſi in illo optimè ſe geſſerit, promoveatur ad majorem, & hac ſpe inducatur ad optimè gubernandas oves cujuſcumque Eccleſiæ ſibi commiſſæ &c. In his certa regula aſſignari non poteſt, ſed prudentiæ, & conſcientiæ electorum committendum eſt, ut eligant ſicut viderint utilitati Eccleſiæ univerſalis magis expedire (*a*). In ſententiâ ego præclari hujus doctoris, extranei ab eccleſiaſticis beneficiis non debent excludi, niſi in illis præciſis locis, ubi Apoſtolicum privilegium illos expellit: & ſivè per translationem, ſive alitèr fiat diſpoſitio de beneficiis, totum relinquatur prudentiæ, & conſcientiæ electorum, ut hunc, vel illum præficiant, localem, vel extraneum: diœceſanum, vel alundè venientem, quem in actibus practicis magis judicaverint expedire. Adeoquè ſtat veritas pro debito præficiendi ſacris præbendis, etiàm Clericos extraneos, illoſque non excludendi, niſi cæteris paribus, & in ſolis caſibus, in quibus diſpenſatores beneficiorum, rebus benè ponderatis, definiant, ad tale, & tale beneficium tunc vacans, expedire, ut potiùs promoveatur indigena, quàm extraneus.

(a) *Salonius in D. Thom. 2. 2 qu 63. art. 2 controv. 3. in fin. §. quod ſi.*

26. *Antonius Cordubenſis*, Theologus eminentiſſimus, Hiſpanus, Ordinis S. Franciſci, qui & ipſe hoc Sæculo Decimoſexto claruit, hanc doctrinam typis impreſſit; *damnabile eſt non communicare cum hac, vel illâ natione jam fideli, eos repellendo à collegiis, & communicationibus, officiis, dignitatibus, & adminiſtrationibus publicis, convenientibus comunitèr aliis fidelibus Chriſtianis, ſi id ſolâ ratione generis, ſinè ullâ causâ rationabili fiat* (*b*). Hancque concluſionem probat pluribus mediis, quorum aliqua ſubnectemus. *Primò, quià ſi ſolâ ratione generis, ſinè aliâ causâ rationabili fiat, eſſet contrà unitatem, & communicationem fraternam evangelicam, ſivè chriſtianam in gratiâ evangelicâ. Quod probatur, quià ſecundum Thomam opuſc. 6. de Symbolo, ibi: Credo unam ſanctam Eccleſiam, communicatio gratiarum, & donorum eccleſiaſticorum, pertinet ad unitatem Eccleſiaſticam: nam gratia evangelica, quæ omnibus communis eſſe debet, non ſolum includit gratiam gratum facientem, & fidem, & gratias gratis datas, & charitatem; ſed & omnia munera, & dona, à Chriſto, & Eccleſiâ inſtitutâ, ad talem gratiam, & dona Spiritus Sancti in alios diffundenda, & in ſè acquirenda, ut ſunt gradus eccleſiaſtici, ſacramenta, & munera omnia eccleſiaſtica, puta doctoratus, dignitates, beneficia, ſeù præbendæ, & hujuſmodi, & tandèm communicatio in omnibus, in quibus Chriſtiani alias idonei communicant: ità quod ſolâ ratione generis in his nulla fiat diſtinctio* (*c*).

(b) *Anton. Cordubenſ. l. 1. quæſt. 14. concl. 1.*

(c) *Idem loc. cit. §. probatur.*

27. Secundò id probat ex eo, quod initio Eccleſiæ, Judæi ad fidem converſi, errabant, tum exiſtimantes, quod *lex evangelica non erat Gentibus divulganda, neque gentes erant ad eam admittendæ, ſed ſolum Judæi*, tum etiam credentes, *quod de gentilitate ad fidem converſi, non eſſent recipiendi ad communicationem in lege, & gratiâ evangelicâ, niſi per ipſorum Judæorum, jam ad fidem converſorum, auctoritatem*; errabant, inquam, ait, quià *ratione ſolâ generis non debet eſſe ulla differentia in ſupradictis, ſed pacifica, & æqua communicatio intèr omnes regeneratos per baptiſmum, & in unum corpus Eccleſiæ coadunatos*. Nam in eccleſiaſticis, & adud Deum *non eſt diſtinctio Judæi, & Græci* (*d*). *Multi unum Corpus ſumus in Chriſto* (*e*). *Chriſtus eſt lapis angularis, faciens utraque unum* (*f*). Omnes tandèm fideles cohèredes ſunt, concorporales, & comparticipantes promiſſiones Dei (*g*). Hincque factus eſt murmur Græcorum adverſus Hebræos, eo quod in miniſterio quotidiano deſpicerentur viduæ eorum (*h*), quas auctoritates, inquit, intelligendas eſſe, nedum de communicatione in fide, charitate, & Sacramentis, ſed etiàm in miniſteriis, & officiis, & actibus eccleſiaſticis, ſi ſint ad ea idonei (*i*).

(d) *Rom. c. 10. v. 12.*
(e) *Rom 12. 5.*
(f) *Epheſ. 2. 21.*
(g) *Epheſ. 3. 6.*
(h) *Actor. 6. 1.*
(i) *Cordub loc. cit. §. 2. & §. Idoneo.*

28. Probat id tertiò Cordubenſis ex eo, quod in Concilio Baſileenſi decretum eſt, *ut ſingulis annis die, quâ celebratur anniverſarium electionis, ſeù coronationis Papæ, intrà Miſſarum ſolemnia, quidam Cardinalis publicè coram Papâ, intèr alia ſalubria monita dicat: Non ſis acceptor perſonarum, nec ſanguinis, nec*

patriæ

(a) Conc. Baſil. ſeſſ. 16.

patriæ, nec nationis: omnes filii Dei ſunt, & tuæ curæ, & cuſtodiæ commiſſi (a). Additque: *Quod ſi dicas, hoc non habere vim Concilii, ſaltem habet auctoritatem doctiſſimorum virorum, ibi congregatorum* (b). Quartò id probat auctoritate Nicolai Papæ V. definientis, *eos qui horum generum ſegregationes faciunt, eſſe contemptores unitatis Eccleſiaſticæ, tranſgreſſores ſalubrium fidei documentorum, ſeminatores zizaniorum, ſcandalizatores proximorum, contrarios unitati, & paci Chriſtianæ, errantes à veritate fidei, ſeminatoreſque falſitatis, contrà regulas fidei Chriſtianæ, & contrà Sacram Scripturam &c. Proindè decrevit, quod nulla fiat differentia inter hos, vel illos Chriſtianos, etiàm novitèr ad fidem converſos, ex hac, vel illâ natione, Gentilium, vel Judæorum, in omnibus dignitatibus, & officiis, actibus eccleſiaſticis, & ſæcularibus, præſentibus, & futuris, ſub pœnâ excommunicationis* (c).

(b) Cordub. loc. cit. §. tertio in fin.

(c) Cordub loc. cit. §. quarto in fine.

(d) S. Thom. 2. 2. quæſt. 39.

29. Quintò id probat, quià ſecundum D. Thomam (d), *non communicare fideles inter sè in his, quæ ad fidem, & charitatem conducunt, ut ſine eis vix fides, aut charitas nutriri, aut cuſtodiri poſſit; derogat Chriſtianæ unitati: tale autem eſt non admittere omnes ad publicam, & communem ſocietatem aliorum Chriſtianorum, quia vix poteſt charitas conſervari, aut nutriri intèr eos, qui nolunt communicare in tali communi ſocietate congregationum proptèr ſolam diverſitatem generis: ergò derogat Chriſtianæ unitati nolle communicare cum eis in prædictis.* Sextò, probat idipſum ex eo, quod ſecundum D. Thomam (e), cui competit aliquis actus, competit etiàm admitti ad ſocietatem illorum, quæ ordinantur ad illum actum: ſed omnibus, à jure non inhabilitatis ad actum religionis, doctoratus, ad beneficia, ad dignitates eccleſiaſticas, & ſæculares, & hujuſmodi ſocietatum, competit actus talium congregationum, officiorum, & dignitatum, quæ ſunt communes omnibus Chriſtianis, & reſpective Clericis, undecumque originem habentibus, quippè nullum datur jus præceptivum, illos inhabilitans ad ipſos actus; ergò ex quacumque natione ſint Clerici, ad prædicta officia, & beneficia ſunt admittendi (f).

(e) S. Thom. contr. impugn. relig. c. 3.

(f) Anton. Cordubenſ. l. 1. qu. 56 §. 5 in f.

30. Proſequitur idem Cordubenſis, advertendo, & inculcando hoc modo. *Notetur quod prædicta omnia intelliguntur, & vera ſunt, de muneribus, ſocietatibuſque, communibus generalitèr omnibus Chriſtianis, aliàs aptis, & idoneis, qualia ſunt dignitates, & munera ſpiritualia, beneficia eccleſiaſtica, & univerſitates, & gradus ſcholaſtici, ſeù literarum, ordines ſacri, & officia publica ſecularia, & alia hujuſmodi omnia, quæ ſecundum jus, & rectam rationem, ad communem Reipublicæ utilitatem, idoneus tamèn, debentur. Nàm ab his nullus repelli licitè poteſt ſolâ ratione generis, ut dictum eſt, quià cum illa ſpiritualia, & eccleſiaſtica, ſint ad animæ ſalutem ordinata, jam omnibus alias idoneis debentur, ſecundum juſtitiam diſtributivam. Sæcularia autèm publica ſimilitèr omnibus idoneis debentur, ex quo ad bonum publicum ordinantur. Ideò ſi ſolâ ratione generis aliqui repellantur, videtur id fieri in odium, & præjudicium eorum, & cum ſcandalo, & habet ſpeciem mali.*

31. *Secus autem de aliis muneribus, officiis, dignitatibus, & collegiis, ſivè ſocietatibus particularibus eccleſiaſticis, ſivè ſæcularibus, qualia ſunt certa quædam collegia, quæ habentur in Univerſitatibus pro his, vel illis dumtaxat de tali natione, aut quædam confraternitates, aut capellaniæ, aut officia regalia prò domo regiâ, & hujuſmodi. Nàm ab his repelli poſſunt hi, vel illi, ſolâ ratione generis, in quocumque gradu ſint, auctoritate legitimâ interveniente: dummodò id aliàs non fiat in odium, aut in injuriam aliorum, ut ſupradictum eſt. Et ratio hujus eſt, quià in his, cum ſint particularia, & nulli debita, locus eſt gratificationi: proindè, nec alicui fit injuria, vel injuſtitia, nec ulla ineſt vitioſa perſonarum acceptio, dùm quis utitur jure ſuo: liquet enim quod hæc nulli debentur ſolâ ratione idoneitatis perſonæ: ſicut debentur munera communia Eccleſiaſtica, & Sæcularia, quæ ad utilitatem boni communis immediatè ex sè, aut ex naturâ ſuâ, inſtituta ſunt; quod indè conſtat, quià* indiſ-

Digitized by Google

indifferentèr hi, vel illi, & minùs idonei per Inſtitutorem, vel per habentem auctoritatem, ad hæc particularia munera, ſocietates, ſivè collegia gratis admitti, alii repelli licitè poſſunt (*a*).

32. Diſſolvit poſteà ipſe Cordubenſis argumenta in contrarium, & ad primum objectum, continens, quod non prohibetur lege divinâ aliquos ratione generis ab aliquibus gradibus repellere, undè ſi accedat auctoritas legitima Superioris, puta Papæ in rebus eccleſiaſticis, vel Principis in ſæcularibus, non ſit illicitum id facere, tum quia non tenemur illos diligere in actibus particularibus: tum etiàm quià illi nullum habent jus ad talia, tamquam ſibi debita. Reſpondet quantum ad primum, quod admittere ad officia præfata, non eſt effectus dilectionis particularis, ſed dilectionis generalis, debitæ omnibus, aliàs dignis, & idoneis ad talem communicationem, & ideò licèt poſſimus eis non benefacere, eoſve non diligere in particulari; non tamèn in odium, aut in injuriam eorum, aut nationis, neque cum ſcandalo, id facere poſſumus. Et quantùm ad ſecundum, dicit, quòd optimè communicatio in prædictis officiis, & beneficiis eſt debita iis, qui ſunt ex aliâ natione, & hi ad illa jus habent, ſi ſint idonei, ſicut & alii, ex quo omnibus dignis, & idoneis talis receptio debetur ad talia beneficia, officia, ſeù munera communia, quæ præcipuè ratione idoneitatis perſonarum, & non ratione generis, ſecundum jus, ad Reipublicæ bonum commune conferenda ſunt: & ideò ſicut eſt peccatum acceptionis perſonæ, ſi ſolâ ratione generis conferantur; ità è converſo ſi ſolâ eàdem ratione generis, viris aliàs idoneis, denegentur (*b*).

33. Concludit tandèm: *Nihil igitur obſtat ſola ratio generis hujus, vel illius, ne aliàs idoneus ad munera, officia, & collegia communia, & præſertìm eccleſiaſtica, aſſumatur, ut hoc etiam expreſsè habetur in cap. ad decorem de inſtit. & cap. venerabilis de præbend. & gloſ. ibidem, & ſuprà latè probatum eſt* (*c*). Quæ omnia licèt egregiùs hic Theologus proferat ad impugnandam excluſionem ab officiis, & beneficiis eccleſiaſticis eorum, qui deſcendunt à genere ruſticorum, Hebræorum, & Saracenorum; tamen æque proficiunt ad condemnandam quoque excluſionem extraneorum proptèr originis diverſitatem: tum quià rationes, quas adducit, non minùs probant prò his, quàm prò illis: tum quià prò ratione allegat canones, expreſſe editos contrà excluſionem extraneorum: tum demum, quià arguendo à majori ad minus, à quo validum eſt argumentum (*d*), habent majorem rationem, ſeu imaginem extraneitatis à Chriſtianâ Republicâ, & ab officiis, ac beneficiis illius communibus viri recentèr converti ad fidem, & deſcendentes ab infidelibus, quàm nati in aliâ patriâ & deſcendentes à fidelibus. Quod patet ex Doctrinâ ipſiuſmet Cordubenſis, ibidem docentis, quod cæteris paribus officia, & beneficia prædicta potius dari debent deſcendentibus à fidelibus, quàm deſcendentibus novitèr ab infidelibus (*e*). Ergò ſi non obſtante hac imagine extraneitatis, deſcendentiæ recentis ab infidelibus, hi deſcendentes licitè repelli non poſſunt ab eccleſiaſticis beneficiis; multo magis ab eiſdem excludi licite non valebunt deſcendentes ab antiquis fidelibus, & ſolummodò extranei ratione patriæ.

34. Demùm *Joannes Azorius* Luſitanus, doctor inclytus Societatis Jeſu, nec tàm ſcientiâ, quàm pietate reſplendens (*f*), movet quæſtionem in terminis, an licita ſit conditio, à fundatore beneficii appoſita, ut hoc non niſi certis Clericis, ex certo genere delectis hominum, conferatur; prout & *Principum ſtatuta, ut beneficia, in locis eorum ditioni ſubjectis conſtituta, non exteris, & alienigenis conferantur*. Et poſt objecta ſibi argumenta in contrarium ex cap. ad decorem de inſtit. & cap. venerabilem de elect. ex rationibus quoque: quià in Eccleſiâ is eligendus eſt, qui cæteris melior doctior, & magis idoneus eſt, & ità non ex unâ gente, & familiâ, ſed undecumque ſit: Paritèr, quià alioquin viderentur beneficia ex quadam hæreditariâ ſucceſſione deferri, quàm canones valdè abhorrent: Demùm quià ex D. Gregorio c. nos qui diſt.40. qui præſident, non debent loco, aut dignitate generis innoteſcere, ſed morum nobilitate, nèc urbium claritate, ſed fidei puritate;

(a) *Cordub. loc. cit. § in tandem f.435.*

(b) *Idem loc. cit. §. Contra cum 2. ſequen.*

(c) *Cordub. ubi ſupr. circ. fin. §. Nihil.*

(d) *Vid. Jura & DD. ap. Barboſ. tract. var. Loc. 67. & 68.*

(e) *Cordub. l. 1. qu. 54. ad fin. § ſed cum ſeq.*

(f) *Anton. Baldaſſar. Compendioſo ristretto in Gio. Azorio.*

ritate; Poſt hæc inquam ſibi objecta, reſoluit conditionem illam, & ſtatuta eſſe juſta; totuſque eſt in probandâ juſtitiâ excluſionis extraneorum, & in ſolvendis objectis in contrarium facientibus (*a*).

35. Sed præterquamquod ejus doctrina id ſolum probat, quod non niſi cæteris paribus indigenę ſint extraneis præferendi, in quo & nos convenimus, dummodo hæc cæterorum paritas dijudicanda ſit, uti debet, ab ipſis beneficiorum diſpenſatoribus; ad calcem poſteà quęſtionis ipſe Azorius adjungit, *Quæres an ſatis ſit, ſi hujuſmodi leges, & conſuetudines, & ſtatuta, quibus cautum eſt, nè beneficia concedantur niſi Clericis, ex certo hominum genere aſſumptis, laicorum auctoritate approbentur*: & reſpondet: *minimè, quià laici de beneficiorum cauſis nihil decernere queunt: quarè neceſſe eſt ut Romani Pontificis privilegio, aut conſenſu approbentur; aut ipſius Canonici juris auctoritate confirmentur* (*b*). Alibi diſcutit idem Auctor quæſtionem: *An valeat ſtatutum laicorum, quò cavetur, nè quis poſſeſſionem apprehendat Eccleſiæ, vel beneficii ſine facultate ejus, qui dominatur, vel præeſt populo*: & reſpondet negativè cum Felino (*c*), & Canoniſtis communitèr: quia *derogat eccleſiaſticæ immunitati: Eccleſia enim habet jus, & poteſtatem mittendi Clericos in poſſeſſionem Eccleſiarum, vel beneficiorum* (*d*), quâ de rè inferiùs habebitur fuſior ſermo (*e*): interimque legantur Auctores in margine citati (*f*).

36. Vidant ergò Contradictores quid ſibi opus ſit prò impediendâ poſſeſſione beneficiorum extraneis, & prò illorum reſtrictione ad ſolos indigenas. Non eis prodeſt ſęcularis poteſtas, non laica præpotentia, ſed neceſſarium eſt Apoſtolicum privilegium. Si hoc habent, illud edant, & cauſam vicerunt. Si non habent, ſuper evidenti injuſtitiâ conatus ſuos attollunt, nec unquàm prævalebunt, quia Deus ſemper pro libertate ſuæ Eccleſiæ pugnabit: non eam certè permiſſurus, quod nativâ libertate nudetur, quam habuit, habet, eamque debere habere, probant decem Theologi, in hoc Capitulo recenſiti, (præter alias infinitas rationes huc uſque congeſtas) Dominicani, Franciſcani, Jeſuitæ, Canonici Regulares, Auguſtiniani, Scoti, Hiſpani, Navarri, Luſitani, Pedemontani &c. ut intelligatur, non unius Ordinis, non unius Gentis, ſed omnium Gentium, & Ordinum Orbis Chriſtiani Theologos, qui Sæculo Chriſti Decimoſexto claruerunt, prò libertate Eccleſiæ clamare, in admittendo ad ſacra beneficia, non modò Clericos indigenas, verùm etiàm extraneos.

(a) *Jo. Azor. Inſt. mor. par.* 2. *l.* 6. *c.* 4. *qu.* 25.

(b) *Azorius loc. cit.* §. *quæres an.*

(c) *Felin in c. Eccleſia S. Mariæ de Conſtit. num* 6.

(d) *Azor. p.* 2. *lib.* 5. *c.* 13 *qu.* 6.

(e) *Vide infra in hoc tom. cap.* 10. *num.* 7 & 21.

(f) *Caſtropal. tom.* 2. *tract.* 12. *diſput. unic punt.* 8. *num.* 9. *Diana part* 9. *tract.* 2. *reſol.* 99. §. 2.

C A-

C A P U T VIII.

In quo ex pluribus Canoniſtis, qui Sæculo Chriſti Sextodecimo *in vivis fuerunt; probatur libertas Eccleſię, in conferendo Eccleſiaſtica Beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis.*

S U M M A R I U M.

1 *In rebus beneficialibus Jus canonicum eſt attendendum: ſententiæ Doctorum, qui articulo diſcuſſo, eam proferunt, deferendum eſt.*

2 *Aſſertur doctrina* Petri Rebuffi, *pluribus in locis loquentis de aditu patente Clericis extraneis ad eccleſiaſtica beneficia.*

3 *Interdùm aliquid impropriè dicitur eſſe de jure divino. Papa beneficia conferre poteſt etiàm non intelligentibus idioma.*

4 *Rebuffus non loquitur de privilegio Canonum, ſed de indulto Apoſtolico. Canones faciunt legem communem, non privilegium.*

5 *Princeps laicus non valet in jure communi Canonico diſpenſare, valet tamèn vim privilegii ſibi conceſſi relaxare.*

6 Nicolaus Garcia *libertatem præficiendi Clericos extraneos beneficiis admittit, niſi ubi eſt privilegium, & conſuetudo illos excludens.*

7 *Eluitur impoſtura, Garciæ oppoſita, quod pravo animo hæc ſcripſerit, ut jura regia minueret.*

8 *Noſtra quæſtio non eſt de excluſione extraneorum reſpectivâ, ſed de abſolutâ: ultima namque non ſubſiſtit, etſi vera ſit prima.*

9 Franciſcus Salgado *admittit in Principe, ad occurrendum alicui gravi periculo, poſſe proviſionalitèr arcere extraneum à beneficio.*

10 Petrus Cenedo *totus eſt in plaudendo legibus, Apoſtolico privilegio munitis, quæ Clericos extraneos à beneficiis repellant.*

11 *Ex doctrinâ* Camilli Borelli *Neapolitani eruitur, ipſum in eo ſenſu fuiſſe, quod extranei quoquè ſint beneficiorum capaces.*

12 *Recenſetur doctrina* Didaci Covarruviæ, *ex qua tria eruuntur, per quæ repellitur excluſio extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis.*

13 Franciſcus Marcus *in voto eſt, quod Papa liberè valeat extraneos præficere beneficiis. Quid de Prælatis inferioribus?*

14 Joannem Hieronymum Campanilium *oſtenditur, tenere, quod extranei poſſunt pręfici eccleſiaſticis beneficiis.*

15 Joanni Aloyſio Riccio *eadem ineſt ſententia: optatque cuncta beneficia fieri patrimonialia Papæ auctoritate.*

16 Petrus Andreas Gambarus *in ſenſu eſt, quod Præſul valeat beneficium, etiàm parochiale, conferre viro non intelligenti idioma loci.*

17 *Et alibi docet, non ſolùm ad beneficia eccleſiaſtica, ſed etiàm ad penſiones, patere aditum extraneis, non ſecus ac idigenis.*

18 Hieronymi de Cevallos *doctrina eſt, quod à beneficiis Hiſpaniæ repellantur extranei, ſolâ vi Apoſtolici privilegii.*

19 *Et leges Hiſpanię idipſum decernentes, eum fundentur ſupèr eodem privilegio,*

jàm tota vis earum ab Apoſtolicâ poteſtate promanat.

20 Cæſar Lambertinus *defendit, poſſe quemlibet præſentari, & inſtitui in beneficiis, tametſi extraneum, dummodò cognitum, & idoneum.*

21 *Suggerenſque modum arctandi collationem beneficiorum ad ſolos indigenas, hunc refundit in ſolum Apoſtolicum privilegium.*

22 Gulielmus de Benedictis *multa proponit contrà extraneos, quæ non probant, niſi uti de congruo, & honeſtate.*

23 Ex Flaminio Pariſio *habetur, quòd in ſolis locis excluduntur extranei à beneficiis, ubi Apoſtolicum privilegium ità decernit.*

24 *Apud* Ludovicum Gomez *legere eſt formulam, ſub quâ Pontifex diſpenſat cum extraneis ad beneficia curata ſupèr defectu idiomatis.*

25 *Ob defectum peritiæ idiomatis non eſt locus excluſioni extraneorum à cunctis beneficiis. Et Papa poteſt ſupèr defectu iſto, ſi opus eſt, diſpenſare.*

26 *Recenſiti Doctores patefaciunt, quod Sæculo XVI. Canoniſtarum ſententia erat extraneos ut ſic, non eſſe à beneficiis eccleſiaſticis repellendos.*

1. INFINITOS penè ſacros Canones in hac noſtrâ qualicunque lucubratione produximus, quià ſcimus, quod in rebus beneficialibus jus Canonicum eſt principalitèr attendendum (*a*). Nihil ergò hic reſtat, niſi, ut ad exuberantiam, & conſentaneè ad rem, de quâ agimus, etiam perplures Juriſconſultos Sæculi Sextodecimi proponamus, qui rè diſcuſsâ, & articulo ventilato ſentiunt, extraneos quoque, non ſecus ac indigenas, beneficiorum eccleſiaſticorum eſſe capaces. Sententiæ enim Doctorum, qui ſupèr articulo diligentèr diſcuſſo, & rationibus perpenſis, ſenſum animi ſui aperiunt, ſermoni, rationi, & judicio aliorum conſonum, & cohærens, omninò ſtandum eſt, quià in tali caſu faciunt opinionem communem, prudenter, & rationabilitèr in praxi ſequendam (*b*). Et multò magìs Doctorum opinio prævalet, quandò, ut in caſu noſtro, non conſiſtit in ſolâ prudentiali adhæſione alicui ſententiæ, ſed eſt & rationibus conſtipata, & canonibus ſuffulta, & plurium ſcientiarum probationibus communita.

(a) *Camil. Borel. ſum. deciſ. tom. 1. tit. 30. nu. 297 Ceſ. Barzius deciſ. Bonon. 30. num. 3.*

(b) *Aloyſ. Ricc. prax. aur. part. 3. reſol. 113 num. 22. Navar. in manual. c. 27. num. 289. Azor. tom. 1. l. 2. cap. 17. quæſ. 6 Bonac. tom. 2 diſp. 2. qu. 5 pun. 9. & 12 vid. cap. preced. num. 1.*

2. Igitur *Petrus Rebuffus* Gallus, Profeſſor Pariſienſis, inſignis Canoniſta, & materiæ beneficialis peritiſſimus Doctor, in propoſito ad hanc rem dicit: *item literæ ſolent dari extraneis Clericis à Papâ, ut liceat eis beneficia habere in Regno, quamvìs non loquantur idiomate patrio, contrà cap. neminem diſt. 70. ut in Reg. Cancel. Tamèn proptèr Regis Franciæ privilegium, adhùc opponeretur exteris inhabilitas: ob id etiam Rex iſtas literas naturalitatis illis concedere ſolet, quibus indulget, ut beneficia poſſint in Regno habere* (*c*). Et paulo poſt ſubdit. *Quod tamèn minimè procedit in præceptoriis S. Antonii, & Hieroſolymitanis; nàm cum homines, & exteri, & Galli, & omnes nationes in illis deſerviant, & ex antiquitate temporis iſtæ commendæ, ſivè præceptoriæ, paſſim antiquioribus conferantur, etſi extraneo collatæ ſint, valet collatio* (*d*). Succeſſivè ſubjungit. *Non ſolet in hoc Regno exteris provideri: nèc quidem per Papam &c.: & ſic non recipitur Papæ diſpenſatio in Franciâ contrà iſtam regulam, quæ eſt juris divini: ad hæc ratione privilegii dati Regi Franciæ, ut nullus alienigena ſinè literis naturalitatis poſſit in Regno beneficia obtinere, quamvìs in Patriâ obedientiæ ſolet huic regulæ Papa derogare &c. Et nec Ordinarius, nec Legatus in Franciâ poſſet alienigenæ conferre &c. Quod privilegium Regni nedùm prohibet extero habere Eccleſiam parochialem, de qua hæc regula loquitur, ſed etiàm alia quæcumque beneficia &c. Si tamèn poſt adeptionem beneficii, exterus Regis literas obtinuerit, valebit adeptio, & beneficium retinere poterit, ut fuit in Senatu judicatum* (*e*).

(c) *Rebuff. prax. benef. par. 2. de reſcr. mixt. num. 5.*

(d) *Rebuff. loc. cit. num. 9.*

(e) *Idem in Reg. 20. Cancel. Gloſ. 1.*

3. Plura nos edocet iſte Doctor, quæ tamèn antequàm repetamus, notandum eſt, quod ubi refert ex regula 20. Cancellariæ Apoſtolicæ eſſe *juris divini &c.* non

non intelligit de vero, & formali jure divino, quod in ſcriptum, & traditum, à Theologis, & Scripturalibus dividitur; ſed de jure divino impropriè, nempè de jure illo, quo cunctis perſuaſum eſt, expedire, ut paſtor animarum intelligat earum idioma, quas regere debet; in hoc enim ſenſu jus iſtud, qualecumque ſit, lato modo jus divinum ſolet ab aliquibus nuncupari (*a*). Sed rè verâ, theologicè, ac rigoroſè loquendo jus divinum non eſſe videtur, tum quia paſtor poteſt per alium ſupplere, & oves paſcere per ſubſtitutum, qui earundem idiomatis ſit peritus. Tùm quia de facto ſuper hoc defectu Papa, ipſo Rebuffo teſte, diſpenſat: diſpenſare autèm non poſſet, ſi de jure divino eſſet. Plura, inquam, nos edocet Rebuffus. Primò quod Papa ſolet dare literas extraneis, ut poſſint beneficia inibi adipiſci, ubi non intelligunt idioma; non tamen in Galliâ, ratione Apoſtolici privilegii, extraneos excludentis, quo regnum illud ſtipatum eſſe ipſe recenſet; ſed tale, quod non ad Armoricam extenditur, dictam Patriam obedientię. Secundò quod nec Ordinarius, neque Legatus, neque Papa beneficia largiri valent extraneis, ob reſiſtentiam dicti privilegii; tamèn ſi de facto illa conferant, collatio tenet, dummodò proviſus obtineat aſſenſum Regium. Tertiò quod Rex Galliæ, quem aſſerit privilegio excluſivo extraneorum eſſe ſuffultum, hoc habet, ut valeat *literis naturalitatis* extraneos habilitare ad beneficia Franciæ conſequenda. Quartò quod beneficia regularia Ordinum S. Antonii, & S. Joannis Hieroſolymitani, liberè poſſunt etiam extraneis conferri. Hæc autem quatuor capita, tum ſingularitèr, tum collectivè conſiderata, unâ voce conclamant libertatem Eccleſiæ in largitione beneficiorum extraneis, niſi aliud privilegium particulare locorum expoſcat: quod cum non ſit in Regno Neapolitano; indè extranei repelli jure non poſſunt.

(a) *Lotter. de rè beneſ. l. 1. qu. 4. n. 17. & qu. 13. n. 83*

4. Nèc torqueantur verba Rebuffi, ut pertrahantur ad ſenſum, quod referendo excluſionem extraneorum à beneficiis Gallię privilegio, intelligat de *privilegio canonico*, ſeù canonum, præſcribentium, nè beneficia extraneis conferantur; non verò de *privilegio Apoſtolico*, gratioſè Regibus Galliæ, à Romanis Pontificibus impertito. Nàm in primis negatur ſuppoſitum, quod canones hi dentur, extraneos repellentes, cum potiùs oppoſitum jubeant, prout jàm à nobis per Sexdecim Sæcula nullatenùs interrupta probatum eſt. Secundariò, diſpoſitio ſacrorum canonum non eſt privilegium, ſed eſt lex communis eccleſiaſtica. Quippè privilegium eſt lex privata, ſeù privati favore lata (*b*): diſpoſitio autèm canonica eſt lex communis, omnes proſpiciens, & nullum æqualitèr non complectens. Undè ſi excluſio extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis in Galliâ, proveniret à *privilegio canonico*, non faveret ſolis Gallis, ſed eſſet communis omnibus: eſſetque cunctis Nationibus coęqualis: nec ullæ ex his poſtulaſſent, uti de facto aliquæ poſtularunt, ab Apoſtolicâ Sede privilegio conſimili ſuffulciri: quià eis ſatis fuiſſet eſſe canonici privilegii participes. Tertiò, privilegium Gallicanum, ſi eſſet privilegium canonicum, afficeret æqualitèr in totâ Galliâ, non verò in aliquâ ſolâ parte, Armoricam excludente, dicta alias Patria ſtrictioris obedientię (*c*), quæ, quoad beneficialia, hæc profeſſa eſt coram Pio Papâ II. dum de Pragmaticâ Sanctione, ſuperiùs memoratâ, ſermo eſſet: *Majores noſtri, poſt accepta ſemel Chriſti Sacra, nunquàm apoſtatarunt, vivere Romanis legibus; nec unquàm primæ ſedis mandatis adverſati ſunt. Pragmaticam Sanctionem, Galliæ gentis inventum, reſpuerunt, Prędeceſſoribus tuis conſtanti animo adhęſerunt &c.* (*d*).

(b) *Fagnan. in cap. ex parte n. 3. de Capel. Monac. l. 3. Barboſ. in cap. Abbate 25. n. 3. de Verb. ſignif.*

(c) *Thomaſſin. Vet. & nov. Eccl. diſcipl. p. 2. l. 1. c. 45. n. 3.*

(d) *Gobelin in Pio II l. 3. Raynald. anno 1459 n. 66. 67.*

5. Item quartò, ſi privilegium Gallicanum eſſet privilegium canonicum, non poſſet Rex illud relaxare, habilitando extraneos ſuis *literis naturalitatis*, ad beneficia in Galliis conſequenda. Nullus enim laicus Princeps valet in jure communi Canonico diſpenſare: ſicut id poteſt facere in jure particularis privilegii ſibi, vel ſuæ genti conceſſi; illius vel vim quantum eſt in ſe relaxando, vel ei cedendo, vel alitèr declarando, in tali caſu non afficere; & obligandi vim non habere. Quintò, ſi dictum privilegium eſſet canonicum, cum Canones, qui de hac rè utcumque lo-

quuntur, præſcribant, quod beneficia diœceſanis, & Clericis de gremio conſequantur, tàm Rex, quàm Præſules, & alii diſtributores beneficiorum Galliȩ, arctarentur ad ea nedùm Nationalibus, ſed etiàm ſolis diœceſanis, & de gremio Eccleſiȩ, conferenda, quod non faciunt, ſed ea viris undelibet ex totâ Galliâ prodeuntibus elargiuntur. Dicendum eſt ergò, quod dum Rebuffus, & quicumque alii ſupponunt excluſionem extraneorum à beneficiis Galliæ referendam privilegio, Regi, vel Gallicanæ genti conceſſo; non loquuntur de privilegio Canonico, ſed de privilegio, ab illo eiſdem conceſſo, à quo ipſum habent aliæ quædam Nationes, privilegio conſimili communitæ; Sed aliæ Nationes idipſum habent à ſolâ Sede Apoſtolicâ, & Romanis Pontificibus, prout ſuprà probavimus; ergò etiam privilegium præfatum Gallicanum eſt privilegium Apoſtolicum, non Canonicum, quo qui carent non poſſunt extraneos à beneficiis ablegare.

6. Pariter *Nicolaus Garcia* Hiſpanus, Canonicus Abulenſis, & Magiſter in Iſrael in materiâ beneficiali, quæſtionem ex profeſſo pertractans, prolixâ locutione rem totam examinat, pluraque congerit ad illam facientia. Supponit etiam, quod *Hiſpanis, Gallis, & Luſitanis* conceſſa ſint Apoſtolica privilegia (de quibus tamen nos aſſerveranter nil poſſumus pronuntiare, quippe illa non vidimus) excluſiva extraneorum à beneficiis illarum Regionum. Tum generalibus verbis hȩc habet: *Ubi tamen non eſt tale privilegium, ſeù conſuetudo, poteſt conferri beneficium Clerico alias idoneo, undecumque ſit cap. ad decorem de inſt. & ibi Gloſ. verb. undecumque, ibi, locus non obſtat. & Abbas n. 4. Selva d. qu. 26. Coraſius d. cap. 5. n. 9. & Lambert. de jure patr. 1. par. 2. lib. qu. 7. art. 24. Sabagun. ſupr. num. 27.* (*a*). Advertatur attamèn, quod Garcia, dans poteſtatem excludendi à beneficiis nedùm privilegio, ſed etiam conſuetudini, loquitur non de merâ, & nudâ conſuetudine, ſed de illâ, quam fama privilegii ſuffulcit, eo modo quo ipſe Garcia, dans conſuetudini vim convalidandi in laico jus conferendi beneficia eccleſiaſtica, profitetur ſe loqui de illâ conſuetudine, cum quâ *fama privilegii concurrat* (*b*). Secundum Garciam ergò extranei de jure non repelluntur ab eccleſiaſticis beneficiis, niſi ubi, vel privilegium, vel conſuetudo cum famâ privilegii, concurrit: ſicque ubi ceſſat hujuſmodi privilegium, ceſſat & extraneorum excluſio: & hoc eſt quod nos dicimus, & ſemper diximus, & ſemper dicemus: ſpectatque ad Contradictores edere privilegium, ſi habent, quo extraneos repellere valeant à beneficiis Regni Neapolitani.

(a) *Garcia de benef. p. 7. cap. 9.*

(b) *Garcia loc. citato p. 1. cap. 2. num. 38*

7. Perperàmque ad torturam ponitur auctoritas Garciæ, fingendo illum fuiſſe pravè animatum adversùs jura regia, quæ ſuis ſcriptis impetere, & admiſſione extraneorum ad beneficia ſategerit vellicare. Nàm hoc gratis aſſeritur, eſtque aereum ſophiſma, nullo veritatis fundamento ſubnixum, & tale, quod eo unico admiſſo, facillimè poſſet omnium Doctorum, tùm de hac, tùm de rè aliâ ex profeſſo tractantium, & auctoritas everti, & doctrina eludi, & ſententia deturbari. Garcia non fuit Romanus, ſed Hiſpanus; nec Romæ ſcripſit, ſed Abulæ in Hiſpania, & ideò nil adversùs jura Regia, contrà juſtitiam, & veritatem, auſus eſſet effari, quinimo, & nec, ut ità dicamus, internè ſentire: & multò minùs typographi arte procudere. Cujus alioquin Auctoris ingenuitas indè colligitur, quod ſincerè profitetur, in Regnis Caſtellȩ, uti privilegio munitis, nullum patere acceſſum extraneis ad beneficia eccleſiaſtica (*c*). Nèc paritèr Garciȩ auctoritas infirmatur, ex eo quod aſſerat, Diœceſanos, & Clericos de gremio eſſe extraneis prȩferendos; Nàm, ut ibidem ſtatim ſubdit, hoc non abſolutè, & ex neceſſitate faciendum eſſe profatur, ſed ex merâ honeſtate (*d*), quam nos nedùm non impugnamus, ſed imò inconcuſsè ſentimus, beneficia eccleſiaſtica ex honeſtate, cæteris paribus, eſſe potiùs indigenis, quàm extraneis conferenda. Talitèr tamen, quod hanc cæterorum paritatem, non ad bajulos, e ruricolas; non ad opifices, & tonſores; nec ad quoslibet alios, per compita, & tabernas otiosè fabulantes pertineat definire; ſed ad ſolos Collatores beneficiorum, & ad illa Nominatores, qui circumſtantiis rerum, tem-

(c) *Idem part. 7. c. 9. num. 2.*

(d) *Idem loc. cit. n. 5. 6. & 7.*

temporum, & perſonarum ritè perpenſis, deliberent, an beneficium vacans debeant indigenæ potiùs, an extraneo dilargiri, & an intèr iſtos cætera ſint paria, vel non.

8. Quo admiſſo nullum robur ſuſcipit intentio Contradictorum. Nàm cardo præſentis difficultatis non eſt de excluſione reſpectivâ, in concurſu parium meritorum, ſed de excluſione abſolutâ; E ſicut prima eſt veriſſima, ſic ſecunda eſt pluſquàm erronea. Tùm quià à prælatione reſpectivâ ad abſolutam non currit paritas: tùm quià excluſio abſoluta non minùs paritatem meritorum, quàm eorum diſparitatem attendit: tùm demùm quià prælatio reſpectiva, vel non ex debito, vel ad ſummum, potiùs ex urbanitate, quàm ex debito proficiſcitur; nec illam tranſgrediens graviter peccat, niſi valdè notabilis ſit exceſſus: abſoluta verò ex indiſpenſabili neceſſitate procedit. Hinc in pari gradu meritorum, Doctor non Doctori, nobilis ignobili, comis rudiori, & procerior debet puſilliori preferri: non ex debito tamen, ſed ex honeſtate, quę ſi in facto hanc congruentiam non obſervet, nec invalidatur beneficii collatio, neque collator gravi crimine implicatur: ſed ſolùm declaratur, illum urbanitatis leges eſſe tranſgreſſum. Hæc perpendens præfatus Garcia non auſus eſt affirmare, indigenas eſſe abſolutè extraneis præferendos, ſed ſolùm reſpectivè, ſcilicèt cæteris paribus: prelationem abſolutam profectò poſiturus, ſi, ſalvâ vetitate, & conſcientiâ, cognoviſſet hanc fuiſſe ſcribendam. Unuſquiſque autem diſpenſator beneficiorum debet certè honeſtatem ſequi, & in largiendo beneficia leges honeſtatis ſectari: ſed hoc ejus conſcientiæ, & prudentiæ relinquendum eſt, qui, ut innuimus, in caſibus practicis judicet, an tale beneficium, quod conferendum eſt honeſtas, æquitas, & juſtitia depoſcat, ut magis uni, quam alteri præbeatur: an in duobus, ad illud aſpirantibus, altero indigenâ, & altero extraneo, merita ſint paria, vel imparia: & an Eccleſiæ ſervitium, atque aliæ circumſtantiæ rerum, temporis, & perſonarum, exigant, quod beneficium ipſum potiùs conferatur indigenæ, quàm extraneo, vel è contrà.

9. Eodem modo *Franciſcus Salgado* Hiſpanus, in tractatu ſuo de ſupplicatione ad Sanctiſſimum totus eſt, ut ſæcularem poteſtatem, quantum poteſt exaltet: atque idcircò admittit in Regibus, etſi non directè, ſed extraordinariè *ad evitandum ſcandala, quę futura eſſe timentur*, jus condendi legem, *vel ſtatutum, diſponens, ne alienigenæ obtineant beneficia eccleſiaſtica in Regno* (a). Idipſumque confirmat fieri poſſe ex aliâ causâ, nempè *ob bonum regni, & ex causâ publicæ utilitatis* (b): De quà rè, quidquid ſit ſtrictè ad proviſionalem occurſum periculis imminentibus, in quibus cenſeri fortè poterit adeſſe ratihabitionem Summi Pontificis, quotiès Rex, aut Judex, ſe immiſcet in rebus Eccleſiaſticis ex neceſſitate, quæ leges omnes tranſcendit; certè veniens tandèm Salgado ad particulare, excluſionis extraneorum à beneficiis Hiſpaniæ, concludit, quod *indultis Apoſtolicis probibitum eſt extraneis in his regnis obtinere beneficium*: & alibi eandem prohibitionem refert conſuetudini *Indultis Apoſtolicis* confirmatæ. Igitùr fatetur excluſionem extraneorum locum non habere, niſi ubi ſubſiſtit privilegium Apoſtolicum, itàut nec ipſa conſuetudo ſufficiat, niſi indulto ſit Pontificis communita; ſentit ergò quod de jure, & citrà privilegium Apoſtolicum, extranei non valent à beneficiis eccleſiaſticis ablegari.

(a) *Salgad: de ſupplic. ad SS. p. 1. c. 4. num. 38.*
(b) *Idem cap. 5. n. 60*

10. Similitèr *Petrus Cenedo* Clericorum exterorum provectioni ad beneficia pro ſuo poſſe reſiſtit, juſtas, & proficuas eſſe cenſens illas leges, quæ Clericos alienigenas à beneficiis repellunt; ponderatque detrimenta, quæ ex admiſſione extraneorum proficiſci ſupponit; & utilitates, quę ex indigenarum tantùm proviſione proveniunt: ſed poſt multa latè, & variè congeſta, in hunc tandem modum ſuum ratiocinium concludit; *Quamvìs autem hæc itâ ſe habeant, ſciendum eſt, ſi hujuſmodi ſtatuta, & leges non fuerunt approbatæ per Sedem Apoſtolicam, Judices ſæculares eas obſervantes, & adeptionem poſſeſſionis beneficii alienigenis prohibentes, & eos in illâ turbantes, peccare, quoniàm contrà libertatem eccleſiaſticam agunt* (c).

(c) *Cened. pract. qu. 18. n. 7. & 8.*

Si

Si ergò ipſi quoquè Scriptores, qui exaltandæ poteſtati laicali adverſus eccleſiaſticam toto conatu incumbunt, rè bene diſcuſſâ, poſt multos verborum circuitus, veritate urgente adiguntur fateri, quod non niſi virtute Apoſtolicorum diplomatum repelli poſſunt, ſinè læthalis culpę reatu, Clerici extranei à conſecutione beneficiorum; patet evidentiſſimè, quod ubi tale indultum non concurrit, excluſio extraneorum, nedum de jure non eſt, ſed imò potius injuſtitia eſt, ſcelus eſt, peccatum eſt, quod non per fas, ſed ſolum per nefas, & ſub pœnâ æternæ damnationis poteſt ad effectum perduci.

11. Inſupèr *Camillus Borellus* Neapolitanus, de his agens, quæ in hoc opere tractamus, ait: *Bonum, & commodiùs, & utilius erit, ſi electio Epiſcoporum fiat in eodem Regno, de eâdem natione, & linguâ. Arg. c. bonæ il 2. §. intelleximus, de poſtul. cap. quoniam de off. ordin. c. hortamur 71. diſt. 71. c. fin. de Cler. peregr. c. nullus invitis c. obitum diſt. 61. &c. ſi tamèn, ut dictum eſt, idonei non adſint, eliguntur ex quocumque loco, & natione, quià apud Deum non eſt perſonarum acceptio* (a). Opinio ergò Borelli ad hoc reducitur, ut extranei ſint beneficiorum capaces, tamèn quod indigenæ idonei debeant cæteris paribus præferri, & hoc nos etiàm libenti animo profitemur, modò admittatur, quod hæc cæterorum paritas, & idoneitas, ſit à largitoribus beneficiorum dijudicanda, ſecundum circumſtantias perſonarum, temporum, & locorum, non vero ab inferioribus, apud quos fortè aliqui prò dignioribus reputantur, de quibus apud ipſos beneficiorum largitores innoteſcit, eſſe inhabiles, vel indignos, vel minus dignos, & in talibus rerum circumſtantiis, non indigenam extraneo, ſed extraneum eſſe indigenæ præferendum.

(a) *Borel ſum. deciſ. to. 1. tit. 6. n. 2. & 3.*

12. Prętereà *Didacus Covaruvias* Hiſpanus, Epiſcopus Segobienſis, Canoniſta celeberrimus, bis de materiâ, quam tractamus agit, & in primo loco ità loquitur; *adnotandum eſt, jus hoc quod Caſtellanus hic principatus, & regia obtinet Reſpublica, ne dentur eccleſiaſtica beneficia exteris, non tantùm procedere à conceſſione Romanorum Pontificum, præſcriptione, & uſu immemorabili &c. & multis aliis pragmaticis, à Carolo V. Hiſpaniarum Rege primò editis, ſed & à maximâ, & evidenti regiminis ſpiritualis, & eccleſiaſtici utilitate; ità quidem, ut ex contrario uſu, & praxi, plures contingant Eccleſiarum miniſterio calamitates &c.* & poſt roboratam pluribus legibus, & canonibus juſtitiam hujus *juris, & privilegii, quo adverſus exteros in eccleſiaſticis beneficiis paſſim* utuntur Caſtellani; ſubjungit, *Undè ſanctiſſimum eſſet, & reipublicæ conſultiſſimum, quod Summus Eccleſiæ Pontifex aut Oecumenica Synodus ſanciret, ut omnia cujuſcumque diœceſis beneficia, ſaltèm curam animarum habentia, patrimonialia efficerentur, atque non reciperentur niſi cives, vel qui indè ſunt oriundi. Quod in Concilio Tridentino, ſummo omnium conſenſu conſultatum fuiſſe, teſtis eſt Dominicus Soto l. 3. de juſt. & jur. qu. 6. art. 2.* (b). In ſecundo autem loco, ità effatur, *ſed & ipſe Carolus Cæſar, Hiſpaniarum Rex &c. iniunxit in beneficiis patrimonialibus, quæ prævio examine incolis, & indigenis, ſecundùm cujuſque eruditionem, mores, & doctrinam, conferenda ſunt, in diœceſibus Palentinâ, Burgenſi, ac Calaguritanâ, cum ex immemorabili conſuetudine, tùm ex Sedis Apoſtolicæ privilegio* (ne ſcilicèt Romę impetrarentur) *quod utinam ubique locorum) obtineret* (c). Ex quibus tria colliguntur; primum quod excluſio extraneorum à beneficiis in Regnis Caſtellæ, & in diœceſibus Calaguritanâ, Palentinâ, & Burgenſi, innititur privilegio Apoſtolico. Secundùm, quod lex repellens ut ſuprà extraneos, non poteſt fieri niſi à Summo Pontifice, vel à Concilio generali. Tertium, hanc legem nec in Concilio Tridentino, nec ullibi eſſe latam, dum dicit optabile eſſe, ut ea inpoſterum decernatur. Sicque à primo ad ultimum, ex ejus doctrinâ probatur, extraneos nullibi, niſi ubi id expoſcit privilegium Apoſtolicum, eſſe à beneficiis eccleſiaſticis repellendos: & hoc eſt illud ipſum, quod nos proferimus, relicto Contradictoribus onere oſtendendi tale privilegium ſi habent: alioquin ab eorum conatibus deſiſtendi.

(b) *Covar. pract. quæſt. c. 35. n. 5.*

(c) *Covar. pract. quæſt. 35 num. 5. 6. olim*

13. Itidem *Franciſcus Marcus* Delphinenſis, Juriſconſultus clariſſimus, in ſuis

ſuis deciſionibus Aureis, propoſitâ quæſtione, an extranei promoveri poſſint ad eccleſiaſtica beneficia, relatiſque juribus in contrarium facientibus, tandèm concludit affirmativè, ex *cap. ad decorem de inſtit., quià in omni gente, qui facit juſtitiam, acceptus eſt Deo, nec refert de quo loco natus ſit Clericus, nec de quibus parentibus, de quo ibi per Gloſ. Undè ſecundùm Panormit. etiàm extraneus poteſt inſtitui in beneficio, dummodò aliàs conſtet de ſuâ idoneitate; licèt ubi oriundi eſſent idonei, non debent poſtponi d. cap. nullus invitis; & eſſet valdè honeſtum, ut unuſquiſq; beneficiaretur in patriâ ſuâ, quià ibi faciliùs faceret reſidentiam. Undè ſecundùm Henric. Boic. in cap. dilectus de conceſſ. præbend. poteſt ſic diſtingui, aut loquitur in Papâ, & tunc poteſt providere undècumque voluerit cap. bonæ l. 1. de elect. quià Papa habet plenitudinem poteſtatis in beneficialibus c. 2. de præb. in 6. &c. Si verò loquitur in aliis Prælatis, & tunc, ſi non reperitur idoneus in illâ Eccleſiâ, poterit provideri de extraneo. Si verò reperiretur idoneus in Eccleſiâ propriâ, tunc, licèt deberet civis provideri, tamen poterit etiam provideri de extraneo in Eccleſiis ſæcularibus, juxtà notat. Per gloſ. in cap. cum inter canonicos 3. de elect. &c. Hoc fallit ubi de conſuetudine, vel ſtatuto Eccleſiæ non poſſet provideri de extraneo, ut in omnibus Eccleſiis Franciæ eſt de conſuetudine preſcriptâ, quod dignitates, vel perſonatus non concedantur extraneis &c. Et hoc facit prò ſtatuto, aut reſcripto, aut indulto Apoſtolico, quod prætenditur eſſe in Regno Franciæ, & preſenti patriâ Delphinali, ſuper defectu naturalitatis, ut non admittantur extranei ad beneficia eccleſiaſtica, & idem in partibus Sabaudiæ in gratiis expectativis, ut non admittantur extranei* (a).

(a) *Franc. Mar. deciſ. Aur. qu. 1371. & 1002. ſeq.*

14. Ad hęc *Joannes Hieronymus Campanilus* Neapolitanus. Epiſcopus Laquedonenſis, & rerum ſuæ regionis eximiè peritus, veſtigia Franciſci Marci conſequitur, & poſt recenſita antiqua jura, quæ indicant, beneficia non eſſe extraneis conferenda, quatenùs canones de honeſtate volunt, indigenas eſſe illis præferendos, etiàm in jure patronatus laicalis; demùm concludit: *Eſt tamèn verum his temporibus conſuetudinem obſtare, propterea quod, & collationem fieri alienis, inquit Sylveſter verb. peregrinus in princ. & præſentationem ait Abbas in c. ſignificaſti num. 5. de jure patr. & Marc. in dict. deciſ. 1372. ſiquidèm paſſim eis conferri, ipſoſque preſentari, inſtitui, & elegi videmus* (b). Non hęc autem dixiſſet Campanilus, ſi noviſſet, Regno Neapolitano, vel jus, vel privilegium adeſſe, prò excluſione extraneorum. Imò ex ejus depoſitione ſatis clarè datur intelligi, quod illius ætate in viridi obſervantiâ erat ſtylus, qui ad uſque noſtram incunctantèr perſeveravit, pręficiendi beneficiis in Regno Neapolis conſtitutis, etiàm Clericos extraneos, benemerentes, & dignos.

(b) *Campanil. diverſ. jur. Canon. rubr. 0 c. 6. num. 2.*

15. Pari ſenſu *Joannes Aloyſius Riccius*, itidèm Neapolitanus, hoc modo de rè noſtrâ proloquitur: *Imò in beneficialibus maximâ in conſideratione habetur* (nempè civilitas localis) *ut tradit Mandoſ. d. reg. 6. Cancel. 16. qu. 41. num. 3. &c. quæ ratio eſt una ex aliis, quibus juſtificatur laudabilis, & antiquiſſima conſuetudo Epiſcopatus Calaguritani, Burgenſis, & Palentini, ut beneficia eccleſiaſtica ſolùm diœceſanis, & originariis conferantur, nec contrà hoc proviſiones Apoſtolicæ admittantur &c. & conſultiſſimum eſſet Reipublicæ, ut auctoritate Papæ beneficia cujuſcumque Eccleſiæ patrimonialia efficerentur, ut ait Covar. pract. quęſt. c. 35. num. 5. &c. Undè in Sac. Conc. Tridentino fuit meritò conſultatum, ut omnia beneficia efficerentur patrimonialia, ut atteſtatur Dominicus Soto l. 3. de juſt. & jur. qu. 7. art. 2.* (c) Optans ergò Riccius, ut beneficia fierent auctoritate Papę patrimonialia, ſatis clarè docet, eadem nunc non eſſe talia, nec talia fieri poſſe, niſi Summi Pontificis auctoritate. Ergò ubi deeſt Pontificium indultum, faciens beneficia patrimonialia, vel illorum collationem coarctans ad ſolos indigenas; extranei licitè ab eiſdem repelli non poſſunt. Etiàm ergò in ſenſu ſuorum connationalium, Contradictores, juſtitiâ depoſcente, alitèr extraneos à beneficiis repellere non valent, quam per viam Apoſtolici privilegii, quod tamèn ipſi non habent.

(c) *Ricc. prax. aur. for. eccleſ. par. 3. reſ. 475. n. 2. & 3.*

16. *Petrus Andreas Gambarus* Bononienſis, Romanæ Rotæ Auditor, & Epi-

ſcopus

ſcopus Faventinus, quærit, an Collator poſſit conferre Eccleſiam parochialem ignoranti idioma loci? Et reſpondet: *Videtur poſſe, quoniam non valeret conſtitutio, quod non poſſint aſſumi de aliâ natione ad beneficia cap. ad decorem de inſtit. Regula tamèn Cancellariæ eſt in contrarium, quæ fulcitur optimâ ratione: nam Rectoris officium eſt admonere populum cap. ſi rector 43. diſt. ergò qui ignarus eſt linguæ eo ipſo apparet non idoneus, attamèn quia illa regula loquitur in collatione Papæ, & irritat eo ipſo collationem in oppoſitum factam, non trahetur cum ſuâ pœnâ extrà caſum proprium Jo. Andr. in cap. diſpendia de reſcript. in 6. &c. Et ratio eſt diverſa, quia Ordinarii melius cognoſcunt perſonas, & Eccleſiarum neceſſitates, quam Papa, per ea quæ habentur in Clementin 2. de off. ordin. & poſſet dari caſus, ubi etiam non intelligens idioma loci eſſet valdè utilis Eccleſiæ. Attende tamen quod donec reperiantur idonei in diœceſi, vel Civitate, non deberent promoveri extranei cap. nullus invitis, ubi gloſ. ſi diſt. &c. Et ideò dixit Hug. in cap. ſignificaſti de jur. patr. patronum debere præſentare Clericum ejuſdem diœceſis: quamvis Hoſtienſis, & reliqui dicant, id non obſervari, & dicit Abbas in cap. ad decorem, honeſtum eſſe, ut quilibet in patriâ ſuâ beneficientur &c.* (a).

(a) *Gambar. de Offic. & poteſt. Legati à Latere lib. 3. n. 537.*

17. Et alibi, quærit, an qui prohibetur habere beneficia in loco, poſſit habere penſiones, exemplum dans de Gallis, quos ſupponit habere privilegium, ut nullus alienigena poſſit conſequi beneficium in Regno eorum. Et reſpondet, *inſpiciendum tenorem, & cauſam privilegii: nam ſi fundatur privilegium in eo ſolo, quod ſit alienigena, eſt iniquum, & reſtringendum, cum beneficia dentur virtutibus, & meritis, non ſanguini, aut patriæ cap. venerabilis de præbend. imò ſalubrius, ut dentur alienigenis, quia nemo Propheta, ut dixit Veritas, acceptus eſt in patriâ ſuâ: quarè ſacri canones improbant ſtatuta, & conſuetudines, quod beneficia dentur hominibus certi loci cap. ad decorem de inſtit. & ideò reſtringendum, ut intelligatur de beneficio ſtrictè ſumpto, quod penſionem non comprehendit d. cap. quamvis de prebend. in 6. &c.* (b). Ità hic Auctor admittendo, quod beneficia, etiam curata, dari valeant inſciis idiomatis, & prò iniquâ pronuncians reſtrictionem beneficiorum ad ſolos indigenas, nèc extraneos eſſe excludendos (niſi ubi perſonæ ſuſpicio, legitimè fundata, daret Principi juſtam cauſam excipiendi adversùs viri exteri promotionem, ſuſpicio inquam vera, & non ficta) clarè docet, extraneos non ſecus ac indigenas admittendos eſſe ad eccleſiaſtica beneficia, & etiàm ad penſiones, hoſque non eſſe illis abſolutè, ſed ſolum cæteris paribus preferendos.

(b) *Gambar. ubi ſupra l. 6. à n. 371.*

18. *Hieronymus de Cævallos* Toletanus, in ſuis practicis quæſtionibus, refert legem quandam Hiſpaniæ, reſiſtentem admiſſioni Clericorum extraneorum ad eccleſiaſtica beneficia (c), in quâ tamen lege dicitur, quod excluſio illa *fue ſiempre tolerada por los Sanctos Padres* (d). Deinde allegat textum alterius ſimilis legis, ità diſponentis: *Mandamos y declaramos, que los eſtrangeros, que por coſtumbre antiqua, y conceſſiones de los Summos Pontifices, y leyes de nueſtros Reynos, ne pueden tener en ellos Prelacia, ni dignitad, ni preſtamo, canongia, ni otro beneficio eccleſiaſtico, no puedan aſsì miſmo tener penſion ſobre los dichos beneficio eccleſiaſticos, en eſtos nueſtros Reynos, ni alguno dellos ſo pena que los naturales de nueſtros Reynos, que conſentieren ſer pueſtos tales penſiones, o penſion ſobre ſus dignidades, canongia, preſtamos, o beneficios a eſtrangeros, o pueſtas por ellos o por otros las pagaren, o redetricren, o dieren renta, o otros intereſſe, o emolumento alguno &c. y perdan todos las temporalidades, y naturaliza que en ellos tuvieren &c.* (e). Quibus relatis ait Cevollos: *quæ lex procedit ex privilegiis Pontificis* (f).

(c) *De Jur. Reg. leg. 14 tit 3. l. 1. recopilation.*
(d) *Cæval pract. qu. com. con. com. tom. 4. qu. 897. n. 308.*
(e) *Leg. 18. tit. 3. l. 1. recopin.*
(f) *Cæval. loc. cit. num 3"9 & ſeq.*

19. Plurieſque in toto illo capitulo ponit, inhibitum eſſe extraneis beneficia eccleſiaſtica in Hiſpaniâ poſſidere (g). Sed cum leges Hiſpaniæ per eum relatæ, & etiam per nos alibi indicatæ, refundant hanc excluſionem in privilegium Pontificium, & in conſuetudinem per Summos Pontifices approbatam; jam patet, quod tota vis agens hanc excluſionem, à ſolâ Poteſtate Apoſtolicâ promanat: nihil relevante, quod etiàm Reges ſuper id ſpeciales leges ediderint, quippè eorum leges

(g) *Idem ibi n. 418.*

non

Digitized by Google

non aliud fuerunt, quam poteſtas laicalis,fulciens eccleſiaſticam, ut ſi qui fortè auderent privilegia Apoſtolica prævaricari; legibus regiis terrerentur, ſeu ut ait in ſacris canonibus Iſidorus, *ut qui intrà Eccleſiam poſiti contra fidem, & diſciplinam Eccleſiæ agunt, rigore Principum conterantur: ipſamque diſciplinam, quàm Eccleſiæ humilitas exercere non prævalet;cervicibus ſuperborum poteſtas Principalis imponat* (*a*). Quod autem ubi eſt privilegium Apoſtolicum, vel conſuetudo à Summo Pontifice approbata, locum habeat excluſio extraneorum, nedùm non negamus, ſed imo id ultrò concedimus. Verùm ſpectat ad Contradictores oſtendere, quod in Regno Neapolitano iſtud indultum, vel conſuetudo talitèr approbata concurrat; hoc autem nunquàm certè probabunt, quia nunquàm fuit à parte rei; ſed potius in præfato Regno ſemper à parte rei fuit oppoſitum.

(a) *Cap. principes 20. cauſa 23. qu. 5.*

20. *Cæſar Lambertinus Tranenſis*, Epiſcopus Inſulanus, celeberrimus Tractatiſta de Jure Patronatus, in illo opere movet quæſitum: An ille, qui non eſt de gremio ipſius Eccleſiæ, peregrinus, vel incognitus, præſentari poſſit in beneficio vacante; & variis allegatis rationibus, ac textibus, qui videntur facere prò negativâ: prolixo eloquio adhæret affirmative, ſermonem ſuum ità reſtringens: *concludo hodie tàm Epiſcopos, quàm alios poſſe præſentare quoſcumque ex conſuetudine, dummodò ſint idonei, & cogniti. Epiſcopus tamen non inſtituet, niſi habitâ notitiâ conditionis,vitæ,ætatis, famæ, & morum illorum &c. Et in hoc hodie omnia concluduntur. Non eſt tamen denegandum, honeſtius eſſe, ut repertis idoneis in diœceſi, illi præſententur, & inſtituantur, per dict. cap. hortamur 71. diſt. cum aliis ſupr. alleg.* (*b*). Docet ergò dilucidè hic Auctor, Eccleſiam, quantum eſt in sè liberam eſſe, ut tàm præſentetur, quàm inſtituatur, in eccleſiaſticis beneficiis quilibet, qualiſcumque, & undecumque veniens, ſivè indigena, ſivè extraneus, dummodò idoneus, & cognitus illi, cujus eſt eundem inſtituere, vel illi beneficium conferre: nèc niſi ex merâ congruentiâ, & honeſtate,provehendum eſſe indigenam, & præferendum extraneo, non abſolutè, ſed ſolum cæteris paribus.

(b) *Lamber. de jure pat. l. 2. p. 1. qu. princip. 7. ar. 24. reſ. 18. in fin.*

21. Succeſſivè ſuggerit modum arctandi collationem ad ſolos indigenas, huncque modum in ſolum privilegium Apoſtolicum refundi poſſe demonſtrat; quo poſito, petit, an tunc præſentari poſſit ad beneficium extraneus (& idem eſt à pari de collatione) Ad hocque reſpondet,*fore inſpicienda verba privilegii,juxtà text. in cap. porrò de privil.* Et ſi civitas, oppidum, vel Eccleſia &c. habeat privilegium, in quo includantur omnes modi providendi beneficia, puta quia nominat beneficia electiva, collativa, & præſentativa, eaque jubet ſolis indigenis, civibus, vel naturalibus loci conferenda; tunc ait cuncta beneficia, nedùm libera, & collativa, ſed etiam patronata, eſſe viris extraneis deneganda, ſoliſque indigenis, vel localibus, in privilegio denotatis debere conferri (*c*). Itàque de jure cuncta beneficia patent extraneis,non ſecus ac indigenis, nèc alia via eſt hanc januam obſtruendi, quàm Apoſtolicum privilegium: quo qui pollent, extraneos à beneficiis elongant: qui carent, illos æquè, ac indigenas admittere compelluntur, datâ nihilominus indigenis prælatione in meritorum æqualitate.

(c) *Lambertin. loc. cit. n. 20.*

22. *Gulielmus de Benedictis* Gallus, cujus doctrinam Contradictores non ſemel exaggerant, & exaltant, ad materiam deſcendens, de quâ tractamus, multa congerit juſtificantia excluſionem extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis; quæ tamèn talia ſunt, ut nihil probent, velut ex debito, ſed ſolummodò tamquàm de congruo, de honeſtate, atque cæteris paribus cum indigenis. Alioquin nimium probarent: nam probarent,ſolos cujuſque loci, vel reſpectivè provinciæ, naturales, non verò totius Regni, vel Regionis incolas, eſſe beneficiis eccleſiaſticis munerandos. Vis verò potiſſima ſuæ doctrinæ in eo ſita eſt, quod proviſio facta extranationalibus *eſſet nulla, per regulam Cancellariæ Apoſtolicæ intèr gloſ. 19. incipiens,item voluit,quod ſi contingat &c. Ubi gloſſa dicit Papam Sixtum motu proprio Bullam conceſſiſſe Regi Hiſpaniæ, quod in Regno ſuo nullus forenſis tenere poſſit beneficium ſinè conſenſu ſuo. Et idem privilegium habere Regem Franciæ refert gloſ-*

ſa pragmaticæ ubi ſuprà &c. (*a*). Citrà dubium eſt autem, quod non conguentiæ, neque aliæ rationes, à Gulielmo de Benedictis allatæ, ſed ſola ratio Apoſtolici privilegii, per eum indicati, atque à dictis congruentiis, & honeſtate diverſi, repellit extraneos à beneficiis Galliæ, & Hiſpaniæ: hoc vero nihil proficit cauſæ Contradictorum, ſed potius eidem obeſt, propter diſparitatem utrinque concurrentem, cum ipſi non ſint in caſu Apoſtolici privilegii.

(a) *Guliel. de Benedict. in repet. Cap. Raynutius V. Et uxorem tl. 5. à num. 4?.*

23. *Flaminius Pariſius* Cuſentinus, Calaber, egregius Juriſconſultus, in ſuo Tractatu de Reſignatione beneficiorum, ait: *dicendum eſt beneficium non poſſe reſignari extero à Regno, ubi viget conſuetudo immemorabilis, vel privilegium Summi Pontificis, ut non poſſint beneficia conferri exteris à Regno, prout in Hiſpaniâ, ut dicitur in libro* 1. *Ordinam. Hiſpaniæ. tit.* 3. *l.* 18. 19. 20. *& conſtat ex multis pragmaticis, editis à Carolo V. Hiſpan. Rege, prout refert Covarruv. cap.* 35. *prac. qu. num.* 5. (Quę ut oſtendimus fundatæ ſunt in diplomate Sixti Papæ IV.). *Et in Galliâ, ut tradit Gulielmus Benedictus in repet. cap. Raynutius &c. Rebuffus &c.* (Quos paritèr ſupra vidimus hoc referre ad Apoſtolicum privilegium). *Et ratio eſt, quia exterus non poteſt impetrare beneficium in Regno, ubi adeſt hujuſmodi privilegium: Abb. in cap. bonæ* 2. *num.* 16. *de poſtul. præl. &c. & utinam ubique eſſet hujuſmodi conceſſio, ſcilicet in omnibus Regnis proptèr quamplures cauſas, quas explicat Covaruv. &c. & de hac rè fuit conſultatum in Sacro Conc. Trid. teſte Dominico Soto &c.* (*b*). Sæculo ergò Sextodecimo, in quo ſcripſit Pariſius, non ubilibet, ſed in ſolis locis, indulto Apoſtolico ſuffultis, excludebantur extranei; nec hoc indulto potiebatur Regnum Neapolitanum, in quo ipſe natus erat, alioquin illud memorare non omiſiſſet, nèc ipſum ad ſuum, & ad alia quoque Regna, ubi non eſt, extendi peroptaſſet, ſi in Regno Neapolis jam fuiſſet.

(b) *Pariſ. de renunc. 4. qu. 7. num. 1. 2. 3.*

24. Et ne plurium aliorum Canoniſtarum Sęculi XVI. allegatione Lectorem noſtrum benevolum fatigemus, breviter innuimus ſenſum *Ludovici Gomez, Epiſcopi Sarnenſis* in Regno Neapolitano, qui poſt multa congeſta in expoſitione Regulæ Cancellariæ Apoſtolicæ de Idiomate, ad oſtendendum, beneficia non eſſe conferenda extraneis (quæ tamen, vel non concludunt, niſi contrà extraneos, inſcios idiomatis loci, cui præfici debent in paſtores, & pro ſolo caſu admiſſionis ad beneficia curata, cum paſtor debeat intelligi ab ovibus: quibus nihilominus valet per ſubſtitutum miniſtrare: vel tandem non concludunt niſi, quod indigenis beneficia ſint conferenda, non abſolutè, ſed ſolum cæteris paribus) concludit, poſſe Papam quoties ità illi expedire videbitur, diſpenſare ſuper defectu idiomatis, quod ſub hac formulâ facere ait: *qui, ut aſſeris, idioma, quod gens illarum partium communitèr loquuntur, non benè intelligis, nec intelligibilitèr loqui ſcis: Nos tecum, ut Eccleſiam prædictam &c. diſpenſamus, non obſtantibus &c.* ſubditque: *advertendum eſt, quod plures Regulæ Cancellariæ &c. reperiuntur, quæ ad eundem finem tendunt, & cum iſtâ concordant, ut regula de oriundis, & regula expectativarum, quæ ſpecialitèr diſponit, nullum extrà ſuam nationem gratiam expectativarum obtinere poſſe: quæ regulæ omnes in iſtius ratione fundentur, videlicèt, quià non intelliguntur, nequè idioma loquuntur* (*c*). Cui Papæ ſanè nunquàm hæc poteſtas fuit imminuta, quanquàm Oratores Gallicani, ad Concilium Tridentinum properantes, in mandatis haberent, agendi, ut decerneretur, nè poſſet Pontifex ſuper defectu idiomatis diſpenſare (*d*).

(c) *Gomez. in reg. de Idiomat. per tot. & præſertim qu. 13.*

(d) *Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſciplin. part. 2. l. 1. c. 103. n. 10.*

25. Quærit ſubindè Gomez, an ſi Papa diſpenſet ſupèr defectu inſcitiæ idiomatis prò expectativâ, cenſeatur etiam diſpenſare in præfatis regulis de oriundis, & de natiolitate, ad expectativam ipſam prærequiſita. Reſpondetque affirmativè, quià hæ duæ regulæ veniunt in conſequentiam ad diſpenſationem ſuper defectu idiomatis (*e*). Si ergò idcircò repellendi contenduntur extranei, eo quod idiomatis peritiâ careant; quâ oriundi, & nationales præditi ſunt; jàm patet extraneitatem non obſtare prò adipiſcendis beneficiis curâ animarum carentibus, quia in his ceſſat ratio peritiæ idiomatis: quę etiam quamvìs obſiſtat prò beneficiis curatis

(e) *Gomez ubi ſupr. & in eod.*

ratis

ratis aſſequendis, adhùc ſuper illo defectu in poteſtate eſt Pontificis diſpenſare. Itaque quocumque modo res ſumatur, nunquàm licitè poterunt extranei digni, idonei, & benemerentes à beneficiorum conſecutione repelli, niſi Romanus Pontifex id, expreſſo ſuo indulto concedat, ex juſtis, & rationabilibus cauſis adeòque gravibus, atque urgentibus, ut compenſata remaneat coarctatio libertatis Eccleſiæ ad ſolos indigenas.

26, Allegavimus Doctores *Gallos*, *Hiſpanos*, *Neapolitanos*, *Delphinenſes*, aliarumque Italiæ Provinciarum, ut pateat, quod Sæculo Decimoſexto, de quo nunc agimus, & in quo ipſi Doctores vixerunt, concors Canoniſtarum (de Theologis capitulo præcedenti locuti ſumus) ſententia erat, quod Clerici extranei, licitè, juſtè, ac prout de jure, non poſſint à beneficiorum conſecutione repelli; quodque ut repellantur neceſſarium eſt privilegium Apoſtolicum: alioquin, eo ceſſante, beneficia non debentur ſolis indigenis, ſed promiſcuè etiam Clericis extraneis, dignis tamèn, benemerentibus, & idoneis. Quarè oportet, quod Contradictores oſtendant, sè ab illo tempore citrà privilegium hoc eſſe aſſecutos. Si illud obtinuerunt, cauſam vicerunt: ſi eo carent, à causâ cadunt præcipites: nec aliud prætendere poſſunt, niſi, quod in eorum Regione originarii, ſivè indigenæ præferantur cæteris paribus Clericis extraneis, quod nos utrâque manu concedimus, talitèr tamèn, quod prudentię, & rectæ rationi Collatorum, & Nominatorum, qui de beneficiis diſponunt, relinquatur, proùt de jure relinqui debet, judicare in caſibus practicis, & individualibus, quid hìc & nunc cęterorum paritas expoſcat; & an indigenę extraneis, an verò è contrà, extranei in conſecutione beneficiorum, de quibus tunc agatur, ſint indigenis pręferendi.

SÆCULUM CHRISTI XVII.

C A P U T IX.

In quo ex pluribus Indultis Summorum Pontificum, *necnon ex decretis Sacræ Congregationis, & ex deciſionibus Rotę Romanæ, ipſamet libertas Eccleſię probatur, in admittendo, etiàm Clericos extraneos ad Eccleſiaſtica Beneficia.*

S U M M A R I U M.

1 *Eccleſia ſemper liberè pręfecit etiam extraneos beneficiis. Sardi privilegium, eorum excluſivum, à Clemente Papa VIII. impetrarunt.*

2 *Hoc privilegium Sardi non poſtulaſſent, ſi extranei divino, naturali, & humano jure à beneficiis arcerentur.*

3 *Idem Clemens Papa VIII. ſimile indultum Milevitanis confirmavit, & aliud Ferrarienſibus conceſſit, dum Statum illum recuperavit.*

4 *Privilegium debet aliquid concedere contrà jus commune. Undè excluſio extraneorum à beneficiis non eſt de jure.*

5 *Gregorius Papa XIII. & XV. ac Julius II. ſimile indultum contulerunt Bononienſibus. Bononia in ſcientiis floruit.*

6 *Bononienſes diplomata illa non popoſciſſent, ſi excluſio extraneorum à beneficiis eccleſiaſticis eſſet de jure.*

7 *Quis credat præfatos, qui dicta indulta poſtularunt, ignoraſſe, quod excluſio extraneorum eſſet de jure, ſi verè ità eſſet.*

8 *Magni ponderis ſunt decreta Sacræ Congregationis, quæ declaravit nullum concurſum ad parochiales, ſi excludantur extranei.*

9 *Monachatus eſt beneficium. Sacra verò Congregatio decrevit, non poſſe à Monaſteriis monialium excludi extraneos.*

10 *Deciſiones Rotæ Romanę magnum pondus habent auctoritatis, & faciunt opinionem communem. An vim legis habeant?*

11 *Rota pluries docuit illicitam eſſe excluſionem extraneorum à beneficiis, & horum reſtrictionem ad ſolos indigenas.*

12 *In Valliſoletanâ pręeminentiarum, dicit non eſſe liberam electionem, ſi reſtringatur ad certum genus perſonarum.*

13 *Es*

13 *Et quod major libertas requiritur in electione activâ, quam paſſivâ, ac quod excluſio extraneorum eſt contrà jus.*

14 *In Pampilonen. parochialis decidit validam eſſe præſentationem extranei ad parochium vacantem.*

15 *Et liberum eſſe patronis beneficiorum ad illa præſentare quoſcumque Clericos, etiàm extraneos.*

16 *In Seguntinâ admiſſionis ad Capitulum, dicit, ad quædam beneficia provehi ſolos naturales, ad alia verò etiam extraneos.*

17 *Et* ambitioſum, ac illicitum *eſſe Statutum, probibens extraneos admitti ad Capitulum, ideòque illud non valere.*

18 *Vicarius Generalis, imò & etiam Epiſcopus ſtatuere nihil valet contrà jus commune, favens extraneis.*

19 *Dicta cauſa Seguntina fuit acerrimè diſputata, & ſuper eâ plures deciſiones in Rotâ prodierunt.*

20 *Statutum prohibens Clericos forenſes eſſe de Capitulo, eſt* conteà jus, *& conſequentèr invalidum, & injuſtum.*

21 *In Toletanâ Confraternitatum firmavit Rota, Statutum excludens extraneos, eſſe* illicitum, ambitioſum, & conteà jus.

22 *In Majoricen. Indultorum, ipſa Rota decidit, extraneos ibi eſſe à beneficiis repellendos, propter indulta Apoſtolica, ſic decernentia.*

23 *Honeſtati eſt conforme, quod in beneficiorum conſecutione, indigenæ præferantur extraneis: & proptèr quas cauſas?*

24 *Repelli non valent à beneficiis extranei, niſi ubi Apoſtolicum privilegium id præcipit, quod in deſuetudinem non abierit.*

25 *Ubi Indultum habet decretum irritans, non abit in deſuetudinem, tuncque collatio facta extraneo eſt ipſo jure nulla.*

26 *Sola patientia, & non reclamatio contrà tranſgreſſionem privilegii præfati, non facit illius vim deperire.*

27 *In Faventinâ parochialis, apponebatur, quod privilegium excluſivum forenſium à beneficiis, non eſſet in uſu.*

28 *Privilegium conceſſum ſtatim afficit, & allegan ti, quod non ſit in uſu, incumbit id probare, alioquin ſervandum eſt.*

29 *Renuntiari poteſt privilegio, etiam habenti decretum irritans: non tamèn id ſuper ſolam patientiam in contrarium.*

30 *Contrà Communitatem non præſcribitur ſpatio* 10. *annorum, ſed* 40. *nec præſcriptio intrat ubi non eſt poſſeſſio.*

1. ECCLESIA Dei, prout ſæpè diximus, ex Apoſtolo (*a*), ex Sanctis Patribus (*b*), & ex Scriptoribus eccleſiaſticis (*c*), libera à Deo conſtituta eſt, & uti talis ſe in ſuâ ſemper libertate conſovit: ac quemadmodùm ab initio, & uſque à ſuis primordiis, Sæculo primo deſceiptis, integram, & totalem exercuit libertatem, in conferendo eccleſiaſtica beneficia, tàm Cleeicis extraneis, quàm indigenis; ità & uſque ad poſtrema ſua tempoea, & uſque ad Sæculum Decimum ſeptimum, jugitèr, continentèr, indeſinentèr, in ipsâ libertate permanſit: nec ullibi extraneos à præbendis excludendos eſſe duxit, niſi ubi peculiaria peivilegia, vel antecedentèr conceſſa, vel novitèe indulta per Sedem Apoſtolicam, ità de illis agendum eſſe ſanxerunt. Porrò initio Sęculi Decimiſeptimi in Cathedrâ Pontificali ſedebat *Clemens Papa VIII.*, cui ſupplices preces porrexerunt incolæ Regni Sardiniæ, ut ex gratiâ ſpeciali, tali eos diplomate muneraret, cujus vigore cunctis Clericis exteaneis obſtructus proeſus remaneret acceſſus ad eccleſiaſtica beneficia

(a) *Galat cap.* 4. *n.* 3

(b) *S. Anſelm. Cantuar. l.* 3. *epl.* 45.

(c) *Petrus Bleſenſ. epl.* 134. *Goffrid. Vindoc. opuſc.* 1. *§.* 6.

ipſius

ipſius Regni. Annuit Clemens, illiſque petitum, eſt largitus indultum, quo freti jàm nùnc ſibi optimè cavent Sardi, ne beneficia eccleſiaſtica, in eorum Regno erecta, aliis præterquàm illius terræ incolis, & indigenis, conferantur (*a*).

2. Patefacit hoc apertiſſimè quantam teneat libertatem Eccleſia in prçficiendo Clericos extraneos promiſcue cum indigenis ad beneficia: quippè ubi antè Clementinum hoc indultum, & Papa, & Epiſcopi, & Ordinarii omnes, ac delegati beneficiorum Collatores, vel ad illa Nominatores, præbendas, & dignitates eccleſiaſticas, in Sardenſi Regno conſtitutas, liberè, & licitè, prò illorum libito, & voluntate quibuslibet Clericis largiebantur, non modò indigenis, verùm etiam extraneis; poſt latum hoc diploma, diſpenſatio ipſorum beneficiorum eſt ad ſolos indigenas limitata; quia ſic eam coercuit auctoritas Apoſtolica, quæ ponderatis variis rationibus Clementi VIII. propoſitis, indicavit, eſſe Sardis ſupplicantibus annuendum; & reſtringendam ad ſolos incolas illius inſulæ capacitatem adipiſcendi inibi beneficia, quæ prçcedentèr nullis erat limitibus coarctata. Quod autèm Sardi hoc procuraverint indultum, & quod Philippus II. eorum, & Hiſpaniæ Rex, ipſis fuerit adiutor, & interventor apud Pontificem; declarat inanem eſſe illam Contradictorum vocem, qua ejulant, jura divinum, naturale, & humanum advenas excludere, & ſolis indigenis addicere beneficia: Nèc enim Rex, nec Regnum Sardenſe, neque Conſilia Hiſpanica his porrigentia conſenſum, ſive adhæſionem, impetraſſent ex privilegio id, quod jus de ſui naturâ concederet (*b*).

3. Ejuſdem Pontificis dignatione confirmatum fuiſſe Milevitanis privilegium conſimile, jàm ſuprà diximus (*c*). Quo paritèr, Pontifice ſedente, accidit mors Alphonſi II. Ferrariç Ducis, per cujus obitum ſine liberis devoluto illius urbis Ducatu ad Sedem Apoſtolicam, Clemens VIII. prò ipſo recuperando ſegnis non fuit. Nàm & zelo, qui Pontificem, & conſtantiâ, quç Principem, & providentiâ, quç Patrem familiæ decet, patrimonium, ſuæ ſedi debitum, recuperare aggreſſus eſt, & obtinuit, ſinè ullâ ſanguinis effuſione, prout ipſemet Rodulpho Imperatori, pluribuſque Regibus, & Principibus Chriſtianis ſuis epiſtolis denunciavit (*d*). Felicitatem enim ſucceſſus juſtitia fovit, populis demirantibus, ac prçfatis Regibus, & Principibus, ipſoque Cæſare, gratulationis officia propter hoc eidem Clementi multiformiter exhibentibus (*e*). Qui ſanè Pontifex, Ducatu vindicato, & jàm in deditionem recepto, Ferrariam uſque perſonalitèr eſt profectus (*f*), & illam ditionem ut ſibi ſtrictiùs devinciret, ingentibus gratiis, ac beneficiis muneravit. Intèr autèm privilegia, inquit de Luca, quç prodigaliter illi conceſſit (*g*), hoc quoquè Ferrarienſi urbi largitus eſt, ut beneficia eccleſiaſtica illius loci deberent ſolis originariis, & naturalibus, ſine prævaricatione concedi.

4. Privilegium habet hoc ſibi connaturale, quod per illud favor aliquis, aut gratia concedatur, à jure communi omnibus non collata: alioquin privilegium non eſſet, ſi ſpeciale aliquid non concederet (*h*). Et ideò privilegium dicitur lex privata, ſivè jus ſingulare contrà jus commune collatum (*i*). Quoties ergò Ferrarienſes à novo Principe ex gratiâ poſtularunt, & Clemens initio ſui regiminis novis ſubditis impertitus eſt, ex peculiari favore, jus excludendi ab eccleſiaſticis beneficiis Clericos extraneos; conjunctis vocibus faſſi ſunt reſtrictionem Collationis beneficiorum ad ſolos indigenas, non eſſe de jure communi, neque humano, neque naturali, neque divino, prout ſupponunt Contradictores. Et ſicut Ferrarienſes non petierunt, nec Papa illis indulſit, veluti ex privilegio, poteſtatem permutandi bona, vel proprios alendi filios, vel Sacramenta à Sacerdotibus ſuſcipiendi, quià primum cunctis de jure communi humano competit; ſecundum de jure naturali; & tertium de jure divino, propterea que inutilis, & ridicula fuiſſet hæc gratia, tàm ut petita, quàm ut conceſſa, quià inquit lex *fruſtrà precibus impetratur, quod à jure competit* (*l*); ità privilegium pro excluſione Clericorum extraneorum poſtulando, & reſpectivè concedendo, juſtificarunt, quod Eccleſia prçciſo privilegio Apoſtolico alitèr ſanciente, quantum eſt in sè libera omninò

(a) *Loter. de rè benef. l. 3. qu. 32. n. 124*

(b) *L. 1. C. de Theſaur. l. 10. c. ult. 25 qu. 1*

(c) *Vide ſupr. in hoc tom. cap. 6. nu. 9*

(d) *Extant poſt librum cui titulus Il dominio temporale della Sede Apoſtol ſopr. Camacchi à f. 400.*

(e) *Difeſa 2. del dominio di Comacchio f. 307 n 115.*

(f) *Spondan. Auctar. ad Card. Baron. anno 1598.*

(g) *De Luca Rel Roman. Cur. diſc. 32. n. 30*

(h) *Capit. in biſ. de privileg.*

(i) *Barboſ. cap. Sano. 9 n. 10 de privil.*

(l) *Leg. 1. C. de Theſaur. l. 10*

omninò eſt, ut non modò Clericos indigenas, verùm etiàm extraneos, valeat beneficiis munerare, dummodò benemerentes, & dignos.

5. Eodem Sæculo pręfuit Eccleſiæ Univerſali *Gregorius Papa XV.* qui utpotè patriâ Bonononienſis, concivibus ſuis volens sè reddere liberalem, eis peculiari indulto conceſſit, ut beneficia eccleſiaſtica illius diœceſis, non aliis poſſent quàm indigenis diſpenſari (*a*). *Julius Papa II.* idipſum illis conceſſerat, quando pulſo Joanne Bentivolo, urbs illa ad Sedem Apoſtolicam eſt reverſa: *Gregorius quoquè XIII.* tantundèm novo diplomate confirmaverat. Gregorius verò XV. primis duobus indultis hoc addidit, ut pro civibus Bononienſibus, ad effectum præbendas conſequendi, non reputarentur cives, ex ſolo privilegio tales effecti (*b*). Sanè *pluribus ſæculis*, inquit Cardinalis de Lucâ, *iſta civitas in literis florentiſſima fuit, adeo ut, docentis nomen ſortita ſit, præſertim verò in utriuſque juris facultatibus: Undè poſteà S. Thomas illam intèr quatuor reliquarum ſcientiarum matres, & magiſtras collocaverit; Pariſienſem ſcilicet in Scientiis, Salernitanam in Medicinâ, Aurelianenſem in Auctoribus, & iſtam Bononienſem in Legibus. Et quod magis eſt Gregorius IX. facta de ejus mandato compilatione quinque librorum Decretalium, huic Univerſitati eos direxit: Ac etiàm docet tam copioſus numerus gravium ſcribentium, præſertim verò in Jure Canonico* (*c*).

(a) *Card. de Luca de benef. diſc. 113.*

(b) *Card. de Luca loc. cit.*

(c) *De Luca Rel. Rom. Cur. diſ. 32. n. 18.*

6. Hinc quod in urbe adeò doctrinis, & doctis hominibus florente, non ſemèl, ſed bis, & tertio habitus ſit tractatus poſtulandi à tribus diverſis Pontificibus indultum excluſivum extraneorum, ad illudque obtinendum miſſæ fuerint, & repetitæ ſupplicationes, ac vota, abſque eo, quod nullus ex tam numeroſâ urbe, atque diœceſi, nullus ex tot doctoribus, & literatis viris, eccleſiaſticis, & ſæcularibus, ibidem commorantibus, adverterit peregrinam illam doctrinam, quam hodiè tradunt Contradictores, nempè tam de jure divino, quam de naturali, & humano eſſe, quod beneficia eccleſiaſtica ſolis indigenis conferantur; vel ſi hanc doctrinam noverunt, quod eâ parvipensâ, quæſierint impetrare, tamquàm ex peculiari Privilegio, id quod alioquin jura ipſa divinum, naturale, & humanum, cunctis hominibus generalitèr contuliſſet, profectò durus eſt ſermo iſte, & quis poteſt illum audire? Quis credat Bononienſes in hoc tam enormitèr deſipuiſſe; & tunc id egiſſe, cum excuſsâ Tyrannide Bentivoli, ſe fideles, ſubditos, & morigeros Sedi Apoſtolicæ ſubmisère.

7. Igitur niſi velimus ſupponere id, quod nullus ſanæ mentis unquam admittet; nempè quod & Bononienſes, & Ferrarienſes, & Sardi, & Milevitani, & Rex Hiſpanię, & Proceres, illius Conſilium componentes, & quatuor Pontifices hìc ſuperiùs memorati, cum eorum Aulicis, & Miniſtris; omnes inquam hi, quà petentes, quà promoventes, & reſpectivè quà concedentes privilegia præfata; vel neſciverint, vel ſcire noluerint, quod debebant, ſcilicèt non eſſe de jure excluſionem extraneorum; & quod in hoc vel deceperint, vel fuerint decepti; oportet neceſſariò fateri, quod & jura favent extraneis, & quod reſtrictio collationis ad ſolos indigenas exorbitat à jure, adeòque uti talis non habet locum, niſi ubi Apoſtolica privilegia ſpecialitèr id indulgent: quemadmodum tam pręſenti Sæculo Decimoſeptimo, in quo calamum habemus, quam Sæculis antecedentibus, per plura ſimilia indulta, a Summis Pontificibus conceſſa, jam pleniſſimè patefecimus.

8. Supereſt ut & aliqua dicamus ex *Decretis* Sacræ Congregationis DD. Cardinalium Sanctę Romanę Eccleſiæ, quorum dignitas, juncta virtuti, & poteſtati, qua pollent, facit, ut eorum decreta, exquiſitâ ponderatione procuſa, pro tot velut oraculis habeantur. Quanta ſit eorum vis infrà oſtendemus, dum commodiori loco de iiſdem redibit ſermo (*d*). Nunc ſatis ſit innuiſſe, quod omni cum honore ſunt recipienda, ut à viris doctis, atque amantibus veritatis, recipi ſolent integræ venerationis officiis. Pauca nihilominus ex ipſis nobis contingit reperire, quia negotium admiſſionis extraneorum, unà cum indigenis, ad eccleſiaſtica beneficia fuit uſquè nunc adeò certum, ut de illo apud Sacram Congregationem vix unquam

(d) *Vid. inf. tomo 4. c. 16. à num. 1. ad 5.*

Digitized by Google

quàm acciderit dubitari. Veruntamèn, cum Sacrum Tridentinum Concilium diſertiſſimâ ſanctione præcipiat, ut quoties aliqua parochialis Eccleſia vacat, per Epiſcopum proponatur edictum, quo vocentur ad Concurſum omnes quotquot ad ipſam Eccleſiam cupiunt promoveri, ut cunctorum concurrentium perpenſis meritis,moribus, & doctrinâ, ei, qui magis eſt idoneus, vacans Eccleſia conferatur (a); invenitur Sacram Congregationem decreviſſe, concurſum non eſſe validum, *ſi non vocentur ;& admittantur etiàm exteri, ſed ſolum Diœceſani &c. Niſi in locis, ubi habetur privilegium, ne beneficia conferantur exteris, ut Valentiæ,& Panormi* (b). Habemus ergò hic rem judicatam, ſtrenuè faventem extraneis, quibus ſi dari debet acceſſus ad beneficia parochialia; non eſt cur etiàm ad canonicalia, prioralia, choralia, & mere ſimplicia, idem aditus non ſit patens.

9. Et quià pluriès, in decurſu præſentis operis, multorum auctoritate Doctorum oſtendimus, etiàm Monachatum habere rationem eccleſiaſtici beneficii, & Monachos eſſe veluti totidem beneficiatos (c); Idipſum ſentiendum eſſe de monialibus quoquè conſtat. Ejuſdem quippe naturæ eſt profeſſio monaſtica,ſivè à viris,ſivè à Monialibus fiat: ideòque quod dicitur de Monachis, & Monialibus, verùm erit, ex paritate rationis, etiam de Clericis beneficiariis: vel ſaltèm ab alterutro monachatu ritè deducitur argumentum ad eccleſiaſtica beneficia. Sacra igitur Congregatio non ſemel decrevit, invalidam eſſe ſanctionem,caventem, ne ad monaſteria Virgines extraneæ non recipiantur, niſi cum dote majore, vel duplicatâ (d). Vel quod totalitèr excludantur, niſi fundator Monaſterii expreſsè caverit exteras excludi (e). Et quod notabile eſt, ultimum hoc decretum repetitis vicibus fuit editum prò diœceſibus Polinianenſi, & Surentinâ, ambobus Regni Neapolitani. In quo ſi monachatus negari non poteſt mulieribus, illicitè quoque viris negabitur; & ſi utrique ſexui patens eſt aditus ad monachatum, nullo habito extraneitatis, vel indigenatus diſcrimine, ſatis evincitur, extraneos nullatenus eſſe arcendos ab eccleſiaſticis beneficiis, niſi tantum in illis præciſis caſibus, in quibus fundatores beneficiorum expreſſis vocibus vetuiſſent, ne ad illa pervenirent extranei, quod eſt extrà thema noſtræ diſputationis: loquimur enim de beneficiis liberis, non de tali vinculo coarctatis.

10. Veniamus nunc ad Deciſiones *Sacræ Rotæ Romanæ*, quas tanti ponderis eſſe aliqui ſentiunt, & ſignantèr Matthæus de Afflictis, celeberrimus Juriſconſultus Neapolitanus, & alii (f), ut vim legis videantur habere: In quo tametſi alii plures non concordent; certum eſt tamèn, quod unanimi omnium conſenſu, ſunt in magno honore habendæ: ingens habent pondus auctoritatis (g), & maximè ſunt venerandę, atque ſequendæ (h): quià faciunt opinionem communem, ſuperantque cæteros Doctores, licet numero plures (i): imò prævalent opinioni communi (l), de quibus pronuntiat de Lucâ, quod quamvis non *faciant auctoritatem neceſſariam apud inferiores Magiſtratus, tamquam deciſiones Papales, ut* (*loquendo ſolum exemplificativè*) *opinantur Regnicolæ, quod faciant deciſiones illius Sacri Conſilii, utpotè nomine Regio editæ &c. tamèn etiam aliarum Regionum Profeſſores, graveſque Scriptores, agnoſcunt hujus Tribunalis, ejuſque Deciſionum magnam, ac venerabilem eſſe auctoritatem* (m). Hæcque multò magis vera ſunt, quando Rota ſuper eâdem Juris quæſtione, repetitas, & ſæpiùs uniformes edidit deciſiones (n).

11. Super quæſtione autèm, an beneficia eccleſiaſtica ſint ad ſolos indigenas reſtringenda, & excludendi ſint ab eis extranei; Romana Rota, nedùm ſemèl, & bis, & tertiò, ſed etiam quinquiès, deciès, & ultrà, ſuas protulit deciſiones, conſtantèr, inconcuſsè, ac ſinè ullâ ambiguitate docentes, illicitam eſſe præfatorum extraneorum excluſionem, illicitam reſtrictionem ad ſolos indigenas, & utramque contrà jus, ambitioſam, ac deviam à juſtitiâ, niſi in locis, urbibus, provinciis, aut Regnis, in quibus ex Apoſtolico privilegio, tàm reſtrictio, quam excluſio præfatæ, ſtatutæ ſunt. Quarè ſi omnis alia ratio deeſſet, everſiva opinionis Contradictorum; ſola auctoritas Romanæ Rotæ, toties ut ſuprà pronuncian-

(a) *Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 18. de reform.*

(b) *Hieron. Nicolius Floſcul. verb. concurſus.*

(c) *Thomaſſin. Vet. & nov. Eccl. diſcipl. par. 1. l. 3. cap. 13. n. 1. Barboſ. Jur. Eccleſ. Univ. l. 3. c. 4. n. 69.*

(d) *Sacr. Congr. in Novocom. 10. Januar. 1603. in Civit. Caſtel. 20. Septemb. 1616. In Nolanâ 22. Junii 1618. In Mutinen. 29. Januar. 1627. Nicolius loc. cit. V. exteri.*

(e) *Sac. Congr. in Surentin. 8. Apr. 1603. & in Polinian. 16. Decembr. 1611. Nicolius ubi ſupr. verb. exteri.*

(f) *Afflict. dec. 96. n. 11. & dec. 169. n. 9. vid. infr. tom. 4. c. 17. num. 1.*

(g) *Fagnan. in cap. cum veniſſent n. 31. de Judic. l. 2.*

(h) *Jo. Sylveira Opuſc. 2. diſp. 25. qu. 2. n. 12.*

(i) Barboſ. *Vot. dec. l. 3. vot. 121. n. 10.*

(l) *Fagnan. loc. cit. n. 31.*

(m) *De Luca Rel. Curiæ Rom. diſc. 32. n. 66. 68.*

(n) *Engel. Colleg. Juris part. 1. f. 41.*

Google

ciantis, eſſet ſufficiens: multò magis verò ſufficiens eſt ubi cum ipſius Rotæ deciſionibus, tàm numeroſæ aliæ rationes, ac penè infinitæ, concurrunt, quas à primo Chriſti Sæculo, uſque ad Decimumſeptimum, in hac noſtrâ qualicumque lucubratione congeſſimus. Ut autèm præfatæ Rotæ ſenſus obvius ſit lectori, ſubnectimus hìc per extenſum aliquas ejuſdem deciſiones, tales quales ad notitiam noſtram venerunt, ordine chronologico, tenoris ut ſequitur, omiſſis tamèn periodis, ad rem noſtram non neceſſariis.

12. *Valliſoletana Præeminentiarum.* Die 24. Novembris 1603. &c. Nec prædictis obſtat, quod licèt Congregatio privetur voce paſſivâ in uno triennio, ad eandem tamèn ſempèr ſpectet activa, quâ privatur Monaſterium Valliſoletanum, quià Congregatio habet plura Monaſteria, quibus in uno triennio tantum datur, quantum in altero triennio datur uni Monaſterio Valliſoletano, & cum in electione requiratur ſumma libertas, & ab eâ debeat longè abeſſe omnis coactio, & reſtrictio d. c. cum dilectus in fin. ibi liberam habeant &c. ſi facultas eligendi reſtringitur, itàut certum genus perſonarum, immò una perſona eligi non poſſit, non dicitur libera electio. *l. nec ſolum. l. immo ff. de opt. leg. Bald. in tract. de ſchiſm. quem poſuit poſt tit. C. de edict. Divi Hadr. toll. num. 12. verſ. eſt & tertium. & in l. fi. §. ſed & ſi quis, num. 26. C. Communia de legat.* (*a*).

13. Præſertim quod major libertas requiritur in electione paſſivâ, quam in activâ, ut per *Butr. d. c. cum dilectus. n. 26. in 1. lectura, & n. 25. & n. 45. in 2. lectura, & ibi. Imol. ſub n. 1. de conſuet. Idem Butr. in c. cum. inter. il 3. n. 11. de elect.* & facit quod de jure quilibet poteſt eligi, & inſtitui, dummodò ſit idoneus, *c. ad decorem de inſtit*; & proptereà ſtatuta excludentia à beneficiis certum genus perſonarum, dicuntur *contrà jus. Butr. in d. c. cum dilectus n. 38. cum duobus ſeq. in 2. lectura*, & ſæpiſſimè fuit in Rotâ reſolutum. Præmiſſis accedit, quod reſtringendo electionem paſſivam in alternato triennio, ad ſolum Monaſterium Valliſoletanum, ſequeretur, quod minus idonei præferrentur idoneioribus, contrà juris diſpoſitionem, quæ vult, quod in omni electione præferatur ille, qui cęteris eſt melior, ac morum, & vitæ ſanctitate præſtantior. *c. licèt ergò 8. q. 1. cum concord. per gl. in c. 2. in verb. Sanctiores. de offic. Cuſtod. & Lambert. de jure patr. lib. 2. par. 1. qu. 10. art. 3. n. 5. & 6. &c.* (*b*).

(a) *Rota deciſ. 65. part. 1. recentior. coram Pamphilio.*

(b) *Rota dict. deciſ. 66. part. 1. recentior.*

14. *Pampilonen. Parochialis de Echarem.* Die 21. Maii 1610. Cum aliàs Ordinarius Pampilonen. inhærendo conſtitutioni Synodali, ex quarta parte redituum Eccleſię Parochialis loci de Echarem, erexiſſet in eâdem Eccleſiâ beneficium ſimplex ſervitorium, cum decreto, *quod provideretur ad præſentationem Domini Palatii, & vicinorum dicti loci, quemadmodùm providetur ipſa Rectoria, & quod deberent pręſentari filii naturales ejuſdem loci*; Veniente caſu vacationis, Procuratores à Patronis conſtituti, prævio mandato ad pręſentandum perſonam ipſis benè viſam, præſentaverunt coram Ordinario Sanctium. Verùm, quià orta fuit controverſia ſuper hujuſmodi præſentatione, quià Sanctius non erat naturalis dicti loci, commiſsâ causâ in Rotâ, dubitavi, an pręſentatio facta in perſonam Sanctii eſſet nulla ex eo, quod Sanctius non erat naturalis loci de Echarem, & Domini unâ tantum parte informante, quià procedebatur per contradictas, tenuerunt præſentationem eſſe validam.

15. Licèt enim in erectione hujus beneficii Ordinarius decreverit, eſſe præſentandum naturalem loci: tamèn quià illud fuerat dotatum ex quartâ parte fructuum parochialis, quæ eſt de jurepatronatus horum laicorum, debent Patroni poſſe pręſentare exterum ad hoc beneficium, ſicuti poterant præſentare ad parochialem, *Lambertin. de jurepatr. lib. 2. p. 1. q. 5. princ. art. 7.* & hoc tantò magis Domini dicebant procedere, quià in dictâ erectione non fuit appoſitum decretum irritans, undè valet præſentatio, facta ab illis Patronis, qui aliàs habebant facultatem præſentandi, *gloſ. communitèr approbata, in Clem. 1. in verb. inhibentes, de jurepatr. ubi Aneh. in 3. not. Card. q. 7. Imol. n. 4. circà med. verſ. ſecundo*

caſu, *Abb. n.* 1. & tenuit aliàs Rota in unâ *Januen. Matrimonii* 16. *Maii* 1583. *quæ eſt intèr impreſſas diverſorum* 750. *n.*4. *p.* 1. ubi plurimi Doctores adducuntur. Tandem videbatur Dominis, tolli omnem difficultatem ex eo, quià accedebat conſenſus Ordinarii, qui licèt ab initio diſſenſiſſet, poſteà tamèn expreſsè conſenſit, & approbavit, quo caſu valet præſentatio, etiam non ſervatâ illâ formâ, quæ aliàs eſſet ſervanda, *Lambertin. l.* 2. *p.* 1. *q.* 7. *princip. art.* 30. Ex quibus Domini concluſerunt, pręſentationem eſſe validam &c. (*a*).

(a) *Rota coram Cavalerio decìſ.* 103.

16. *Seguntinâ admiſſionis ad Capitulum.* Die 7. Junii 1610. Domini cenſuerunt Rectores Oppidi de Atienzâ habere fundatam intentionem, uſque ad annum 1523. nam cum in Eccleſiis dicti Oppidi adſint ſexaginta octo beneficia, quę etiàm non naturalibus conferri aſſueverant, & beneficiati in d. Eccleſiis ad iſtud Capitulum admittebantur, ut prædicta ſatis conſtant ex reformatione factâ per Vicarium Generalem Seguntinum, de dicto anno 1523. ubi prò parte Capituli narratur, quod dicta beneficia ferè Clerici naturales ejuſdem Oppidi olim poſſidebant, ponderando dictionem *ferè*, diminutivam de ſui naturâ, & imperfectionem denotantem, juxtà *text. in l. querela. C. ad leg. Cornel. l.* 2. *§. ultim. ff. de orig. jur. c. ult. de cleric. ęgrotan. c. qui finè* 4. *qu.* 9. *notat. Oldrad. conſil.* 49. *nu.* 18. *quem refert*, *& ſequitur Bertachi. in ſuo Repertor. verbo ferè.* Item & narratur; quod nuper aliqui Clerici extranei, & beneficiati, licèt non naturales, in idem Capitulum fuerunt ingreſſi, quamvìs contrà morem, & ſtatuta Capituli, & de facto. Ex quibus reſultat confeſſio Capituli, quæ maximè juvat Rectoribus, pręcipuè in antiquis. *l. cum precum. C. de liberali cauſ. & ibi DD.* Undè videtur, quod uſque ad dictum annum Rectores fundent intentionem ſuam, etiam ad hoc, ut etiam non naturales dicti Oppidi, ſeù alicujus illius Archipresbyteratus admitterentur ad iſtud Capitulum (*b*).

(b) *Rota part.* 2. *recent. decìſ.* 290. *coram Manzanedo.*

17. Quod magis procedit cum Rectores habeant prò ſe diſpoſitionem juris communis, juxtà *text. in c. ad decorem de inſtit.* ubi pręcipitur, inſtitui viros literatos, & idoneos, undecumque originem duxerint, quod & clarè deciditur *in cap. Dominus noſter quinquageſimaſexta diſtinct.* Unde *Rota in aliâ Seguntinâ admiſſionis ad Capitulum* 26. *Junii* 1587. *coram bo. mem. Gypſio*; dixit illicitum, & ambitioſum eſſe ſtatutum, prohibens Clericos Forenſes admitti ad Capitulum, & ſic non valere, & cum tale ſit judicandum ſtatutum, quo Capitulum nititur, videtur illud non obſtare Rectoribus, Ultrà quod nec de tali ſtatuto conſtare videtur, cum tantummodò enuncietur in dictâ reformatione Vicarii Generalis, quę enunciatio illud non probat, juxtà *Bald. in l. prima, in fin. C. de Epiſc. & cler.*, & fuit dictum in allegatâ *Seguntinâ admiſſionis*, & in aliâ *Burgen. juriſdictionis coràm Illuſtriſſimo Pamphilio* 10. *Decembris* 1584.

18. Et ratio eſt, quià Vicarius Generalis non habet facultatem ſtatuendi. *Federic. de Seniſ. conſi.* 264. *verſ. item auctoritas Vicarii Roman. ling.* 700. *Franc. in cap. fin. num.* 5. *de officio Vicar. in ſexto*, maximè contrà jus commune, contrà quod nec Epiſcopus de novo ſtatuere valet. Undè non mirum ſi carentibus tali poteſtate non credatur enunciando, tale Statutum adfuiſſe, juxtà *text. in l. ſi fortè ff. de Caſtrenſ. pecul.* quem ità intelligit *Cravet. de antiquit. par.* 2. *num.* 21. *poſt Dec. in cap. cum ſit Romana, tertio notab. de appellat.* & alios, quos refert, & ſequitur *Menoch. de arbitr. lib.* 1. *quæſt.* 17. *num.* 8. *verſ. hic intellectus.* Quarè autem prò parte Capituli adducuntur reſpicientia Statutum poſt dictum annum 1523. tanquàm extrà dubium, non fuit de illis habita prò nunc aliqua ratio &c. (*c*).

(c) *Rota coram Manzanedo loco mox citato.*

19. Porrò cauſa iſta Siguntina Admiſſionis ad Capitulum, fuit acerrimè ventilata, diuturnoque tempore perduravit, ob Contendentium utrimque conſtantem in propriâ opinione perſeverantiam, quorum altera pars alteri sè ſubiicere recuſabat, & utraque viribus præſtans, in id unum incumbebat, ut per ignem, & aquam cauſa tranſiret, nèc deſiſteretur ab inceptis, donèc ratio ulla poſſet eorum intentui ſuffragari, Hinc pretèr eam, quam mox retulimus Deciſionem Rotæ, atque

aliam

aliam in ejus ventre indicatam ſub die 26. Junii 1587. coram Gypſio; alia præcedentèr prodierat coram eodem Gypſio, ſub die 5. Junii 1587. quæ inter cætera hęc habet. Prætendebat Capitulum de Aylon, ſententias de partibus ad favorem Joan. de Rotale latas, uti notoriè injuſtas eſſe revocandas. Notoriam autèm injuſtitiam ex eo potiſſimum deducebat, quià dictæ ſententiæ ex actis non juſtificabantur, ſtante nullitate examinis teſtium, ad *cap. Intèr cæteros ubi Fælyn. poſt alios num.* 10. *de rè judic. Pariſ. conſ.* 107. *lib.* 4.

20. Præſertim quià habent relationem ad acta *Mobed. deciſ.* 290. *cum aliis allegatis*, quibus tamèn non obſtantibus Domini contrariam Sententiam ſecuti fuerunt, Ratio Dominorum fuit, quià ſtatutum, de quo agitur, prohibens clericos forenſes eſſe de capitulo, eſt *contrà jus*, ideò non valet, *ad cap. decorem de inſt. Beltra. conſ.* 1. *num.* 2. *lib.* 3. Quo fit ut talis intentio clericorum forenſium fundata ſit, & conſequentèr notoria injuſtitia excludatur, maximè quià ex articulis, confeſſione unius ex deputatis à Capitulo ad reſpondendum poſitionibus emanata, conſtat, ſtatutum non fuiſſe uſu receptum, & Judex præſumitur motus ex his, quæ ejus Sententiam ſuſtinent. *Decius conſ.* 43. *num.* 5. Idque multum ſit veriſimile, proptèr clauſulam, veris exiſtentibus narratis &c. (*a*).

21. *Toletana Confraternitatum*. Die 3. Decembris 1618. coram Ubaldo. Tractatus de quodam ſtatuto, edito à duabus Confraternitatibus Clericorum, & Presbyterorum in Oppido de Paſtranâ Toletanæ Diæceſ. ſub invocatione Sanctorum Petri, & Pauli, & S. Nicolai exiſtentibus, quæ habent unum Abbatem majorem, & faciunt Congregationem, quàm appellant Capitulum, in quo Statuto fuit ordinatum, ut in Confratres non reciperentur inpoſterum, niſi naturales ejuſdem loci. Sed Canonici Collegiatæ Eccleſiæ ejuſdem Oppidi, commiſsâ cauſâ nullitatis ejuſdem Statuti, & reportatis duabus Sententiis favorabilibus, tandèm commiſsâ cauſâ in Curiâ, obtinuerunt dubitari, An dictum Statutum eſſet nullum, an validum? Et Domini reſponderunt prò nullitate, Canonicis tantum informantibus, quià tale Statutum prohibens Clericos forenſes admitti ad Capitulum, tanquam *illicitum, ambitioſum, & contra jus* non tenet *cap. ad decorem de inſtit. & ibi Abb. num.* 2. *Imol. num.* 1. *& alii Doct. Bertrand. conſ.* 1. *num.* 2. *lib.* 3. *par.* 2. & fuit deciſum in *Placentinâ admiſſionis ad Capitulum* 8. *Aprilis* 1585. *coram bo: me: Cardinali Blanchetto*, & in *Seguntinâ admiſſionis ad Capitulum* 26. *Junii* 1587. *coram bo: mem: Gypſio*, & in eâdem Cauſâ 7. *Junii* 1610. *coram R. P. D. Manzanedo*. Nèc facit allegata confirmatio Ordinarii, quià non poteſt etiam cum Capitulo ſtatuere contra jus, ſed requiritur confirmatio Apoſtolica, *cap. quod ſuper de majorit. & obed. Alex. conſ.* 106. *num.* 2. *lib.* 2. *Calder. conſ.* 5. *num.* 2. *de conſt. Dec. in cap. quæ in Eccleſiarum num.* 12. *de conſtit.* fuit dictum in unâ *Calagurit. de Liquutio* 30. *Apr.* 1593. *coram Gypſio*; præſertim quia Statutum, de quo agitur, eſt fundatum in præſuppoſito erroneo, quod ſcilicet relicta iſtis Confraternitatibus, ſint tantum prò filiis naturalibus, quod tamen non verificatur, cum omnia legata fuerint relicta poſt condita Statata de anno 1588. &c. (*b*).

22. *Majoricen. Indultorum*. Die 27. Junii 1639. coràm Merlino. Dixerunt Domini Indulta Romanorum Pontificum Joannis XXII. Eugenii IV. & ſa: me: Pii V. ſuffragari Incolis Regni Majoricen., in quibus Indultis conceſſum fuit, ut beneficia illius Regni conferantur Incolis, & Originariis, & prohibitum quibuſcumque Collatoribus, nè exteris conferantur. Concurrit enim utrumque requiſitum, quod ad validitatem, & perfectionem cujuſcumque actus requiritur, nempè voluntas, & poteſtas: voluntas ad oculum eſt explicata in d. Indultis, & ſic de eâ non poteſt dubitari. Poteſtas verò eſt indubitata, & abſoluta in Pontifice Romano, præſertim in materiâ beneficiariâ, in qua liberas habet habenas, ſupremuſque Dominus, & Diſpenſator eſt *cap.* 2. *de præb. in* 6. *Clem.* 1. *ut lit. pend. Roman. conſ.* 369. *num.* 2. *& per Adden. lit. A. Alex. conſ.* 219. *num.* 4. *lib.* 6. *Dec. conſ.* 436. *n.* 15. *& conſ.* 640. *num.* 5. *Burſat. conſ.* 109. *num.* 1. *lib.* 1. *& conſ.* 116. *num.* 38. *lib.* 2. *Gabr. conſ.* 187. *num.* 1.

(a) *Rota tom. 4. diverſor. deciſ. 24. coram Gypſio.*

(b) *Rota coram Ubaldo deciſ. 475. f. 119.*

Digitized by Google

*num.*1. *&* 2. *lib.*1. *& conſ.*200. *num.*8. *lib.*2. *Menoch. conſ.*83. *num.*10. *& ſeq. Rota dec.*613. *num.*1. *par.*1. *rec.* *&* *par.*2. *dec.*623. *num.*2. *&* *dec.*778. *num.*1. *& par.*3. *deciſ.*2. *num.*1. *& par.*4. *deciſ.*115. *num.*1., *& par.*5. *dec.*81. *num.*9. 10. *&* 11.

23. Collatoreſque non ægre ferre debent talem prohibitionem, quià non eſt rigida, nec exorbitans hujuſmodi Conſtitutio, imò honeſtati, & juri multum conformis, ut Incolæ præferantur in adeptione beneficiorum Peregrinis, inde enim magis conſultum eſt cultui Eccleſiarum, & Chriſtianæ diſciplinæ, cum exteri non ità commode moribus locorum accommodentur, prout indigenæ, hęcque proviſio Pontificum reſpondet intentioni Fundatorum, quæ cenſetur, ut dum prædia Regni Eccleſiis contulerunt, ejuſdem Regni etiam Incolis Clericis pauperibus voluerint prodeſſe, & Concives ſuos ad Dei famulatum allicere, ut bene notavit in *cap. ad decorem de inſtit. & ibi Abb. in fine*. Supèr hac congruentiâ, & honeſtate multum exclamat *Mandoſ. ad reg.*6. *Cancell. qu.*21. *num.*9. *Covar. pract. q. cap.*35. *num.* 5. verſ. Unde ſanctiſſimum eſſet, *Lotter. de rè benefic. lib.* 2. *quæſt.* 39. *num.*26. & in his terminis ſequuta eſt etiam *Rota in Melevitanâ beneficii* 5. *Martii* 14. *Novemb.*1605. *cor. Penia*, præſertim cum etiam hujuſmodi Indulta fuerint conceſſa ob benemerita Incolarum Regni Majoricen., nempè ob ſumptus, & pericula, quæ ipſi Majoricenſes ſubeunt in dies prò defenſione Regni ab invaſionibus hoſtium Catholicæ fidei &c. (*a*) Hucuſque deciſio.

(a) *Rota coram Merlin. deciſ.* 814. *tom.*2. *fol.* 184.

24. Hæc quoquè Cauſa fuit acerrime diſcuſſa, & repetitis vicibus propopoſita, examinata, & ventilata propter præpotentiam Partium utrimque contendentium, nempe Regni Majoricenſis, & Epiſcopi ejuſdem Inſulæ, quorum ſecundus libertatem Eccleſiæ tuebatur, in hoc fortiter ſiſtens, quod Eccleſia libera eſt, ejuſque in arbitrio poſitum eſt beneficia eccleſiaſtica, non modo Clericis indigenis, verùm etiam extraneis, dummodò dignis, & benemerentibus, impertiri. Quod ſanè ipſi quoquè Repreſentantes Regni Majoricenſis non impugnabant, ſed ſine controverſiâ fatebantur. Verùm contendebant ſibi aſſiſtere Privilegia trium Romanorum Pontificum, arctantia libertatem præfatam ad ſolos Clericos Majoricenſes, & ut hæc indulta perducerentur ad effectum urgebant. E contra verò Epiſcopus in dubium non revocabat reſtrictionem præfatam, ſed ſolum opponebat, quod Diplomata Pontificia, illam præſcribentia, in deſuetudinem abierant, & per non uſum erant viribus vacuata. Undè cernit hic lector, quod nulla eſt alia via, repellendi extraneos ab eccleſiaſticis beneficiis, quam impetratio privilegii Pontificii, per quod excluſio ipſa præcipiatur; & ulteriùs neceſſe eſt, quod tale indultum in deſuetudinem non abjerit: niſi talibus ſit elementis conceptum, quod ei de inobſervantiâ non poſſit opponi; quale erat Indultum S. Pii Papæ V. favore Majoricenſium, de quo in præſenti causâ judicialitèr agebatur: in quâ pratèr memoratam deciſionem, aliæ quoquè ſimiles prodierunt (*b*).

(b) *Rota coram Merlin.* 11. *Aprilis* 1619. *relat. etiam à Diana part* 8. *deciſ.*8.

25. Demùm ſub die 16. Novembris 1640. coram Peutingero, prolixa ſuper eâdem causâ emerſit Rotæ deciſio, ex quâ, omiſſis aliis, hæc quæ ſubſequuntur excerpſimus. Quilibet de jure eſt capax beneficii, undecumque ſit, *cap. ad decorem de inſtit.* Quia ultrà quod per actus contrarios prò obſervatione indulti, qui prò regno dantur, immemorabilis deſtruitur, quippè quæ nihil debeat habere in contrarium; Firma ſemper remanet ſupradicta concluſio, quod ubi adeſt decretum irritans, & prohibitum per quoſcumque actus contrarios inferioris, privilegium non ammittitur, cum illud decretum tollat, & inficiat quæ deindè ſequuntur, *cap. ſi eo tempore de elect. in* 6. *Caſſad. deciſ.* 11. *num.* 5. *ad reg. Cancell. & fuit dictum in Oveten. Canonicatus* 7. *Junii* 1638. *coram D. meo Veroſpio*, relata per *Poſth. de manut. deciſ.*279. *n.*3. *& in Ulixbonen. declarationis concordiæ* 5. *Maii* 1599. *coràm Juſto*, & in *Corduben. Capellaniæ* 24: *Maii* 1596. *coram Corduba*, & in *Treveren. Abbatiæ Sancti Maximini* 20. *Novembris* 1624. *coram Rev. D. meo Decano*. Adeòque præſcriptio impeditur, ut docet *Fælin. in d. cap. cum acceſſiſſent num.*30. *verſ. quarto limita de conſt.* ac in puncto ſimilis indulti conferendi benefi-

cia

eia tradit *Lotherius de rè benefic. quæ. 34. num. 51. & Creſcent. d. deciſ. 4. num. 6. de privileg.* ubi expreſsè habetur, quod proviſiones factæ forenſibus, obſtante dicto decreto, ſunt nullæ. Undè actus contrarii indulto, qui dantur prò Epiſcopo Majoricenſi, ob eandem clauſulam remanent nulli, nec propterea poteſt dici, per illos fuiſſe quæſitam Epiſcopo poſſeſſionem conferendi beneficia exteris: ſinè poſſeſſione autem nondatur præſcriptio: *cap. ſine poſſeſſione de reg. jur. in 6. cap. Cauſam de præſcript. Abb. incap. quærelam ſub num. 9. de elect.* (*a*).

(a) *Rota coram Peuting. deciſ. 30. fol. 42. & apud Dianam part. 8. deciſ. 11.*

26. Nèc in contrarium facit ponderatio *Gabr. conſ. 162. num. 10. lib. 1.* ubi vult, decretum irritans, non alitèr operari ſuum effectum, niſi quando privilegium per uſum eſt acquiſitum, aliàs quando non conſtat de Jure quæſito, contrarius uſus ſemper relevat contrà privilegiatum. Nàm reſpondetur, quod incolis Regni Majoricenſis, & Regno fuit jus quæſitum eodem inſtanti, quo privilegia à Pontificibus fuerunt conceſſa, per ea, quę tradit *Creſent. deciſ. 4. de privileg.* Nec relevat, quod contrarius uſus, vel non uſus particularium perſonarum, maximè ſpatio ultra 40. ann. tollit privilegium conceſſum Univerſitati, & ſic Incolæ Majoricenſes, permittendo per tot annos Epiſcopum alienigenis beneficia conferre non reclamando, cenſentur præjudicare Regno. Quia clauſula facultativa, quæ legitur in Indulto Pii V. reintegrationis, & electionis novę datæ, eſt tantæ efficaciæ, ut privilegium ſic conceſſum, nunquam tolli poſſit, nec etiam per ſubſequentes derogatorias Papæ, niſi ſpecialitèr de hac ſpeciali clauſulâ in derogatione fieret mentio: ad trad. per *Seraph. dec. 1271. num. 3.* Adeòque multò minus poterit tolli per ſolam patientiam incolarum, qui licèt non reclamaſſe dicantur contrà Ordinarium, introducentem uſum privilegio contrarium, ſalvum tamèn ipſorum jus remanebat per prohibitionem Papę: per quam cum efficiatur, ut nullus ſit locus probationi contrarię privilegio, remiſſoria videbatur omninò deneganda, *Rot. dec. 720. num. 3. par. 2. recent. &c.* (*b*).

(b) *Rota in Majoricen. Indultorum locis citat.*

27. Deciſio autem Rotalis coram Creſcentio, in hac Majoricen. Indultorum enunciata, loquitur prout ſequitur. Et privilegium, conceſſum *Communitati Faventinæ*, quod beneficia conferri non poſſint, niſi Civibus originariis ejuſdem Civitatis, & Comitatus, cum decreto irritanti (& hoc in unâ Cauſâ Favent. Parochialis S. Euſtachii coram me, in qua Vincentius Ronchus Bononienſis produxerat proviſionem à Legato obtentam, fuit eidem datum de dictis privilegiis, attento quod non erat Civis Faventinus, replicabat ipſe, quod privilegium non erat in uſu, & per plures teſtes conabatur hoc probare, qui aſſerebant, plures collationes factas Forenſibus ab Ordinario, & Legato, habuiſſe effectum, & de illis in dictâ Civitate Favent. eſſe publicam vocem, & famam, & ſic ſciente, & patiente Communitate, & hoc à 15. annis citrà). Dubitatum fuit de pluribus. *Primò*, An quia dicta privilegia conceſſa fuerunt Communitati ſcienti, & patienti, eſſet aliàs neceſſe probare eſſe uſu à principio recepta. Secundò, An caſu quo valeant, ſtatim poſſit eis Communitas renunciare, adeòut cum ſciens tacuerit, & non reclamaverit, videatur tacitè renunciaſſe. Tertiò, An per dictum tempus privilegia eſſent præſcripta.

28. Circà primum, non videtur difficultas, quià aut tenemus, quod privilegium ſtatim liget etiàm ignorantes, adnot. per *Bart. & Doct. in l. omnes populi, de juſt. & jur. & per Innoc. Arch. & Hoſtien. in cap. 1. verſ. ex parte, de conceſſ. præben. in 6.* Aut quod requiritur ſcientia, ut videtur probari in *d. verſ. ex parte, & per Cardin. in proem. Clem. in verſ. univerſitatis.* Aut quod diſtinguamus, ut per *Dec. in c. 2. de conſtit. in fin.* ſtatim, ex quo Communitati ſcienti fuit conceſſum, à principio valuit, & conditio tacita privilegii, quatenus uti velit ille, cui conceditur, eſt adimpleta, quià apparet, ex quo ipſa petiit, quod uti vult. Undè Domini voluerunt, quod Adverſario, dicenti, quod privilegia non erant in uſu, incumberet onus probandi. In ſecundâ verò difficultate, ſi tenemus, quod ex quo in privilegiis erat decretum irritans, non poſſit eis etiam expreſsè renunciari,

ri, *ad c. dilecto, verſ. niſi fortè, juncta gloſ. & ibi not. Abb. de præbend. & per gloſ. & doct. in c. ſtatutum in princ. verſ. committatur de reſcript. in 6. & Jaſ. in l. jus publicum, in fin. ff. de pact.* & res tunc eſſet ſinè dubio, quià ſi non poſſet expreſſe renunciari, multò minùs tacitè per contraventionem, ut videtur *Deciſ.* 293. *al* 3. *de privileg. in antiq.*

29. Si vero tenemus, quod privilegio conceſſo ad favorem alicujus, etiàm cum decreto, poſſit renuntiari, quod magis videtur juridicum, *adnot. per Anchar. in d. c. ſtatutum, in fin. & per Abb. in c. ult. §. his autem, in 2. not. de off. deleg. & plenè per Dec. in c. cum acceſſiſſent in 4. col. de conſtit. & in c. cæterum, ante fin. 4. col. de reſcript.* Nàm ſicut quis poteſt privilegio renunciare, ità & decreto, ut acceſſorio, *adnot. per Aret. in l. ex duobus §. etiam col. 2. verſ. Bald. tamen de vulg. & pupill. & ſpecialius per Card. in Clem.* 1. 9. 18. *de elect. & Rom. conſ.* 330. *col.* 6. & ſecundum hoc videtur, quod ſi expreſsè poſſit renunciari, quod etiam tacitè. Et in hoc, cum Cives, quibus fuerunt privilegia conceſſa, nihil deberent facere, quià tunc per contraventionem, etiam in uno actu forſan privilegium ammitteretur, *adnot. per gloſ. in d. c. cum acceſſiſſent in verbo contravenerint, & in c. prò illorum, de prębend. & deciſ. noſtra* 382. *al.* 8. *de privil. in nov.* ſed Cives in contrarium nihil fecerunt, ſed tantùm paſsi ſunt Ordinarium conferre Forenſibus; Domini voluerunt, quod proptèr decretum irritans, non ammittatur privilegium, *adnot. per Archid. Jo. Andr. & Gemin. in c. cum de beneficio, de prębend. in 6. & Felyn. in d. c. cum acceſſiſſent, col. 14. verſ. 4. limita.* Non obſtante *conſ. Abb.* 61. *in fin. lib.* 2. Quià non erat ibi decretum, nec ſola patientia, ſed contraventio.

30. Circà tertium dubium licèt videatur inducta contraria conſuetudo per decennium, ex quo illo tempore privilegia non fuerunt ſervata, *adnot. per Cyn. in l. voluntariè, c. de excuſ. tut. & per Bart. in l. unica, per illum text. C. de nundin.* Tamèn Domini voluerunt, quod non ſumus in præſcriptione, quià contrà Communitatem requiritur tempus 40. annorum, *adnot. in ult. & auth. quas actiones, C. de Sacroſ. Eccl.* Imò, ex quo in præſcriptione requiritur poſſeſsio, ut *in reg. ſine poſſeſſione l. 6.* & quod ex eâ dicit *Abb. in c. querelam, in fin. 3. col. de elect.* quod proptèr dictum decretum proviſiones factæ Forenſibus ſint nullæ, & non poſsit dici, quod ex actibus nullis Ordinarius ſit in quaſi poſſeſsione conferendi extraneis contrà Communitatem, quià decretum afficit etiàm poſſeſsionem &c. (*a*).

(a) *Creſcent. deciſ. 4. de privileg. alias 79. fol. 307.*

CA-

C A P U T X.

In quo ex variis Theologis, *aliiſque Auctoribus, qui* Sæculo Chriſti Decimoſeptimo *claruerunt, probatur libertas Eccleſiæ, in conferendo ſacras Præbendas, & Eccleſiaſtica Beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis.*

S U M M A R I U M.

1 Ludovicus Thomaſſinus *cauſæ extraneorum favet. Refertque verba S. Petri Damiani, supèr electione Viri Germani in Papam.*

2 *Indigenæ non anteponuntur extraneis, ut ſic, ſed ſolum ut magis idonei. Quid Gregorius VII. ſcripſerit Regi Caſtellæ.*

3 *Clerici Romanæ Eccleſiæ nullibi ſunt extranei. Et ubi extranei repellendi ſunt, non ſpectat ad Laicos hoc facere.*

4 *Etſi regimen Eccleſiarum indigenis maximè delegandum ſit; ſunt tamèn cauſæ, ob quas eis extranei ſunt anteponendi.*

5 *Antiqui canones, electionem de gemio ſtatuentes, nihil proficiunt Contradictoribus: favent enim non Nationalibus, ſed Localibus.*

6 *Extraneis, non abſolutè, ſed cæteris paribus indigenæ ſunt præferendi. Ex Concilio Tridentino extraneis patet acceſſus ad beneficia.*

7 Antonini Dianæ *clariſſima eſt ſententia, Principes non poſſe ſtatuere, nè beneficia conferantur extraneis.*

8 *Addit, non poſſe à Magiſtratibus impediri executionem literarum Papalium, quibus beneficia conferuntur extraneis.*

9 *Bullæ Apoſtolicæ retineri non poſſunt à Judicibus Laicis quacumque causâ, ut contrà Joannem Sotomajor, Diana fortitèr ſuſtinet.*

10 *Obſtat enim Bulla in Cœnâ Domini. Et quatenùs opus ſit, de validitate illarum, agitandum eſt coram eccleſiaſtico, non coram judice laico.*

11 A' Fernando Rebello *dicitur, quod Epiſcopatuum diſtributor teneatur digniores, etiàm ex alienis locis accire: & quid de aliis beneficiis?*

12 *In libertate illorum erit, qui beneficia diſpenſant, judicare, an hîc & nunc, dignior ſit indigena, vel extraneus.*

13 *Apud* Homobonum de Bonis *legitur, in conſecutione benficiorum, cæteris paribus, extraneis eſſe præferendos indigenas.*

14 *Ubi extranei abſolutè ſunt repellendi à beneficiis, id ſolum provenit ab Apoſtolico privilegio.*

15 Cornelius à Lapide, *culpam agnoſcit in iis, qui de beneficiis excludunt exteros digniores, & cur?*

16 *Hancque culpam ait eſſe mortalem. Intelligendus eſt tamèn extrà caſum privilegii Apoſtolici, alitèr diſponentis.*

17 18 Luiſius Turrianus *aſſeris eſſe validas Conſtitutiones aliquorum locorum, reſtringentes beneficia ad Naturales, & cur?*

19 20 A' Thomâ Sanchez *eadem ſententia defenditur, & extraneorum excluſio refer-*

fertur ad privilegium Apoſtolicum.

21 Thomæ de Bene *ſententia eſt, quod non valeant ſtatuta Principum excludentia Clericos extraneos à beneficiis.*

22 *Quod ſi hæc ſtatuta ſint alicubi, dicit ea eſſe robur ſæculare, additum privilegiis Apoſtolicis.*

23 24 *Laici examinare non poſſunt literas Apoſtolicas, earumque executionem impedire, niſi hoc habeant ex Apoſtolico privilegio.*

25 26 *Si habent quod præfatis literis opponant, id faciant coram Judice eccleſiaſtico; quid de aſſenſu præmittendo poſſeſſioni beneficiorum?*

27 *Dubitat del Bene de veritate diplomatum Apoſtolicorum, quorum vi alicubi extranei repellantur ab eccleſiaſticis beneficiis.*

28 Petrus Maria Paſſerinus *docet, electionem extranei validam eſſe, nec præeligendos indigenas, niſi de honeſtate.*

29 *Eligendus eſt dignior de alienâ Eccleſiâ, poſtpoſito minus digno de propriâ: & quomodo hoc verum ſit?*

30 *Etiàm intèr Regulares eligi poteſt extraneus. Tota Religio, in plures provincias diſtributa, unum corpus eſt.*

31 32 33 *Probat Paſſerinus ad Prelaturas Regulares eligi poſſe Religioſum extraneum, & quomodo id verificetur?*

34 *Papa conferre poteſt liberè beneficium etiam extraneo, quià habet plenariam beneficiorum diſpoſitionem: quod de aliis?*

35 *Igitur ex Teologis cunctarum Nationum, patet quod Sæculo XVII. concors erat eorum ſententia Clericis extraneis favens.*

1. INTER Theologos Sæculi Decimiſeptimi eminenti modo refulſit *Ludovicus Thomaſſinus* Gallus, Congregationis Oratorii, prout, ex multis ejus operibus eniteſcit, qui aliquando in ſuo tractatu de veteri, & novâ Eccleſię diſciplinâ, queſtionem attingens, promovendorum extraneorum ad eccleſiaſtica beneficia, multas congerit eruditiones prò, & contrà: ipſe verò albicalculum porrigit ſententiæ, quam tuemur, eſſe nimirum in libertate Eccleſiæ ſacris beneficiis ipſos quoque extraneos promovère. *Petrus Damiani*, inquit, *conteſtabatur, Eccleſiam Romanam Imperatori gratificatam eſſe in hujuſmodi rè, in quâ momenti eſſet omninò plurimum, ubi ſuo juri, & priſtino derogaverat mori, eligendi ſuo tantum ex gremio Pontifices, quem nunc tamen delegiſſet ex mediâ Imperatoris aulâ: In conſtituendo Pontifice Romano Eccleſia à charitate regiâ non receſſit, quià cum in Clero ſuo religioſis viris, & ſapientibus abundaret, non de propriis, ſed eum qui Regi tamquàm domeſticus, & familiaris erat, elegit &c. Ei privilegium non tulit, ſed roboravit, dum non de Romanâ Eccleſiâ, ſed ex Aulâ Regiâ Sacerdotem ad Apoſtolicæ Sedis culmen evexit* (a).

(a) *Thomaſſin. Vet. & nov. Eccl. diſcipl. p.2.l.1.c.103.n.2.*

2. Tùm paucis interjectis ſubjungit: *Indigenæ non anteponuntur univerſim extraneis, niſi ut magis idonei, propter morum, linguæque peritiam. Sicubi ergò nemo prorsùs ex indigenis idoneus ſit, tùne præponentur jure merito extranei. Gregorius VII. recuſato Archiepiſcopo, quem promovere geſtiebat Alphonſus Caſtellę Rex, illum hortatus eſt, alium quempiam ſuggereret ex ſubditis ſuis, aut ſi non haberet, niſi tanto imparet faſtigio, extraneos accerſeret. Eligatur indè ſi inveniri poteſt: ſin autem aliundè expetatur. Ratio prompta eſt: Eccleſiæ regimen propriè bonos exoptat. Boni ergò dignique ſi adſint, non longè quærendi ſunt: ſi deſint, undè undè accerſendi.* Ex paulò poſt introducit Pontificem, ſic loquentem; *Ipſa Romana Eccleſia viros, & ſcientiâ adornatos, præditos honeſtate, & ſanguinis nobilitate præclaros, ad ſe libentèr evocat, & eos aliundè conſuevit admittere, non ſe talibus, cum ipſos in gremio ſuo habeat, facilè ſpoliare.* Demumque Innocentium Papam III. aſſerit de-

Car-

Cardinali Romanæ Eccleſiæ, alibi ad Epiſcopale beneficium promovendo, pronunclaſſe, non debere ibi extraneum reputari, *cum membra capitis, à membris corporis cenſeri non debeant aliena* (a).

(a) *Idem loc.cit.n.3 & 4.*

3. Poſteà ſubjungit: *Idem ipſe Pontifex ratam habuit electionem Archiepiſcopi Capuani, quamquàm electus eſſet extraneus, 1. quod potuiſſet Capitulum non uti privilegio, & canone in ſui gratiam, & compendium condito: cujuſmodi eſt, ut nè Epiſcopus aſſumatur, niſi ex Eccleſiæ ipſius collegio. Licèt autèm reperiatur in canone, ut tùnc alter de alterâ Eccleſiâ eligatur, cum nullus in propriâ fuerit repertus idoneus; quià tamèn hoc in favorem introductum eſt Clericorum, & cuique licet renunciare juri, quod prò sè noſcitur introductum &c. 2. Canoni ei tùnc locus eſt, cum vi intruditur extraneus. Preſertim cum illud decretum locum habere videatur, quando, Clericis renitentibus, & invitis, per alicujus violentiam poteſtatis extraneus ingeritur ex adverſo. Proptèr quod ſequitur in decreto, ut Clericis ſit facultas renitendi, ſi ſe viderent prægravari. 3. Nullibi hoſpites, aut peregrini ſunt Eccleſię Romanę, Matris omnium filii: cum à capite non debeant membra aliena reputari* (b). Attende quod Clerici Romanæ Eccleſiæ nullibi ſunt extranei, quin ibi valeant beneficia ſacra adipiſci. Paritèr, quod obſiſtere introductioni extraneorum, non ſpectat ad Laicos, ſed ad ſolos Clericos Eccleſiarum particularium, qui sè cenſeant pręgravari. Clerici autem hi in caſu noſtro non adſunt, nec eorum vox auditur, ſed tantummodò Contradictorum, ſive illorum Laicorum, à quibus ipſi fuerunt ad ejulandum impulſi.

(b) *Idem ubi ſupr. n. 5. §. Idem*

4. Proſequitur Thomaſſinus. *Cum Clemens V. extraneum neſcioquem Epiſcopatu ornaſſet Corienſi in Regno Caſtellæ, iniquo animo id tulit Alphonſus Rex. At cum Pontifex blandiſſimis his monitis demulſit. Etſi in genere, Eccleſiarum regimen indigenis maximè delegandum ſit, eſſe tamen cauſas juſtiſſimas non paucas extraneos his quandoque anteponendi: Apoſtolos, & ipſum Hiſpaniarum Apoſtolum Jacobum longinquâ ex regione adventaſſe: porrò qui à sè tùm deſignatus eſſet, Epiſcopus, eum eſſe, qui & doctrinę ubertate, & virtutum ſplendore, ubique agnoſci, & ambiri nuſquam hoſpes, & peregrinus videri debeat. Philippum Pulchrum delinire ſimilitèr conatus eſt Bonifacius VIII. quod duas Gallicani Regni Eccleſias Italis duobus contuliſſet, Bituricenſem Archiepiſcopatum, & Epiſcopatum Atrebatenſem; nec contuliſſet niſi viris pietate, & meritorum laude clariſſimis, ipſi Regi non ſuſpectis, nec Regno &c. Anno* 1356. *Clemens VI. Galliarum Reginæ per literas congratulatus eſt, quod Regium diploma revocari curaſſet, quo extranei omnes beneficiis ſummovebantur, nullâ vel Cardinalium ipſorum exceptione. Anno* 1408. *Comitiorum generalium Cleri Gallicani decreto, extraneis omnibus aditus interclusus eſt beneficiorum quorumcumque, niſi ſaltèm decennium in publicâ alicujus Regni, Univerſitatis paleſtrâ contriviſſent, & ne tùm quidem ad Prælaturas aſpirare poſſent. Manavit certè decretum ejuſmodi intèr Schiſmatis Avenionenſis procellas* (c).

(c) *Thomaſſin. loc. citato n. 6. §. Cum*

5. Et infrà: *Decretis Cæleſtini Papæ, Capitularibus Caroli Magni, & legibus Codicis præfici, & ordinari cuique Eccleſiæ non ſinebantur, niſi proprii ejus cives, dùm in iis eſſent, qui omnes ejus officii numeros obire poſſent. Itaquè longo ex intervallo ſequimur priſca illa ſtatuta, ſi non alios beneficiis abigimus, quam qui ex ipſo Regno oriundi non ſunt, aut jura Regni Principum diplomate ſpeciali non ſunt aſſecuti.* Nota, nihil proficere cauſæ Contradictorum antiquas illas Sanctiones Cæleſtini, Codicis, & Capitularium, & ſi quæ aliæ ſimiles leges ſunt, quas ipſi multum exaggerant; quippè quæ ſi locum haberent, nimium probarent: nempè quod nedùm extranationales, ſed etiam ipſi Regnicolę, & qui de eâdem provinciâ, & viciniâ ſunt, deberent repelli, ſolique incolæ loci beneficii vacantis admitti: quod iiſdem Contradictoribus non placebit. Sequitur: *A vero, aut veri certè ſimilitudine non aberrabis, ſi exiſtimes, quidquid novatum eſt in hac diſciplinæ parte, profectum id eſſe à majori Eccleſiarum, tum intèr ſe privatim communione, tum conjunctione cum ſummo vertice ſuo poſteriori hac ętate* (d).

(e) *Idem loc. cit. n. 9.*

6. Alia recenſet Thomaſſinus, & quod in Poloniâ per longum tempus ſoli Itali

pręfici beneficiis Epiſcopalibus conſueverunt. Et quod Gallicani oratores in mandatis habuerunt agendi apud Concilium Tridentinum, nè quis inſcius linguę vernaculę ad beneficia illius Regni proveheretur. Et quod in eodem Concilio (inſtante nimirùm S. Thoma de Villanovâ Archiepiſcopo Valentino (*a*), uti ſuperiùs innuimus) teſte Dominico Soto, conſultatum fuit decerni, quod omnia beneficia curata ſolis indigenis conferrentur. Et quod demum Valentinis, non niſi ex Indulto Sixti Papę V. jus adhæſit, à sè Clericos extraneos repellendi (*b*). Quæ omnia, totaque ſeries eorum, quę ibidem congerit Thomaſſinus, hoc unum concludunt, nempè *primò*, quod Clerici extranei non abſolutè, ſed ſolum cæteris paribus ſunt à beneficiis eccleſiaſticis repellendi, talitèr tamèn, ut meritorum paritas ſit à beneficiorum largitoribus definienda. *Secundò*, quod uſque ad tempora Concilii Tridentini extranei non repellebantur ubilibet à beneficiis. *Tertiò*, quod poſt illa tempora, qui voluerunt illos repellere (uti Valentini) ſe privilegio Apoſtolico communierunt. Quo cum nudati ſint Clientes Contradictorum, nullo poſſunt juſtitię clypeo sè tueri adversùs cujuſcumque nationis Clericos, & multò magìs contrà Clericos, Pręlatos, & Cardinales Romanæ Eccleſiæ, qui juxtà doctrinam præfati Auctoris, nullibi prò extraneis reputantur.

(a) *Micha. Salonius in D Thom. 2. 2 q. 63. ar. 2. Controv. 3. in fin.*

(b) *Thomaſſin. ubi ſuprà n. 10. 12. 13.*

7. *Antonius Diana*, Siculus ex Panormo, Clericus Regularis Theatinus, cujus doctrinę ſama per totum longè latèque reſonat mundum, in ſuis reſolutionibus moralibus, agitat hanc quæſtionem: *An Principes poſſint ſtatuere, nè beneficia eccleſiaſtica exteris conferantur*. Et reſpondet *negativè, cum Tamburino de jur. Abbat. tom. 1. diſp. 15. qu. 19. n. 21., & alii ubi infrà. Et ſi in Regno Franciæ exteri non admittuntur ad beneficia, totum hoc procedit ex conſenſu, & privilegiis Summorum Pontificum, multis Regibus conceſſis, ut notat Barboſ. in Collectan. to. 1. l. 1. tit. 5. c. 4. n. 7., & ſequ. Reginaldus in prax. to. 2. l. 30. tract. 3. cap. 11. n. 160.* (*c*). Vide quam diſerte Diana in terminis terminantibus, & abſolutè prò extraneis pugnat: nec aliam ſcit ſemitam edocere, limitandi collationem beneficiorum ad ſolos indigenas, niſi vim Apoſtolici privilegii, quo quià enunciata Regna ſtipata eſſe ſupponit, ideò inde Clericos extraneos licitè repelli docet ab eccleſiaſticis beneficiis. Et alibi ait *fateor convenire, ut beneficia exteris minimè conferantur, & hoc ſatis probavi in 1. part. tr. 3. de Parlamento reſol. 6. ſed ex hoc non ſequitur, quod Principes laici auctoritate propriâ poſſint ſtatuere, nè ad beneficia advenæ aſſumantur, & hoc nego in illâ reſolutione à Cutellio citatâ, & negat noviſſimè Caſtrus Palaus tom. 2. tr. 12. diſp. un. punc. 8. n. 9. quià nemini à Summo Pontifice, vel ab illo auctoritatem habente, datum eſt de rebus ſpiritualibus diſponere. Sed materia beneficiorum ſpiritualis eſt. Ergò &c. Deindè jus præſentandi ad beneficia nullus laicus habere poteſt, niſi ei fuerit à Pontifice conceſſum; ergò multò minùs habere poterit jus excludendi à Pontifice præſentatos, niſi à Pontifice hæc excluſio concedatur. Et ideò ex Felyno docet noviſſimè Baldellus tom. 1. l. 5. diſ. p. 36. num. 14. quod Principes non poſſunt præcipere, ut poſſeſſio beneficii non apprehendatur ſine ejus licentiâ, & conſenſu, aut Gubernatoris, vel Præſidis* (*d*).

(c) *Antonius Diana Par. 3. tr. 1. reſol. 36.*

(d) *Idem Diana par. 9. tr. 2. reſol 99.*

8. Diana ergò, quamquàm eo eſſet affectu, ut beneficia conferantur indigenis, potius quam extraneis, nempè de honeſtate, ac cæteris paribus; tamen veritate ſic exigente fateri cogitur, excluſionem extraneorum ut ſic, non Regiâ Sanctione, ſed ſolo indulto Apoſtolico fieri poſſe. Proſequitur poſteà primo loco, & ait: *ex his ſequitur, ut optimè docet, & advertit Alexander Peſantius, Bonacina, & Azorius* (*e*), *non eſſe liberum Magiſtratibus, & Judicibus ſæcularibus literas Pontificias rejicere, quarum auctoritate beneficia exteris conferantur, ſed licitum erit opponere de ſubreptione talium literarum apud Judicem eccleſiaſticum. Imò ſi in literis exprimatur derogatio juris patronatus, licitum eſt appellare ad Summum Pontificem, & ſupplices libellos offerre, & interim literarum Apoſtolicarum executionem impedire, modo id efficiant operâ Judicum eccleſiaſticorum, & ſupplicationem coràm Sede Apoſtolicâ legitimè proſequantur: nàm ſententia communis eſt, poſſe Ro-*

(e) *Peſant. de immun. diſp 17. Bonac. de leg. diſp. 10 qu. 2. pu. 1. § 1 n 13. Azor p. 2. l. 5, c. 14 qu. 3.*

ma-

Digitized by Google

manum Pontificem juri patronatus laicorum derogare, ſi velit: ac proindè ſi velit, non inferre injuriam, neque vim laicis, quià utitur jure ſuo, & ſolum id jus adimit laico, quod habuit ab Eccleſiâ; non adempto ſibi revocandi jure. Undè quando Papa non obſtante ſupplicatione, & appellatione Principum, expreſſè juri patronatus derogaret, debent profani Judices obedire, etiam ſi Principes nollent, & non obſtantibus eorum legibus (*a*). Undè patet, quod de rigore (quidquid ſit de aliis) Papa, etiam non obſtantibus indultis Apoſtolicis, & quibuſvis legibus humanis, poteſt ubilibet beneficia ſacra Clericis extraneis impertiri.

(a) *Diana p. 3. tr. 1. reſ. 26. §. ex his*.

9. Alibi docuerat *Diana*, plurimorum Doctorum catervâ ſtipatus, *non eſſe licitum Regiis Miniſtris detinere in Cancellariis Bullas Apoſtolicas, ad examinandum, & executioni mandandum*. Sed quatenùs in eis ſit vitium, recognoſci quidem poſſe; verum hoc fieri debere à Tribunali eccleſiaſtico, non à laico (*b*). Et quià adversùs illum talia dictantem, acritèr colluctatus fuerat Joannes del Caſtillo Sotomajor; Diana iterùm calamum ſtringit, & in eâdem ſententiâ fortius ſe confirmat: quod agens, arguit contrà ſe hoc modo: *Sed dices, cum cuilibet datum ſit ſe defendere, & illæſum ſervare; & Rex jus habeat ex privilegio à Pontifice conceſſo, ut nemini externo beneficium, aut penſio eccleſiaſtica concedatur, illiſque compertum ſit, hoc jus ſæpè ſubreptitiis literis derogari, jure ipſo naturali videtur illis conceſſum poſſe hoc damnum, & iniuriam, præcavere. Neque contrà voluntatem Pontificis videntur procedere, ſed potius ſe illi conformare: non enim credendum eſt, Pontificem velle ſubreptitias literas effectum habere* (*c*).

(b) *Diana p. 1. tr. 2. reſ. 13.*

(c) *Diana par. 9. tr. 4. reſ. 14.*

10. His tamèn, & aliis, quæ ibidem ſuperſtruit, non obſtantibus, mordicus negativam tuetur, quià *Pontifex in Bullâ Cœnæ, omnia maturo judicio conſiderans, omneſque prævidens rationes, quæ prò contrariâ parte facere poſſunt; nihilominùs illas omnes exprimens, illiſque non obſtantibus (ut videre eſt in eadem Bullâ, maximè ad illa verba, etiam prætextu violentiæ, ſeù ut ajunt ad nos informandos) excommunicat omnes, & quaſcumque perſonas, quæ quocumque prætextu retardaverint in ſuis Cancellariis Bullas Apoſtolicas &c. Nec textus à Sotomajore adducti faciunt prò ſuâ ſententiâ. Nàm fateor Summum Pontificem nolle ſua reſcripta, ſi veritati non nitantur executioni mandari; ſed non ex hoc ſequitur, illa à laicis examinari poſſe. Quamobrem ſi dubitetur de validitate literarum Apoſtolicarum, vel etiam de illarum invaliditate conſtet, Laici Judices de hoc opponere poſſunt, coram eccleſiaſtico Judice* (*d*). Si igitur verè, & ſecundum juſtitiæ regulas, non eſt licitum ulli laico, quantumlibet potenti, Bullas Apoſtolicas retinere, etiam ſub prætextu earum rectitudinem perpendendi, prò repellendis extraneis, etiam in locis, quę indulto Pontificio fruuntur, extraneis obſiſtente; quid dicemus de Regione Contradictorum, tali indulto carente?

(d) *Diana par. 5. tr. 1. reſ. 12. §. hinc & §. Nec.*

11. *Fernandus Rebellus* Lamacenſis in Luſitaniâ, Societatis Jeſu, in ſuo opere de obligationibus juſtitiæ, & religionis, agitat quæſtionem, an lethalitèr peccent collatores beneficiorum, minus dignos dignioribus præferendo: & prò primâ concluſione ponit hanc, quod *nulla ſubeſt obligatio quærendi digniores ex alienâ Eccleſiâ ad beneficia vacantia (ſi modo Epiſcopatus excipias, de quibus poſteà) ſed ſatis erit eligere digniorem intèr eos, qui ſunt Eccleſiæ ejuſdem, modò non ſit indignus, quamvìs ſit minus dignus, reſpectu alterius de alienâ Eccleſiâ, juxtà, cap. Metropolitano diſt. 63. & alia jura* (*e*). Notetur autèm primò, quod Auctor docet quidem, nullam eſſe *obligationem* accipiendi digniores ab alienâ Eccleſiâ, ſed non dicit, quod non *poſſint* digniores ab alienâ Eccleſiâ deſumi. Sentit ergò, quod etſi collator non teneatur quærere Clericos magis idoneos ex alienâ Eccleſiâ, poteſt tamèn, ſi vult, ex illâ eoſdem accerſere, & beneficiis eccleſiaſticis inſignire: hocque nobis eſt ſatis. Secundò quod in Epiſcopalibus beneficiis diſtribuendis, collator, nedum poteſt, ſed etiam tenetur, digniores ex alienis locis accire.

(e) *Rebel. par. 2. lib. 3. q. 4. §. primo.*

12. Ponit indè ſecundam concluſionem, in hoc ſiſtentem, quod ſi quis inſti-

tuit de bonis propriis eccleſiaſticum beneficium, eâ lege, ut certo generi perſonarum detur, tunc minus dignus ex vocatis eligi poteſt, prętermiſſo digniore de non vocatis. Poſteà ſubjungit tertiam concluſionem, idipſum diſponentem, in inſtitutione Clerici, à patrono præſentati. Demùmque hanc quintam firmat concluſionem: *Extrà prædictos ſecundæ, & tertię concluſionis eventus, peccatum eſt lethale regularitèr digniorèm prætermittere quoad beneficia curata*, inhærendo auctoritati D. Thomæ (*a*), Silveſtri, Gabrielis Biel &c. (*b*), & præſertìm Concilii Tridentini, decernentis (*c*), inquit, *quam exactè quærendus ſit dignior ad Epiſcopatum, proptèr quod decretum dixi ſuprà, non ſatis eſſe eligere digniorem intèr dignos ex Clero ejuſdem Eccleſiæ, proùt facere ſolent Reges in Epiſcoporum promotione &c.* (*d*). Itàque ad curata, & maxime ad Epiſcopalia beneficia, nedùm poteſt, ſed etiam quæri debet extraneus dignior; ad alia verò minora beneficia quæri poteſt, ſed non debet extraneus dignior, cui prębenda vacua committatur. In poteſtate ergo eſt Papæ, Epiſcoporum, & aliorum, qui beneficia diſpenſant, Clericos extraneos ad beneficia vocare, junctìmque judicare, an hìc, & nunc, dum quodlibet beneficium conferendum eſt, dignior ſit indigena, vel extraneus.

(a) *S. Thom quodl. 6. ar. 9.*
(b) *Sylveſt V. electio Gabr. in 4 diſt. 25. qu. 7. ar. 3 corol 1.*
(c) *Conc. Trid ſeſ. 24 c. 1. & 18.*
(d) *Rebel. loc. cit §. 2. 4. & 5.*

13. *Homobonus de Bonis*, Inſuber, Cremonenſis diœceſis, Clericus Regularis S. Pauli, in ſuis Commentariis de examine eccleſiaſtico, tractans de promovendis ad Diaconatum, dicit eos eſſe debere ex propriâ congregatione, ſivè diœceſi, vel loco, ſubdens: *Non tamèn perſonarum acceptio cenſebitur, ſi ad Eccleſiarum ſervitium illi aſſumantur, qui ejuſdem nationis, ac patriæ ſunt, quià hi ut plurimum Eccleſiæ, & loco, ubi educati ſunt, utiliores eſſe ſolent. Undè & communitèr Doctores aſſerunt, idoneum de eâdem civitate, vel de gremio Eccleſiæ, vel ſi de fundatoris genere fuerit, magis idoneo extero præferendum eſſe* (*e*). *Et eiſdem rationibus innituntur conſuetudines, & Statuta aliquarum provinciarum, ac diœceſum, de non conferendis eccleſiaſticis dignitatibus, niſi ejuſdem nationis viris, nec aliis beneficiis, niſi ex eodem loco oriundis, vel ſaltèm cæteris paribus alienigenis præferendis* (*f*). Quibus verbis oſtendit Auctor, Clericos indigenas eſſe extraneis præferendos; non tamèn abſolutè, ſed ſolummodò cæteris paribus: in quo & nos cum Contradictoribus convenimus, modo cæterorum hæc paritas ſit à beneficiorum diſtributoribus judicanda. Sed eundem Auctorem adhùc audiamus.

(e) *Gonzal. ad reg 8 Canc. gloſ. 4. num. 118. Praſec prax Epiſ p. 2. c. 5. num 19.*
(f) *Homob. de bon. tr. 4. c. 6. qu. 45. §. ſecunda.*

14. Proſequitur enim: *Sicut beneficia in Urbe, & ejus diſtrictu exiſtentia, Romanis civibus conferri debere juſſit Leo X. in Bullâ incipiente: Dum ſuaviſſimos. Et Gregorius XIII. Bononienſes exteris præferendos eſſe ſtatuit, in Conſtitutione incipiente: Ingenita Nobis. Verùm, quià gratia naturam ſuperat, ubi alius uſus viget, religiosè obſervandus eſt; modo (quæ majoris eſt ponderis) tertia adſit conditio, ut ſcilicèt boni teſtimonii vir eligatur, cujus nempè vita ex anteactis operibus ſit commendata* (*g*). Quâ doctrinâ benè perpensâ, intelligimus, Primò, quod extranei non ſunt à beneficiis eccleſiaſticis repellendi, niſi cæteris paribus cum indigenis. Secundò, quod ſicubi abſolutè ſunt excludendi, hoc non poteſt niſi à privilegio Apoſtolico provenire id ex gratiâ locis peculiaribus indulgente. Tertiò, quod ubi aliàs uſus viget, extraneos promiſcuè cum indigenis admittens, is eſt religiosè obſervandus. Hæc tria ſeriò ponderent Contradictores, & poſteà dicant, quantum fundamenti, & rationis obtineat eorum tàm urgens contentio, quâ nituntur Clericos extraneos ab eorum Regni beneficiis eccleſiaſticis elongare.

(g) *Homob. loc. cit. §. ſecunda.*

15. *Cornelius Cornelii à Lapide*, Belga, diœceſis Leodienſis, Societatis Jeſu: vir tàm doctrinâ: quàm pietate præclarus, ſuiſque operibus toto orbi notiſſimus (*h*), Commentariis illuſtrans epiſtolam D. Jacobi, ſcribentis: Fratres mei, nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri Jeſu Chriſti glorię. Etenim ſi introjerit in conventum veſtrum vir, aureum annulum habens in veſte candidâ, introjerit autèm, & pauper in ſordido habitu: Et intendatis in eum, qui indutus eſt

(h) *Anton. Baldaſſar. Compend. riſtret. in Cornel. à Lap. f. 42.*

veſte

Digitized by Google

veſte præclarâ, & dixeritis ei: Tu ſede hìc benè: Pauperi autèm dicatis: Tu ſtà illìc, aut ſede ſub ſcabello pedum meorum: nonnè judicatis apud voſmetipſos, & facti eſtis judices cogitationum iniquarum (*a*). Hæc verba, inquam, D. Jacobi commentando Cornelius inquit: *S. Auguſtinus epiſtolâ 28. hanc ſententiam Jacobi refert adeos, qui ad Epiſcopatum, alioſque ordines, & beneficia promovent conſanguineos; amicos, aut divites, poſtpoſitis exteris, & pauperibus, licèt dignioribus: quibus proindè ſit iniuria æquè, ac Eccleſiæ, quæ jure majus decus, majuſque auxilium à dignioribus expectabat.*

(a) *Jacob. c. 2. num. 1. & c.*

16. Indè ſubſequitur: *Hoc eſt peccatum mortale, uti docet Leſſius, Benedictus Juſtinianus, & alii* (*b*). *Undè graviter vetatur à Concilio Tridentino ſeſ. 24. c. 1. de reform. Verùm S. Jacobi ſententia generalis eſt, & omnes perſtringit, qui quocumque modo divites præferunt pauperibus, hoc ſolo nomine, quod divites ſint: ſivè id fiat dando eis honoratiorem locum in templo, menſa, conſeſſu publico: ſivè in judiciis, favendo plus amicis, quam exteris: ſivè in vectigalibus, aliiſque oneribus, gravando magis pauperes, quam divites: ſivè in diſtribuendis officiis, & beneficiis, dando illa cognatis, licèt indignioribus &c.* (*c*). Textum generaliter loquentem, generalitèr exponit Cornelius; & quamvis in ſingulis quibuſque actibus, ab eo enumeratis, non ſempèr ſit culpa gravis: gravem tamen eſſe culpam indigitat, beneficia eccleſiaſtica deferre amicis tantum, conſanguineis, atque notis: & ea exteris denegare, extrà caſum privilegii, alitèr diſponentis; vel paritatis meritorum, exigentis, ut ſemper indigenæ in beneficiorum aſſecutione Clericis extraneis preferantur.

(b) *Leſſius de juſt. & jur. c. 32. dub. 1. Juſtinian. in Jacob. 2.*

(c) *Cornel. à Lapid. in Jacob. 2. 3.*

17. *Luiſius Turranus*, ex Regno Caſtellæ, Complutenſis, itidem Societatis Jeſu, in ſuis diſputationibus de Juſtitiâ, eandem tractans materiam acceptionis perſonarum, ſcribit ut ſequitur: *difficultas eſt, an ſint juſtę conſtitutiones aliquarum provinciarum, quibus ſtatuitur, ut quędam beneficia dentur ſolum naturalibus incolis earum provinciarum. Major in 4. diſt. 24. qu. 9. ad 1. videtur reprehendere has conſuetudines, & conſtitutiones; & ratio eſſe poteſt, quià hìc videtur committi acceptio perſonarum: poſſunt enim eſſe plures alii digniores. Contrariam tamèn ſententiam ſequuntur communitèr Doctores, Sotus, Salonius &c.* (*d*). *Et ratio eſt quià homines naturales ejus provinciæ communitèr utiliores ſunt ſuis Eccleſiis, & majori affectu, & benevolentiâ eas proſequuntur, majoremque proindè adhibent curam in regimine earum, & frequentiùs perſeverant in reſidentiâ, & pręſentiâ ſuarum Eccleſiarum: exteri verò non ità: facilè enim quærunt, & inveniunt cauſas, ob quas eximantur à reſidentiâ &c. & ideò reprobandæ non ſunt tales conſtitutiones in multis Eccleſiis receptæ, ſcientibus Epiſcopis, & Summis Pontificibus* (*e*).

(d) *Sotus de juſt. & jur. l. 3. qu. 6 ar. 2. Salon. 2. 2 qu. 63. art. 2. contr. 3.*

(e) *Luiſius Turrian. in 2. 2. D. Thomæ qu. 63. diſp. 22. dub. 3. num 12*

18. Notiſſimum eſt, quod Doctorum dicta pondus accipiunt ab auctoritatibus, quibus innituntur, & juxtà illas ſunt intelligenda (*f*). Turrianus autem vim potiſſimam ſuæ rationis, poſt congruentias adductas, fundat ſuper conſenſu, ſeù ſcientiâ, & patientiâ Summi Pontificis, cui & illam Epiſcoporum connectit: ſcientia autèm, & patientia ſuperioris, quę rationem habet conſenſus, in beneficialibus multum facit, quoad illorum diſpoſitionem (*g*): ergò ubi non eſt iſta ſcientia, & patientia, ſeù conſenſus Pontificis, Statutum repellens extraneos ab eccleſiaſticis beneficiis, eſt injuſtum. Sed in Regno Neapolitano, nequè eſt conſenſus, nequè eſt ſcientia, nequè patientia Pontificis, approbans ullo modo ſtatutum excludens extraneos: imò & inibi nullum eſt, nequè unquam fuit ſtatutum hoc diſponens: ergò benè cognoſcere poſſunt Contradictores, quantum fundamenti habeat iſta eorum contentio. Silemus quod præfatus Auctor, Luiſius, inquam, Turrianus paulò antè docuerat, licitum eſſe Cardinalibus eligere in Papam virum ex alienâ Eccleſiâ (*h*): Undè arguendo à majori ad minus (à quo ſolet eſſe validum argumentum, tàm affirmativè, quam negativè (*i*), & in caſu noſtro abſque dubio validum eſt, quidquid ſit interdum de aliis argumentationibus affirmativis, vel negativis

(f) *De Luca de uſur. diſc. 29. num. 13. de Jurepat. diſc. 19. num. 7.*

(g) *De Luca de Jurep. diſc. 63. num. 22.*

(h) *Turrian. ubi ſupr. dub. 4 num 4*

(i) *Vid Jur. & Doctor. ap. Barboſ. tract. var. loc. 67 num. 1. 2 3.*

gativis

gativis à majori ad minus, & è contrà) claré infertur, quod ſi licitum eſt aſſumere virum extraneum, illumque uſque ad beneficium Pontificale provehere; non eſt cur & extraneus non valeat beneficiis minoris ordinis inſigniri.

19. *Thomas Sanchez*, ex Hiſpaniâ Bætica Cordubenſis, paritèr Societatis Jeſu in ſuis opuſculis moralibus, dubium agitat *an ſint licita Statuta, ut beneficia alicujus Regni non conferantur niſi Regnicolis*, & poſt varia motiva, in contrarium allegata, mordicùs affirmativè reſpondet. Sed quomodò? En ejus verba: *Juſtiſſima, & ſanctiſſima ſunt talia Statuta, & omninò ſervanda, itàut nullo modo poſſit eligi dignior allenigena, ſed eligendus ſit dignior intèr naturales, & ſic in Hiſpaniâ cavetur l. 14. 18. 25. lib. 1. tit. 3. novæ recopil. ne ad beneficia hujus Regni, qualiacumque ſint, etiam præſtimonia, nec etiam ad penſiones conſtitutas ſuper hujus Regni beneficiis, admittantur alienigenæ, qui ſcilicèt non ſunt hujus Regni naturales: & aſſeritur ibi eſſe immemorabilem conſuetudinem in Hiſpaniâ de hoc; & eſſe privilegium Papæ Sixti, conceſſum Regibus Hiſpaniæ, ut ſinè illorum licentiâ, non admittantur exteri ad Hiſpaniæ beneficia* (a). Quod nedum verum eſſe de beneficiis ait, in titulum collatis; verum etiam de iiſdem in commendam conceſſis, quià etiam commenda eſt Canonicus titulus beneficii (b).

(a) *Sanchez opuſc. mor. l. 2. c. 1. dub. 8. n. 1. & 2.*

(b) *Idem loc. cit. n. 4.*

20. Et poſt relatos varios Canones antiquos in præſidium excluſionis præfatæ; ſubjungit: *nota circà hæc decreta &c. quibus præcipitur, ut originarius illius Eccleſiæ tantum eligatur in Epiſcopum, jam eſſe per contrarium uſum abolita, & ſic paſſim videmus fieri.* Et poſt quædam interjecta, memorat à Doctoribus non admitti, *poſſe fundantem ex ſuis bonis Eccleſiam, ſtatuere, ut ex certo genere perſonarum eligantur Parochi, ſed benè de ſimplicibus beneficiatis* (c): à quâ tamèn opinione ipſe Auctor in ſequenti dubio diſcedit (d). Unum eſt igitur, quod in ſententia Sanchez (quidquid ſit de fundatoribus beneficiorum, etiam parochialium, ex propriis bonis, cum reſtrictione collationis eorum ad certum genus perſonarum) excluſio extraneorum tota innititur Privilegio Pontificio, quo ſubſiſtente, ſtat juſtitia excluſionis extraneorum; eo deficiente, deficit quoque ratio ipſiuſmet excluſionis, & ità rem sè habere inquit in Hiſpaniâ, quià ibi adeſt diploma Sixti PP. IV. taliter decernentis: ergò ubi deeſt indultum conſimile, ceſſat jus præfatæ excluſionis; ſed Regio Contradictorum hoc neceſſario diplomate caret; ergò in vanum ipſi laborant, & evidenter contrà juſtitiæ debitum agunt, eandem excluſionem tanto conatu, totque contentionibus promovendo.

(c) *Idem ubi ſupr. n. 9. 10.*

(d) *Sanch. Opuſc. mor. l. 2. c. 1. dub. 10.*

21. *Thomas del Bene* Marubienſis, apud Salentinos in Regno Neapolitano, ſive in Siciliâ citra Pharum, celeberrimum Tractatum edidit, cunctis notiſſimum de Immunitate Eccleſiaſtica. In eo autem quæſtionem ponit, de quâ impræſentiarum eſt diſputatio, & ità in pondere, & menſurâ ſermocinatur. *Dubitatio X. An Statutum Laicorum, diſponens, ne beneficia eccleſiaſtica exteris dentur: Item Statutum diſponens ne ex illis beneficiis penſiones ſolvantur: Item Statutum diſponens, ne literæ Apoſtolicæ juriſpatronatus Laicorum derogantes, donèc Pontifex plenè inſtructus alitèr diſponat, admittantur, & ſimilia, ſint contrà libertatem eccleſiaſticam:* Et ad hæc omnia doctè reſpondet, ut ſequitur: *Affirmativè: tum quià nullus Laicus poteſt de rebus ſpiritualibus (qualis eſt materia beneficiorum) diſponere: tùm quià nullus Laicus poteſt habere jus præſentandi ad beneficia, niſi fuerit eì à Pontifice conceſſum: ergò multò minùs poterit habere jus excludendi à Pontifice præſentatos, niſi à Pontifice hæc excluſio concedatur. Vide Azorium 1. p. lib. 5. cap. 14. q. 3. Reginaldum in prax. tom. 2. lib. 30. tract. 3. c. 11. n. 160. Barboſam in Collect. tom. 1. lib. 1. tit. 5. c. 4. n. 7. & 8. Tamburinum de jur. Abbatum, tom. 1. diſp. 15. q. 19. n. 21, & Baldellum tom. 1. lib. 5. diſp. 36. n. 14. qui proptereà (ut infrà) rectè ſubdunt, quod non poſſint Principes præcipere, ut poſſeſſio beneficii ſinè licentiâ, & conſenſu ſuo, vel ſui Gubernatoris, vel Præſidis &c. non apprehendatur* (e).

22. *Obiicies, in Hiſpaniâ, Galliâ, & Flandriâ vigent hujuſmodi ſtatuta, & ſervantur; ergò &c. Reſpondetur, cum talium Regnorum Reges quam maximè pii,*

(e) *Del Bene de Immunit. cap. 8. dub. 19. f. 302.*

pii, & Religionis Chriſtianæ præcipui patroni ſint; credendum videtur, quod id faciant ex privilegio, quod ipſit Pontifex in remunerationem obſequiorum Sedis Apoſtolicæ, & totius Religionis Chriſtianæ conceſſerit; in cujus privilegii conſervationem condiderunt leges, quibus afficiunt graviſſimis pœnis, qui tale privilegium violare tentaverint. Et in hunc ſenſum ſalvo Covarruviam, qui in qq. pract. cap. 35. & 46. talia Statuta defendit. Cæterùm, an tale privilegium verè dictis Regibus fuerit olim conceſſum, modò per Bullam Cœnę, & per Bullam Urbani VIII. ſuper præſervatione jurium Sedis Apoſtolicæ &c. quæ incipit, Romanus Pontifex, non ſit revocatum, viderint (ut ſæpiùs dixi) qui affirmant. Salzed. tamèn de leg. Polit. lib. 2. cap. 15. per tot. præcipuè n. 90. affert diſpoſitionem Sixti IV. quoad hoc, ſcilicèt, quod beneficia in Hiſpaniâ aliis præterquàm indigenis non conferantur; & aſſerit illam (quo fundamento tamèn motus neſcio) in vim contractus tranſiiſſe, & ſic nullo pacto per Bullam Cœnę revocari.

23. *Idem cum Azorio 1. part. lib. 5. cap. 14. q. 4. dico ſecundò de eo, quod Regis Conſiliarii ſolent facere, nempè literas Apoſtolicas examinare, earumque executionem (quoſque compererint, nullum jus Regium, aut laicorum illis derogari) impedire, quod ſcilicèt id faciant ex privilegio, à Pontifice dictis Regibus conceſſo; ejuſmodi privilegium etiam, an olim conceſſum fuerit, & dato quod conceſſum fuerit, modò per dicta jura revocatum non ſit, ſimilitèr me remitto, quamvis opinionem, Reges hac viâ defendentium, non audeam damnare. Quod dixi, quià alia via, quà alii eos defendunt, mihi non probatur: fatentur enim iſti, quod Reges ex ſè nullum jus habeant ad recognoſcendas, & examinandas Apoſtolicas literas, ſint ne ſcilicet illæ dubię, vel certę: falſę, vel veræ: ſubreptitię, vel legitimæ, cum materia hæc ſit omninò ſpiritualis, & Eccleſiaſtica: ſed quià cuilibet datum eſt ſe defendere, & illæſum ſervare, & Reges, Patronique laici jus habent ex privilegio Pontificio, quod exteris beneficia, vel penſiones eccleſiaſticę non concedantur; & in facti contingentiâ ſæpè experti ſunt, hoc jus ſibi ſubreptitiis literis derogari; ſubdunt, quod jure naturali poſſint Reges hoc damnum, & injuriam ſibi præcavere; ità ut ſic faciendo contrà voluntatem Pontificis non procedant, ſed potiùs ſè illi conforment; cum credendum non ſit, Pontificem velle, ſubreptitias literas effectum habere.*

24. *Non, inquam, via hæc Regum partes defendendi mihi probatur; quià licèt verum ſit, ſi certò conſtet de ſubreptione literarum, nullam eſſe obligationem obediendi, nullumque peccatum committi in impediendâ executione illarum; tamèn quià antequam per Regios Conſiliarios id examinetur (quamvis illas ſæpè ſubreptitias reperiri contingat) non conſtat, an poſſint ob defenſionem proprii juris Regii Conſiliarii hanc examinationem præſtare, quià locus defenſioni non eſt, niſi prius de injuriâ conſtet: tum quià vel injuria eſt notoria ex ſe, vel ſolum ex Regii Tribunalis declaratione: non primum, quià donec literæ non fuerint examinatæ, non poteſt de earum ſubreptione, vel falſitate conſtare: non ſecundum, quià nemini datum eſt in causâ propriâ jus ſibi dicere; & quià illa declaratio eſt ab incompetenti Judice, ſcilicet à ſæculari in materiâ ſpirituali; & quià ad præmittendam dictam declarationem, debebat jam de injuriâ conſtare; cum in tali declaratione juriſdictio uſurpetur.*

25. *Ex his (ut rectè docent Peſantius tract. de immunit. Eccleſiaſt. diſp. 17. Azor. part. 1. lib. 5. cap. 14. q. 3. & Bonac. de legib. diſp. 10. quæſt. 2. punct. 1. §. 1. n. 13.) ſequitur quod non ſit liberum Magiſtratibus, & Judicibus Sæcularibus literas Pontificias, quibus beneficia exteris conferantur, rejicere, quamvis licitum ſit illis de talium literarum ſubreptione apud Judicem Eccleſiaſticum deponere: quin etiam, ſi in literis juriſpatronatus derogatio exprimatur, ad Summum Pontificem appellare, & interim dictarum literarum executionem impedire, modò id operâ Judicum Eccleſiaſticorum efficiant, & ſupplicationem coram Summo Pontifice legitimè proſequantur; quià (ut lib. de Parlamentis, dub. 4. ſect. 21. ſubſect. 7. probabam) poteſt Pontifex juripatronatus, etiàm laicorum derogare, ſi velit, & in hoc eis inju-*

riam

riam non infert, ſed jure ſuo utitur. Quapropter ſi Pontifex, non obſtante ſupplicatione laicorum expreſsè adhuc deroget juripatronatus illorum; debent Judices ſæculares Pontifici obedire, etiamſi Princeps nollet, & Statutum ejus eſſet in contrarium: niſi forſan metu gravi, cadente ſcilicet in coſtantem virum, exeuſentur, in caſu, quod id, quod à Principe fit, non fiat in contemptum Religionis, vel auctoritatis Pontificis, quià in hoc alio caſu, cum de jure divino vita contemni debeat, & meritò, quià eſt illa in ordine inferiori ad dicta, nullus metus excuſare poteſt.

26. *Idem dico quartè de Legibus, & Statutis, quibus cavetur ne quis poſſeſſionem alicujus Eccleſiæ, vel beneficii ſine facultate Principis, vel ſuorum Miniſtrorum apprehendat; quod ſcilicet id fiat ſimilitèr ex privilegio Romani Pontificis, à quo Princeps habet Collationem, & Inſtitutionem beneficiorum, vel privilegium, ut in ipſius Regno nullus exterus beneficium poſſit obtinere (ſic uti pratèr alios docent Martha de juriſdict. part. 4. cent. 1. caſ. 46. n. 8. & 14. & Duardus in Bullam Cœnæ, lib. 2. qu. 15. n. 59.) & non ex aliâ viâ, propter rationes dictas; & quià Eccleſia habet jus immittendi Clericos in poſſeſſionem beneficiorum, & Clerici ex tali Statuto redduntur timidiores, laici autem audaciores. Atque ità contrà Angelum conſil. 23. Camillum in diverſ. jur. p. 2. c. 2. n. 197. & Cutellium in Codice legum Sicularum in fin. libri c. 67. not. 70. n. 9. & de Immun. Eccleſ. lib. 2. c. 63. docent communitèr Doctores Martha, & Duardus in locis ſup. cit. Abb. lib. 1. conſ. 83. Felyn. in cap. Eccleſia S. Mariæ, de conſtit. n. 96. Ugolin. in Bullam Cœnæ, p. 2. c. 13. Peſantius de Immunit. Eccleſ. diſp. 10. Laderchius conſ. 103. n. 4. Baldellus tom. 1. lib. 5. diſp. 36. n. 14. Diana par. 5. tract. 1. reſol. 6. & Alterius de Cenſur. tom. 1. diſp. 16. lib. 5. & 6. ubi propterea rectè ſubdit, quod ſi poſſeſſio beneficii legitimè à Clerico capiatur independentèr à facultate Principis, nec Teſtes, nec Notarius, qui interfuerunt, pœnas Statuti incurrant. Quià quando Statutum non valet, pœna in eo appoſita non ligat, authen. Caſſa C. de Sacroſ. Eccleſ. & c. noverint, de ſent. excom.* (a)

(a) *Thomas del Bene de Immunit. loc. cit.*

27. Videtur hic Auctor dubitare de veritate diplomatum, quæ quibuſdam Regibus, aut Regnis memorat eſſe conceſſa ab Apoſtolicâ Sede, pro extraneis excludendis; nec deſunt alii quoque, qui in eodem dubio verſantur. Multa enim interdum ab Auctoribus aſſeruntur, in gratiam ſuæ nationis, vel ex alio motivo, quæ re verâ non ſunt. Sed cum hinc numeroſa ſeries Auctorum illa enuntient; indè nullibi ſinè indulto Apoſtolico denudari potuerit Eccleſia nativâ illâ libertate, quam ſecum habuit ab initio; vix credi poteſt, in Regnis illis prævaluiſſe repulſionem extraneorum alio modo, quam per viam diplomatum Pontificiorum. Quarè hac ponderatione intermiſsâ, perpendimus ex Thomâ del Bene, quod Sæculo Decimoſeptimo, in cujus medietate ipſe opus de Immunitate procudit, alia erat Regni Neapolitani ejuſque Incolarum opinio, quam hodie ſit illa Contradictorum, illorumque Clientum, circà libertatem Eccleſiæ in promovendo etiam Clericos extraneos ad eccleſiaſtica beneficia. Si enim ibi ſententia prævaluiſſet de iiſdem extraneis repellendis; profectò hic Auctor, uti origine, educatione, ac omnibus aliis rationibus, Regnicola; tam liberè, tam conſtantèr, tam efficacitèr, ea, quæ retulimus, non ſcripſiſſet; vel ei talia ſcribenti, fortè non defuiſſent à laicali poteſtate increpationes, perſecutiones, ac detrimenta, & merito quidem, ſi contrà conſcientiam, & veritatem ſcripſiſſet,

28. *Petrus Maria Paſſerinus*, Ordinis Predicatorum, de Sextulâ Inſuber, Theologus excellentiſſimus, nec minor Canoniſta, in ſuo pretioſo tractatu de electione Canonicâ, examinans qualitates in viris eligendis deſideratas, proponit dubium, *An eligere de gremio, vel de conventu; aut reſpectivè de civitate, vel diœceſi, vel provinciâ, ſit de neceſſitate, vel potiùs de honeſtate, & ità ut eligere extraneum, nec ſit peccatum, nec invalidum* (b). Ad quod reſpondet hoc modo. *Dicendum eſt, quod per ſe, & de jure communi Canonico non eſt neceſſe eligere de gremio, vel de patriâ, ſed eſt ſolum de honeſtate: & ideò electio extranei, facta à majori parte, ſi aliud non obſtat, eſt confirmanda:* Citatque plures textus, & Doctores ad hoc facien-

(b) *Paſſerin. de electione. c. 25. qu. 17. nu. 648.*

tes

tes (*a*). Eſt autem, inquit, de honeſtate eligere confratrem, vel concivem, vel compatriotam, multiplici ex causâ: primò quià iſti regularitèr magis diligunt Eccleſiam, ex quâ ſunt, quam extranei &c. Secundò, quià dignum eſt, ut qui pro Eccleſiâ laborant, magis de Eccleſiæ bonis, & præeminentiis, & honoribus gaudeant &c. Tertiò, quià qui ſunt de loco, cum unuſquiſque patriam ſuam diligat, & Eccleſiam, facilius inducuntur ad reſidentiam, quam exteri. Quartò quià qui ſunt de loco, magis ſunt noti eligentibus, undè eſt quod ſecuriùs poſſunt cognoſcere an apti ſint ad gubernium Eccleſiæ (*b*). Et poſt alias congruentias adjectas ſubjungit.

(a) *Cap. cum inter. 21. cap. cum nobis 19. cap. in cauſis 30. de elect. D Th. 2. 2. qu. 63. art. 2 ad 4. Gloſ. Innoc. Panormit. Turrecrem. &c.*

(b) *Paſſerin. ubi ſupr. num. 690.*

29. *Non tamèn proptèr hoc aſſerendum eſt, quod eligendus ſit dignus de Eccleſiæ, aut patriæ gremio, relicto exteriori digniori, ut abſolutè reſpondet Sigiſmund. d. dub. 33. Nàm & minus dignus comparatione dignioris non eſt dignus, & in Eccleſiarum gubernio, non perſonarum privatarum, ſed communis boni habenda eſt ratio, ideò ſemper melior eſt eligendus cap. qualis 8. qu. 3. Concil. Colon. 2. par. 1. cap. 9. Petrus de Ledeſmâ par. 2. tr. 7. cap. 2. concl. 7. dub. 16. Et licèt verum ſit, quod idem Sigiſm. num. 2. ex Salon. 2. 2. qu. 63. art. 2. controv. 3. advertit, ſcilicèt tutius eſſe eligere dignum, quem electores certiſſimè ſciunt eſſe talem, quam eum, quem ſolum probabilitèr credunt digniorem, hoc verum eſt, quià in eo caſu ille non eſt dignior, cum ejus dignitas ſit incerta, & alterius idoneitas ſit experimento comprobata, undè ſecuritas recti gubernii, ex parte ejus, qui eſt de collegio præponderat meritò extranei, de cujus probitate, & excellentiâ in gubernando, ſi adeſſet certitudo, ille præferri deberet ei, qui eſt de gremio Eccleſiæ, ſi ſolum probabilitèr haberetur ut dignior. An verò ſi cætera ſint paria præponendus ſit qui eſt de diœceſi, vel collegio, relicto extraneo, itaut peccatum ſit, & acceptatio perſonarum alitèr agere. Non carere hoc ſcrupulo affirmat Petr. de Ledeſmâ loc. cit. quem ſequitur Garzias par. 7. cap. 9. num. 19. Sed ſi attente res perſpiciatur, hoc erit verum, quià in hoc caſu, qui eſt de gremio, aut diœceſi, erit melior ex rationibus ſupra ponderatis, & præcipuè facilius reſidebit, & ex majori notitiâ melius gubernabit, & ex majori dilectione intenſius providebit bono Communitatis. Undè & benè idem Ledeſma advertit, malum eſſe conferre beneficia etiam valdè doctis, ſi illi non ſunt habituri reſidentiam in beneficiis, ſed illa adminiſtraturi ſunt per Vicarios: quod in beneficiis curatis valdè malum eſt, ſed loquendo per ſè, non eſt injuſtitia eligere, vel conferre beneficia diœceſum extraneis, ſi in extraneo ſint qualitates neceſſariæ, & non conſideretur in eo, vel ſola excellentia doctrinæ ſpeculativæ, ſed experientia regendi, & prudentia, & bonitas morum, & dominium paſſionum, & fervor charitatis, & alia, quæ ad officia eccleſiaſtica neceſſaria ſunt.*

30. *An etiàm hoc locum habeat in Regularibus, affirmat Sigiſmundus d. dub. 33. Verùm in his conſiderandum eſt primò, quod jura citata, de electione Epiſcoporum loquuntur. Et ſecundò, ſi loquimur de extraneo à Religione totâ, extraneus eſt ineligibilis, ut ſuprà probatum eſt, undè non poteſt eligi ad officia, & Prælaturas in aliquâ Religione, niſi qui illam eſt profeſſus. Sed ſi loquimur de extraneo à Provinciâ, vel Conventu, procedit ſupradicta honeſtas cum aliquâ proportione, nàm aliàs omnes, qui eandem Religionem profitentur, ſunt veluti de unâ diœceſi, cum ſub eodem capite, & quaſi Epiſcopo vivant, & longè major unio ſit inter illos, licèt ſint ex diſtantiſſimis Conventibus, quam ſit inter Clericos diverſarum, & vicinarum diœceſum, qui ſub diverſis Epiſcopis vivunt, & ſolum Summum Pontificem habent prò capite, & in Communiſſimis legibus Eccleſiaſticis conveniunt; cum Regulares ſub particularibus legibus, ex eodem obedientiæ voto, eidem Generali ſubdantur: undè omnes ſunt veluti Concives, & ejuſdem diœceſis, quamvis ad diverſas Provincias, vel Conventus pertineant. Et tandèm conſiderandum quod identitas, vel Collegii, vel Diœceſis, vel Civitatis, vel Provinciæ, per ſe ſola ſpectata, non facit, quin extraneus non poſſit æquè benè eligi, quià eſt conditio valdè extrinſeca, & ſolum attendenda, quatenùs ex ea redundat major utilitas reſpectu Eccleſiæ, cui eſt providendum, vel etiam majus quoddam meritum in eo, qui majores perpeſſus eſt labores prò*

Eccleſiâ, ideò quoddam majus jus habet fruendi ſtipendiis Eccleſiæ, ut benè conſideravit Cæleſtinus Papa Epiſt.1. cap.1. & relatum eſt ſuprà ex cap. nullus invitis 61. diſt. Per ſè tamèn loquendo eſſe de gremio, fundat honeſtatem, non importat neceſſitatem. Et in Regularibus ſpeciales leges cujuſcumque Religionis, & laudabiles Conſuetudines ſervari debent.

31. Nihilominùs dictum fuit, quod ſi eligatur extraneus, electio eſt valida. Quod tamèn intelligitur procedere, ubi non ſit Statutum ſpeciale, vel Conſuetudo, ut electio fiat de Collegio, vel Diœceſi, vel Regno. In quo caſu adhuc diſtingui debet. Nàm ſi lex, vel Conſuetudo eſt, ut electio ſit ipſo jure nulla, & ad inſtantiam alicujus caſſanda, ſi eligatur extraneus, tunc ſinè dubio electio extranei non ſubſiſtit, niſi quatenùs ex quo leges, aut conſuetudo ordinetur ad utilitatem eorum, qui ſunt de Collegio, vel de Provinciâ, iſti poſſunt renunciare juri ſuo. Tunc enim ex eo, quod eligunt extraneum, juri, quod ex illâ lege, vel conſuetudine competit, renunciare cenſentur, & indè in eo caſu electio facta à majori parte erit valida, nec erit caſſanda. Panormit. cap. Ne prò defectu num.7. de elect. Sed ſi lex, vel conſuetudo probibeat, ut electores juri ſuo renunciare poſſint, & omnino irritam velit electionem extranei, tunc juxtà leges, aut conſuetudines electio erit irrita. Neminem etiàm inferiorem Papâ poſſe ſuper hujuſcemodi conſuetudine diſpenſare in Regularibus, cum talis conſuetudo ſit rationabilis, tradidit ex Rebuff. in pract. tit. de diſp. cum Regularibus, num.1. Sigiſmund. de elect. d.33. num.4. ex cap. cum Singulæ §. probibeamus de prebend. in 6. & tradunt DD. ibid. & ideò contrà hujuſmodi conſuetudinem eligere extraneum non licet, nec validè ſit cap. cum dilectus de conſuetud. & ibi Gloſ. ver. conſtructum Biax. par. 1. cap. 4. num. 1. Paulus Caſtrenſ. conſ.305. num.1. lib.1. Rota in Taraconen. Sacriſtiæ 19. Martii 1601. coram Juſto, & dec.218. coram Gregor. XV. & in Seguntin. præeminen. 22. Martii 1604. coram Seraphin. quos refert, & ſequitur Sigiſmund. d. dub.33. num. ult.

32. Verùm quod non liceat Electoribus contrà legitimam Conſuetudinem eligere, hoc quidem verum eſt juxtà cap. cum dilectus, de conſuetudine, ſed quod in conſimili conſuetudine nullus inferior Papâ poſſit diſpenſare, non probatur, & maximè quantum ad Regulares, & præcipuè reſpectu Capitulorum Generalium, quæ poſſunt novas leges facere, & nedùm conſuetudines, ſed leges antiquas abrogare: hæc enim poterunt ſine dubio, etiam in eâ conſuetudine diſpenſare, ſi talis ſit, quam poſſint abrogare, ex communi Regulâ, ſcilicet, quod poteſt in lege diſpenſare, qui poteſt tollere. Quæ habetur ex D. Thomâ par.2. qu.97. art.4. & DD. ibid. & Suarez. lib. cit. de legib. cap.14. Capitulum autem Generale conſuetudines ſui Ordinis, non confirmatas auctoritate Apoſtolicâ, in totum tollere poteſt. Eſto igitur eſiet introducta conſuetudo in aliquâ Provinciâ, ut non eligerentur Prælati, niſi ex eâ; Capitulum Generale, quod ut habetur ex doctrinâ D. Thomę par.2. quæſt.90. art.3. cum repreſentet totam Religionem, poteſt leges condere, & abrogare leges, & conſuetudines, poteſt etiam in hujuſmodi conſuetudine diſpenſare. Et in ordine Prædicatorum poterit etiam hoc facere Generalis, qui habet poteſtatem ampliſſimam diſpenſandi ſuper legibus Ordinis, ut habetur in Gloſ. diſtinct.2. cap.9. §.6. lit. F. ibi. Similitèr quamvis generale Statutum Ordinis, vel conſuetudinem diù retentam, & communitèr in ordine approbatam, non poſſit Magiſter Ordinis auferre, poteſt tamen, ex rationabili, utili, vel neceſſariâ causâ in prædictis omnibus diſpenſare. Nèc obſtat cap. cum Singula, quià cum contineat Decretum Pontificium, non cadit ſub diſpenſatione Generalium, cum non ſit conſuetudo à ſuit introducta, ſed lex à Summo Pontifice conſtituta.

33. In eodem Ordine Prædicatorum, de Fratribus aliarum Provinciarum, hoc Avenione 1442. ſtatutum fuit, ut eligi poſſint tàm in Priores Conventuum, quam in Provinciales, & abrogatur conſuetudo, ab aliquibus introducta, ut non eligerentur in Priores, niſi filii Conventuum. Limitata poſteà fuit hæc facultas Romæ 1508. ibi. Volumus quod Fratres aliarum Provinciarum, niſi per triennium fuerint in Pro-

vin-

Digitized by Google

vinciâ, aut aliàs notoriè idonei habeantur, non præficiantur Conventibus, aut locis, aut fiant Magiſtri Novitiorum, aut Sacriſtæ, aut ſimiles adminiſtrationes habentes. Camill. par. 1. cap. 9. num. 13. *Fontana verb. electio Provincialis num. 11. & verb. electio Prioris num. 15. Undè in tantum prohibiti ſunt eligi filii aliarum Provinciarum, inquantum non ſint cogniti: quod eſt de jure communi, ut infrà magis explico. Statuitur verò tempus trium annorum prò hac cognitione habendâ, quod tempus nihilominus remanet arbitrarium, & ſinè dubio etiam Provinciales, immò & electores poſſunt decernere, an extraneæ Provinciæ filius notoriè ſit idoneus, etiam antè illud triennium, & ità illum eligere, etiam ſtatim, ac venit ad Provinciam, ſi ſit perſona cognita, & notoriè idonea (a).*

34. *Quæritur quinquageſimo octavo; An Superior ad quem, vel ex jure ordinario, vel ex devolutione pertinet conferre beneficium, vel Prælaturam, poſſit illam conferre extraneo. Non eſt quæſtio de Summo Pontifice, quià ipſe poteſt undecumque voluerit Eccleſiis providere cap. bonæ 23. de elect. in fin. Et ratio eſt, quià ad Papam pertinet plena diſpoſitio beneficiorum, cap. 2. de præbend. in 6. & quià nulla conſtitutio, aut Pontificia, aut Conciliaris ligat ipſum, cap. ſignificaſti, de elect. & cap. Innotuit §. quamvis eod. tit. De aliis igitur Superioribus loquendo, dicitur quod ubi adeſt lex, aut conſuetudo, ut beneficium, vel Prælatura non detur extraneo, eam legem, vel conſuetudinem tenentur ſervare. Hoſtien. & Panorm. num. 7. cap. nè prò defectu de elect. Turrecrem. ex Henric. cap. nullus diſt. 63. Nàm Leges, & Conſuetudines ſervari debent. Ubi tamèn Superior poſſet in lege, vel conſuetudine diſpenſare, poſſet diſpenſando extraneo beneficium conferre; ſivè etiam id facere poteſt de conſenſu Eccleſiæ, ubi qui ſunt de Collegio, vel gremio, poſſunt renunciare juri ſuo, & id faciunt, vel eligendo extraneum, vel conſentiendo, ut inſtituatur. Eſt autèm in hoc conſiderandum, quod ubi Collegium, vel Diœceſis, aut Provincia habet Jus, ut ejus beneficia non dentur extraneo, tunc extraneum inſtituere, eſt contrà juſtitiam commutativam, undè ſemper inſtitutio tamquam injuſta eſt nulla, & invalida. (b)*

(a) Pafferin. de Elect. c. 25. à num. 651. ad 657.

35. Allegavimus hìc Theologos *Italos*, *Gallos*, *Hiſpanos*, *Luſitanos*, *Siculos*, *Belgas*, & ſignantèr *Neapolitani* Regni nativos, ut pateat quam concors fuerit Sæculo Chriſti Decimoſeptimo Theologorum ſententia prò debito Clericos extraneos mixtim cum indigenis provehendi. Quorum Doctorum verba præciſa hìc inſervimus, ut lectoribus obvia ſint, pateatque quam efficax ſit eorum ſenſus, qui niſi per vim extrà propriam ſignificationem divellatur, aliud nunquàm poterit denotare, niſi, quod ubi deeſt Apoſtolicum privilegium, vel lex, aut conſuetudo immemorabilis, Pontificio aſſenſu munita; contra jus commune, omnemque juſtitiæ æquitatem promovetur iſta reſtrictio collationis beneficiorum ad ſolos indigenas, & excluſio extraneorum ab illis: prout Contradictores facere nituntur, intuitu ad Regnum Neapolitanum, nec diplomate, neque ſtatuto, neque conſuetudine præfati generis, communitum.

(b) Pafferin. ubi ſupr. à n. 658.

CAPUT XI.

In quo ex decem Canoniſtis *multæ famæ, qui* Sæculo Chriſti Decimoſeptimo *ſua ſcripta ediderunt, probatur libertas Eccleſiæ, in conferendo ſacras Prębendas, & Eccleſiaſtica Beneficia, tùm* Clericis *extraneis, tùm indigenis.*

SUMMARIUM.

1 *Canoniſtæ Sæculi Decimiſeptimi, & inter eos Barboſa multimodè favet libertati Eccleſiæ, in præficiendo etiam Clericos extraneos beneficiis.*

2 *Extranei repellendi non ſunt à beneficiis, niſi in locis, ex Apoſtolico indulto habentibus, ut ſolis indigenis debeantur.*

3 *Beneficia oriundis potius, quam exteris ſunt conferenda. Et etiàm Papa intendit cuilibet in diœceſi propriâ providere.*

4 *Nil proficit Contradictoribus, quod beneficia cæteris paribus ſint indigenis conferenda, niſi probent ea eſſe illis conferenda abſolutè.*

5 *Undecumque ſint Clerici, admitti debent ad beneficia. Et Statutum è contrà diſponens, illicitum eſt, ambitioſum, & contrà jus.*

6 *Ex quocumque loco, & natione veniant Clerici, ad beneficia ſunt admittendi, dummodò digni ſint, ut evitetur acceptio perſonarum.*

7 *In Portugalliâ, Caſtellâ, Navarrâ, & Franciâ dicit Barboſa inhibitum eſſe Clericis extraneis beneficia adipiſci.*

8 *De honeſtate indigenæ præferendi ſunt extraneis, quod plures Doctores aſſerunt, & nos quoquè affirmamus.*

9 *Æqualitas meritorum, & cæterorum paritas, à quibus dijudicanda ſit, & quę methodus in eâ rè ſit reſervanda.*

10 *Barboſa in loco à Contradictoribus citato, non loquitur tamquàm Doctor, ſed tamquàm Advocatus, ad opportunitatem ſuæ cauſæ.*

11 *Lex extraneorum excluſiva in Regno Neapolitano non eſt, neque privilegium Apoſtolicum, extraneos ipſos excludens.*

12 Proſper Fagnanus, *ex mente Baldi, aſſerit non valere Statutum Principis, ne electio fieri poſſit de extraneis.*

13 *Major libertas requiritur in electione paſſivâ, quam in activâ. Statutum excludens extraneos, eſt contrà jus.*

14 Ex Joanne Baptiſtâ de Lucâ, *bonum eſt Epiſcopatus dari extraneis: Nec non officium Vicarii, à quo ad beneficia valet argumentum.*

15 *In præficiendis beneficio, prælatio debetur indigenis ſolum de congruo, & cæteris paribus, non verò ex neceſſitate.*

16 *Ubi extranei repelluntur, id fit ob defectum indigenatus, non ut à lege requiſiti, ſed ut poſtulati à privilegio Apoſtolico.*

17 *Affirmat de Luca, rationabilia eſſe ſtatuta, excludentia extraneos, ſed loquitur de ſtatutis privilegio Apoſtolico munitis.*

18 Coſmæ Guymer *doctrina eſt, quod indigenæ, in beneficiis adipiſcendis, ſint extraneis præferendi, ſi idonei ſunt.*

Digitized by Google

19 *In dubio Papa providere intendit cuilibet in patriâ ſuâ. Princeps excipere poteſt contrà exsraneum rationabilitèr ſuſpectum.*

20 *Quamvis indigenæ ſint extraneis præferendi, tamen collatio extraneo digno facta, valida eſt.*

21 *Oſtenditur extraneos eſſe excludendos à beneficiis ſolum, ubi eſt Apoſtolicum privilegium, & cæteris paribus, non verò abſolutè.*

22 Jacobus Pignatellus *habet, invalidam eſſe electionem extranei in Abbatem, ſi Breve Apoſtolicum ſtatuat oppoſitum.*

23 *Pontifex decernere poteſt, ut electio fiat ex certo genere perſonarum, & coarctare electionem ad unum.*

24 *Totum jus repellendi extraneos à beneficiis, fundatur in diplomate Pontificio, quo carent incolæ Regni Neapolitani.*

25 *Ab* Emanuele Gonzalez *ſtatuitur, Alieneginas, inſcio Epiſcopo, non eſſe admittendos ad beneficia.*

26 *Varia motiva proponit, ſcripturalia, legalia, & politica, quæ favere videntur admiſſioni extraneorum.*

27 *Ex honeſtate tantum indigenæ præferuntur extraneis. Ad hos excludendos quędam nationes indultum Apoſtolicum implorarunt.*

28 *Dicit Henricum III. Regem Caſtellæ id impetraſſe à Sixto IV. & Reges roboraſſe hujuſmodi privilegium ſuis Pragmaticis.*

29 *Addit idem Gonzalez, etiàm alibi à beneficiis repelli extraneos, citatque Auctores talia referentes.*

30 *Et pluribus in locis hanc reſtrictionem beneficiorum ad ſolos indigenas obſervari. De illâque tractatum fuiſſe in Concilio Tridentino.*

31 32 *Oſtenditur, quod Gonzalez provectioni extraneorum ad beneficia favet, ubi ceſſat privilegium Apoſtolicum.*

33 *Nec benè trahitur hic Auctor à Contradictoribus ad eorum favorem, ob ea quæ ſcribit in cap. ad decorem, de inſtitutionibus.*

34 Hieronymus Gonzalez *aſſerit, diſpoſitionem, quod omnia beneficia ſint patrimonialia, eſſe contrà jus.*

35 *Statutum, conſuetudo, & privilegium excludens advenas eſt contrà jus, & prælatio extraneorum eſt de ſolâ honeſtate.*

36 *Ex Martâ Neapolitano edicere fas non eſt Principibus, nè Clerici beneficia ipſis in conſultis recipiant.*

37 *Incumbere tamen valent prò repellendis extraneis, ubi Pontificium indultum eſt, eoſdem arcens à beneficiis.*

38 *Concordant ergò Canoniſtæ cujuſcumque nationis, & præſertim Neapolitani, in aſſerendo debito admittendi etiam extraneos.*

1. CONSTANTEM ſenſum libertatis Eccleſiæ, in promovendo etiam Clericos extraneos ad eccleſiaſtica beneficia, Sæculo Decimoſeptimo, in quo verſamur, non ſolum docuerunt celebres Theologi, quos adduximus capitulo præcedenti, ſed etiam Juriſconſulti, ſive Canoniſtæ, qui eodem tempore claruerunt, unâ voce, uno ſpiritu, unâ dictatuum conſenſione clamantes, Eccleſiam in eâdem rè totalitèr eſſe liberam. Quorum ut aliquos hìc in propatulo proponamus primò loco adeſt *Auguſtinus Barboſa* nominatiſſimus Canoniſta Luſitanus, prius Eccleſiæ Collegiatæ Vimarenenſis in Portugalliâ Theſaurarius, & poſtcà Epiſcopus Ugentinus, provinciæ Hydruntinę, in Regno Neapolitano: qui cum clariſſimè prò libertate Eccleſiæ præfatâ loquatur, adhùc tamen, non ſinè admiratione perpendentium veritatem, à Contradictoribus in proprium ſenſum contorquetur: undè bonum erit illum in ſuis terminis perorantem audire. *Prælatus*, inquit, *inferior non*

non poteſt in ſuâ Eccleſiâ inſtituere Clericos non diœceſanos, ſine licentiâ Epiſcopi: & ſi inſtituat, Epiſcopus poteſt illos removere (a). Si hoc non poteſt abſque licentiâ Epiſcopi, ergò à ſenſu contrario, à quo optimum ſumitur argumentum (b), non ſecus ac ſi eſſet textus legis expreſſus (c), quoties accedat licentia Epiſcopi, optimè poteſt Clericus extraneus beneficiis eccleſiaſticis inſigniri.

2. Sequitur Barboſa — Indigenę, ſeu naturales, aliis præferi debent in proviſione beneficiorum, ſaltem de honeſtate: honeſtum enim eſt, ac rationi, & juri conforme, quemquam in patriâ ſuâ beneficiari; plures per Nicol. Garciam (d). Hinc colligit, quod ſi forenſis, vel alienigena, impetrat beneficium, non factâ mentione de loco ſuæ originis, ſeu de ſuâ diœceſi, gratia eſt ſubreptitia: cum Papa intendat cuique providere in patriâ ſuâ, de quo dixi commodius ad gloſ. in cap. ſi proponente ſupr. de reſcript.. Et in quibus Regnis exteri ex Summi Pontificis indulto beneficia habere non permittantur, dixi ad cap. bonæ memoriæ 4. de poſt. prelat. (e). Ex quibus patet, Barboſam in eâ ſententiâ eſſe, quod exteri repelli non poſſint ab eccleſiaſticis beneficiis, niſi in locis, diplomate Pontificio communitis: Ubi verò diploma ſimile deeſt, extranei non ſunt abſolutè à beneficiis eccleſiaſticis excludendi, ſed ſolum comparativè, idеſt in æquali concurſu meritorum: ità ut his in æquilibrio per Collatorem, vel Nominatorem poſitis; debeant indigenę Clericis extraneis, ex honeſtate præferri; in quo noſè quoque libenti animo convenimus. Sed hoc nihil prorsùs proficit intentioni Contradictorum.

3. Et quià Auctor ſe refert ad ſua ſcripta *in Cap. ſi proponente*, audiamus quid ibi dicat. — Si Forenſis, *ait*, vel alienigena impetrat beneficium, falsò dicens, ſe eſſe Clericum talis diœceſis, vel non factâ mentione ſuæ originis, ſeu de ſuâ diœceſi; gratia eſt ſubreptitia, quià in dubio Papa intendit cuilibet providere in diœceſi ſuâ. Abbas hic. Corſet. in ſing. verb. ſubreption. Sahag. in c. eam tè n. 26. hoc tit. Felyn. in cap. Sicut tuis col. 2. de Simon. Spin. in ſpec. teſtam. gloſ. 3. n. 34. Cabed. de patron. Regiæ Coron. c. 29. n. 4., & alii, quos refert, & ſequitur Nicol. Garcia de benef. par. 8. c. 9. n. 16. Rebuff. in tract. de pacif. poſſeſ. n. 217. &c. *& alii*. Nàm beneficia oriundis potius, quam exteris ſunt conferenda, ex Flamin. de reſign. l. 4. qu. 7. Azor. inſt. mor. p. 1. l. 6. c. 4. &c. cum aliis citatis per mè in collect. ad Conc. Trid. Seſ. 24. de ref. cap. 18. *Ubi habet*: Originarius idonejor judicandus, ac præferendus, ſi alter ſit extraneus, *& infrà*, diœceſanus in beneficialibus præfertur non diœceſano (f). *Et* de jure facilius providetur oriundis, quam extraneis (g). Idipſum fusè probat idem Barboſa in votis deciſivis, multimodis rationibus oſtendens debitum hujuſmodi prælationis (h).

4. Et hoc, uti ſuperiùs innuimus, nos non impugnamus, ſed illud ultrò fatemur: fatemur in æquali gradu meritorum, in concurſu comparis dignitatis, & ut communitèr dicitur, cæteris paribus, Clericos indigenas eſſe extraneis pręferendos. Verùm quid indè? quid prodeſt hoc cauſę Contradictorum? Oportet illos probare, quod extranei ſint à beneficiis eccleſiaſticis repellendi, non comparativè, ſed abſolutè: non cæteris paribus, ſed in omnibus, & per omnia, etiam in meritis inæqualibus: alioquin ſuâ prorſus intentione fruſtrantur. Et Barboſa, non admittens excluſionem extraneorum, niſi cęteris paribus, ad favorem noſtrum perorat, non ad utilitatem Contradictorum. Nàm ſi in diſtributione beneficiorum attendenda eſt graduatio meritorum; hæc non ab alio eſt dijudicanda, quàm ab illo, ad quem ſpectat beneficia conferre, vel ad illa præſentatos inſtituere: ipſius ergò erit definire, qui, & quales ſint digniores, meritiſque prævaleant; & in caſibus practicis an reſpectu talis, & talis beneficii, tunc diſtribuendi, habito reſpectu, tàm ad ipſum beneficium, quàm ad totam Eccleſiam generalem, dignior, magis idoneus, pluſque benemeritus ſit Clericus indigena, vel extraneus.

5. Sed non dimittamus Barboſam; adhuc loquentem. — Nèc certæ originis Clerici ſunt eligendi, ſed undecumque ſint, modò idonei exiſtant, ſunt admittendi: cap. ad decorem de inſtit. Camil. Borel. in Sum. omn. deciſ. tom. 1. tit. 6. n. 3., & ideò non

(a) *Barboſ. in cap te nobis de Cler. peregr.*
(b) *Jur. lyn DD. ap. Barboſ. tr. var. loc. 77.*
(c) *Riminald. conſ. 120. n. 49. Barboſ. loco cit. n. 1.*
(d) *Garcia de benef. p. 6. c. 9 à n. 3. ad 16.*
(e) *Barboſ. in cap. te nobis de Cler. peregr. n. 3.*
(f) *Barboſ. in Concil. ſeſ. 24. c. 18. n. 130.*
(g) *Idem in cap. Si proponente 42. c. 7. & 8 de reſcript.*
(h) *Barboſ. Vot. deciſ. l. 2. Vot. 31 à n. 2. ad 16*

non ſemel in Rotâ fuit dictum, Statutum prohibens Clericos forenſes admitti ad Capitulum, tamquàm illicitum, ambitioſum, & contrà jus, non tenere; & ſignantèr in Placentinâ admiſſionis ad Capitulum 26. April. 1585. coram Card. Blanchetto; & in Seguntinâ admiſſionis ad Capitulum 26. Junii 1587. coram b. m. Gypſio, & in eâdem 7. Julii 1610. coram b. m. Patriarcha Manzanedo, & in Toletanâ Confraternitatum 3. Decemb. 1618. coram b. m. Ubaldo. In quibus autem Regnis exteri, ex Summorum Pontificum indultis beneficia obtinere non poſſint, late dixi in Collect. ad cap. bonæ il 2. de poſtul. prælat. (*a*). Idem ipſe de concurſu in parochialibus habendo, expendens Concilium Tridentinum, ut innuimus ait, originarium non eſſe, niſi cęteris paribus, extraneo præferendum, quod & nos ut ſuprà confitemur (*b*). Et *in cap. b. m. de poſtul. præl.* notat, quod beneficia *oriundis potiùs*, quàm exteris ſunt conferenda, uti paulò infrà ex præciſis ejus verbis agnoſcemus.

(a) *Barboſ. Jur. Eccleſ. Univ. l. 3. c. 13. n. 117.*

(b) *Idem in Concil. Trid ſeſ. 24. c. 18 n. 130*

6. Fruſtrà itàque eſt, hujus inclyti Auctoria doctrinam à Contradictoribus torqueri, & prò poſſe hìc illùc impingi, ut vel per vim indigenis faveat, ad excluſionem extraneorum, cum nihil dilucidius, nihil clarius legi poſſit his quæ in *cap. ad decorem 5. de inſtitutionibus* eſt effatus, inquiens -- qui in Eccleſiis ſunt inſtituendi, non debent eſſe unius nationis tantum, ſed undecumque veniant, dummodò idonei exiſtant, eligendi ſunt &c. Notatur ad hoc, quod ex quodumque loco, & natione idonei ad beneficia eligendi ſunt, ut per Camil. Borel. in ſum. omn. deciſ. tit. 6. n. 3. Non eſt enim de jure attendenda quantum ad collationem, & proviſionem beneficiorum, exceptio perſonarum. Rot. deciſ. 24. n. 2. apud Farinac. in collect. novis, alias part. 4. diverſ. Maſſobr. in prax. haben. concurſ. pręl. 6. dub. 21. n. 37. Utrum autem valida cenſeri debeant ſtatuta; vel conſuetudines, quod beneficia oriundis conferantur, & non aliis, Vid. Rebuff. in prax. benef. p. 3. tit. de reſcript. mixt. in princ. à n. 6. & Gloſ. 1. & 2. & in tract. nomin. qu. 9. n. 48. poſt med., pluribuſque Doctoribus citatis addit. Rot. in Placentin. admiſſionis ad Capitulum 8. Aprilis 1585. coram Card. Blanchetto, & in Saguntinâ admiſſionis ad Capitulum 16. Junii 1587 coram bon. mem. Gypſio, & in eâdem 7. Junii 1610. coram Patriarchâ Manzanedo; in Toletanâ Confraternitatum 3. Decembr. 1618. coràm Ubaldo, in quibus deciſionibus fuit dictum, ſtatutum prohibens Clericos forenſes admitti ad Capitulum, tamquàm illicitum, & ambitioſum, & contrà jus, non tenere &c. Et poſt plurimos ibidem allegatos Doctores, ſic terminat -- In quibus Regnis exteri ex Summorum Pontificum indultis, beneficia obtinere non poſſint, dixi ad Cap. bonę il 2. de poſtul. pręl. (*c*).

(c) *Barboſ. in cap. ad decorem 5. de inſt. nu. 3. & 4*

7. Proſequitur Barboſa in dicto *cap. bonæ il 2. de poſtul. pręl. n.* 8. & ſub his terminis loquitur -- Ex Summi Pontific. indultis exteri in Regno Portugalliæ, ſinè Regis permiſſu, & literis naturalitatis, non poſſunt beneficia habere, ut refert. Cabed. de patronatibus Regiæ Coronę cap. 29. Gabr. Pereira de manu Regia tom. 2. c. 64. n. 30. cum ſequ. &c. Idem etiam apud Caſtellanos cautum eſt in leg. 18. ſequent. titul. 3. lib. 1. ord. ubi Perez. & leg. 14. tit. 3. lib. 1. novę recopilat. ubi Azeved. Covar. d. cap. 35. n. 1. Cevall. communium contrà communes tom. 4. qu. 897. n. 347. Cujus Regni Caſtellæ reputanrur naturales nati in Regno Navarræ, per regiam conceſſionem, quam refert Burg. de pace ad lib. 1. Taur. n. 451. Salzed. dic. cap. 56. n. 24. in novis edit. Nàm in Regno Navarræ etiam Summorum Pontificum diplomatibus, & Regiis legibus, idem obtentum eſt, ut in pragm. 2. & 3. lib. 1. ordinam. illius Regni. Et in Regno Aragoniæ perpetuo foro idipſum ſtabilitum eſt lib. 1. fori Aragon. tit. de Prælaturis, & aliis beneficiis. Anton. Oliban. in comment. ad uſaticum alium namque dè jur. fiſci cap. 13. num. 53. cum ſequ. Ferrer. in conſtit. Cataloniæ Gloſ. 2. n. 62. Ac etiam in Regno Franciæ, ut referunt Rebuff. de pacif. poſſeſſor n. 216., & in prax. de reſcript. mixt n. 7. Coſmas in proem. pragm. Sanct. §. Nàm Eccleſiarum verb. exterorum ad fin. Selva de benef. p. 3. qu. 26. Guillielm. in repet. in cap. Raynutius verb. & uxorem nomine il quinto n. 482. Carol. de Graſſal. lib. 2. Regal. Franc.

jure

Digitized by Google

jure 8. Nicol. Garcia de benef. par. 7. c. 9. n. 2. Valer. Reginal. in prax. for. pœnit. lib. 30 tr. 3. n. 160, & demum Sixtus V. in ſuâ conſtit. 64. &c. prohibuit admitti ad beneficia Regni Valentiæ alienigenas Regnorum Hiſpaniæ, in quibus ipſi Valentini ad ſimilia non admittuntur &c. Utrum autem valida debeant cenſeri ſtatuta, & conſuetudines, quod beneficia oriundis conferantur, & non aliis: Vid. DD. citat in collect. ad cap. ad decorem de Inſt. (*a*).

(a) *Barboſ. in cap. bonæ 2. à n. 7. de Poſtul. Prælat.*

8. Perperàmque perturbatur Doctrina Barboſæ, quaſi nedùm dè honeſtate; ſed etiàm de jure eſſe ponat in quodam Voto, quod beneficia Eccleſiaſtica dentur indigenis (*b*): Nàm loquitur comparativè, ſcilicet debere ipſa conferri potiùs indigenis, quàm extraneis, hocque cubitalibus literis aſſerit eſſe de honeſtate (quidquid ſit, an id etiàm dici poſſit aliquo modo de jure, vel ſecundum aliqua jura, quatenus aliqui canones, tametſi non præceptive, ſuggerunt electionem faciendam eſſe de gremio Eccleſiæ: nec non quatenus id quod honeſtum eſt, de jure eſſe dici poteſt, honeſtatem fovente,) Noſque ſanè concedimus de honeſtate eſſe, quod beneficia, cæteris paribus, dentur potius indigenis, quam extraneis. Sed hujuſmodi reſpectu præciſo, libertatem Eccleſiæ in beneficiorum diſtributione ipſe Auctor tuetur, uti percurrenti totam ejuſdem voti ſeriem (loquentem etiàm ibi principalitèr, non de beneficiis ſæcularibus) claro clarius eniteſcit. Concedimus, inquam, cum communi Juriſconſultorum opinione, beneficia eccleſiaſtica, cæteris paribus, eſſe potius indigenis, quàm extraneis conferenda, Gloſ. in cap. ſi proponente verb. de hoc. de reſcriptis, & in c. bonæ 2. verb. alienum de poſtul. prælat. Innoc. in c. quià diverſi de conceſſ. præbend. Odofred. in l. in Eccleſiis 11. C. de Epiſc. & Cler. Bald. in l. Divus Marcus ff. de tutor. & curator. Abb. in c. ad decorem de inſtit. n. 4, & in dict. cap. bonæ notab. 3, n. 16. Mandoſ. in reg. 16. Cancel. qu. 41. & 43. Lambert. de jure patron. l. 2. p. 3. qu. 5. art. 4. & 5. Corraſ. de benef. par. 3. c. 3. n. 9. Hoied. de incopat. benef. p. 1. c. 23. n. 83. Selv. de benef. p. 3. qu. 26. n. 2. Pariſ. de reſign. benef. l. 4. qu. 7. n. 3. Gonzal. ad reg. 8. Cancel. gloſſ. 9. §. 1. n. 37. Tuſc. de viſit. l. 2. n. 12, Borel. Sum. deciſ tom. 1. tit. 20. num. 163. Zerol. prax. Epiſc. p. 1. verb. beneficia §. 8. Perez. de Lara de aniverſ. l. 2. c. 3. n. 19. & 28. Oliban. de jure fiſci c. 12. n. 14. Azeved. tom. 1. lib. 1. tit. 5. l. 14. n. 1. Georg. Cabed. de juſt. patron. Regiæ Coronæ c. 20. Luc. de Pen. in l. quiſquis C. de omni agro deſerto lib. 11.

(b) *Idem in Votis deciſ. Vot. 33. lib. 2.*

9. Sed replicamus, hanc cæterorum paritatem, non à populo, & plebe, neque à viris dicatibus, & otioſis, qui optimis quibuſque rebus detrahunt, ſed ab ipſis diſpenſatoribus beneficiorum eſſe dijudiciandam. Qui, ut rite, & recte ſe gerant, non debent attendere nudam rerum ſuperficiem, neque ſolum intuitum ad perſonam aliquam, vel ad ſolam patriam habere; ſed reſpicere prius ad bonum univerſale totius Eccleſiæ; deinde ad bonum particulare Eccleſiæ illius, in quâ erectum eſt beneficium: poſteà ad merita ſingulorum Clericorum, ad ipſum beneficium aſpirantium; & videre quis eorum probitate morum, excellentiâ doctrinæ, ſervitute impensâ Eccleſiæ generali, vel particulari, nec non ætate, dignitate, prudentiâ, egeſtate, & aliis eccleſiaſticis qualitatibus, præpolleat. Et ex illis ſimul conſideratis judicare debet, an hic, & nunc, non in abſtracto, ſed in concreto; non ſpeculativè, ſed practicè, cum beneficium conferendum eſt; expediat majori ſervitio Dei, & Eccleſiæ bono, quod beneficium illud conferatur huic, vel illi: indigenæ, vel extraneo: ſimplici Clerico, vel Sacerdoti: viro in minoribus conſtituto, vel Prælato in dignitate poſito: hicque eſt verus modus de dignitate, relatâ ad beneficium conferendum, & configuratâ principalitèr ad ſervitium Eccleſiæ univerſalis, & poſteà etiàm particularis, nec non de benemerentiâ hominum, judicandi, & illorum merita remunerandi, non verò, prout de illis interdùm apprehendunt viri gregarii, vel vaniloquii, & fabulatores (qui utpote rerum magis intimarum ignari, ſæpè optimos putant, quos ſuperiores, peſſimos eſſe cognoſcunt: vel pro dignoribus pronuntiant, quos ſuperiores ipſi, attento Eccleſiæ ſervitio, aliiſ-

aliiſque rerum, temporum, & perſonarum circumſtantiis, pro minus dignis diſcernunt). Sinendum eſt ergò tutum rei judicium eiſdem Superioribus, qui conſcientiâ teſte, veritate duce, ac zelo pietatis, & juſtitiæ, atque ſervitii Eccleſiæ ſuggerente, definiant hic, & nunc, eſſe in beneficiorum proviſionibus præferendos hos, vel illos; indigenas, vel extraneos.

10. Cæterùm Barboſa, in præfato Voto, non ſcribit pro veritate, ſed tamquam Advocatus, ad opportunitatem cauſæ Equitum S. Joannis de Spathâ, prout ex toto contextu patet: Valdè autem differunt conſilia Doctorum, ſcripta ad veritatem, ab illis, quæ prolata ſunt ad cauſæ opportunitatem (*a*); Et ideo non eſt præferenda doctrina hic ab ipſo Barboſâ tradita, illi quam præbet in expoſitione canonum, qui Juris corpori ſunt inſerti: hìc enim loquitur tamquàm Doctor, ibi verò, tamquàm ſimplex Conſulens, & Advocatus (*b*). Quarè ſi ibi (*c*) docet, non poſſe Clericos extraneos à beneficiis repelli, niſi cæteris paribus, & in ſolis illis locis, in quibus ſtatuta, conſuetudines, legeſque Principum, ità diſponentium, innituntur diplomati Pontificio, excluſionem præfatam authorizanti, ac vim danti legibus laicalibus, quę, citra præſidium indulti præfati, nil omninò valerent, ut ipſę quoquè leges profitentur; contra veritatis, & ratinnis dictamen eſt, velle illius ſinceram doctrinam, & ſententiam expiſcari ex voto deciſivo, in contrarium allegato, poſtpoſitis iis, quæ tèr, & in tribus diſtinctis locis, pro veritate, & tamquàm Doctor fuerat elocutus. Hoc modo namque non veritas quæritur, ſed mendacium: nec ſincera opinio Doctoris in medium ponitur, ſed ſcriptio merè occaſionalis, quę illius animi nnn patefacit verum ſenſum.

(a) *De Luca de Servit. diſc. 49. n. 8.*

(b) *De Luca de Fideicom. diſc. 1. num. 18. diſc 81. n. 8. diſ. 243. num. 5.*

(c) *Barboſ. in cap. ad decorem de inſtit. & in c. bonæ 2. de poſtul. & jur. Eccl. univ. l. 3. c. 13. n. 217.*

11. Præterquàmquod ipſe Barboſâ in eodem voto pro quintâ ſcripturæ illius ratione allegat Doctrinam Soti, & Covarruviæ (*d*), aſſerentium, quod in Concilio Tridentino conſultatum eſt, de agendo; ut cuncta beneficia, præſertim curata, efficerentur patrimonialia, nec ad ea reciperentur niſi cives, & oriundi: & optantium, ut lex fiat generalis, vel ab Oecumenicâ Synodo, vel à Romano Pontifice, ità de beneficiis ipſis decernens (*e*). Ergò Barboſa fatetur, hanc legem nndùm fuiſſe factam in Eccleſiâ Dei, & ſicubi eſt, eſſe localem, particularem, privilegium tandèm contrà jus commune diſponens. Quarè quomodo quæſo Contradictores poſſunt hunc Auctorem ad eorum ſenſum pertrahere, ſi adverſus eos pluribus modis inclamat? Et juxtà hanc ipſam quintam rationem præfati voti ex eo argui non poteſt niſi hoç modo. In Eccleſiâ nondùm facta eſt lex generalis, quàm dicit Barboſa fuiſſe conſultatam, in Concilio Tridentino, & à Soto Theologo, à Covarruviâ Juriſconſulto fuiſſe optatam, ad excludendos Clericos extraneos ab eccleſiaſticis beneficiis: ergò hæc lex non viget in Regno Neapolitano: non enim vigere ibi poteſt lex, quæ nunquàm fuit à parte rei. Neque ibi viget ullum indultum Pontificium particulare, pro toto eodem Regno id præcipiens; ergò nullo modo, juſtitiâ mediante, repelli poſſunt ibidem extranei ab eccleſiaſticis beneficiis.

(d) *Sot. de juſt. & jur. l. 3. q 6. ar. 2. ant. 10. Concluſ. Covar. pract. quæſt. c. 35. n. 5. in fin.*

(e) *Barboſ. vot. dec. vot. 331. n. 18.*

12. *Proſper Fagnanus* de S. Angelo in Vado Picenus, nunc audiendus eſt, de quo in principio ejus operum ſcribitur, quod per tot, tantorumque virorum ora, & encomia, ejuſdem fama aucta fuit, cumulatque ſemper in diem, ut meritò credatur, illum pro normâ rectè, ſapienterque divini, humanique juris interpretandi regulas, orthodoxæ poſteritati à Deo optimo maximo datum fuiſſe (*f*). Hic in ſuis Commentariis ad libros Decretalium, ait — Baldus (*g*) determinat, non valere Statutum Principis, ut electio fieri non poſſit de extraneis, etiam ſi in patriâ inveniantur multi digniſſimi: quià, inquit, licèt hoc ſit honeſtum, tamen vulnerat libertatem, quià nimis arctat eam &c. Et in propriis terminis Conſtitutionis excludentis certum genus perſonarum ab electione paſſivâ addicitur Rota dec. 65. n. 6. par. 1. in recent. cujus hæc ſunt verba: Cum in electione requiratur ſumma libertas, & ab eâ longè debet abeſſe omnis coactio, & rectrictio cap. cum dilectus in fin. ibi. liberam habeant &c. Si facultas eligendi reſtringitur, ità ut certum

(f) *Paul. Balleonius in princ. oper. Fagnan.*

(g) *Bald. in c. cum terra. n. 6. de elect.*

tum genus perſonarum, imò una perſona eligi non poſſit, non dicitur libera electio l. nec ſolum l. imò ff. de opt. legat. in tract. de Schiſinate n. 12. &c. (*a*).

13. Adjungens -- præſertim quià major libertas requiritur in electione paſſivâ, quam in activâ, ut per Butrium hic n. 26. in primâ lectione, & num. 25. & & 45. in lection. & Imol. ſub. n. 1. Idem Butr. in cap. cum inter il 3. n. 11. de elect. Et facit, quod de jure quilibet poteſt eligi, & inſtitui dummodò ſit idoneus. cap. ad decorem de inſtit. Et propterea Statuta excludentia à beneficiis certum genus perſonarum, dicuntur contrà juſ. Butr. hic n. 38. cum duobus ſeq. in 2. lect. ſæpiſsime fuit in Rota reſolutum (*b*). Nec hujuſmodi Statuta ſuſtinentur, niſi quatenus concernunt præjudicium ſtatuentis (*c*). Et hæc fortè eſt una ex rationibus, propter quas validum eſt privilegium Papæ, ſivè per viam indulti, ſivè per aliam viam, reſtringens collationem beneficiorum ad ſolos indigenas, quià eſt præjudiciale Pontificiæ poteſtati, à quâ omnis fons liberæ collationis beneficiorum, tam ordinariæ, quam delegatæ dimanat (*d*). Fagnanus ergò docet expreſsè, prælationem, dandam indigenis in præjudicium extraneorum, non eſſe niſi *de boneſtate*, & cæteris paribus; Statutumque laicale, factum ad ipſorum extraneorum excluſionem, eſſe *contrà jus*, & hoc eſt quoquè id, quod nos aſſerimus, & quod totam molem Contradictorum evertit, juxtà hucuſque relata.

14. *Joannes Baptiſta Cardinalis de Luca* Venuſinus, provinciæ Eccleſiaſticę Acheruntinæ in Regno Neapolitano, vir toto orbe celebris, pluries in ſuo Theatro Veritatis, & Juſtitiæ doctrinam exhibet optimè ſuffragantem ſententiæ, quam tuemur. Nàm aliquando agens de Vicario, Epiſcopali Sede vacante, per Capitulum eligendo; ſenſum ſuum aperit in hunc modum -- Quemadmodum Epiſcopo præſente, atque ut plurimum extero, adhùc ob civicas æmulationes, ac factiones, injungitur neceſſitas habendi Vicarium exterum; multò magis fieri deberet Sede vacante, quoniam ità eligerentur famoſi Doctores, ac perſonæ, quæ ex aliis jam peractis muneribus in Regione ſint in magnâ æſtimatione (*e*). Duo hic agit Auctor iſte; nimirum primò laudat, quod in urbibus Epiſcopi *utplurimum* ſint *exteri*; per quod deſtruit intentum Contradictorum, quorum & ipſe Conregnicola fuit: & ſecundò ſuadet, ut Vicarii Capitulares de extraneis eligantur: quà in rè tametſi de Officio Vicariatus, non vero de beneficio eccleſiaſtico, proloquatur; tamèn quià ob officio ad beneficium validum eſt argumentum (*f*), ideo quidquid ibi pro extraneis effatur reſpectu ad officium Vicariatus Capitularis; locum quoquè habere debet, reſpectu ad eccleſiaſtica beneficia.

15. Ut nihilominus illius ſenſum in præciſioribus terminis habeamus; en quid aſſerit alio in loco. Agebatur de Prioratu Ordinis Milevitani, qui ſicut eſt dignitas (*g*), ità etiam eſt eccleſiaſticum beneficium, uti latè probat Doctores (*h*). Ad illud autem, cum aſpiraret Hieronymus Mamus, ex Inſulà Milevitanâ progenitus; de Luca illius benemerentiæ defenſor, adverſus quendam alium competitorem, intèr alias rationes, hanc quoque, favore ipſius Mami adducebat -- His addatur, etiam qualitas, quod eſſet Civis, ſeù Inſulanus, ac de familiâ nobili, ſatiſque Religionis benemeritâ: licèt enim in beneficialibus ex regulâ, quod apud Deum non eſt acceptio perſonarum, iſta qualitas civilitatis non raputetur neceſſariâ; attamen datâ æquali idoneitate, atque in concurſu, dicitur conſiderabilis, ac ſpecies etiam benemerentiæ, ob quam cæteris paribus, prælatio ſaltem de congruo debeatur &c. (*i*) Docet ergò quod indigenis prælatio datur ad beneficia conſequenda, non tamèn de condigno, ſed ſolum de *congruo*; non abſolute, ſed *cæteris paribus*. Docet inſupèr, quod qualitas indigenatus in beneficialibus non eſt *neceſſaria*; & quod hæc non facit benemerentiam veram, & rigoroſam, ſed tantum quandam *ſpeciem benemerentiæ*. Si ità eſt, prout ità eſſe, & ſemper fuiſſe per continuam ſeriem 17. Sęculorum, hucuſque probavimus; ubi nam ſunt illa jura divinum, naturale, & humanum, à Contradictoribus decantata, quæ arctant collationem beneficiorum ad ſolos indigenas? Quid eſt quod illa nunquàm ſciverit Joannes Baptiſta de

(a) *Fagnan. in cap. cum dilectus 8. n. 20. 21 de conſuet. l. 1.*
(b) *Fagnan. loc. cit. n 23. & n 24.*
(c) *Idem ibi. n. 29.*
(d) *Gonzal ad Reg. 8 Canc. §. 1. proem. n. 1.*
(e) *De Luca annot. ad Conc Trid. diſc. 31. n. 21.*
(f) *Barboſ. Tract. var. loc. 77. n. 21.*
(g) *Card. de Luca de benef. diſ. 69. n. 6.*
(h) *Barboſ. Jur. Eccl. univ. l. 3. c. 7. n. 3.*
(i) *De Luca de benef. diſc. 69. n. 12.*

Digitized by Google

de Luca, eorum Compatriota, qui & in ipſomet Regno cum illis natus eſt, & educatus, ac in eâdem urbe Neapolis ſtudiis diligentèr incubuit?

16. Alibi Doctor hìc celebratiſſimus aggreſſus eſt tueri jura Capituli Metropolitanæ Eccleſiæ Bononienſis, adverſus quendam, qui ſe civem illius urbis aſſerebat, cum Capitulum id impugnaret, eratque diſputatio, an Capitulum eſſet legitimus Contradictor, ad impediendam executionem literarum Apoſtolicarum, ſuper Canonicatu, per dictum prætenſum civem obtento. Et Cardinalis de Luca, ſcribens prò veritate oſtendit, quod licèt Capitulum non ſit legimus Contradictor in iis, quæ reſpiciunt validitatem gratiæ, à novo Canonico adeptæ, quatenùs Capituli non intereſt, quod Canonicatus uni, vel alteri conferatur; Tamen erat optimè talis in iſto caſu, quià proviſio in perſonam non civis præjudicium directè inferebat ipſi Capitulo, proptèr defectum qualitatis, ab ejus privilegiis deſideratæ in Canonicis: nàm Julius Papa II. Bononienſi urbi hoc indultum conceſſerat, *ut beneficia non niſi civibus conferri poſſent*, quod poſteà Gregorius XIII. & indè Gregorius quoquè XV. confirmaverat (*a*). Itàque de Luca totum jus repellendi virum illum à Canonicatu, refudit in defectum indigenatus, non ut à lege in eo requiſiti, ſed ſolum ut à privilegio poſtulati: quo privilegio ceſſante, extraneitas nullum illi prorsùs intuliſſet impedimentum prò conſecutione Canonicatus.

(a) *De Luca de beneſ. diſc. 93. num. 1.*

17. Qui pariter de Luca, licèt alibi affirmet, quod Statuta non conferendi beneficia niſi Civibus, dicuntur rationabilia (*b*); tamen quià hæc ſtatuta ſunt contrà jus (*c*), & ſunt de rè ſpirituali, quæ excedit poteſtatem laicorum: adeòque ſi ſtatuentes ſint laici, ſtatuta ipſa protinùs nulla ſunt: ſtatuendi enim poteſtas à juriſdictione regulatur (*d*); proculdubiò de Luca intellexit, vel de Indultis Pontificiis, vel de Statutis ſpecificè à Sede Apoſtolicâ confirmatis (*e*), quæ quòties tali confirmatione prædita ſunt, jam non dicuntur Statuta laicalia, ſed Papalia (*f*). Suntque rationabilia; tùm quià voluntas, ipſa & poteſtas Pontificis in beneficialibus ſtant prò rationabilitate, & ratione (*g*); Tùm etiam quià congruit, eſtque conſonum honeſtati, & rationabile eſt, quod beneficia potiùs indigenis, quam extraneis conferantur, quoties paritas concurrit in meritis, vel ſuperioris lex, vel ſtatutum, vel privilegium ità diſponit. Itàque de Luca multis modis animum ſuum aperit, impugnantem excluſionem abſolutam extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis, ſatiſque oſtendit, eos, non ſecus ac indigenas, eſſe ad eadem admittendos.

(b) *De Luca de Canon. diſc. 21. & 22.*

(c) *Fagnan. in cap. cum dilectus num. 24. de Convet. l. 1. de Luca de Regular. diſc. 42. num 15.*

(d) *Fagnan. c. quæ in Eccleſiarum num. 17. & 18. de Conſtit. l. 1.*

(e) *De Luca de Jurepatr. diſc. 67. num 12.*

(f) *Fagnan. in c. Antigonus num. 49. de pactis l. 1.*

(g) *Fagnan in cap. quanto num. 39. & 43. de transl. Epiſc. lib. 1.*

18. *Coſmas Guymer* Gallus, gloſſator celeberrimæ Pragmaticæ Sanctionis Caroli VII. Francorum Regis, de quâ ſuprà ſumus fuſius elocuti; & in quâ adverſus Clericos extraneos fortitèr declamatur, prò illis excludendis ab eccleſiaſticis beneficiis: Guymer, inquam, expendit ſingula verba ipſius Pragmaticæ, ac illa declarat, dilucidat, & exponit. Illùcque veniens, ubi textus inclamat, — Nàm Eccleſiarum, & beneficiorum eccleſiaſticorum peculia manus occupant indignorum, & non nunquam exterorum; *ad ly* exterorum *ità profatur* — Secundum inconveniens id eſt Alienigenarum, qui non ſunt de Regno oriundi, quibus ſunt præponendi indigenæ, ſi idonei ſint. tex. not. in c. nullus invitis 63. diſtinct. quamquam loquatur in Epiſcopis, ratio tamen tex. eſt communis ad aliena beneficia. facit l. in Eccleſiis C. de Epiſcopis, & Clericis. infrà de col. capitu. 1. §. ſtatuit ibi de ipsâ diœceſi, & alii. ar. ex ordine literæ, ubi præferuntur de diœceſi indigenæ extraneis. c. hortamur, 71. diſt. cum ubi not; & per Archi. c. fi. de cler. peregr. per quæ jura dicit Hugo in ca. ſignificaſti. de jure patr. quod patronus neceſſe habet præſentare Epiſcopo Clericum ejuſdem diœceſis. Sed Hoſti. ibidem dicit, quod hodie de conſuetudine poteſt præſentare Clericum undecumque originem duxerit: dum tamen ſit idoneus. Pan. dicit in c. ad decorem de inſti. quod eſſet valdè honeſtum, & fructuoſum, ut quiſque in patriâ ſuâ beneficiaretur: ut ſic unus non occuparet beneficia, vel ſtipendia alterius, nec daretur materia depauperandi beneficia; & quià inducuntur faciliùs ad reſidentiam tales indigenæ, quam extranei (*h*).

(h) *Coſmas Guymer in Pragm. Sanct. 10. 2. §. exterorum fol. 35.*

19. Addit hac de rè haberi -- text. in extrà. Jo.22. Execrabilis ibi,in diverſorum Regnorum partibus &c. ubi dicit Geſ. quod contrà promotionem, quæ fieret ad dignitatem unius Regni de regnicolâ alterius Regni, admitteretur exceptio Domini temporalis, ſi promovendum haberet ſuſpectum de proditione terræ ſuæ, vel conſiliorum, & ſecretorum ſuorum. ar. ff. de pæn, l. ſi quis aliquid §. transfugæ, de re milit l. omne §. exploratores de jurejur. petitio. no. Innoc., & Hoſt. de accuſ. ſuper his facit op. infrà de elec. verſi. veruntamen. cum ibi not. alieni enim Regni arcana ſcrutari non convenit C. de commer. & mer. l. mercatores. undè ſi forenſis, vel alienigena impetraret à Papâ beneficium in alienis partibus, non factâ mentione de loco ſuæ originis, & diœceſis, gratia eſſet ſubreptitia. gloſ. eſt ſingu. in c. ſi proponente de reſcript. quam ſeq. Panor. quià in dubio Papa intendit providere cuique in patriâ ſuâ; Ideò taciturnitas nationis reddit gratiam ſubreptitiam. Si enim expreſſiſſet nationem, Papa ſibi non dediſſet gratiam in partibus alienis, vel non ità de facili bo. text. in ca. bonæ. 2. de poſtula. præl. circa fin. ibl, nec vellemus ei præficere alienum. ad hoc c. 1. de Cler. pereg. c. Epiſcopum. 61. diſt.

20. Pergit ſubdens -- Et quamvis indigenæ exteris deberent præferri, valeret collatio ordinaria facta cuique, tamèn idoneo: ut in d. c. ad decorem .. ubi habetur, quod extranei poſſunt præfici, dùm tamèn idonèi: ſed ibi reprobatur Patriarcha Conſtantinopolitanus ex hoc, quod ſolum conferebat beneficia hominibus certæ nationis: puta Venetis tantum, quaſi illa eſſent eis debita, & hoc eſt contrà nonnullos Epiſcopos, qui ferè omnia beneficia ſuæ collationis conferunt ſuis Compatriotis.; & indigenis ſuarum diœceſum, & civitatum contemnunt providere. ad prædic. facit quod habetur in reg. Cancel. cap. quod ſi contingat Papam alicui perſonæ de parochiali Eccleſiâ providere, vel gratiam expectativam concedere, niſi dicta perſona intelligat, & intelligibilitèr loquatur idioma loci, abi Eccleſiâ hujuſmodi conſiſtit, proviſio, ſeù mandatum, & gratia deſupèr nullius eſt roboris, & momenti: & alia regula generalius loquitur, quod nullus expectativam gratiam extrà ſuam nationem impetret, niſi idioma, quod communitèr homines loquuntur ibidem, intelligat, & intelligibilitèr loqui ſciat. Et ut ferunt, Rex Francię habet privilegium, quod exterus, & alienigena non poteſt beneficiari in ſuo Regno, ſinè ejus permiſſione *(a)*.

(a) *Guymer loc. citat.*

21. Tàm amplis, numeroſiſque titulis Guymerius cauſæ admittendorum extraneorum ſuffragatur, ut vix quid ultrà valeat peroptari. Nàm dicit poſſe Clericum undecumque natum, dummodò idoneum præſentari ad eccleſiaſtica beneficia. Dicit indigenam non abſolute provehendum, ſed pręferendum, nempè cæteris paribus: quę adhùc prælatio ſi non fiat, eſſe validam collationem. Dicit inſupèr, quod eſſet expediens, quod unuſquiſque in patriâ ſuâ beneficiis muneraretur: hocque optativè pronuncians, ſatis apertè docet, nullam adhuc fuiſſe legem generalitèr editam, idipſum decernentem. Improbat Epiſcopos, qui ferę omnia beneficia ſuis conferunt compatriotis, & diœceſanos prætermittunt, nimirum quià mixtìm in utroſque debent eſſe ſinè diſcrimine liberales. Demùm (factâ indicatione, quod admitteretur exceptio Domini temporalis adverſus originarium alterius Regni, ſi illum haberet ſuſpectum de proditione: ſuſpectum videlicèt verè, rationabilitèr, & fundatè, non verò fictè, ſimulatè, & captioſè) concludit, quod in Franciâ excluduntur advenæ ab eccleſiaſticis beneficiis: quià Rex habet privilegium, quod exterus non valeat inibi beneficiis inſigniri, ſinè illius permiſſione. Quid eſt hoc autèm, niſi totidem vocibus inclamare, liberum eſſe acceſſum etiam extraneis ad eccleſiaſtica beneficia, niſi ubi Apoſtolicum privilegium, vel cæterorum paritas exigit, eos eſſe in caſibus particularibus excludendos.

22. *Jacobus Pignatellus* è Cryptaleis apud Salentinos, in Regno Neapolitano, Doctor jàm ſatis notus, & ubique *volitans per ora virûm*, in ſuis Conſultationi-

tionibus Canonicis, proponit hoc dubium: *An electio in Abbatem, facta in perſonam exteram contrà Breve Apoſtolicum, quo mandatur, ne Abbatia conferatur exteris, ſit valida. Et quidde electione coarctatâ ad oriundos, & nationales* (*a*). Statimque reſpondet, electionem ipſam eſſe *irritam, cum ſit facta contrà formam Brevis Apoſtolici, diſponentis, quod exiſtentibus oriundis, & nationalibus, Abbatia Religionis exteris conferri non poſſit, ſed ipſi oriunds, & nationales, de illâ provideantur, cum elauſulis annullativis, & irritantibus, quæ operantur nullitatem electionis ipſo jure, ac ſufficeret eſſe factam contrà legem Pontificis, ut ſit irrita, juxtà ea, quæ tradit Fagnanus, & Paſſerinus* (*b*). *Quod autèm valeat coarctatio electionis ad oriundos tantùm, & nationales, certum eſt, cum Doctores omnes indiſtinctè teneant, illam fieri poſſe ex conſuetudine à Capitulo generali cum conſenſu eligentium, aliiſque modis, ut tradit Paſſerinus, & Sigiſmundus à Bononiâ* (*e*).

(a) *Pignatel. tom. 10. Conſult. 27.*

(b) *Fagnan. in c. cum dilectus num. 56. de conſuet. Paſſerin. de elec. c. 2. qu. 3. num. 53.*

(c) *Paſſerin. loc. cit. num. 45. Sigiſm. à Bonon. de elec. dub. 52. n. 3 & 5.*

23. Tàm ſubdit: — At quandò coarctatio facta eſt à Papâ, neſas eſt de illius poteſtate dubitare, cum jus eligendi in electionibus canonicis, nonniſi à Sede Apoſtolicâ proveniat; ideoquè Papa non ſolum poteſt decernere, ut fiat electio ex certo genere perſonarum, ſed etiam poteſt illam coarctare ad unum, vel duos, ut per Caſtellin. de elect. cap. 3. num. 7. ubi excipit Papam, & latè Paſſerin. loc. cit. q. 1. n. 34. & ſeqq. Et omiſſis aliis, quod valeat hujuſmodi privilegium eligendi oriundos, & nationales tantùm, firmat cum multis Gonzal. ad reg. 8. Cancell. gloſſ. 4. n. 163.; ac ſæpiùs reſpondit Rota, præſertìm coràm Creſcentio deciſ. 4. de privileg. & in Majoricenſi indultorum coràm Merlino, intèr ejus impreſſas deciſ. 814., & in alia, quę non habetur intèr impreſſas, ſed eſt apud Dianam poſt ſextam partem, edita ſub die 16. Aprilis 1639. & in talia edita 16. Novembris 1640. coràm Peutingerio. Et hujuſmodi coarctationem eſſe honeſtam, & cultui divino proficuam, fusè oſtendit Gonzal. d. n. 163., & gloſ. 9. §. 1. num. 37. & ſeq. & §. 2. num. 45. (*d*).

(d) *Pignatel. tom. 10 Conſult. 27. num. 8.*

24. Vide quod Pignatellus, totum jus repellendi extraneos à beneficiis fundat in diplomate Pontificio: ergò ſupponit non dari decantata illa jura divinum, naturale, & humanum, per quæ Contradictores aſſerunt collationem beneficiorum ad ſolos originarios arctari; & certè ſi ea darentur, quod illa neſciverit vir, qui ſe Juris utriuſque, ac Theologiæ Doctorem, intitulat, non eſt credendum; quis enim rationabilitèr ſupponat Doctorem neſcire jura? Et quidem Doctorem, qui decem tomos typis impreſſit? Et jura non minutiora, ſed jus divinum, naturale, & humanum, in idem, ut prætenditur, collimantia? Oportet ergò hæc ſuppoſita jura non dari, nec ea fuiſſe nota Neapoli, nequè apud Salentinos, nequè in toto Regno Neapolitano, quandò Pignatellus ibi natus eſt, educatus, & ibidem eſt converſatus. Vide inſupèr admitti ab hoc Auctore prò valdè juſtâ reſtrictione electionis ad ſolos oriundos, ſed hoc intelligendum eſt, modo accedat approbatio Apoſtolica, & ut expreſsè ait, dummodò accedat conſenſus eorum, ad quos ſpectat eligere. Qui conſenſus non deeſt, cum Papa id ex indulto concedit, quippè cum ab eo in omnes collatores diffluat jus conferendi beneficia (*e*); ipſa ſola ejus voluntas, vel prò conſenſu ſtat, vel conſenſum ſupplet cunctorum. Oportet ergò, quod Contradictores doceant de conſenſu, dato per Epiſcopos, Abbates, alioſque Collatores, & Nominatores beneficiorum Regni Neapolitani, ne beneficia ipſa valeant niſi ad Regnicolas pervenire; ſimulque doceant de diplomate Pontificio his aſſenſum præbente, vel ex integro arctationem hanc decernente; ſi alterutrum habent, cauſam vicerunt, ſi neutrum, fodiunt iſthmum, inanitèrque laborant.

(e) *Hieron. Gonzal. ad reg. 8. Canc. §. 1. proœm. num. 9.*

25. *Emanuel Gonzalez* Hiſpanus, Doctor Salmanticenſis, clariſſimus Juris Canonici interpres, in ſuis Commentariis ad Jus Canonicum, quæſtionem, quæ inter nos, & Contradictores vertitur, expendit; ſivè de illius ſubſtantiâ fundamentalitèr ità effatur — Communitèr ex hoc textu ſequens deducitur aſſertio, peregrini,

&

& alienigenæ, inſcio Epiſcopo in alienis Epiſcopatibus ad beneficia admitti non debent, eam probat tex. in c. in nomine Domini 23. diſt. c. obitum. 61. diſt. cap. 1. & per totam diſt. 70. cap. Afroſ. 98. diſt. cap. oportebat. c. nullus 29. diſt. c. quam ſit 18. qu. 2. c. neminem 70. diſt. c. bonæ. el. 2. de poſtul. Præl. c. conſtitutis 46. de appel. c. quoniam de off. ordin. c. fundamenta §. dignè de elect. lib. 6. Celeſtin. PP. I. ep. 4. ad Galliæ Epiſcopos, ibi, tunc altèr de alterâ &c. & ſtatim: nec emeritis &c. Leo I. Ep. 88. & 100. Concilium Valentin. 3. celebratum an. 855. c. 7. ibi, ut in Clero, aut in diœceſi certè ipsâ, vel ſi opus ſit in viciniâ ipſius probata perſona quæratur, & eligatur. Julius Pont. in Apol. 2. prò Athanaſio, ubi reprobat Gregorii Cappadocis electionem in Epiſcopum Alexandrinum, quod nec Alexandriæ baptizatus, nequè cognitus eſſet. Refert Baron. an. 341. to. 5. pag. 517. Conſonant; de jure patricio textus in l. 15. tit. 13. partit. 1. l. 18. tit. 3. l. 8. l. 22. tit. 2. l. 1. ordin. l. 14. 18. & 25. tit. 3. l. 1. recopil. Illuſtrant Azor. to. 2. inſtit. l. 6. c. 4. qu. 40.
(a) Evan. Gonzal. ad c. ſe nobis 4. de Cleric. peregrin. Barboſ. vot. 33. per totum &c. (a).

26. Subjungit — Sed prò dubitandi ratione adversùs præſcriptam aſſertionem inſurgi poteſt ſequenti conſideratione. Apud Deum, & in ejus Eccleſiâ non eſt acceptio perſonarum habenda c. Deuteron. Apoſtolus ad Rom. c. 2. c. venerabile de præbendis, quià in omni gente, qui facit juſtitiam, acceptus eſt Deo, nec Sanctuarium Dei convenit jure hæreditario poſſideri &c. Dum n. literati, ac bonis moribus imbuti, eccleſiaſticiſque officiis apti ſint, debent ad dignitates, & beneficia eccleſiaſtica admitti, etiam ſi alienigenæ, & peregrini ſint; nàm ut Dominus apud Pſalmiſtam ait pſal. 88. memor ero Rahab, & Babylonis ſcientium me: Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Ethiopum, hi fuerunt illic &c. Accedit nàm rectè politicæ gubernationi expedit potiùs alienigenas, quàm proprios incolas, & cives admitti ad dignitates, & officia publica, ex ratione, quam reddit I. C. Paulus l. 5. ſent. tit. 12. his verbis, in eâ provinciâ, ubi quis originem ducit, officium fiſcale adminiſtrare prohibetur, nè aut gratioſus, aut calumnioſus apud ſuos eſſe videatur. Undè apud Romanos lege cautum fuit, ne quis in propriâ provinciâ publica officia obtineret l. nullis C. de off. Rector provinc. l. nullus C. de diverſ. off. l. 11. leg. 4. C. Theodoſ. de execut., & exactoribus. Quod primum conſtitutum fuit ab Antonino, ut tradit Xiphilinus, poſteà ab Anaſtaſio conſtit. Gręca, quæ deſideratur in rubricâ Codicis, ut nulli patriæ ſuę adminiſtratio permittatur, & à Gratiano, Valente, & Theodoſio in l. fin. C. de crim. ſacrileg. niſi ex Imperatoris liberalitate d. l. fin. notavit Gothofredus in l. 3. ff. de off. aſſerorum. Et apud nos nemo in propriâ civitate magiſtratum obtinere valet. l. 4. tit. 3. l. 3. Recopil. latè probant Bobadilla l. 1. polit. c. 12. n. 25. D. Jo. à Solorzano l. 4. de Jur. Indiar. c. 4. n. 88. ex politicis Navarete diſcurſ. 17. Betancurſ. in ſuo diſcurſ. polit. Scip. Amirat. in diſſert. ad Tacit. l. 11. c. 6. Forſterus ad ipſum pag. 131. Adrianus Junius to. 1. polit. qu. 5. Igitur non rectè in præſenti ſtatuitur, alienigenas; extraneoſque non eſſe inſtituendos beneficiis eccleſiaſticis.

27. Addit -- Quâ difficultate non obſtante, vera eſt præſens aſſertio, omnique juri, & rationi conſona. Prò cujus expoſitione ſciendum eſt, omiſſa illa à politicis ſatis vexatâ quęſtione, utrum exteris, & advenis imperia regna, publicaque gubernacula ſint committenda? quam latè examinant Politici: Scipio Amiratus, Forſterus, & Junius ubi proximè, Scorubornecius l. 2. polit. c. 5. Bernegerus ad Tacit. qu. 159. & 160. Adam Contzen. l. 9. polit. 1. 8. Petr. Greg. l. 4. de Repub. c. 5. n. 22. Steph. Garonius de Senator. l. 1. tit. 4. c. 2. (ut ad dignitates, & beneficia eccleſiaſtica noſtri Commentarii contrahamus vela) jàm à temporibus Celeſtini I. in d. c. 2. relato in c. nullus 62. diſt. conſtitutum eſt, nè peregrini Clerici, & extranei propriis civibus præponerentur, quod & firmarunt alii Eccleſiæ Pręſules in d. c. hortamur, & aliis juribus ſuprà citatis expreſſius Innoc. 3. in c. bonæ. 4. de poſtul. præl. in illis verbis, quià nemo de perſonis &c. quià adhuc exteri, & alienigenæ diſpenſante Epiſcopo, ideſt doctrinam, & mores eorum approbante, ad dignitates,

Digitized by Google

tes, & beneficia eccleſiaſtica admittebantur, ut liquet ex canonibus 71. diſt. cum tantum ex honeſtate, & congruentiâ prohibitum eſſet peregrinos, & extraneos in beneficiis eccleſiaſticis indigenis oriundis præferri; ideò ſingulæ Nationes curarunt ſpeciali lege ſibi cavere, & à Sede Apoſtolicâ privilegium impetrare, ut tantum oriundi ex eâ Natione ad beneficia eccleſiaſtica admitterentur (*a*).

(a) *Eman. Gonzalez. loc. citat.*

28. Proſequitur — Primò in Hiſpaniâ noſtrâ Henricus IV, Caſtellę Rex, jàm expulſis Saracenis à majori ejus ditionis parte, Sixto IV. Pontifici propoſuit, ut tantum naturales, originariique poſſint in Regnis ad beneficia eccleſiaſtica admitti: cui petitioni R. Pontifex annuens, & antiquorum veſtigiis inhærens; conſtituit ne in Regnis Caſtellæ exteri, alienigenæque, ſed tantùm Regnicolæ in beneficiis eccleſiaſticis inſtituerentur, ut conſtat ex l. 18. & 19. tit. 3. l. 2. ordin. l. 14. tit. 3. l. 1. Recopil. Referunt Mariana l. 14. de rebus Hiſpaniæ c. 16. Sanchez. tom. 1. lib. 2. c. 1. dub. 8. Salgado de ſuppl. ad Sanctiſſimum p. 1. c. 4. n. 26. &c. Poſteà idem ſuis legibus roborarunt Catholici Reges an. 1473. & an. 1523., & ſuâ pragmaticâ invictiſſimus Carolus V, tandèmque idem ſtatuit vigilantiſſimus Philippus II. anno 1560. ut conſtat ex l. 14. 16. & 17. tit. 3. l. 1. Recopil. Quandò autem dicatur quis Regnicola, & quomodò naturalitas conſequatur, aut Principis privilegio, aut diuturnâ habitatione, diſputant Valenzvela ubi ſupr. conſ. 34. & 105. Solorzanus d. cap. 29. n. 43. D. Franciſcus de Amaya in l. cives 8. n. 33. C. de incolis l. 10. Carleval. de judic. to. 1. qu. 2. diſp. 2. n. 68. Gulierez. conſ. 7. n. 7. Azeved. in l. 19. tit. 3. l. 1. Recopil. Garcia de benef. p. 7. c. 9. n. 31. &c.

29. Adjungit — Hoc idem obſervari in Sicilię provinciis refert Abbas D. Rocchus Pirro to. 1. Siciliæ Sacræ in Eccleſiâ Meſſanenſi an. 1418. In Angliâ idem olim obſervatum fuiſſe conſtat ex eleganti epiſtolâ Eduardi III. Regis Anglię ad Clem. VI. quam refert Alteſerra ad tit. de poſtul. Prelat. In Galliâ idem obſervari teſtis eſt Matthæus Pariſ. an. Chriſti 1245. ubi de Innoc. IV. ait eodem tempore cum vellet D. Papa quibuſdam prebendis Eccleſiæ Lugdunen. vacantibus quoſdam alienigenas conſanguineos, vel affines ſuos, inconſulto Capitulo, introducere; reſtiterunt ei in facie Canonici Lugdunenſes, comminantes, & cum juramento obteſtantes, quod ſi tales apud Lugdunum apparerent, non poſſent eos Archiepiſcopus, vel Canonici protegere, quin in Rhodanum mergerentur; quam Gallię praxim probant Dadinus Alteſerra de Ducibus lib. 2. c. 7. Rebuff. in prax. tit. de idiom. gloſ. 1. Chopinus l. 3. de Demanio Franciæ &c. In Ungharià d. cap. bonę. 4. In Boemiâ, & Poloniâ idem refert Schifordeg. tr. ult. qu. 4. In Regno Aragoniæ Caliſtus Ramirez de legibus Regiis §. 26. n. 64. In Luſitaniâ Cabedo de patronatu regio c. 27. Pereira de manu regiâ to. 2. c. 64. n. 30. Acunna in c. neminem 70. diſt. n. 9. In Regno Valentiæ, Seſſe to. 2. dec. 167. Apud Neapolitanos Maſſilienſes, & Venetos, idem refert Maſtrillus d. c. 7. & n. 60. Verum an populi omnes, civitates, & loca, quæ Auctor hìc aſſerit eſſe ſtipata diplomate excluſivo extraneorum, verè indulta ipſa poſſideant, non ſinè difficultate tranſit, cum intèr eos recenſeat Neapolitanos, qui ſi privilegio hujuſmodi muniti eſſent, illud in propatulo ponere non omiſiſſent, nec uſque modò contrarium fuiſſet in eorum Regno obſervatum.

30. Proſequitur idem Gonzalez: — Ex his conſtat, totius Chriſtiani ferè Orbis legibus, & moribus; ſtatutum obſervatumque eſſe, ut eccleſiaſtica beneficia non poſſint aliis conferri, quam iis, qui ex eodem Regno, vel Provinciâ, ubi beneficium vacare contigerit, oriundi ſint, imò in aliquibus provinciis, non ſolum ex eodem Regno, verum ex eâdem Diœceſi, ubi beneficia ſita ſunt, debent inſtituti: quâ de causâ ſimilia beneficia patrimonialia ſolent appellari, nec ſine ratione hoc apud tot gentes obſervatum eſſe, credi poteſt. Omiſſis enim variis traditis à Salcedo, ubi ſupr. de leg. polit. l. 2. c. 13. Schifordegero d. tr. ult. ea præcipuè conſiderare valet, quæ reſpicit commoda, quæ ſequuntur ex indigenarum, & incolarum prælatione, & incommoda, quæ proveniunt ex alienigenarum, & extraneorum inſtitutione (*b*). Conglobat hìc Gonzalez plura motiva expulſionem extraneorum ſuadentia; quibus tamèn

(b) *Eman. Gonzalez. in c. te nobis 4. de Cler. peregr.*

facilis

facilis eſt reſponſio, eaque in Tomo tertio Domino favente totalitèr exſufflabimus. Tùm adjungit, *His & aliis rationibus moti nonnulli Patres, in Concilio Tridentino congregati, propoſuerunt, ut omnia eccleſiaſtica beneficia cujuſcumque diæceſis, tantum diæceſanis conferrentur, ut refert Soto* (*a*).

(a) *Soto de Juſt. & Jur. qu. 6. art. 2. par. 10 Concluſ.*

31. Multa congerit Auctor hic, ſententiam noſtram roborantia. Nàm *primò*, dum ponit, inhærentèr ad textum, Clericos alienigenas non poſſe præfici Eccleſiis inſcio Epiſcopo, benè docet, quod ergò Epiſcopo ſciente, & conſentiente, præfici poſſunt, argumento ducto à contrario ſenſu (*b*). *Secundò*, pluries in decurſu ſermonis utens verbis *præponerentur*, & *prælatione &c.* oſtendit non deberi beneficia extraneis abſolutè, ſed ſolum in æqualitate meritorum, & ſic non eſſe excludendos extraneos, niſi cæteris paribus, in quo & nos conſentimus, modo, & formis alibi pluries explicatis. *Tertiò*, aſſerens poſſe alienigenas, diſpenſante Epiſcopo, ideſt eorum doctrinam, & mores approbante, provehi ad ſacra beneficia, jàm ex hac portâ patet exteris acceſſus ad illa, nimirum ſi cum eis diſpenſet, Epiſcopus, & multò magìs ſi Romanus Papa diſpenſet. *Quartò*, dicens quod Nationes curaverunt ſibi cavere ſpecialibus legibus, & privilegiis, ab Apoſtolicâ Sede impetratis, ut excludentur extranei, patefacit non habere locum hanc excluſionem, niſi in locis, ubi ſic præſcribit Apoſtolicum privilegium, quo ſinè neceſſitate Nationes ipſe non ſe muniviſſent (*c*).

(b) *Barboſ. tr. var. loc. 32 & ubi Jura & Doct.*

(c) *L. 5. C. de Theſauri 10 Barboſ. in cap. in his 30. n. 2. de privileg.*

32. *Quintò*, enuncians leges, editas prò eâdem excluſione ad effectum perducendâ, vel non intelligit leges laicales, ſed eccleſiaſticas; vel ſi alterutras, certè non alias, quam illas, à Sede Apoſtolicâ comprobatas, uti exemplificatur in legibus editis per Reges Hiſpaniæ, quibus *roborarunt* id, quod Sixtus Papa IV. adversùs extraneos favore Caſtellanæ Gentis indulſiſſe ſupponit. Et ità cum infert, *ex his conſtat totius Chriſtiani ferè orbis legibus, & moribus ſtatutum obſervatumque eſſe, ut eccleſiaſtica beneficia non poſſint aliis conferri, quam iis, qui ex eodem Regno, vel provinciâ &c. oriundi ſunt*; manifeſtum eſt, quod per ly *legibus*, & *moribus*, non intelligit niſi vel diplomata Apoſtolica, vel leges eccleſiaſticas, aut fortè etiam laicas, ſed indulto Pontificio ſubnixas, & mores ab eiſdem deſcendentes, ità ut tota vis, & legum, & morum in privilegium Papale refundatur. Præterquàm quod utendo verbo *ferè*, quod eſt diminutivum, & non firmat id, quod aſſeveratur, prò omnibus (*d*), indigitat, aliquas eſſe Nationes, & loca, tali indulto carentia: & quidem id verum eſt; unumque ex iſtis locis eſt Regnum Neapolitanum; de quo errat Maſtrillus, ab ipſo Gonzalez allegatus, ſi hoc, diplomate Pontificio, vel lege aliquâ generali à Pontifice approbatâ, munitum eſſe ſupponit; vel ſi res ità eſt, oſtendant Contradictores hanc legem, junctam diplomati Pontificio.

(d) *L. in omni off. de quæſt. Barbof. tr. var. dictiom. 134. n. 2.*

33. Sè demùm diffundit ipſemet Gonzalez in elidendo vigorem canonis *Ad decorem de Inſtitutionibus*: per quod Contradictores autumant, hunc Auctorem ipſis favere, ſed valdè gallucinantur. Quâ etiam de rè quidquid ſit, an idem Auctor exactè loquatur, cum de illâ nos fuſius, & magis ex propoſito ſuperius diſſerverimus (*e*), fruſtrà eſt hic aliud repetere. Percurrat lector ibi per nos aſſertam, & ſibi perſuaſus vivet, canonem illum validiſſimè tueri debitum admittendi Clericos extraneos quoque, unà cum indigenis, ad eccleſiaſtica beneficia, necnon de injuſtitiâ damnare ipſorum extraneorum excluſionem, ſed inutile eſt id his diutius immorari, cum & in a modificatio, qua Gonzalez canonem illum nititur emollire, non ad aliud perſpiciat, niſi ad inferendum, quod beneficia cæteris paribus, ſint potius indigenis conferenda, quam exteris (nec aliud enim inferre poteſt Gonzalez, ne tibi ſit contrarius) in hocque non opus eſt labore, quià & nos cum illo ſentimus; & ille prò nobis militat. Certè namque in æqualitate meritorum, indigenæ ſunt extraneis præferendi. Verùm hæc æqualitas, vel potioritas, non niſi à Collatoribus beneficiorum, vel ad ea Nominatoribus, eſt in contingentiis particularibus judicanda.

(e) *Vide ſuprà tom. 1 Secul. 13. cap. 37.*

34. *Hie-*

Digitized by Google

34. *Hieronymus Gonzalez*, itidem Hiſpanus è diœceſi Calaguritanâ, nominatiſſimus Commentator Regulæ octavæ Cancellariæ Apoſtolicæ, agens de beneficiis patrimonialibus, quæ in aliquibus Hiſpaniæ diœceſibus reperiuntur, ait, quod quamvis nullus textus in jure ſit, loquens de hac ſpecie beneficiorum; tamen juri cummuni conſonans eſt, quod beneficia potius conferantur naturalibus, incolis, & indigenis loci, ubi erecta ſunt, quam forenſibus, peregrinis, & extraneis, *licet reſpectu eorum, qui excluduntur* à beneficiis ex eo, *quod patrimoniales non ſunt, talis diſpoſitio contrà jus eſſe dicatur*. (*a*). Tùm addit de aliis beneficiis — Hinc cum valde honeſtum, & fructuoſum Eccleſiis, & divino cultui eſſet, ſi omnia beneficia efficerentur patrimonialia, ſummo omnium conſenſu fuit hoc conſultatum in Sacro Tridentino Concilio (*b*). Et hoc eſſe valdè honeſtum, & fructuoſam tradit Abbas in cap. ad decorem de inſtit. ſubdens, quod hac viâ beneficiati inducerentur faciliùs ad reſidendum indigenę, quam extraneį: & unus non occuparet beneficia, & ſtipendia alterius (*c*).

35. Subindè immediatè ſubjungit — Benè quidem verum eſt, quod tale Statutum, conſuetudo, ſeù privilegium, eſt expreſsè contrà jus commuue, cum Deus non ſit perſonarum, etiam ſorenſium exceptuator, & qui facit judicium, & juſtitiam in omnibus acceptus eſt Deo, nec Sanctuarium Dei debet jure hęreditario poſſideri: & ſic eſt ambitioſa talis diſpoſitio; text. expreſ. in cap. ad decorem de inſtit. ubi gloſ. & communitèr omnes. Bernardus conſ. 1. n. 2. l. 3. Bart. in l. fin. num. 20. de colleg. illicit. Salicet in l. penult. in n. fin. in fin. ff. de conſtit. pecunia. Corneus conſ. 126. n. 7. vol. 3. & fuit deciſum in unâ Seguntinâ admiſſionis ad Capitulum 22. Maii, & 26. Junii 1587. coram Gypſio: & plenè tradit Burgos de Paz conſ. 41. n. 1. per tot. & Laurent. Silvan. conſ. 1. num. 75. vol. 1. (*d*). Igitùr excluſio Clericorum extraneorum, nedum non eſt de jure communi, ſeù humano (& multò minùs de jure divino, & naturali) prout autumant Contradictores, ſed imò eſt poſitivè juri communi contraria, nec largitio beneficiorum indigenis eſt obligatoria, & de neceſſitate, ſed arbitraria, & de merâ honeſtate: Licèt autem etiam Papa, & Epiſcopi, aliique beneficiorum Collatores, vel ad illa Nominatores, debeant ea facere, quę ſunt honeſta; quià tamen hæc honeſtas non eſt conſideranda ſpeculativè, ſed practicè; ad illos pertinet judicare, an in caſibus practicis, hæc ipſa honeſtas adſit, vel non adſit; urgeat, vel non urgeat, habitâ ratione ad perſonas, tempora, & loca, propter quas circumſtantias facillimè contingere poteſt, quod honeſtas illa abſtractiva, in concerto non habeat locum; Et quod in tali caſu honeſtum ſit, non pręferre indigenam extraneo, ſed potius ſacere oppoſitum. Adeoque pręcisè propter ſolam dictam honeſtatem obſtructus non remanet acceſſus extraneis ad eccleſiaſtica beneficia.

36. Doctor *Marta* Juriſconſultus Neapolitanus, in ſuo tractatu de juriſditione, intèr alia hæc habet — Nullam diſpoſitionem laicorum, etiam Principum, eſſe validam, diſponentem Clericos beneficiis inſtitutos non poſſe eorum accipere poſſeſſionem, abſque licentiâ laicorum: Nàm eum beneficia eccleſiaſtica ſint ſpiritualia &c. ſola Eccleſia illa adminiſtrat &c. Nequè poſſunt Principes, ac Judices laici ſe intromittere &c. & jus ſtatuendi de rebus, & juribus ſpiritualibus, ad ſolam Eccleſiam pertinet &c. & contrarium facientes excommunicantur (*e*). *Et infrà ex Boſio*: Princeps non poteſt facere edicta, ne quis accedat Romam ad impetrandum beneficia, vel capiat poſſeſſionem illorum ſinè beneplacito Principis. Excipit tamen Reges, ſeù Principes illos, quibus ex indulto Pontificio datum eſt quędam beneficia conferre, vel pręſentatos ad illa inſtituere: nàm ſi hi habilitati ſunt ad conſerendum, vel inſtituendum Clericos de illis peculiaribus beneficiis, cenſentur etiam habilitati ad diſponendum circà poſſeſſionem eorum, quam tamen facultatem dicit non competere horum Regum Viceregibus, ſeù Locumtenentibus, ſed eſſe illorum propriam, ac veluti perſonalem (*f*). Principes enim illos ait eſſe ſubrogatos in locum Pontificis, ità ut quando ex Papali privilegio conferunt beneficia, nihil dent ſpiritualitatis ex sè, ſed à Papâ per Regem tranſeat ſpiritualitas, tamquam per canalem lapideum (*g*).

(a) *Hier. Gonzal. ad Reg. 8. Canc. gloſ. 9. §. 1. n. 37.*

(b) *Covar. prac. qu. c. 15. n. 5. in fin.*

(c) *Gonzal. loco cit. n. 38.*

(d) *Gonzal. loco cit.*

(e) *Marta de juriſd. p. 4 cent. 1 caſ. 46 n. 1. 2*

(f) *Mart. loco citato n. 4. 7. 8. 9. 12. 13.*

(g) *Fagnan. in cap. quod nobis n. 42. de Cland. deſp. de Luca de benef. diſc. 9. n. 12. Lotter. de re benef. lib. 1. qu. 6. n. 46. 47.*

37. Excipit ſecundò illa beneficia -- Quæ ſita ſunt in Regnis, & Civitatibus, quarum Regibus Summi Pontifices conceſſerunt gratiam, ut nullus exterus poſſit obtinere beneficia, ſine licentiâ ipſorum, & hujuſmodi privilegio obtinuit Rex Catholicus Hiſpaniarum, ut nullus exterus in Regnis Hiſpaniarum, abſque ipſius conſenſu poſſit obtinere beneficium, preſertim dignitates electivas Pontificales, & Cathedrales, annullando gratias, & expectativas in contrarium obtentas (*a*). Idem privilegium conceſſum fuit Chriſtianiſſimo Regi Franciç (*b*). Quod ſanè privilegium ſi habuiſſet Regnum Neapolitanum, Doctori Martæ, tamquàm concivi noſtrum optimè fuiſſet, nec illud exprimere in tàm opportunâ occaſione omiſiſſet; adeòque non obſcurè faſſus eſt, in eodem Regno, nec Principem, neque illius miniſtros poſſe quidquam, prò iiſdem extraneis à beneficiorum conſecutione pellendis, decernere, quià deeſt ibi & indultum Apoſtolicum præſcribens, & poteſtas in laicis id ſanciendi.

38. Habemus ergò hic Juriſconſultos, & Canoniſtas ferè omnium Chriſtianitatis nationum *Hiſpanos*, *Gallos*, *Italos*, *Luſitanos*, & ſignantèr plures Urbis, ac Regni *Neapolitani* nativos, Civeſque, ac reſpectivè incolas, quorum pręciſa, & individualia verba retulimus, ut lector illa in unum conſerta reperiens, legat, ponderet, ac dijudicet, quem ſenſum ipſi habuerint, quem habeat tota Eccleſia, quem cunctę nationes habeant, & quam longè ab eorum doctrinâ, & à ſuorum Concivium, & Antenatorum dictatu, recedant Contradictores, noviſſimâ hac adinventione, quâ nituntur cunctos Clericos extraneos (hucuſque ad beneficia in Regno Neapolitano promiſcuè cum indigenis admiſſos) ab eiſdem excludere; atque Chriſti Eccleſiam, quę libera eſt, captivare. Quod tamèn neque illis, qui potentiâ laicali hoc aggrediuntur, unquam proſperè eveniet; quippè conatum, cui manum appoſuerunt nunquam poterunt, Chriſtiano modo, laudabilitèr, ac juſtitiâ mediante complere. Laudabilitèr inquam, Chriſtiano modo, ac juſtitiâ mediante. Nàm ſi per vim, & per nefas, ac per calcatam ſuâ opinione rationem (quod non credimus) id geſtiant adipiſci; non eſt quid ultrà loquamur: ipſis etenim breviloquium illud ritè poterit adaptari, quod dè quibuſdam injuſtis ſui temporis Principibus, impavidè protulit S. Juſtinus: *tantum valent Principes opinionem veritati præferentes, quantum prædones in ſolitudine* (*c*).

(a) *Gulielmus de Bened. in c. Raynutius V. & uxorem n. 483. de teſtam.*

(b) *Rebuff. de lit. natur. gloſ. 2. n. 2 & de reſcript. mixt. gloſ. 1.*

(c) *S. Juſtin. in Apolog. ad Antonin. Pium.*

CA-

Digitized by Google

CAPUT XII.

In quo pluribus rationibus, deſumptis ex Jure Poſſeſſionis, *atque* Præſcriptionis : *necnon ex Poteſtate* Diſpenſandi *ſuper legibus, quæ ineſt Eccleſiæ; probatur ipſius Eccleſiæ libertas, in conferendo ſacra Beneficia etiàm Clericis extraneis.*

SUMMARIUM.

1 *Quanta ſit vis poſſeſſionis, & preſcriptionis? Utramque hìc allegamus. Omnia autem jura clamant favore poſſeſſionis.*

2 *Collatores beneficiorum, & ad ea Nominatores, ſunt in poſſeſſione tradendi eadem etiam Clericis extraneis: hoc autèm eis eſt ſatis, ad effectum manutentionis.*

3 *Præfatis Collatoribus, ac Nominatoribus ſufficit allegare prò titulo ſuæ libertatis conſuetudinem, & poſſeſſionem, & negare, quod jura dentur in contrarium.*

4 *Nos leges proponimus, extraneis faventes. Martinus P. V. & Clemens VI. clamant, excluſionem extraneorum eſſe juri contrariam.*

5 *Largitoribus beneficiorum ineſt titulus, & bona fides, quæ debent eſſe comites poſſeſſionis. Rerum Eccleſiæ Papa eſt principalis diſpenſator.*

6 *Papa optimum habet titulum præfatæ poſſeſſionis, à quo & illum habent cæteri Collatores beneficiorum, vel Nominatores ad ea.*

7 *In dictis Collatoribus, & Nominatoribus, bona fides reperitur, quæ & ex ipſo curſu temporis præſumitur, & ab ipſo cauſatur.*

8 *Collatores, & Nominatores videntes, quod eorum Anteceſſores ſemper ad beneficia extraneos admiſerunt, bona fide idipſum agunt.*

9 *Philippus Pulcher Bonifacio VIII. P.P. improbanti, quod beneficia conferret, reſpondit, ſè id facere, quod ſui Anteceſſores faciebant.*

10 *Alia ratio ſumitur ex præſcriptione: Collatores namque, ac Nominatores præfati præſcripſerunt jus admittendi etiam extraneos ad beneficia.*

11 *Præſcriptio facit, ut præbendæ non valeant niſi certo generi perſonarum conferri, ergò etiam facit, ut non valeant extranei ab illis excludi.*

12 *Præſcriptioni præfatæ non deeſt juſtus titulus, & bona fides: à quorum probatione immunis eſt præſcriptio centenaria.*

16 *In cunctis juribus ſalva intelligitur poteſtas Papæ, cui ſubeſt omne jus humanum. Excluſio extraneorum eſt contrà canones.*

14 *Præſcriptio proficit laicis quoad beneficia. Reges Neapolis nunquam ſe arctare voluerunt ad præbenda beneficia ſolis indigenis.*

15 *Ubi repelluntur extranei, id provenit ex privilegiis Apoſtolicis, de quorum tamèn veritate fides ſit apud Auctores, ubinàm ſint?*

16 *Papa intendit unicuique in propriâ patriâ providere. Ubi deeſt indultum, ſtatuta laicalia nil proſunt. Excluſio extraneorum eſt contrà jus.*

17 *Extrà loca, privilegio Pontificio munita, præſcriptio admittendi extraneos ſuum plenum ſortiri debet effectum.*

18 *Poteſtas diſpenſativa Eccleſiæ, ſi opus eſſet, poſſet favere extraneis prò beneficiis, prout multi hoc modo, non obſtante irregularitate, ad ea perveniunt,*

19 *Caſus eſt deciſus in jure ab Honorio PP. III. de poteſtate Epiſcopi diſpenſandi cum extraneis ad beneficia retinenda.*

20 *Jura, jubentia fieri electionem de gremio, ad ſolam honeſtatem, & conſuetudinem pertinent, non ad obligationem, ut ex S. Leone I. & Nicolao PP. I.*

21 *Durante formâ electionis, Reges præficiebant etiam extraneos. Et nunc Reges Hiſpaniæ, non obſtante indulto Sixti V. in Valentię Regno provehunt extraneos.*

22 *Epiſcopi non prohibentur extraneis beneficia conferre, quibus favet jus commune. An ſuperior diſpenſare poſſit ſinè causâ?*

23 *Quando opus eſt diſpenſare, ad ſuperiorem ſpectat, non ad ſubditos, judicare an adſit juſta cauſa diſpenſandi, nec nè.*

24 *Papa, dans privilegium excluſivum extraneorum, non ſibi manus ligat, quin poſſit ex causâ in eâdem rè diſpenſare.*

25 *Ineſt Papæ plena poteſtas ſuper jure communi, quod ab ipſo ſuſcipit auctoritatem, & poteſt etiam ſinè cauſæ cognitione ſuper eo diſpenſare.*

26 *Solet Papa diſpenſare ſupèr imperitiâ idiomatis, quæ involuit extraneitatem: ſufficeret autem extraneis poſſe diſpenſativè provehi ad beneficia.*

1. QUINTUS Septimius Florens, *Tertullianus*, adverſarios Chriſtianę Fidei, ac etiam diſciplinæ Eccleſiaſticæ turbatores, variis rationibus pulſans, & exagitans; motiva quoquè *poſſeſſionis, & præſcriptionis*, adveſus eos in medium ponere non omiſit. In libro proindè de præſcriptione, à sè ſcripto, ità inclamat, *mea eſt poſſeſſio, olim poſſideo, prior poſſideo, habeo origines firmas ab ipſis Auctoribus, quorum fuit res* (*a*). Eodem modo, & nos adverſus Contradictores noſtros, poſt multas alias rationes, hucuſque recenſitas; nunc pro coronide rationum, quæ ad Sæculum Decimum ſeptimum facere poſſunt, poſtremo loco, tam *poſſeſſionem*, quam *præſcriptionem*, ducimus allegandam. Et ſanè uſque ad prędatum tempus, in plenâ, forti, atque conſtanti poſſeſſione totalis, ac integrę libertatis conferendi eccleſiaſtica beneficia, tum extraneis, tùm indigenis; firmiſſimè conſtiterunt Papa, & Epiſcopi, aliique omnes, tàm Ordinarii, quàm Delegati beneficiorum collatores, vel ad ea nominatores. Omnia autèm jura favore poſſeſſionis clamant, ut unuſquiſque in ſuâ poſſeſſione manuteneatur, nec adſtringatur docere de jure ipſius: ſed totum onus probandi non jus, incumbat ejus impugnatori (*b*). Præſertim cum ad hoc, ut quis manuteneatur in ſuâ poſſeſſione, ſufficiat ei quilibet titulus, etiàm contrà juris præſumptionem (*c*). Poſſeſsio autèm, imò & quaſi poſſeſsio juris conferendi beneficia, ſinè dubio ſuffragatur Collatori, etiamſi unico actui innitatur (*d*). Sicuti poſſeſsio juris eligendi ad beneficia ſufficit, ut quis ad illa poſsit eligere (*e*).

2. Tàm Papa autem, quam Epiſcopi, aliique omnes, tùm Ordinarii, tùm Delegati beneficiorum Collatores, vel ad ea Nominatores, ubi deeſt privilegium aliter diſponens, ſunt in poſſeſsione tradendi beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis, prò eorum libertate, & arbitrio. Et cum poſſeſsio longi temporis tollat præſumptionem, qud ſit facultativa (*f*), quid dicemus de poſſeſſione immemorabili centenaria, quingentenaria, & millenaria, qualis eſt illa Summi Pontificis, & Epiſcoporum, aliorumque ſuperiùs memoratorum? Si quęratur de *titulo*, & *bonâ fide*, quæ debent eſſe poſſeſsionis conſortes; Reſpondemus primò, quod ad effectum manutentionis non requiritur titulus, ſed ſufficit ſola poſſeſsio (*g*). Secundò dicimus, quod nullus tenetur de jure dicere titulum ſuę poſſeſsionis, maximè ad inſtructionem ſui adverſarii (*h*). Et nedùm non tenetur edere titulum verum, ſed imò nec etiàm titulum coloratum (*i*). Prò quo titulo colorato,

aliàs

(a) *Tertull. de præſcript. adv. hæret. c. 37.*
(b) *L. circa ff. de probat. l. fin. C. de reivend. Gloſ. in l. froẻ poſſidetis C. de probat. & in l. ſi ſolemnibus C. de fid. inſtrum. Bald. con. 351. n. 2. lib. 2. Seraph. deciſ. 404. num. 1. & dec. 670. n. 2.*
(c) *Cap. cum perſonę de privil. in 6. Covar. pract. queſt. cap. 37 n. 9.*
(d) *Camil. Borel. ſum. deciſ. 10. 2. tit. 32. n. 183 Lotter. de re benef. l. 2. Seraph. deciſ. 306. n. 9. & dec. 799. n. 4. & 6. & deciſ. 990. n. 2.*
(e) *Cap. querelam. 24. de electione.*
(f) *Seraph. dec. 323 n. 4 Franc. cap. ad decimas n. 8. de reſt. Spoliat.*
(g) *Bartol. in l. quod meo n. 2. ff. de acquir. poſſeſſ. Rot. p. 1. rec. dec 275. num. 5. & p. 2 dec. 459 n. 11. & tom. 2. p. 4. rec. dec. 368. n. 8.*
(h) *l. Cogi. de petit. hęred. l. 1. ff. uti poſſidetis Lotter. de re benef. l. 2. c. 22. n. 75. Seraph. dec. 1422. n. 32.*
(i) *Seraph. dec. 737. n. 2.*

Digitized by Google

aliàs poſseſsio decennalis optimè deſervit, quæ à Juriſconſultis dici ſolet melior titulus de mundo (*a*).

3. Hinc quoties à Contradictoribus fit quæſtio de titulo, cujus intuitu Summus Pontifex, & Epiſcopi, aliique omnes, tùm Ordinarii, tum Delegati beneficiorum collatores, vel ad ea nominatores, ſe confovent in poſseſsione conferendi beneficia ipſa, etiàm Clericis extraneis, contrà ſuppoſita jura divinum, & naturale, atque humanum, primò ſufficeret eis allegare pro titulo conſuetudinem (*b*): Vel ſi mavis ſuam poſſeſsionem, nedùm decennalem, ſed etiàm centenariam, quingentenariam, & pluſquàm millenariam, quâ certè melior titulus non poteſt dari. Secundò ſufficit negare, quod dentur hujuſmodi leges divina, naturalis, & humana, prohibentes collationem beneficiorum extraneis: poſſeſſori enim, cui objicitur juris reſiſtentia, ſufficit negare talem extare legem (*c*). Pertineret ergò ad Contradictores depromere hujuſmodi leges, claras, individuas, & rutilantes, id expreſsè caventes: non verò exerere jura vaga, æquivoca, & confuſa, atque veluti per vim, vel in parvum ſenſum detorta, vel ad eorum intentionem pertracta. Sed rè verâ hujuſmodi leges non exhibebunt, quippè nec in libris Biblicis, nec in voluminibus Juris, neque in ullo libro, de præceptis naturalibus agente, vel unus legitur apex, qui clarè beneficiorum collationem ad ſolos arctet indigenas; extraneis abſolutè repulſis.

(a) *Borell. Sum. deciſ. tom. 1. tit. 20. n. 232. Caſſad. dec. 2. & 4. n. 5. tit. de Cauſ. poſſeſſ. Seraph. dec. 1055. n. 5.*

(b) *Jo. Hieron. Campanil. diverſ. Jur. Canon. rubr. 9. c. 6. n. 2.*

(c) *Lotter. de rè benef. lib. 2. qu. 45. n. 22. Puteus dec. 340. lib. 3*

4. Nos autèm ex oppoſito divinis, & humanis legibus perlucidis, & flammantibus, probavimus hucuſque; & per totum hujuſce operis decurſum inconcuſsè probamus libertatem Eccleſiæ, in conferendo eccleſiaſtica beneficia Clericis etiàm etraneis: diſſoluto, ac penitùs diſſipato quidquid è contrà, vel vi alicujus obſcuri textus, vel vi captioſæ cujuſque argumentationis, in oppoſitum facere poteſt. Et quoad *leges*, habemus Martinum Papam V. qui coarguens Uladiſlaum Poloniæ Regem, ob literas à sè editas, quibus interdicebat ne beneficia Polonica extraneis conferrentur, dicit, talem prohibitionem eſſe *prætèr juris diſpoſitionem &c. iniquam, & exorbitantem concluſionem, quæ cedit in vilipendium Sedis Apoſtolicæ & Regni dedecus &c.* (*d*). Et 83. annis antè, Clemens Papa VI. objurgans Philippum Francorum Regem, ob editam, inſtigatione ſuorum Aulicorum, Pragmaticam, excludentem extraneos à beneficiis in Galliâ conſequendis; ait, tale interdictum ſacris Canonibus obviare, qui gravibus pœniis adverſus ſimilia agentes inſurgunt: *Utinam*, inquit, *Conſiliariis tui, qui te induxerunt ad ea, ſolerti diligentiâ maturiùs attendiſſent, gravia pericula, quibus talia facientes, & in eis facientis conſilium, vel favorem præſtantes, olim editi à Sanctis Patribus Canones, evidentèr involvunt* (*e*). Si ergò excluſio extraneorum à beneficiis eſt exorbitans, & iniqua, contrariaque juri, & Sacris Canonibus inimica; certè ſincero animo, & ſanâ mente dici non poteſt, quod ſit à jure humano præcepta.

(d) *Odoric. Raynald. ann. 1429. n. 13.*

(e) *Odoric. Raynald. ann. 1346. n. 39.*

5. Cæterùm quoad *titulum*, & *bonam fidem*, quæ debent eſſe comites poſſeſsionis; utraque in præfatis Summo Pontifice, atque Epiſcopis, aliiſque omnibus, tùm Ordinariis, tum Delegatis beneficiorum collatoribus, vel ad ea nominatoribus, concurrit: quippè Papa titulum ſuæ poſſeſſionis habet, in eo fundatum, quod *res Eccleſiæ ſunt ejus, utì principalis diſpenſatoris*, quemadmodùm docet Sanctus Thomas (*f*), adſtipulante etiàm divino textu, & Chriſti Verbis, Petro prolatis, *quis putas eſt fidelis diſpenſator, & prudens, quem conſtituit Dominus ſupèr familiam ſuam, ut det illis in tempore tritici menſuram* (*g*). Hinc Canoniſtæ paſſim appellant Papam, Dominum Eccleſiæ bonorum (*h*). Theologi tamèn id non admittunt (loquendo de dominio abſoluto, ut dominium eſt) & quidèm validiſſimis rationibus, quas videre eſt apud *Dominicum Soto* (*i*). Omnes tamèn in hoc conveniunt, quod Papa ſit plenarius, & ſupremus diſpenſator, & adminiſtrator omnium Eccleſiæ bonorum, & beneficorum, juxtà id, quod continetur in *cap. 2. de Præbend. in. 6. Clement. 2. ſi duobus 2. Ut lite pendente* (*l*).

(f) *S. Thomaſ. 2. 2. quæſt. 100 art. 1. ad 7.*

(g) *Lucæ 12. 42.*

(h) *Menoch. conſ. 192. n. 7. Surd. Conſ. 25. n. 2. Burſat. Conſil. 116. n. 11. Lotter de rè benef. l. 2. c. 22. n. 11. Seraph. dec. 45. n. 4. & dec. 191. in. 6.*

(i) *Soto de juſt. & jur. lib. 3. qu. 6. art. 2. in reſponſ. ad 5.*

(l) *Soto loc. cit. Cajetan. in 2. 2. qu. 10. art. 1. & nota 3.*

6. Non quod Pontifex valeat ex ſeipſo immediatè omnia omninò univerſi Orbis

bis beneficia, & bona eccleſiaſtica, diſpenſare, atquè adminiſtrare, ſaltèm dè potentiâ ordinariâ, & de honeſtate; Sed quod, quantùm expedit ad utilitatem totius Eccleſiæ generalis, poteſt ubicùmque ſita bona Eccleſiarum adminiſtrare, & de illorum majori, vel minori parte, ſecundùm ſuam prudentiam, & bonum totius Eccleſiæ, diſponere: ad quod concinnè Gerſonius, *Omnia beneficia ſubſunt Papæ, tamquàm Ordinatori ſupremo, non tamquàm domino, aut poſſeſſori; imò nec tamquàm immediato diſpenſatori, regularitèr, & univerſalitèr, niſi Prælatorum inferiorum iniquitas, aut manifeſta Eccleſiæ utilitas, caſibus certis iſtud exigeret (a).* Quarè Papa, uti Vicarius Chriſti, & ſupremus diſpenſator bonorum Eccleſiaſticorum, habet titulum optimum ſuæ poſſeſſionis, in quâ reperitur, conferendi beneficia eccleſiaſtica, tùm extraneis, tùm indigenis. Et ipſum titulum communicat Epiſcopis, aliiſque omnibus, tàm ordinariis, quàm delegatis beneficiorum Collatoribus, vel ad ea Nominatoribus: quatenùs, vel per privilegium particulare, vel per indultum in corpore Juris clauſum, à sè authorizati, & approbati, excitat in dictis Collatoribus, & Nominatoribus, ut ſuprà memoratis, facultatem, beneficia conferendi, vel reſpectivè ad ea nominandi, juxtà theoricam, dè qua Canoniſtæ (b). Proindè ii Epiſcopi, aliique præfati juſtum titulum habent ſuæ poſſeſſionis, in quâ vigent, conferendi beneficia, vel ad ea nominandi, tùm extraneos, tùm indigenas; eò magis tali titulo præditus eſt Papa, qui eoſdem ſui tituli facit eſſe participes. Vel ſi Papæ talis titulus negatur; oportet ut priùs Epiſcopis, aliiſque præfatis omnibus denegetur.

(a) *Joan. Gerſonius tom. 2. fol. 22.*

(b) *Lotter. de rè benef. l. 2. qu. 6. à nu. 16. cum aliis ab eo allegat.*

7. Paritèr *bona fides*, neceſſaria comes, & ſodalis indiſſolubilis Poſſeſſionis, tàm in præfatis Collatoribus beneficiorum, quàm in Nominatoribus ad ea, Romano nempè Pontifice, ac Epiſcopis, aliiſque ſupradictis, ſinè ullâ ambiguitate concurrit ad ſolidandam poſſeſſionem, in quâ ſubſiſtunt, beneficia ipſa, tàm Clericis extraneis, quàm indigenis elargiendi. Nàm ex naturâ ſuâ bona fides in conferente beneficia ex ipſo curſu temporis, & antiquitate præſumitur, ut individuè firmavit *Rota in Reatinâ juris conferendi (c)*. Ità ut deficiente probatione bonæ fidei, hæc omninò ex ipsâ longâ obſervantiâ probetur; imò & ab ipsâ cauſetur (d). Si autèm prolixa temporis ſeries fundat bonam fidem in poſſeſſione juris conferendi beneficia, multò magis illam fundat in poſſeſſione juris nominandi ad ipſamet beneficia: quatenùs minùs eſt communicabile univerſalitèr jus conferendi beneficia, quàm jus patronatus, ſeù jus ad ea nominandi. Et ſi fundat bonam fidem in poſſeſſione juris nominandi ad beneficia, & eadem conferendi; ſinè dubio fundat etiàm bonam fidem in poſſeſſione, tàm per collationem, quàm per nominationem beneficia ipſa extraneis, non ſecus ac indigenis elargiendi. Quàm prolixus autem ſit temporis curſus, quo præfati beneficiorum Collatores, & ad ea Nominatores, ſunt in poſſeſſione ipsâ, beneficia etiam Clericis extraneis impertiendi, explicari non poteſt, cum centenarium, quingentenarium, & millenarium annorum ſpatium excedat. Quę ergò major hâc bona fides haberi poteſt?

(c) *Seraph. dec. 1072.*

(d) *Rota tom. 3. par. 4. recent. dec. 619. n. 32.*

8. Et certè Summus Pontifex, Imperator, aliqui Reges, necnon Epiſcopi omnes, Archiepiſcopi, Patriarchæ, & Primates, cunctique alii, tùm Ordinarii, tùm Delegati beneficiorum collatores, vel reſpectivè ad ea nominatores, videntes, quod univerſi eorum Anteceſſores ſemper, & præſertim ubi deeſt privilegium Apoſtolicum, alitèr decernens, ad beneficia, tàm reſidentialia, quàm merè ſimplicia, non modò Clericos indigenas, verùm etiam extraneos, prò eorum arbitrio, promoverunt; nunquid non habent bonam fidem perſeverandi in eodem themate diſtributionis beneficiorum, ad eos ſpectantium, illaque etiam Clericis extraneis elargiendi? Crederenè debent, eorum Anteceſſores injuſtè in hoc ſe geſſiſſe? Et quotiès extraneis beneficia detulerunt, toties graviſſimum piaculum commiſiſſe? Opinarinè poſſunt, omnes Papas, omnes Imperatores, omnes Reges, omnes Epiſcopos, omnes beneficiorum patronos, qui uſque nunc beneficia extraneis impertiti ſunt, vel ea conferendo, vel reſpectivè ad illa nominando, omnes inquam, fuiſſe

prę-

Digitized by Google

prævaricatores Divinæ, naturalis, & humanarum legum, viros injuſtos, perditos, & tyrannos? Non certè. Si quis enim hæc auderet effari, non loqueretur ut Doctor, ſed deſiperet ut inſanus.

9. Philippus IV. cognomine Pulcher, Gallorum Rex, in magno illo diſſidio, quem habuit cum Bonifacio Papâ VIII. ei improperante, quod beneficia eccleſiaſtica pleno jure conferret, cum id ei tamquàm laico non competeret; hoc unico fulcro tuitus eſt ſua jura, dicendo,ſe facere, & continuare id, quod S.Ludovicus IX. aliique Reges, ejus anteceſſores, per plura Sæcula facere conſueverunt (*a*), tantique exiſtimavit hanc rationem, tantique illam alii quoque non pauci reputarunt, ut nec Rex paſſus ſit ſe jure ſuo ſpoliari, nec illi cenſuerint ipſum eſſe jure ſuo ſpoliandum: & ſic tàm Pulcher, quàm alii Reges ejus ſucceſſores, idipſum proſecuti ſunt ad effectum perducere. Ità ergò cum & Papa, & Epiſcopi, & cuncti alii, tùm ordinarii, tùm delegati beneficiorum collatores, vel ad ea nominatores, nil poſſint de eorum Anteceſſoribus prudenter cogitare, & credere, niſi quod, perpetuę obſervantiæ dictamine regulati, piè, ſapientèr, ac rationabilitèr ſe geſſerint, beneficia Clericis extraneis, non ſecus ac indigenis elargiendo; ſi aliundè bonâ fide carereut, ex hac credulitate, continuæ praxis præſidio roboratâ, bonam fidem fortiuntur, quâ illorum poſſeſſio, admittendi etiam extraneos ad beneficia, & fovetur, & authorizatur, & firmatur (*b*). Poſſeſſio ergò præfata, juſto titulo, & bonâ fide ſuffulta, fragore valido inclamant prò integrâ, & totali Eccleſiæ libertate, in conferendo beneficia etiàm Clericis extraneis, & alienigenis, dummodò benemerentibus, atque dignis.

10. Alia ratio deſumitur ex *præſcriptione*: tàm ſiquidem Summus Pontifex, quàm Epiſcopi, aliique omnes, tùm Ordinarii, tùm Delegati beneficiorum collatores, & ad ea nominatores præſcripſerunt jus eadem etiam Clericis extraneis impertiendi. Quanta ſit vis præſcriptionis, & quàm conſtantem efficaciam pariat in eo, qui eâdem præditus eſt, non oportet hìc effuſis eloquiis inculcarè, cum ſole clarior ſit: ſufficitque vel mediocriter leges percurriſſe, & præſertim Canonicas, ac intèr illas *cap. placuit. 8. cap. nemo 17. 16. quæſt.3.cap. facultates 1. 13. quæſt.2. cap. ad audientiam 13. cap. cum vobis 14. cum aliis pluribus, de præſcriptione*. Porrò quoad jus conferendi beneficia,tàm efficax cenſetur eſſe vis præſcriptionis, ut eâ freti, poſſint nedùm Clerici omnes, quantumvis inferioris gradus, ſed etiam ipſi Laici beneficia conferre, uti tenuerunt plures Doctores (*c*). Quamquàm in contrarium alii mordicus affirment, nullum temporis, etſi longiſſimi, curſum, jus beneficia conferendi poſſe in Laicis ſtabilire (*d*), niſi accedat, vel privilegium Apoſtolicum, vel fama ejuſdem (*e*).

11. Sed, quidquid ſit de hoc, ſaltèm quoàd collationem, certo generi perſonarum faciendam, nulli dubium eſt, quod præſcriptio ubi eſt,fundat jus pro debito beneficia ipſa determinatis illis perſonis omninò conferendi, præſertim quoàd inferiores Pontifice. Nàm quoàd Papam, ipſe hujuſmodi vinculo non adſtringitur: eò quod ſit diſpenſator ſupremus, & abſolutus omnium beneficiorum (*f*). Et de facto, quod beneficia Hiſpanica ſint ſolis Hiſpanis tradenda, quidam referunt ad præſcriptionem, & uſum immemorabilem, conceſſione Romanorum Pontificum roboratam, uti videre eſt apud Covarruviam (*g*). Pariter quod beneficia Gallica ſolis Gallis ſint elargienda, extraneis ablegatis; ad præſcriptionem, ſeu conſuetudinem præſcriptam,privilegio Apoſtolico ſuffultam,à pluribus refertur (*h*). Si itaque præſcriptio coarctationis præbendarum ad certum genus perſonarum, fundat jus, ut nulli, niſi ex ipſis perſonis beneficia poſſint conferri; ergò etiam præſcriptio libertatis conferendi eaſdem præbendas cunctis Clericis indiſtinctè, fundat jus, ut non poſſint ad ſolos indigenas coarctari. Cum autem ſit pluſquam præſcripta libertas Eccleſiæ,in conferendo beneficia,non modo Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis (exceptis locis, quæ alitèr ex privilegio Apoſtolico ſpecialitèr expoſcunt) ſequitur, quod vi dictæ præſcriptionis, liberum eſt beneficiorum

Col-

(a) *Preves de Libertez d'Egliſ. Galic. l.16.n.23.*

(b) *Seraph.dec.639 num. 3.*

(c) *Bald.in l.reſcripta C. de prec. Imper. offer. Alex. in 4. vol. conſ.74.col.3. Archid. in cap.bertamur col.4. diſt.81. Boer. deciſ.32. n. 9. Arnulphus Ruzeus de jur. regal.§.4. per tot.*

(d) *Abbas in cap. quanto notat. 1.de Cõſuet. & in cap cum Apoſtolica in. fin de iis quæ fiunt à Prælat. Jo: Andr. in cap. 2. de præbend.*

(e) *Garcia de benef. p. 1. c. 2. n.38. Felyn.in c. cauſam quæ de præſcript. à n. 2. & in c. cum contingat. de for. compet. n.4. & 5.*

(f) *Seraph. dec.1092 num 6. & ibi Creſcent. de jurepatr. dec.7.*

(g) *Covarruv. pract. quæſt. lib unic. quæ. 35. n 5.*

(h) *Innoc. in c. tua de his,quæ fiunt à Prælat. Jo: de Turrec rem. in cap. nullus invitiſ. concluſ. 3. 13. diſt.61. Franc. Marcuſ quæſt. 1371. n 5.*

Collatoribus, vel ad ea Nominatoribus, ipſamet beneficia etiam Clericis extraneis elargiri.

12. Scimus, Præſcriptionem, ad ſui validitatem, duo illa requiſita exigere, quæ diximus debere eſſe cum poſſeſſione conjuncta, nempè juſtum *titulum*, & *bonam fidem*, prouti notatur in §. præſcriptionum, poſt cap. placuit 15. cauſ. 16. qu. 3. cap. vigilanti 5. cap. ſi diligenti, & ibi Gloſ. in verb. bona fides, & juſtus titulus, de præſcript. Sed æquè ſcimus ceotenariam eſſe ab obligatione hujuſmodi probationis immunem (*a*). Et cum præſcriptio libertatis, quâ pollet Eccleſia, tradendi beneficia etiam Clericis extraneis, ſit nedùm centenaria, ſed etiam quingentenaria, & pluſquam millenaria; non eget probatione tituli, nec bonæ fidei. Tamèn ex abundanti, prò titulo, & bonâ fide allegamus ea, quæ hic pauld ſuperiùs uberrimè propoſuimus (*b*), afficiunt enim æquè prò poſſeſſione, ac prò præſcriptione. Parùm relevante, quod contrà Canones nulla poſſit dari præſcriptio, tùm quià *primò* hoc intelligitur de Caoonibus, qui juri naturali, vel Divino innituntur, uti aſſerit *Natalis ab Alexandro* dicens, *Canones, qui juris naturalis, & Divini aliquod admixtum habent, ſemper, & immobilitèr obligant, ut docet S. Thom. quodlib. 9. art. 15.* (*c*). Tùm quià *ſecundò* negatur ſuppoſitum, quod dentur iſti Canones, nedùm tamquàm de jure Divino, & naturali, ſed etiam tamquàm de jure poſitivo, præceptivè diſponentes, Clericos extraneos eſſe à beneficiis eccleſiaſticis repellendos: cum potiùs è contrario per nos hucuſque affluentèr producti fuerint multiplices canones, ipſos extraneos admittentes.

13. *Tertiò*, in cunctis juribus, & obligationibus ſempèr intelligitur ſalva auctoritas Papæ (*d*), quia ei ſubeſt omne jus humanum, & poſitivum (*e*). Quarè ſi Canones ſunt à Summis Pontificibus editi, proculdubio Papa poteſt illos tollere, & mutare, cum ejus ſit tollere legem, qui illam facit. Si ſunt editi ab inferioribus; eorum obligatione non arctatur Pontifex (*f*). Nullaque talibus ſtatutis ineſt vis, niſi quatenus ſunt auctoritate Pontificis roborata (*g*), quę tamèn Pontifex approbando, & authorizando, certum eſt poteſtatem ſuam non ligare, cum hęc ſit ab illo inabdicabilis: & ità undelibet proficiſcantur Canooes juris poſitivi, ſi qui darentur, arcentes Clericos extraneos à beneficiis conſequendis; ſaltem Papa, & qui ab eo cauſam, & poteſtatem habent beneficia conferendi, vel ad ea nominandi, nullatenus talibus Canonibus vincirentur, & ſic contrà eos pręſcriptio optimè locum habet. *Quartò*, excluſio extraneorum eſt potiùs contrà canones, quàm juxtà eos (*h*): Ut patet ex infinitis juribus, & canonibus in toto decurſu pręſentis Operis uſque nunc recenſitis.

14. Ad hæc *quintò*, ſicuti pręſcriptio, ut innuimus n. 10. valet ad tuendum jus, quo alicubi dicuntur pollere quidam Principes, conferendi eccleſiaſtica beneficia, quantumlibet hoc ſit contrà Canones, declarantes laicos incapaces juris ea conferendi, prouti ſuprà oſtendimus; Ità multò magìs valere debet ad tuendam Eccleſię libertatem prò admittendis etiam extraneis ad ipſa beneficia, quaotumlibet admiſſio hæc eſſet (quod non concedimus) contrà Canones, ſolos indigenas advocantes. *Sextò*, de facto, non obſtantibus his ſuppoſitis Canonibus, favore iodigenarum procuſis; Reges, & Monarchæ nolunt arctari ad beneficia ſolis indigenis elargienda; uti docet continua praxis *literarum naturalitatis*, quas concedunt extraneis, ut in eorum ditione poſſint beneficia conſequi; quæ literæ eſſent contrà dictos Canones, & ità invalidę, & injuſtæ, tùm quia præjudicium inferunt indigenis, quibus acquiſitum eſt jus, vi ſuppoſitorum Canonum, extraneos repellentium, & ad ſolos indigenas collatiooem beneficiorum reſtringentium. Tùm etiam quià nullus laicus, tametſi Princeps, Mooarcha, & Rex; valet ſacris Canonibus derogare, illorumque vim tollere, ſuper ipſis diſpenſare, vel alitèr eorumdem diſpoſitionem de medio tollere. Et clarius etiàm id quod ſuprà docetur ab experientià in Regno Neapolitano, ubi Reges, quamvis pluries interpellati, & ſupplicationibus fatigati, ut beneficia non Hiſpanis, nèc aliarum Nationum Clericis, ſed ſolis

(a) *Alex. conſil. 6. vol 1. Marta de juriſd. p. 1. c. 32. n. 37.*

(b) *Vid. ſupr. in hoc cap. à n. 5. ad 8.*

(c) *Natal. ab Alexan. Theol. Mor. & Dogmat. l. 3. art. 1. reg. 22.*

(d) *Cajet. in 2. 2. D. Thom. qu. 88. art. 12. verſ. dubium 2.*

(e) *Cap. innotuit. de elect. cap. per venerabilem qui fil. ſint legit. Lotter de rè benef. l. 1. qu. 46. nu. 58. Barboſ. jur. eccl. univ. l. 1. cap. 2 num. 118.*

(f) *Lotter. ubi ſupr. l. 2. qu. 38. n. 11. & l. 3. qu. 7. n. 141. Puteus deciſ. 301. n 1.*

(g) *Cap. Concilia diſt. 17.*

(h) *Borel. Sum. Deciſ. tom. 1 tit. 6. num. 3. Barboſ. in cap. ad decorem, de inſtit. Et Jur. Eccl. Univ. l. 3. cap. 13. num. 217. Garcia de benef. p. 7. c. 9. num. 4.*

ſolis indigenis Regni Neapolis conferrentur, nunquam tamen aſſentiti ſunt sè tali vinculo coarctari. Neceſſario ergò fatendum eſt, vel Canones hos non dari, extraneis reſiſtentes, vel quod, ſi præſcriptio, favore Monachorum, tollit vim Canonum, extraneos excludentium; debet etiam illam tollere favore Summi Pontificis, & Epiſcoporum, aliorumque beneficia conferentium, & ad illa reſpectivè nominantium.

15. Ex his igitùr tùm ſingularitèr, tùm collectivè ſumptis patet, vim *præſcriptionis* fundare libertatem Eccleſiæ in largitione beneficiorum Clericis, etiam extraneis, hoſque à Sacris Canonibus non repelli. Qui ſicubi repelluntur, id provenit non à jure, ſed ex privilegio Apoſtolico: & ità à beneficiis Regni Valentiæ excluduntur extranei, vi Bullæ Sixti Papæ V. (*a*). In Regno *Sardiniæ* rejiciuntur ex privilegio Clementis Papæ VIII. (*b*). In aliis quoque quibuſdam Regnis idipſum fieri ex privilegiis aliorum Pontificum ab aliquibus Auctoribus affirmatur. Et ità ex hujuſce generis privilegio in Regno *Franciæ* peragi teſtantur Franciſcus Marcus, Rebuffus, Garcia &c. (*c*). In Regno *Navarræ* Didacus Perez (*d*). In Regno *Portugalliæ*, Barboſa, Cabedo, Garcia &c. (*e*). In Regno *Aragoniæ* idem Barboſa (*f*). De quorum tamèn veritate privilegiorum, necnon qualitèr, & quantum, & ad quæ loca ſe extendant, fides ſit apud ipſos Auctores, nos etenim ipſa non vidimus: Sed nihilominus prò certo habemus, quod à nullo Regno, Provincià, Urbe, Oppido, ac loco alienigenę ſunt à beneficiis eccleſiaſticis excludendi, niſi adſit indultum Apoſtolicum, id expreſſe diſponens.

16. Et ità quod in Diœceſibus Palentinâ, Calaguritanâ, & Burgenſi, ſoli indigenæ, & Diœceſani poſſint conſequi beneficia, privilegio Apoſtolico innititur (*g*). Quod indultum ubi eſt, facit, ut ſi quis in impetratione beneficii taceat locum originis, gratia ſit ſubreptitia (*h*), ob hanc rationem, *quià Papa intendit cuique providere in patrià ſuâ, & ideò taciturnitas nationis reddit gratiam ſubreptitiam, ſi enim expreſſiſſet, Papa ſibi non dediſſet gratiam in partibus alienis, vel non ità de facili cap. bonæ 2. de poſtul.prælat.gloſ.in cap.ſi proponente de reſcript.* (*i*). Facitque Regula 19. Cancellariæ, ac ibi Mandoſius, & alii (*l*). Cæterum ubi deeſt privilegium Apoſtolicum, Statuta laicalia extraneos à beneficiis eccleſiaſticis ablegantia, nihil afficiunt; tùm quià laici Principes, & Judices, nihil poſſunt de rebus eccleſiaſticis definire (*m*), tùm quia excluſio extraneorum eſt contrà jus, uti per Doctores mox allegatos (*n*), conſtantiſſimè ſuſtinetur, nixos *Capitulo ad decorem 5. de Inſtit.* cum pluribus Rotæ deciſionibus, quas allegant Canoniſtę (*o*). Et nos per extenſum ſuperius cumulavimus (*p*).

17. In ſolis itàque locis, indulto ſpeciali communitis, extranei licitè à beneficiis arcentur, & ibi præſcriptio non habet locum. Cum autem exceptio firmet regulam in contrarium, ſeù in caſibus non exceptis (*q*); clarè liquet, quod ubi privilegium Apoſtolicum deeſt, extranei nequeunt licitè à beneficiis eccleſiaſticis ablegari, & ibi ſita præſcriptio largiendi beneficia eccleſiaſtica Clericis, etiam extraneis, totum, & plenarium ſuum ſortitur effectum. Et ità ſi omnis alia ratio deeſſet, juſtificans libertatem Eccleſiæ, in committendo ſacras præbendas, etiam Clericis extraneis, hæc ſola ratio præſcriptionis, ex sè nudè, & ſingularitèr ſumpta, ſatis eſſet ad prævalendum in causâ: cum nedum ſit centenaria, ſed etiam millenaria, & jàm mille, ac ſeptingentos annos excedat. Quis Princeps, quis Privatus; quis Clericus; quis Laicus; quis Vir, quę Mulier, jus aliquod abiiceret, vel ſe illo permitteret denudari, quod jam à mille, & ſeptingentis annis legalitèr pręſcripſiſſet?

18. Item alia ratio deſumitur ex poteſtate, quæ viget in Eccleſiâ, diſpenſandi ſuper inhabilitate hominum ad eccleſiaſtica beneficia. Nam dato etiam, ſed nunquam conceſſo, quod extranei de jure deberent à beneficiorum conſecutione repelli; adhuc tamèn ipſa Eccleſia poterit ſuper hoc diſpenſare. Plura ſiquidem ſunt impedimenta, quæ reddunt Clericum incapacem ſacrorum ordinum, & con-

(a) *Sixtus V. Conſtit 64.*
(b) *Queſada diſert: quot. 2. n. 13.*
(c) *Franc. Marc. deciſ. Aur. qu. 1371. n. 5. Rebuff de benef. tit. de reſ. ript. mixt. n. 6. & in Regul. 20. gloſ. 1. 5. ideò & gloſ. 2. n. 30. Garciap. 7. cap. 9. n. 2.*
(d) *Didac. Perez l. 1. ordinam. tit. 3. l. 18.*
(e) *Barboſ. in cap. ad decorem de inſtit. Cabed. de patr. Reg. Coron c. 29 Garcia loc. cit.*
(f) *Barboſ. in d. cap. ad decorem loco cit.*
(g) *Covar. pract. qu. cap. 36. n. 3. §. olim. Aloyſ. Riccius prax. aur. part. 3. reſ. 375. n. 3.*
(h) *Franc. Marcus deciſ. aur. qu. 1371. n. 8. Gutier conſ. 2 num. 25. Barboſ. in c. ad decorē de inſt n. 13.*
(i) *Garcia de benef. p. 7. c. 9. n. 16. Felin. in cap. ſicut tuis de Simonia col. 2.*
(l) *Mandoſ. ad reg. 19. Cancel. qu. 5. n. 20. Dreius Cōſil. 541. Barbat. l. 1. conſ. 22. n. 6.*
(m) *Cap. Laicis 16. qu 7 Conc. Rom 4. ſub. Symmach. n 3.*
(n) *Vid. ſupr. in hoc Cap. n. 4 & 13.*
(o) *Garcia de benef. p. 7. cap 9 n. 4. Barboſ. Jur. Eccl. Univ. l. 3. c. 13. n. 217. & 218.*
(p) *Vide ſupr. in hoc tomo c. 9 à n. 12.*
(q) *L. cum prętor. de judic. Seraph. deciſ. 718. n. 7. Lotter. de rē benef. l. 1. qu. 12. n. 31.*

Digitized by Google

ſequentèr etiam beneficiorum, quæ pari paſſu, vel ſaltèm parum diſſimili, ambulant cum ordinibus. Ità qui caret legitimâ ætate (*a*), qui hæreticâ pravitate fuit infectus (*b*), qui homicidium volunterium, vel membrorum mutilationem commiſit (*c*), qui corpore vitiatus, humanæ integritatis aliquod patitur detrimentum (*d*), qui excommunicationis, vel ſuſpenſionis eſt vinculis irretitus (*e*), qui bigamiam contraxit (*f*), qui aliquâ juris, vel facti infamiâ laborat (*g*), demùm aliis eſt irregularitatibus implicatus (*h*), beneficia eccleſiaſtica conſequi non valet. Nihilominus Eccleſia ſuper illis, ſi vult diſpenſat, & quos inhabiles jura reddiderant; auctoritas diſpenſativa Superioris, beneficiorum facit eſſe capaces: Diſpenſante nimirum cum illis, vel Epiſcopo, vigore facultatis, ſibi per Concilium Tridentinum indultæ, ſi ſint irregularitates occultæ (*i*), vel etiam ſi ſint publicæ, juxtà regulam illam generalem, quod omnis diſpenſatio, quæ non eſt Papæ in Canonibus reſervata, poteſt ab Epiſcopo concedi (*l*). Vel diſpenſante Papâ, ſi irregularitas illi eſt reſervata. Quarè ſi opus eſſet diſpenſatione, pro Clericis extraneis ad præbendas eccleſiaſticas admittendis; eam dare poſſet Epiſcopus, quià Papæ non eſt in Sacris Canonibus reſervata; & multò magis eam poſſet Summus Pontifex impertiri,

19. Sed non eſt opus ratiociniis, ubi lex in terminis terminantibus, rem decidit. Ab Honorio Papâ III, poſtulaverat Epiſcopus Regienſis, quid ab eo agendum eſſet, cum Prȩlati inferioris Eccleſiæ ſuis Diœceſeos ſinè ſuâ conſenſione Clericos alienigenas præficiebant. Pontifex verò reſpondit, hoc eſſe contrà honeſtatem (*m*), & ideò Epiſcopo *licere eos indè removere, niſi aliquos ex diſpenſatione in eiſdem Eccleſiis duxerit admittendos* (*n*). En ergò quod ſi quidquam vitii, ſi quidquam defectus, ſi quidquam juris eſt, arcentis extraneos ab eccleſiaſticis beneficiis; poteſt cum eis Epiſcopus diſpenſare; quam poteſtatem cum habeant Epiſcopi, & multò magìs Romanus Pontifex à jure, certè non eis expedit, quod ſe permittant ipsâ facultate ſpoliari,

20. Nihil attento, quod jura inſinuent, eligendos eſſe ad beneficia Clericos de gremio Eccleſiæ vacantis, quippè jura illa non præceptivè, ſed conſultive loquuntur, & ut ait Honorius mox citatus, *ad honeſtatem* pertinent, non ad debitum obligationis. Prout & nec eam rem, uti de jure, ſed ſolum uti de *conſuetudine Canonicâ*, nuncupavit Nicolaus Papa I. in epiſtolâ ad Michaelem Imperatorem Conſtantinopolitanum, de Eccleſiâ magnæ illius urbis verba faciendo (*o*); quemadmodùm etiàm dudùm antè illum, magnus S. Leo, de Eccleſiâ Alexandrinâ proloquendo, electionem ex ipſo Clero, ſimplicitèr nominavit *juxtà veterem morem*, nullâ factâ obligationis memoriâ (*p*). Sed licèt etiàm jura prȩfata debitum involuerent, & obligationis titulum præſeferrent; nunquàm, ut innuimus, talis momenti extiterunt, quod ſupèr illis non poſſet per poteſtatem eccleſiaſticam legitimè diſpenſari. Audiatur Ludovicus Thomaſſinus, appoſitè ſic perſcribens, *Id quoque præcipiebant Canones, ut ex cujuſque Eccleſiæ Epiſcopus deligeretur; Sed non ea erat horum Canonum antiquitas, nec tàm religioſa eorum obſervatio, ut non & illis ſæpiſſimè ipſæ, ſua ſponte, Eccleſiæ derogarent, & Epiſcopos ſibi aliundè accirent* (*q*).

21. Et à partium enumeratione rem ponderando, certè, quantum ad Reges, iſti eo ipſo tempore, quo vigebat jus electionum Canonicarum, non ſe cenſebant adſtrictos debito ſic ſe gerendi, ut beneficia ſolis Clericis de gremio Eccleſię vacantis porrigerentur; *Itaque*, proſequitur Thomaſſinus, *multò minùs Reges iis Canonibus sè obligatos exiſtimabant, quibus, & ipſæ minùs parerent Eccleſiæ &c. Nec dubitandum, quin ubi Reges electionem Canonicam in perpetuum alicui concedebant Eccleſiæ; eam facultatem ejurarent, exuerentque, mittendi quos vellent Epiſcopos è palatio ſuo* (*r*). Si autèm hoc onere non præmebantur Reges, agendi ut ad beneficia ſoli de gremio Eccleſiæ Clerici promoverentur, eo tempore, quo vigebat forma diſponendi de beneficiis, per viam electionis Canonicæ, multò minùs hac

aſtrin-

(a) *Conc. Trid. ſeſſ. 23. de ref. c. 6.*
(b) *Cap. quicumque cap. conſtitutus de hæret.*
(c) *Trident. ſeſſ. 14. c. 7. Navar. Conſ. 44. de homicid.*
(d) *Garcia p. 8. c. 12. n. 21. Barboſ. jur. Eccl. univ. l. 3 c. 13. n. 168.*
(e) *Cap. poſtulatis de Cler. excommun.*
(f) *Garcia de benef. p. 7. c. 6. n. 1.*
(g) *C. infamibus de reg. juris in 6. Garcia p. 7. c. 8. n. 3.*
(h) *C. 1. in fin. de Cler. pugn. in duel. Barboſ. loc. cit. n. 146. & à n. 130. ad 172.*
(i) *Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 6.*
(l) *Argum. cap. nuper de ſent. excom. Barboſ. loc. cit. n. 143.*
(m) *Gloſ. margin. in cap. te nobis de Cler. peregr.*
(n) *Text. in cap. te nobis de Cler. peregr.*
(o) *Nicol. I. in epl. ad Michael Imperat. in Act. 4. Conc. Conſpol. 4*
(p) *S. Leo epl. 100.*
(q) *Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſcipl. p. 2. l. 2. c. 23. n. 6 & id.*
(r) *Thomaſſin. loc. cit. & 8 nec.*

adſtringuntur obligatione nnnc, cum jam forma ipſa ceſſavit. Præterquàmquòd ex lege generali, ubi in juribus de Regum perſona non fit expreſſa mentio, ipſi non ſe cenſent eſſe comprehenſos (*a*). Et ità vel ex hoc capite, vel ex eo, quòd cum ipſis ſit diſpenſatum; cernimus Reges Hiſpaniæ, nihil attentâ Conſtitutione Sixti Papæ V. præcipiente, nè in Regno Valentiæ, ad eccleſiaſtica beneficia quiſquam extraneus admittatur, ibidèm Clericos extraneos, & ad minora, & ad majora, etiam Pontificalia beneficia provehere. Quod non facerent, nec facere poſſent, niſi in Eccleſiâ vigeret poteſtas ſuper hoc articulo diſpenſandi: ità ut, in illis caſibus Eccleſia ad Regis petitionem diſpenſet, ſuper debito præficiendi ſolos indigenas eccleſiaſticis beneficiis. Quod ſi verum eſt prò locis, Apoſtolico privilegio ſuffultis, excluſivo extraneorum; multò magis verum eſt, ubi nullum eſt indultum, talia præſcribens.

22. Quoàd *Epiſcopos* quoquè, cum nullo debito arctentur promovendi ſolos Clericos indigenas ad beneficia, extraneis indè repulſis, *niſi fiat gratia juris communis* (*b*), uti loquitur Gonzalez (non allucinatus, prout autumant Contradictores; ſed optimè jurium conſcius, quemadmodùm omnibus notum eſt) ſequitur, quod ad formam juris, liberè valent Epiſcopi extraneos quoque ad beneficia ipſa provehere. Et quatenùs quidquam in jure obſiſteret, præſertim ratione honeſtatis, quod indigenis faveret, ac alienigenis obviaret; jam diximus, ex pari juris diſpoſitione, clarâ, textuali, ac dilucidâ, Epiſcopos poſſe ſupèr hoc prò eorum libito, diſpenſare (*c*). Quod autèm nonniſi ex rationabili causâ debeat Epiſcopus diſpenſare; hoc pendet à generali illâ quæſtione, an Superior, quotiès uti vult ſuâ poteſtate in diſpenſando, debeat id facere ex rationabili causâ, vel poſſit, prò mero ſuo arbitrio, diſpenſationem interponere. Et quidèm cum diſpenſatio communitèr definiatur, quod ſit juris relaxatio, cum cauſæ cognitione, ab eo factâ, qui habet poteſtatem diſpenſandi (*d*), per eamque vulneretur jus publicum (*e*); videtur, ad eam legitimè interponendam, neceſſariò exigi cauſam: quâ ſubſiſtente, uti loquitur D. Bernardus, honeſtè, juſtè, & legitimè, *prò cauſis, perſonis, locis, & temporibus diſpenſatur* (*f*).

23. At *primò*, hoc ratiocinium eſt de ſubjecto non ſupponente: cum enim jus commune non repellat extraneos, & his non obſtruatur acceſſus ad beneficia, niſi in locis ſpeciali privilegio ſuffultis; non opus eſt, ut Epiſcopi, conſerentes beneficia Clericis extraneis, cum eis diſpenſent. *Secundò*, & quatenùs etiam neceſſaria ad hoc eſſet Epiſcopi diſpenſatio, & ſimul cauſa juſtà id faciendi; non ſpectat ad quoslibet de minuto populo, & nec etiàm ad primores populi, & Cleri dijudicare, an hic, & nunc adſit cauſa legitima diſpenſandi, nec nè: Sed pertinet ad ipſum Epiſcopum ponderare, juxtà Leges conſcientiæ, an dè facto in illis rerum circumſtantiis, expediat, nec nè Clericum extraneum acceſſere. Et ità ſempèr viget poteſtas Epiſcopi, admittendi, etiàm Clericos alienigenas ad beneficia, vigore diſpenſationis, ſi eâ opus eſſet.

24. Demùm, quoàd *Papam*, jàm ſatis diximus, nullibi ſubſiſtere jus ablegandi extraneos ab eccleſiaſticis beneficiis, niſi ubi viget privilegium Apoſtolicum id præſcribens: quo Apoſtolico privilegio quis credat, & quis audeat pronuntiare, quod ligentur talitèr manus ipſius Papæ, ut ſupèr eo non valeat diſpenſare? Profectò ſi per id non arctatur facultas Regum, quin, ipſo privilegio non attento, valeant alienigenis aditum patefacere ad eccleſiaſtica beneficia, uti paulò antè probavimus, exemplo Regis Hiſpaniæ, quoàd Regnum Valentiæ; & de sè etiàm patet, per praxim continuatam, quæ in aliis privilegiatis Regionibus obſervatur; neceſſariò concludendum eſt, quòd per ipſa privilegia, non ità cenſetur auctoritas Romani Pontificis alligata, ut non valeat ſupereâ, rerum circumſtantis ſic exigentibus, diſpenſare.

25. Et quatenùs etiàm contendatur, expulſionem extraneorum eſſe de jure communi (quod abſolutè negamus) notum eſt omnibus, vel mediocritèr in jure peri-

(a) *Creſpi de Valdaura obſer. 5. § 9. n. 69*

(b) *Gonzal. in cap. fin. de Cleric. peregr.*

(c) *Dict. cap. te nobis de Cleric. peregr.*

(d) *Gloſ. in c. requiritis 4. niſi qu. 7. Navar. in c. quem n. 7. de pœnit. Barboſ. de offic. Epiſc. alleg. 33. n. 3.*

(e) *Barboſ. loc. cit. n. 5.*

(f) *S. Bernard. tract. de præcept. & diſpenſ. to. 2. f. 156.*

peritis, quod Papę plena, tota, & totalis competit poteſtas ſupèr ipſo jure communi (*a*). Tùm quià ab ipſomet Papâ jus commune ſuſcipit auctoritatem (*b*). Tùm quià jus commune Pontificis poteſtatem nullis poteſt vinculis limitare (*c*). Tùm demùm, quià in quâcumque juris diſpoſitione ſemper Pontificis facultas intelligitur exempta (*d*). Quarè Papa in jure communi poteſt prò ſuo arbitrio diſpenſare (*e*): Nedum ex causâ, ſed etiàm ſinè causâ, ſeù meliùs ſinè cauſæ cognitione: in diſpenſationibus etenim, à Summo Principe dimanantibus, hoc peculiare eſt, ut poſſint fieri, etiàm ſinè cauſæ cognitione (*f*). Igitùr tametſi per hypotheſim excluſio extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis, & ad ea indigenarum tantùm admiſſio, eſſet de jure communi; adhùc tamèn Summus Pontifex ſupèr eâ poterit diſpenſare: & ità ſaltèm ex hoc capite Clericos extraneos quoque provehere ad eccleſiaſtica beneficia.

(a) *Cap. per venerabilem qui fil. ſint legit. & ibi DD. Barboſ. jur. Eccleſ. Univ. l. 1. c. 2. à n. 95.*
(b) *Cap. ſignificaſti, & ibi gloſ. V. auctoritatem de election.*
(c) *Cap. innotuit 20. de election.*
(d) *Gloſſ. in d. cap. ſignificaſti 4. V. excipiatur de election.*
(e) *S. Thom. quodl. 4 ar. 13. Sayrus Clav. reg. l. 3. c. 10. n. 6.*
(f) *Barboſ. de off. Epiſcopi alleg. 33. n. 6. cum aliis ibi.*

26. De facto Papa, quotiès id exiſtimat expedire, diſpenſat cum non intelligentibus idioma loci, ut inibi beneficia eccleſiaſtica ritè valeant adipiſci (quę diſpenſatio involuit abſciſſionem vitii extraneitatis; cum ille, qui non intelligit idioma, proculdubiò ſit extraneus: quamquàm hæc intèr ſe non dicantur ad convertentiam.) Quâ de rè ità Rebuffus, *literæ ſolent dari extraneis Clericis à Papâ, ut liceat eis beneficia habere in Regno, quamvis non loquantur idiomate patrio, contrà capitulum neminem 70. diſt.* (*g*). Et infrà, loquens de Regulâ 20. Cancellariæ, ut beneficio munerandus intelligat idioma, ait, *limitantur prædicta quandò Papa diſpenſaret expreſsè contrà iſtam regulam, nàm is poteſt diſſolvere, qui & ligare l. ſi puellæ ff. de ſponſal. Itèm fallit hæc regula, ſi diſpenſaſſet per reſeriptum, perindè valere &c. Et diſpenſatio ſic dicere ſolet: quod, ut aſſeris, idioma illius patriæ, quod gentes illarum partium communitèr loquuntur non benè intelligis, nec intelligibilitèr loqui ſcis: nos enim tecum, ut Eccleſiam prædictam habeas &c. diſpenſamus* (*h*). Quod aſſerit etiàm in Franciâ in locis illis, & Regionibus, quæ dicuntur patriæ Obedientiæ, eſſe ſolitum ad praxim perduci, ibi enim quoque ait Papam ſuper defectu idiomatis diſpenſare (*i*). Si igitùr & Papa, & Epiſcopi, & reſpectivè Reges, & alii beneficiorum Collatores, aut ad ea Nominatores, poſſunt ſupèr defectu extraneitatis diſpenſare, vel reſpectivè, ut diſpenſetur, inſtare; nulli dubium eſt, quod horum omnium intereſt hanc diſpenſandi facultatem in ſuo robore ſuſtinere: adeòque ſi omnis alia deeſſet ratio, ſaltèm ex hoc motivo poteſtatis, quà pollet Eccleſia, admittendi extraneos per viam diſpenſationis ad beneficia, dicendum eſt, liberum, & licitum eſſe ipſi Eccleſiæ, illiuſq; miniſtris, & in primis Summo Pontifici, ejuſdem Eccleſiæ Capiti, nec non & Epiſcopis, aliiſque omnibus, tùm ordinariis, tùm delegatis beneficiorum Collatoribus, vel ad ea Nominatoribus, eccleſiaſtica beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis elargiri.

(g) *Rebuff. prax. benef. de reſcript. mixt. n. 5.*
(h) *Idem in reg. 20. gloſſ. 2. n. 14. & 15.*
(i) *Idem ibi Gloſſ. 1. §. ideo.*

SÆ-

Digitized by Google

SÆCULUM CHRISTI XVIII.

C A P U T XIII.

In quo aſſeruntur aliæ rationes, juſtificantes debitum committendi Eccleſiaſtica Beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis.

S U M M A R I U M.

1 *Ecce jam ex Patribus ad Patres, libertatem Eccleſię in præficiendo beneficiis etiam Clericos extraneos demonſtratam.*

2 *Lector, ex probationibus per nos allatis, dijudicet, an juſtitia extraneorum admiſſioni, & libertati Eccleſiæ aſſiſtat nec ne?*

3 *Omnia bona Eccleſiæ ſunt ejuſdem naturæ, in ſacros uſus eroganda ab Epiſcopo, cujus eſt ea diſpenſare.*

4 *Bonorum Eccleſiæ olim quatuor partes fiebant, una Epiſcopo, altera Clericis, tertia pauperibus, & quarta Eccleſiarum reparationibus deſtinata.*

5 *In Hiſpaniâ partitio hæc triplex erat. Nunc omnia Loca pia ſuis bonis determinatè potiuntur, de quibus nihil poteſt ſibi Præſul applicare.*

6 *Omnia bona eccleſiaſtica, ejuſdem ſunt naturæ: poteſt Epiſcopus ſuos reditus pauperibus, & piis uſibus, etiam extrà diœceſim applicare.*

7 *Beneficiarii non tenentur fructus ſuperfluos pauperibus, vel piis locis ejuſdem diœceſis addicere. Alicubi beneficiarii teſtari poſſunt.*

8 *An Papa eis concedere poſſit, ut teſtentur ad uſus non pios? Quid de bonis parſimonialibus? De ſolo jure poſitivo ſuperflui reditus piis uſibus applicandi ſunt.*

9 *An adſit præceptum, vetans erogationem fructuum beneficiorum in uſus profanos? Beneficiarii dominium habent redituum ſui beneficii.*

10 *Si Clerici dominium habent ſuorum redituum, & de illis teſtari poſſunt; non tenentur illos piis uſibus ejuſdem diœceſis applicare.*

11 *Quod Epiſcopi, & beneficiarii teneantur impendere fructus ſuperfluos in eleemoſynas, & pia opera, undè provenire poteſt?*

12 *Quid intelligatur prò fructibus ſuperfluis? Qui etiam ſi debeant piis uſibus applicari; tamen ab illis non excluduntur extranei.*

13 *Præceptum erogandi fructus ſuperfluos in pios uſus, eſt præceptum eccleſiaſticum, fundatum vel in lege miſericordiæ, vel in lege ſacræ Oeconomiæ.*

14 *Job*

14 *Job ſuit legum miſericordiæ, & ſacræ Occonomiæ obſervantiſſimus, admittebatque ad ſuas erogationes nedùm indigenas, verùm etiam extraneos.*

15 *Ex textu Job D. Gregorius probat, miſericordiæ opera, & eleemoſynam, etiam ignotis, & extraneis eſſe pendendam.*

16 *Ex Sanctis Chryſoſtomo, & Baſilio, admittendi ſunt ad opera miſericordiæ etiam infideles. Manichæi extraneos ab eorum ſectâ ab eleemoſynis excludebant.*

17 *Etiàm S. Leo Papa idipſum ſuadet. Itàque SS. Patres ſentiunt, quod eleemoſynæ debeantur etiam alienigenis.*

18 *Non tenentur beneficiarii impendere fructus ſuperfluos in pios uſus, in ſolis locis, ubi eorum erecta ſunt beneficia.*

19 *Fructus beneficii ſimoniacè obtenti, & eleemoſynæ teſtamentariæ, pauperibus relictæ, an, & cur debeantur pauperibus loci?*

20 *Nulla eſt, imò juxtà Sotum, nec dabilis eſt lex, arcens extraneos ab eleemoſynis. D. Ambroſius ſubveniendos docet etiam extraneos.*

21 *Cæteris paribus eleemoſynæ potius indigenis, quam extraneis erogandæ ſunt. Et ità Canones, ità Patres inſinuant.*

22 *Eundem ſenſum habent plures Theologi, de eleemoſynis. Et idipſum ſentit Durandus Mimatenſis, in propoſito beneficiorum.*

23 *At aliud eſt loqui abſolutè, aliud cæteris paribus. Laici nominatores ad beneficia ſuccedunt loco Epiſcopi. Regulæ Cancellariæ Sede vacante ceſſant.*

24 *Papa habet pleniorem poteſtatem in diſpenſatione beneficiorum: poteſt enim ea etiam laicis concedere. An & eorum reditus in profanos uſus impendere?*

25 *Natura pactorum obligat paciſcentes ad eorum obſervantiam. Poteſtas Papalis quoad beneficia eſt limitata ab ejus Reſervationibus.*

26 *Non detrahitur poteſtati Pontificiæ, ſi dicatur eam habere ſuos limites: qui in materia beneficiorum ſunt Reſervationes Apoſtolicę.*

27 *Papæ eſt facultatem, quâ pollent Epiſcopi in beneficiorum collatione tueri, quę ſi limitaret ad ſolos indigenas, gravaret Ordinarios; nec debet ſine gravi cauſâ reſilire à pactis.*

28 *Nec Epiſcopi negare valent Papę libertatem conferendi beneficia etiam extraneis. Quid jurent Epiſcopi in eorum inauguratione.*

29 *Papa, & Epiſcopi, non debent libertatem admittendi extraneos auferre Principibus, & Patronis beneficiorum. Papa an valeat à Concordatis reſilire?*

30 *Si Principes de beneficiis diſponunt ex mero privilegio; quidquid ſit, an hoc privilegium eis valeat auferri; tamèn omninò tolli non debet.*

31 *Patronis beneficiorum adjungi non debet onus nominandi ſolos indigenas. Intèr Fundatorem beneficii, & Ordinarium initur pactum juris patronatus.*

32 *Liberum prorſus debet eſſe tàm Collatoribus, quàm Patronis beneficiorum illis pręficere, etiam extraneos. Quid jurent Reges favore Eccleſię, in eorum inauguratione?*

33 *Quęlibet promiſſiones obligant ad eorum obſervantiam, multò magis juratę. Fides humana debet apud Magnates contubernium habere.*

34 *Si beneficiorum Diſpenſatores non ſè valent alter alterum arctare, ut ſolis indigenis beneficia deferantur; quis eos ad hoc arctare valebit?*

35 *Beneficiorum Collatores, vel ad illa Nominatores, hoc jus non acceperunt à populis. Papa id habet à Deo. Cęteri diverſimodè id habent à Papâ.*

PER-

1. PERVENIMUS tandèm ad Ultimum Chriſti Sæculum, ordine Decimumoctavum, in quo cum jàm ſit tempus, ut qualecumque hoc Opus, quoad partem, quæ reſpicit probationes noſtræ intentionis, in Dei nomine concludamus; ità Contradictores ducimus alloquendos: *Ecce nos quidem ex Patribus ad Patres, per manus traditam fuiſſe hanc ſententiam demonſtravimus: Vos autem quos tandèm nominum veſtrorum poteſtis oſtendere progenitores* (a)? Nos & rationibus, & exemplis; & dogmate, & facto; & probationibus Scripturalibus, Theologicis, Conciliaribus, ex Doctrinâ Patrum deſumptis, Legalibus tandem, Hiſtoricis, & Politicis, adeòque ſeptem diverſis ſcientiis, per totum Eccleſiæ tempus diſtributis, conſideratis, ac perpenſis, oſtendimus, quod ipſa Eccleſia à ſuis primis initiis, ad uſque noſtram ætatem, ſemper libera fuit, in diſpenſatione ſacrorum beneficiorum, ut quibus vellet, ea committeret, ſive indigenis, ſive extraneis, dummodò benemerentibus, & idoneis: Hujuſque ſuæ libertatis Eccleſiam dediſſe ſigna indeſinentèr, ordinatim, de manu in manum, per cuncta Sæcula, quotquot à ſuis primordiis, uſque ad nos pertranſierunt. Vos autèm quid allegare poteſtis, quod probationes iſtas excludat?

(a) *S. Athan. lib. de decr. Nicæn. ſid. contra Euſeb.*

2. Si dicitis, vos multas congeſſiſſe rationes, quibus ſcripta veſtra compaginaſtis, per totum orbem divulgata; & ultrò, ac affectatè, hùc illùc per cunctas provincias Chriſtianitatis diſperſa; videte, ne prò rationibus ſophiſmata; nænias prò motivis; & prò veris probationibus inutiles effutieritis cantilenas, quę *ordinem ab Apoſtolo Petro cœptum, & uſque ad hoc tempus, per traducem ſibi ſuccedentium* temporum *ſervatum, perturbant, ordinem ſibi ſine origine vindicantes* (b). Noſtrum erit inſequenti Tomo cunctas veſtras rationes ad examen vocare, illaſque, attentè diſcutere, ac uſque ad fundamentum exinanire. Interim Lectorum præſentis voluminis ſinceritatem interpellamus, ut citrà contentionis aſtum, ſolo veritatis amore, ex tot probationibus, quas ab initio Eccleſię, atque à primo æræ Chriſtianæ Sæculo, uſque ad noſtram ætatem produximus, tàm ſingularitèr ſumptis, quam collectivè perpenſis, veram ſententiam ſuæ mentis exponant, utrum nobis, an vero vobis, Dilectiſſimi, juſtitia, veritas, & cauſæ robur aſſiſtat. Abſque ambiguitate namque confidimus, quemlibet hujus elucubrationis noſtræ candidum, & æquanimem, attentumque Anagnoſtem, libertati Eccleſiæ fauturum: ingenuèque dicturum, Eccleſiam ipſam fuiſſe, eſſeque liberam in ſuorum diſtributione beneficiorum, ut ea, prout mavult, non modò Clericis indigenis, verùm etiam extraneis impertiatur, niſi ubi aliud indultum Pontificium expoſcat.

(b) *S. Aug. lib. quæſtion. Veter. & nov. Teſtam. c. 110.*

3. Quæ rationes, & probationes, per nos hucuſque allegatæ, ſi alicui fortè non ſufficerent; ecce illi adhùc alias, & quidem fortiſſimas: quas quia præteritorum Sæculorum ordo categoricus non admiſit; eas huic noviſſimo Sæculo reſervavimus, jàmque illas in præſenti, & ſuccedentibus Capitulis exhibebimus, ut uſque nunc allata motiva, prò Eccleſiæ libertate præfatâ, ſequentibus allegationibus cumulemus. Igitùr valida ratio deſumitur ex propriâ naturâ, & conditione bonorum eccleſiaſticorum, hocque modo procedit. Omnia bona eccleſiaſtica in poteſtate Eccleſiæ poſita, ſunt ejuſdem conditionis, & naturæ, quià omnia ſunt ſacra, & ſignantèr talia ſunt ea, *quæ ſunt deputata ad ſuſtentationem miniſtrorum, ſive ſint mobilia, ſive immobilia*, prout docet D. Thomas (c). Tamquàm autem bona ſacra, in ſacros uſus ſunt eroganda, ab eo, ad quem pertinet bona eccleſiaſtica diſpenſare, nempè ab Epiſcopo, cujus eſt à primæva ſui inſtitutione cuncta bona Eccleſiarum, in ſuâ ditione poſitarum, adminiſtrare: undè dicitur in Canonibus Apoſtolicis, *omnium negotiorum eccleſiaſticorum curam Epiſcopus habeat, & ea, velut Deo contemplante, diſpenſet* (d). Et infrà, *præcipimus, ut in poteſtate ſuâ Epiſcopus Eccleſiæ res habeat &c. ità ut poteſtate ejus indigentibus omnia diſpenſentur per presbyteros, & diaconos, & cum timore, omnique ſollicitudine miniſtren-*

(c) *S. Thom. 2. 2. qu. 99 art. 3. in corp. in fin.*

(d) *Canon. Apoſtol. cap. 39.*

ſtren-

ſtrentur (*a*). Quorum quidem Canonum vim, & auctoritatem, lautè tuetur adverſus Magdeburgenſes Franciſcus Turrianus (*b*), & nos alibi de iiſdem fuſiùs eloquemur adverſus genus illud Criticorum, quorum nimium ſubtilis, perſcrutatio, omnium penè rerum veritatem in dubium revocat, quas perpendendas aggreditur. Præterquàmquod nobis non eſt neceſſe probare, omnes Canones Apoſtolorum eſſe authenticos, & genuinos; ſed ſatis eſt oſtendere, tales eſſe illos, quibus utimur in hoc opere: quidquid ſit de cæteris. Sufficit quoque ad intentum noſtrum, quod hi Canones ſint in Eccleſiâ Dei ab antiquo tempore in uſu: quidquid ſit, an hæc antiquitas uſque ad Apoſtolorum tempora proficiſcatur, vel non.

4. Porrò bona eccleſiaſtica olim Epiſcopi in quatuor partes dividebant (*c*); quarum unam ſibi retinebant, huicque ſucceſſerunt bona, quæ dicuntur de menſâ Epiſcopi. Aliam Sacerdotibus, & Clericis miniſtris Eccleſiarum, prò eorum ſuſtentatione pendebant; hiſque ſucceſſerunt beneficia eccleſiaſtica, prębendæ, portiones, & ſimiles reditus, qui ad fruendum miniſtris eccleſiaſticis conferuntur. Tertiam partem pauperibus ſublevandis erogabant, cui ſuccedunt nunc proventus hoſpitalium, ſocietatum, confraternitatum, & aliorum locorum piorum, quorum ſubſidiis pauperes confoventur. Quartam tanèm prò reparandis materialibus ædificiis eccleſiaſticis applicabant, quibus nunc ſuccedunt fructus bonorum, alicubi ad hoc peculiaritèr deputati: ubi verò hi non ſunt; ex fructibus beneficiorum, & prębendarum, ac locorum piorum, in Eccleſiâ reparandâ erectorum, portio aliqua, quoties opus eſt, ſegregatur: vel alio modo, prò temporum, ac locorum conſuetudine, providetur, ut fiat congrua reparatio. Hæc quadruplex bonorum eccleſiaſticorum diſciſſio circà Quintum Chriſti Sæculum primò emerſit (*d*): cum anteà ipſorum adminiſtratio, & partitio, integrè, ac totalitèr in arbitrio Epiſcopi reſideret, junctâ æquitate, & prudentiâ. Quam quià, ſucceſſu temporis, pluribus in locis, de injuſtitiâ, inæqualitate, & indiſcretione, culpare, ſive etiàm fortè mordere, inceperunt Clerici, populi, ac pauperes, diſtributionis talium bonorum participes; idcircò ad omnem ſuſpicionem fraudis, & ad conqueſtiones hominum excludendas, operæ pretium fuit præfatam diviſionem ſancire.

5. In Italiâ, & in toto generalitèr Occidente, quadruplex hæc partitio vigebat tempore S. Gregorii, de quâ uti de rè uſitatiſſimâ, ipſe ſcripſit B. Auguſtino Anglorum Epiſcopo: *mos Apoſtolicæ Sedis eſt ordinatis Epiſcopis præceptum tradere, ut de omni ſtipendio, quod accedit, quatuor fieri debeant portiones. Una videlicèt Epiſcopo, & familiæ ejus, propter hoſpitalitatem, & ſuſceptionem. Alia Clero. Tertia verò pauperibus. Quarta Eccleſiiis reparandis* (*e*). In Hiſpaniâ tamèn triceps tantum erat bonorum eccleſiaſticorum diſſectio, juxtà præceptum Concilii Bracarenſis, ità ſancientis: *De rebus eccleſiaſticis tres æquales fiant portiones, ideſt Epiſcopi una, alia Clericorum, tertia in recuperatione, vel in luminariis Eccleſiæ* (*f*). Triplicem quoque bonorum diviſionem fieri mandat Concilium Emeritenſe, ſed diverſâ methodo: nimirùm, ut unam accipiat Epiſcopus. Secundam Presbyteri, & Diaconi. Tertiam Subdiaconi, atque Clerici (*g*). Verùm cùm jàm noſtrâ ætate ubilibet diſtincta ſint bona Menſę Epiſcopalis, Eccleſiarum parochialium, Dignitatum, & Prębendarum, quæ in Cathedralibus, & Collegiatis ſunt, necnon beneficiorum ſimplicium monaſteriorum, hoſpitalium, confraternitatum, & generalitèr omnium locorum piorum; Epiſcopus non habet immediatam adminiſtrationem, niſi bonorum ſuę Menſæ: & quoàd alia ei competit, vel ſolum jus ea conferendi, vel reſpectivè ſuperintendentia, & ſolertia, quâ caveat, ut bona ipſa conſerventur, honeſte miniſtrentur, & eorum reditus in determinatos uſus fidelitèr impendantur. De iſtis verò uti docet D. Thomas (*h*), nihil poteſt licitè ſibi arrogare, vel ſuis commodis applicare.

6. Ad quamcumque autèm ex dictis quatuor partibus pertineant bona eccleſiaſtica, ejuſdem naturæ ſunt, & conditionis, quià æqualitèr ſunt Deo dicata, æqualitèr divino cultui mancipata, æqualitèr tandèm, ut ait D. Thomas ſupracitato

(a) *Canon. Apoſtol. cap. 41*
(b) *Franc. Turrian. lib. 1. pro Canon. Apoſt.*
(c) *Cap quatuor. 27 c. de reditibus 28. cauſ. 12 qu. 2*
(d) *Thomaſſin. Vet. & nov. Eccl. diſc. p. 3. l. 2 c. 13. n. 5. 6. 7. & 8*
(e) *S. Auguſt. l. 12. ep. 31. reſp ad 1. interrog.*
(f) *Concil. Bracarẽſ. 2. cap. 7.*
(g) *Concil. Emerit. cap. 14.*
(h) *S. Thom. 2. 2 qu. 185. art. 7. in corp.*

tato loco, ſunt ſacra; ergò eadem erit ratio illorum habenda in ipſorum diſtributione. Quo poſito, ſic eloquimur: Bona eccleſiaſtica, deputata ad uſus proprios Epiſcopi, ſeù reditus bonorum ipſius Menſæ Epiſcopalis, poſſunt liberè, & licitè ab eo, nedùm uſibus piis ſuę diœceſis applicari, & pauperibus, ac egenis diœceſanis, prò ſuo libito, ac voluntate concedi, ſed etiam Clericis, & pauperibus extraneis tradi, & extraneis piis uſibus applicari. Ergò quoquè bona eccleſiaſtica, deputata uſibus Miniſtrorum Eccleſiæ, nempè beneficia eccleſiaſtica, liberè, & licitè poſſunt ab eodem Epiſcopo Clericis extraneis conferri. Non enim eſt major ratio de bonis eccleſiaſticis, ad uſum Miniſtrorum deputatis, quàm de aliis, menſæ Epiſcopi addictis; cum omnia ſint bona ſacra ejuſdem diœceſis, & ejuſdem Epiſcopi adminiſtrationi commiſſa. Antecedens eſt certum, quià nulla major ineſt obligatio Epiſcopo, impendendi fructus, ſivè integros, ſivè ſuperfluos, ſuæ menſæ, in ſolis piis operibus, vel pauperibus ſuę diœceſis, quam inſit beneficiariis inferioribus onus idem faciendi; Sed beneficiarii inferiores, nedùm non tenentur abſolutè, & ex juſtitiâ, proventus, vel integros, vel ſuperfluos ſuorum beneficiorum, piis operibus diœceſis, vel diœceſanis pauperibus applicare, ſed imò congruos poſſunt in proprios, vel ſuorum uſus convertere, & ſuperfluos licitè valent etiam pauperibus, & piis uſibus extradiœceſanis, applicare (*a*). Ergò etiàm Epiſcopi non tenentur reditus bonorum ſuę menſę in pauperibus diœceſis, vel piis operibus diœceſanis impendere, ſed illa poſſunt prò libito etiam piis operibus, & pauperibus extraneis elargiri.

(a) *Vid. infrà tom. 3. c. 4. du. 2. Azor. inſt. mor. l. 7. c. 10. qu. 3. p. 2. Bonac. tom. 2. de oblig. benef. diſp. 4. pun. 2. num. 3.*

7. Major eſt evidens, quià ejuſdem naturæ ſunt proventus beneficiorum, inferiorum, ac ſint Epiſcopatuum, tàm quę eſt beneficiarius Epiſcopus, quam beneficiarii inferiores. Ergò de ipſis idem eſt judicium faciendum (*b*). Ergò ſi beneficiarii inferiores non tenentur bona ſua eccleſiaſtica piis operibus, vel diœceſanis pauperibus applicare, ſed illa valent etiam extraneis impertiri; idipſum liberum quoquè erit Epiſcopo. Minor verò probatur auctoritate Doctorum, tàm Theologorum, quam Canoniſtarum. Nàm præter ea, quæ ex Azorio, & Bonacinâ, in margine citatis, innuimus de pauperibus, & piis uſibus extradiœceſanis; ex Theologis Egidius Trullenchus ità loquitur: *Beneficiarius ex iis, quæ ex fructibus beneficiorum congruenti ſuſtentationi ſuperant, jure communi teſtari non poteſt cap. quià nos cap. relatum 2. cap. cum in officiis de Teſtam. &c. Hæc autèm prohibitio non eſt de jure divino, ſed humano eccleſiaſtico, ut latè probat Barboſa lib. 3. de jur. univ. cap. 17. n. 43. Ideò potuit conſuetudine abrogari; Undè in Galliâ, & Hiſpaniâ, & in Regno Valentino, Aragoniæ, & Cataloniç, & aliis, ex conſuetudine approbatâ, teſtari poſſunt, & ſi fortè diſcedat inteſtatus; ſuccedunt in ejus bonis illius propinqui. Poteſt ergò teſtari Clericus in Hiſpaniâ de fructibus beneficii ad pias cauſas; imò & ad profanas* (*c*). Eandem ſententiam tenet Dicaſtillus (*d*), qui proùt & Trullenchus, ſubindè addiungunt, beneficiarium teſtando peccare; ſed pace tantorum Doctorum, neſcimus videre, quomodò peccet defeiendo per teſtamentum hæreditatem ei, cui etiam ab inteſtato debetur (*e*). Ex Canoniſtis Garcias de beneficiis hæc habet: *Exiſtimo, ſtante dictâ conſuetudine, poſſe beneficiatum licitè teſtari, etiam ad uſus profanos, & relinquere dicta bona Conſanguineis divitibus, eamque conſuetudinem in conſcientiâ excuſare. Nàm dicta conſuetudo non eſt contrà jus divinum &c. nec eſt irrationabilis, maximè cum ex eâ non fiat præjudicium Eccleſię* (*f*).

(b) *Cajetan. in 2. 2. S. Thom. qu. 185. art. 7. 4. ad primum.*

(c) *Trullenc. in Decal. to. 2. l. 7. c. 18. dub. 5 num. 7.*

(d) *Dicaſtil. de Juſt. c. 2. tr. 29. diſp. 7. dub. 15. num. 156.*

(e) *Bonacin ubi ſupr. pun. 3. n. 2. loc. Trullenc. loc. cit.*

(f) *Garcia de benef. tom. 1. par. 2. c. 1. n. 76.*

8. Scimus hanc opinionem ab aliquibus impugnari, intèr quos Henricus Caniſius totus eſt in illâ evertenda (*g*): & Diana, vir aliàs doctus, & laxis opinionibus ſæpè favens, eò uſque procedit, ut neget Summo Pontifici poteſtatem indulgendi beneficiariis, ut de eorum fructibus ad profanos uſus teſtentur, vel eos in uſus non pios impendant (*h*): Quod Caniſius loco citato non audet Summo Pontifici denegare. Sed ad rem noſtram non pertinet hanc difficultatem hìc ex profeſſo diſcutere. Verùm certè opinio, quod Clerici beneficiati poſſint licitè de fructibus

(g) *Caniſ. in Comment. ad l. 3. decret. tit. 26.*

(h) *Diana par. 10. tr. 12. reſ. 35.*

bus eccleſiaſticis, præſertìm parſimonialibus quos è congruâ ſui ſuſtentatione, vivendo parcius, ſervarunt, teſtari; à Moraliſtis abſque hæſitatione docetur (*a*): Et generalitèr, quod non teneantur, niſi de jure poſitivo expendere in uſus pios fructus ſuorum beneficiorum, eſt ſententia ſatis probabilis, eamque uti talem reputant *Sotus de juſt. & jur. lib.* 10. *quę.* 4. *art.*3. *Leſſius lib.* 2. *cap.*4. *dub.*6. *n.*47. *Sanchez in opuſc. to.*1. *lib.*2. *cap.*2. *dub.*4 *n.*2. *in fin. Trullench. in Decal. to.*2. *lib.* 7. *cap.*2. *dub.* 6. *n.* 9. & 11. *Baunyus in Theol. mor. tom.* 3. *lib.*2. *tr.*9. *quę.*4. & *alii*. Inter quos doctus Eſcobar ità ſentit, beneficiarii *bonorum patrimonialium verum dominium habent, ſicut laici, poſſuntque prò libito diſponere. Eorum autem, quę in ſuſtentationem congruam eis de bonis Eccleſię conferuntur, etiam habent dominium. Porrò tàm libera ſunt hęc, ad ſuſtentationem bona collata, ab obligatione eleemoſynæ, quam patrimonialia, quià juſta eſt laborum merces. Enim verò eorum, quæ poſt congruam ſuſtentationem ſuperfluunt, probabile eſt non habere dominum, debereque operibus piis impendere, ſub onere reſtitutionis; ſed probabilius reputo cum Leſſio, & aliis, eorum abſolutos dominos eſſe; nec obnoxios reſtitutioni futuros, licet ea profanè expendant* (*b*).

(a) *Vid. DD. ap. Bonac. loc. cit.*

(b) *Eſcobar. Theol. Mor. tr.* 5. *exam.* 5. *c.* 4. *num.* 45.

9. Imò Petrus de Lorca tuetur, nec etiam extare præceptum poſitivum, prohibens Clericis erogationem fructuum ſuorum beneficiorum in uſus profanos: & verba Concilii Tridentini, quæ ſolent ad hoc communitèr allegari (*c*), expendit, gloſſat, & oſtendit ad rem non facere, ac negotium hoc non percutere (*d*). Profectò beneficiarii ſunt veri, & reales domini fructuum ſuorum beneficiorum, uti diſertis hiſce verbis affirmat Angelicus D. Thomas: Epiſcopi *propriorum bonorum dominium habent. Undè ex ipsâ rerum conditione, non obligantur, ut aliis ea conferant, ſed poſſunt ea, vel ſibi retinere, vel etiam aliis prò libito elargiri &c.* Et infrà, loquens præciſe de bonis Menſę Epiſcopalis, addit: *De his autem, quæ ſunt ſpecialitèr ſuo uſui deputata, videtur eſſe eadem ratio, quæ eſt de propriis bonis* (*e*): hocque præſertim eſt verum, quando reditus Epiſcopi ſunt talitèr moderati, ut quaſi prò ſuâ præbendâ ſint ejus Menſę aſſignati: tunc enim ait Cajetanus *quaſi propria bona cenſenda videntur*. Si verò tàm affluentes ſint, ut non habeant ſpeciem præbendæ congruæ Epiſcopalis, ſed potiùs videantur Epiſcopo collata, veluti patri pauperum, ut ea indigentibus elargiatur; tùnc aliud judicium de illis agendum eſt (*f*). Et quod de Epiſcopo dicitur, proportionaliter beneficiariis inferioribus applicatur (*g*). Quodque beneficiarii dominium plenum habeant bonorum ſuarum prębendarum, eſt ſententia plurium Moraliſtarum, quorum feriem videre eſt apud Bonacinam, & alios (*h*).

(c) *Concil. Trid. ſeſſ.* 25. *c.* 1. *de refor.*

(d) *Lorca in* 2. 2. *qu.* 185. *ar.* 9 *ſec* 3 *diſp.* 40 *memb.* 3. *num.* 44.

(e) *S. Thom.* 2. 2. *quæſ.* 185. *art.* 7. *in corp.*

(f) *Cajetan. in* 2. 2. *S. Thom. qu.* 185. *art.* 7. § *ad* 2. *in med.*

(g) *Conc. Trid. ſeſ.* 25 *c.* 2. *de ref.*

(h) *Bonac. tom.* 1. *de oblig. beneficior. p.* 1. *num* 5.

10. Si autèm Clerici, beneficiis eccleſiaſticis inſigniti, plenum dominium habent proventuum ſuorum beneficiorum; cum dominium ſit jus, & facultas diſponendi ad ſuum libitum de aliquâ rè (*i*); ſequitur, quod poſſint prò ſuo libito ipſos proventus, ſivè ſuos reditus applicare, tàm in hoc, quam in illo opere: tàm prò extraneis, quam prò indigenis. Rursùs ſi iidem Clerici poſſunt liberè de fructibus ſuorum beneficiorum, ubi talis viget conſuetudo, teſtari, etiam ad cauſas profanas, in ſenſu præfatorum Doctorum; certum eſt, quod non tenebuntur ad illos in eleemoſynas erogandos, & multò fortiùs non tenebuntur illos piis uſibus intrà diœceſim, aut pauperibus loci beneficii applicare, & ſic redimus ad probationem minoris n. 6. propoſitę; ergò nec etiam Epiſcopi tenebuntur proventus ſuæ Menſę in pauperes, vel pia opera erogare intrà diœceſim: ſed illa poterunt prò eorum libito etiam piis operibus, & pauperibus extraneis elargiri (*l*), vel in alios profanos uſus impendere. Loquimur, ſtando in ſententiâ paulò ſuperius allegatâ (*m*), cum Doctoribus eam tuentibus, quæ non minùs probat prò Epiſcopis, quam prò aliis beneficiariis inferioribus, ità ut æquale ſit judicium utrobique faciendum (*n*).

(i) *Bonac. loc. cit. n.* 2 *Molin. de Juſt. & jur. tr.* 2. *diſt.* 3. *Bart. in l. ſi quis vi num.* 4. *ff. de aquir. poſſeſ. Barboſ. trac var. Appel.* 225. *num* 10

(l) *Azor. Inſtit. mor. l.* 7. *c.* 10 *qu* 2.

(m) *Vid. hic ſupr. num.* 8.

(n) *Leſſius de Juſt. & jur. l.* 2. *cap.* 34 *dub.* 14 *num* 64

11. Sed quidquid ſit de hac ſententiâ, ponamus prò certâ contrariam opinionem, cui, & mediocritas noſtra ſubſcribit; nempè ineſſe Epiſcopis obligationem erogan-

erogandi fructus ſuperfluos ſuæ Menſæ in eleemoſynas, aut alia pia opera. Quod provenire poteſt, vel ex decreto Concilii Tridentini, ſic jubentis Epiſcopis, & idem dicit de inferioribus beneficiariis: Sancta Synodus &c. *omninò eis interdicit, nè ex re ditibus Eccleſię conſanguineos, familiareſque ſuos augere ſtudeant, cùm & Apoſtolorum Canones prohibeant, nè res eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent; ſed ſi pauperes ſint, iis ut pauperibus diſtribuant; eas autem non diſtrahant, nec diſſipent illorum causâ* (*a*). Quam tamen Concilii determinationem intentum hujus ſententiæ non concludere contendit Petrus de Lorca (*b*). Vel provenire poteſt ex intentione fundatorum, quorum credibile ſit, voluntatem fuiſſe, ut bona ſuperflua beneficiorum in eleemoſynas, & pia opera deſervirent (*c*), quod tamèn onus, & conditionem non eſſe ſupponendam inſinuat Bonacina cum aliis (*d*). Et nimium probare rationem hanc contendit Cardinalis de Lugo, quià probat, quod erogans fructus in uſibus profanis peccet contrà juſtitiam, & teneatur ad reſtitutionem, quod falſum eſt (*e*). Vel tandèm provenire poteſt ex aliis rationibus, uti ſtatus perfectionis, aut juris naturalis, quod hoc ab Epiſcopo expoſcat; quæ tamen multas patiuntur difficultates, & ſtrictè examinatæ, non videntur arctare magìs Epiſcopos, quam laicos ad impendendos in ſacris uſibus reditus ſibi ſuperfluos, & certè non magìs Epiſcopos afficere, quam alios inferiores beneficiarios (*f*). Quamquàm Diana hos minus, quam illos ad hoc cenſeat obligari (*g*), intelligendo de illis Epiſcopis, quibus luculentos reditus Menſa eorum Epiſcopalis aliquo in loco fructificat: Cum tamèn alibi, & pluribus in locis vix, vel parùm, excedant ſummam, ſuſtentationi congruæ neceſſariam.

12. Admittamus, inquam, Epiſcopos teneri ex obligatione (quam Soto (*b*), & Leſſius (*i*), reducunt ad merum præceptum eccleſiaſticum) fructus ſibi ſuperfluos, in eleemoſynis, vel piis operibus applicare: quod & S. Gregorius in epiſtolâ ad Auguſtinum Epiſcopum Anglorum conſuluit, *omne quod ſupereſt, in cauſis piis, ac religioſis erogandum eſt: Domino, & magiſtro omnibus dicente: Quod ſupereſt date eleemoſynam* (*l*). Superfluos; ideſt quidquid prętèr honeſtum victum, veſtitum, familiam, & condecentem ſtatum ſuperfluit, prout explicat Toletus his verbis: *Epiſcopos, ſubtractis his, quę ad decentem victum, & veſtitum, & domus ornatum pertinent: & ſubtractis his etiam, quæ gratiâ pietatis, & charitatis poteſt in alios conſanguineos indigentes, aut famulos diſtribuere; tenetur reſiduum dare pauperibus* (*m*). Vel uti meliùs D. Thomas, *ſi quis bona fide diſpenſet eccleſiaſtica bona, indè accipiens, quod ſibi convenit, ſecundùm conditionem ſtatus, & perſonæ, & aliis largitur, ſecundùm quod ſibi videtur bonâ fide expedire, non peccat mortalitèr, etiam ſi fortè aliquid plus in ſuos uſus convertat, quam oporteat. Talia enim, quià in ſingularibus eſt eorum judicium, non poſſunt per omnimodam certitudinem definiri* (*n*). Superfluos reditus, inquam, admittimus Epiſcopum teneri ad erogandos in eleemoſynas, aut pios uſus; ſed hos non debet neceſſariò in pios uſus, aut in eleemoſynas intrà diœceſim exercendas, impendere, ergò illas poterit etiam locis, & viris extraneis applicare.

13. Probatur minor, nedùm auctoritate Doctorum in margine notatorum, & in puncto loquentium (*o*), ſed etiam ratione. Præceptum erogandi fructus ſuperfluos in pios uſus eſt præceptum eccleſiaſticum, ut innuimus, eſtque fundatum primò in lege miſericordiæ, & curæ paſtoralis, pauperibus, & piis operibus impendendæ, uti cenſet Diana (*p*): Eleemoſyna enim eſt opus miſericordiæ (*q*), ad quam etiam alia pia opera, ut in pluribus, reducuntur. Secundò in lege ſacræ Oeconomiæ, exigentis, ut Epiſcopus, tamquàm bonus, & fidelis adminiſtrator rerum Dei (*r*), eas diſpenſet, tali fide, atque integritate, qualem decet Oeconomum rerum Dei, & Eccleſiæ: Quæ ſicut ipſos reditus in eleemoſynas, & pia opera impenderet, ſi illa apud ſe retineret; ità vult, ut eodem modo etiam à ſuo OEconomo diſpenſentur (*s*). At nec lex miſericordiæ, nec lex ſacræ Oeconomiæ, excludit extraneos à participatione proventuum, qui earum intuitu diſpen-

(a) *Concil. Trid. ſeſ. 25. cap. 1. de ref.*
(b) *Lorca in 2. 2. D. Thom qu. 32. art. 9. ſec. 3 diſp. 40. memb. 2. n. 44*
(c) *Vid Card. de Lugo de Juſt. & jur. tom. 1. diſp. 4. ſec. 2. num. 13*
(d) *Bonac. tom. 1. de oblig. Beneficiar. diſp. 4. pu. 1. num. 4*
(e) *De Lugo loc. citat.*
(f) *De Lugo de Juſt. & jur. diſp. 4. ſec. 2. per tot.*
(g) *Diana par. 5. tr. 8. reſ. 27*
(h) *Soto de Juſt. & jur. lib 10 qu. 4. art. 3.*
(i) *Leſſius lib. 2. c. 4 dub. 6. num. 47.*
(l) *S. Greg. l. 12. epiſtola 31. reſponſ. 2.*
(m) *Tolet. Inſtruc. Sacerd. l. 5. c. 4. concl. 3*
(n) *S. Thom. quodlib. 6. qu. 8. art. 12. in corp.*
(o) *Bonac. tom. 2. de oblig benef. diſp. 4 qu. 2. num. 3. Azor Juſt. mor. l. 7. cap. 10 quæſt. 2. cum aliis infrà num. 18.*
(p) *Diana par. 5. tr. 8. reſ. 27.*
(q) *S. Auguſt in Enchirid.*
(r) *1. Corinth. 4.*
(s) *De Lugo de Juſt. & jur. diſp. 4. ſec. 3. num. 41.*

penſantur; ergò nec etiam eos excludit à participatione bonorum ſuperfluorum, per Epiſcopos erogandorum. Si autèm extranei non ſunt repellendi à participatione bonorum eccleſiaſticorum, quæ ſunt fructus ſpectantes ad Menſam Epiſcopi; ergò nec etiam excludendi erunt à participatione bonorum eccleſiaſticorum, quæ ſunt deſtinata, ut concedantur in uſufructum Miniſtrorum, Eccleſiæ deſervientium, ſcilicet beneficiorum eccleſiaſticorum; utrobique enim eſt par ratio: & ſic ad beneficia eccleſiaſtica, nedùm indigenæ, ſed etiam extranei dignoſcuntur eſſe admittendi.

14. Quod autem à ſuperfluis bonis præbendæ Epiſcopalis, (& ſic proportionalitèr de aliis præbendis inferioribus, in pauperes erogandis, juxtà leges miſericordię, & ſacræ Oeconomiæ, excludendi non ſint extranei, probatur auctoritate Job, qui fuit vir legum miſericordiæ, & ſacræ Oeconomiæ obſervantiſſimus. *Miſericordiæ*, quià de ſe ipſo ſic eſt effatus, *ab infantiâ meâ crevit mecum miſeratio, & de utero matris meæ egreſſa eſt mecum (a)*. *Oeconomiæ*, quià quæ à Domino receperat, pro illius gloriâ, rectè, & libentiſſimè diſpergebat, vocem ſic extollens, *Dominus dedit, Dominus abſtulit &c. ſit nomen Domini benedictum (b)*. Job, inquam, de erogatione ſuorum proventuum in uſos pios, veniam petens à Domino, ſi peccaſſet, ait, *ſi deſpexi prætereuntem, eo quod non habuerit indumentum, & abſque operimento pauperem (c)*. Quo verſiculo, & indigenas nomine *pauperis*, & extraneos nomine *prætereuntis* appellat, & utroſque ad ſuas erogationes admiſſos eſſe patefacit. Audiatur D. Thomas gloſſans hunc textum, *ſi deſpexi prætereuntem, ideſt quemcumque extraneum, per viam tranſeuntem; & pauperem, eo quod non haberet indumentum, ſcilicèt notum (d)*. Job ergò & notos, & advenas: & pauperes, & prætereuntes: & indigenas, & extraneos, ad ſuas erogationes admiſit, & ab aliis, præſertìm eccleſiaſticis, docuit eſſe admittendos: Ne ſolis indigenis manum aperientes, eam clauderent alienigenis, & ſacrę Oeconomię, atque miſericordię leges honeſtiſſimas damnabili prævaricatione quaſſarent.

(a) *Job. 31. 18.*
(b) *Job. 1. 21.*
(c) *Job. 31. 19.*
(d) *S. Thom. in Job. 31. lect. 1. in fine.*

15. Ponderat D. Gregorius hunc ipſum textum Job, & objurgans eos, qui ad eleemoſynas non niſi indigenas admittunt, extraneis repulſis, clamat; *ſunt nonnulli, qui pietatis ſuæ viſcera tendere uſque ad incognitos neſciunt, ſed ſolis, quos per aſſiduitatem notitiæ didicerint, miſerentur: apud quos nimirùm plùs familiaritas, quàm natura valet, dùm quibuſdam neceſſaria, non quià homines, ſed quià noti ſunt, largiuntur: benè nunc per Beatum Job dicitur: ſi deſpexi prætereuntem eo quod non habuerit indumentum. Ignoto enim proximo miſertum ſe indicat, quem prætereuntem vocat, quià videlicet apud piam mentem plùs natura valet, quàm notitia. Nam & unuſquiſque qui indiget, eo ipſo quo homo eſt; ei jam incognitus non eſt (e)*. D. Gregorio conſentiunt alii Patres, nempè S. Hieronymus, talitèr de hac materiâ perorans: *Sivè ille Sacerdos, ſivè cognatus ſit, & affinis, nihil in eo aliud conſideres, niſi paupertatem. Sinè diſcretione omnibus indigentibus ſimplicitèr tribuamus, non quęrentes cui, ſed quarè demus (f)*. Et in conſolatoriâ ad Julianum, illum laudat, quod & extrà patriam in Dalmatiæ inſulis Monaſteria conſtrueret, & ibi ſuis eleemoſynis prolixum monachorum numerum ſuſtentaret: *Extruis*, inquit, *Monaſteria, & multus à te per inſulas Dalmatiæ Sanctorum numerus ſuſtentatur (g)*.

(e) *S. Greg. Moral. in Job. lib. 21. cap. 14. in fin.*
(f) *S. Hier. in epiſt.*
(g) *S. Hier. epl. 34. poſt med.*

16. Itèm S. Joannes Chryſoſtomus: *Si indifferentèr omnibus dederimus, ſemper miſerebimur; ſi autem diſcutere cœperimus; nunquàm miſericordiam præſtabimus (h)*. Et alibi: ſi quis *prò nutrimento poſtulat, nihil in his examines. Inquire quomodò Abraham hoſpitalem ſe circà omnes oſtendebat. Si ſcrutator fuiſſet circà refugientes ad sè, nunquam Angelos hoſpitio recepiſſet; fortaſſis enim non putans eos Angelos eſſe, cum reliquis & hos repuliſſet: Sed quoniam omnes recipiebat, ſuſcepit & Angelos, non enim ex vitâ eorum, quos accipis, mercedem tibi retributurus eſt Deus, ſed ex voluntate tuâ, ex honorificentiâ multâ, ex miſericordiâ, ex bonitate (i)*.

(h) *Chryſoſt. oper. imperf. homil. 26.*
(i) *S. Joan. Chryſ. homil. 11. in epiſt. ad Hebr. ad cap. 6.*

Pari-

Digitized by Google

Paritèr idem D. Jo: Chryſoſtomus, ſeù quiſquis eſt Auctor Operis imperfecti, ſecundo Tomo Operum illius inſerti, ità egregiè proloquitur: *qui dat eleemoſynam Infideli, modicam quidem, tamèn habet mercedem; qui autèm fideli, duplicem habet mercedem: primùm quià creatura Dei eſt, deindè quià ſervus Dei eſt. Qui autèm infideli dat, unam habet mercedem, quià creatura Dei eſt* (*a*). Hinc S. Auguſtinus exprobrandos cenſuit Manichæos, quod exteris omnibus, eorum impiam Sectam non ſequentibus, vetarent eleemoſynas præberi (*b*). S. Baſilius, teſte S. Gregorio Nyſſeno ejus fatre, pietatis ſuæ officia, & eleemoſynas, nedùm cunctis Chriſtianis indigentibus, ſed etiam perfidis Judæis penurioſis liberalitèr impendebat (*c*). Alios Sanctos pietatis ſuæ viſcera in pauperes extraneos, & etiam Infideles liberalitèr effundentes, alibi adnumeravimus (*d*), hic qui allegati ſunt, jam ſufficiunt.

(a) *Idem oper. imperf. homil. 26.*

(b) *S. Aug. lib. de Mor. Manich. c. 15.*

(c) *S. Gregor. Nyſſenus Oration. in funer. Baſilii.*

(d) *Vid. ſupra tom. 1. cap. 2. num. 10. 13. & cap. 3. num. 6. 7. 41.*

17. Sed cunctorum cumulet ſenſum aureum eloquium magni Divi Leonis Papæ, ſic è Vaticanâ Cathedrâ detonantis: *In eleemoſynarum diſtributionibus bonitatem Patris Cæleſtis imitemur, qui ſolem ſuum oriri facit ſupèr bonos, & malos, & pluit ſupèr juſtos, & injuſtos* (*e*). *Quamvis ergò fidelium præcipuè adjuvanda ſit paupertas, etiam illi tamen, qui nondùm Evangelium receperunt, in ſuo labore miſerandi ſunt, quià in omnibus hominibus, naturæ eſt diligenda communio, quæ nos etiam iis benignos debet efficere, qui nobis quacumque ſunt conditione ſubjecti, maximè ſi eâdem gratiâ jam renati, & eodem Sanguinis Chriſti pretio ſunt redempti. Simùl enim & cum iſtis habemus, quod ad imaginem Dei conditi ſumus, nec carnali origine à nobis, nec ſpirituali nativitate diviſi ſunt. Eodem Spiritu ſanctificamur, eâdem fide vivimus, ad eadem Sacramenta concurrimus. Non ſpernatur hæc unitas, nec vilis nobis ſit tanta communio, ſed hoc ipſum nos per omnia faciat mitiores, quod eorum utimur ſubjectione, cum quibus uni Domino eâdem ſubiicimur ſervitute* (*f*). Ex quibus patet affluentiſſimè, ac uſque ad exuberantiam innoteſcit, ſanctos Patres in eâ verſatos eſſe ſententiâ, quod eleemoſynæ, non ſolum ab Epiſcopis, & cæteris beneficiariis, ſed etiam à cunctis Chriſtianis, largiendæ ſint, tàm pauperibus indigenis, & localibus, quàm advenis, & extraneis, etiam corruptæ fidei, & religionis alienæ, nullâ nationum diverſitate, nullo attento diſcrimine perſonarum.

(e) *Math. cap. 5.*

(f) *S. Leo ſerm. 3. de quadr. poſt med.*

18. Quarè Theologi paſſim, tàm Scholaſtici, quàm Morales, nec non Canoniſtæ, & Scripturales, unâ vocis conſonantiâ fatentur, nullum beneficiarium ad fructus, ſuæ congruæ ſuſtentationi ſuperfluos, impendendos teneri in pauperes, & pios uſus, diœceſis, vel loci, ubi erectum eſt beneficium; quià nullibi hoc præſcribitur, nullibi lex ulla legitur, beneficiarios ad hoc omninò coarctans. Ità ex Scripturalibus *Cornelius à Lapide in Actor. cap. 10. num. 34. & Joannes de Sylveirâ in opuſc. 2. quæſt. 7. reſ. 32.* Ex Canoniſtis *Navar. de redit. Eccleſ. quæſt. 1. monit. 27. num. 1. & Barboſ. jur. Eccl. univ. lib. 3. cap. 17. num. 22.* Ex Scholaſticis *Molina tom. 1. de juſt. & jur. tr. 2. diſp. 146. Petrus de Lorea in 2. 2. D. Thomæ diſp. 40. memb. 2. num. 40. & Card. de Lugo de juſt. & jur. tom. 1. diſp. 4. ſec. 3. num. 39. §. denique.* Ex Moraliſtis *Azorius inſtit. mor. par. 2. lib. 7. cap. 10. quæſt. 2. & Bonac. tom. 1. de oblig. beneficiar. diſp. 4. pun. 2. num. 3., quibus adhærere videtur Dian. par. 10. tr. 11. reſ. 36. Baſſeus Flor. Theol. verb. Dominium 2. ſuppl. num. 12.* & alii. Quorum dux, & doctor Angelicus D. Thomas in Quodlibetis hæc habet, *quamvis teneatur dare ſuperfluum pauperibus, non tamèn tenetur omnibus dare, nec huic dare, ſed tenetur diſtribuere ſecundùm quod ſibi viſum fuerit opportunum* (*g*).

(g) *S. Thom. quod lib. 8. qu. 6. art. 12.*

19. Hocque eſt adeò verum, ut Azorius, fretus auctoritate Navarri, non ambigat affirmare, Beneficiarios *jure communi non cogi* fructus ſuperfluos *inſumere in loco, ubi ſitum eſt beneficium. Imò Canones ſanxerunt decimas eſſe ſolvendas ad uſus Clericorum, Eccleſiarum, pauperum, peregrinorum etiam, & advenarum* (*h*). Subindeque reſpondet objectiunculis, quibus in contrarium ludi potius poteſt, quàm ſeriò, & theologicè diſputari. Intèr quas computamus illam Contradictorum, quod fructus beneficii ſimonaicè accepti, à jure præcipiantur reſtitui pauperibus

(h) *Azorius Inſtit. Moral. p. 2. l. 7. c. 10 qu. 2. cap de reditibus cum cap. ſequ. 12 quæſt. 2.*

ribus loci beneficii; juſſio enim hæc (præterquamquod, uti pœnalis, & ad deterrendos Simoniacos facta, ſpeciales habet inſpectiones, nec currit æquo pede cum caſu noſtro) non eſt præceptiva, ſed directiva, à quâ ſi quis diſcederet, non peccaret, qui ſcilicet fructus ſimonaicos in aliorum locorum pauperes erogaret. Idemque dicendum de aliâ, quod eleemoſynæ teſtamentariæ pauperibus derelictæ debeantur ſolis pauperibus illius loci; nam ſi ibi conſtat de tacitâ, vel expreſſa voluntate teſtatoris, quod ſic jubeat, ab eâ non eſt devlandum. Sed ſi de illâ non conſtaret, ac talis voluntatis indicia ſufficientia deeſſent, poſſent eleemoſynæ illæ etiam pauperibus extraneis diſpenſari. Undè mirum eſt, Contradictores in rè tàm clarâ, & evidenti, velle contrarium ſuadere, quorum conatum diſſipant conjunctis viribus Auctores præfati, & preſertim ex propoſito Joannes Sylveira loco citato.

20. Nulla igitur eſt lex, nulla ratio, abſolutè excludens extraneos à participatione fructuum ſuperfluorum, quæ beneficiarii debeant piis uſibus applicare. Imò Sylvius, vir valdè doctus (a), nec non & Sotus celeberrimus Theologus (b), exiſtimant, non poſſe licitè ferri legem, quâ interdicatur advenis, & extraneis, ad eleemoſynas alicujus Urbis acceſſus. Niſi tamèn aliqua motiva urgentia concurrerent, locis, & temporibus commenſurata, quæ hanc legem juſtificarent: tunc enim in ſententiâ Becani, rectè lex ederetur (c). Sed in reliquis, eleemoſynæ debent æquè extraneis, ac indigenis patere. Injuſtum eſſe cenſebat D. Ambroſius extraneos, penuriæ tempore, à captitandis eleemoſynis diſtinere, ità in libris officiorum inclamans. *Feræ feras non expellunt: cur homo expellit hominem, qui cibum egenti negat? Prętereà peregrini nobis victum inferre conſueverunt, hos nolumus neceſſitatis tempore, qui omni vitâ nos paverunt? Noſtra interdùm familia, plerique etiàm noſtri apud illos ſunt; reddamus quod accepimus. Frumentum ab extraneis ſuſcipis, nec illis impertis? Quid illum eiicis, qui te pavit? Nec enim canes apud nos exiſtentes in menſâ, patimur fame mori, quin aliquid porrigamus* (d): Si hæc favore extraneorum protulit D. Ambroſius, tempore caritatis, quid quæsò dixiſſet affluentibus eſcis? Si hæc de eleemoſynis generalitèr per cunctos Chriſticolas elargiendis; Quid quæsò ſenſiſſet de fructibus ſuperfluis, per beneficiarios ſpeciali debito diſpenſandis? Conſideret benignus Lector, & ſententiam prò ſuâ ſapientiâ depromat.

21. Itàque hoc unum eſt, quòd fructus beneficiorum in pauperes, & pius uſus erogandi, generalitèr loquendo, admittunt extraneos, non ſecus ac indigenas (e). Nec quidquam in contrarium poterit allegari, quod verè probet, extraneos eſſe à participatione pręfatorum fructuum excludendos, niſi fortè cæteris paribus (f): ex eâ ratione, quod juxtà D. Thomam, beneficentia, cæteris paribus, exercenda eſt potiùs in conjunctos, quàm in extraneos (g): & ità Canones Apoſtolici dant Epiſcopo, ut de bonis Eccleſiæ ſuis conſanguineis egentibus ſubminiſtret (h): quod & D. Ambroſius ſuâ auctoritate fulcit (i), & S. Thomas ratione ſimul, & auctoritate tuetur (l). Subminiſtrent, inquam conſanguineis, priuſquàm extraneis, quià beneficentia, cæteris paribus, potiùs magìs conjunctis, quàm remotioribus eſt pendenda. Sicut etiàm & eleemoſyna, cæteris paribus, potiùs propinquioribus, quàm remotioribus eſt præbenda (m). Et ſic D. Petrus Damianus ſcripſit Alberto Epiſcopo, dignum eſſe, ut pauperes Chriſti refrigerium ſentiant de ſtipe potiſsimùm illius Eccleſiæ, quam frequentant (n); Sic D. Leo ſermocinando protulit, eleemoſynam cæteris paribus eſſe potiùs Chriſtianis, quàm infidelibus erogandam, quoniàm plus debemus noſtris prò conſortio gratiæ, quàm alienis prò conſortio naturæ (o). Sic D. Ambroſius, mox memoratus, ſubſidia liberalitatis priùs domeſticis fidei eſſe deſerenda tradit, quam à fide remotis (p). Et ſic antè omnes ſeuſiſſe videtur Apoſtolus, dùm ad Timotheum ſcripſit, *Si quis ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior* (q).

22. Hunc eundem ſenſum habet *Lorca in* 2. 2. *D. Thomæ diſp.* 40. *memb.* 2. *n.* 40.

(a) *Sylvius in* 2. 2. *D. Th qu.* 32. *ar.* 9 *qu.* 3

(b) *Soto opuſc. de liberatio in Cauſa Pauperum.*

(c) *Becan. in* 2. 2. *D. Th de fide, ſpe* ... *c.* 31. *dub.* 9. *n.* 23.

(d) *S. Ambr. lib.* 3. *offic. c.* 7.

(e) *Capit. quieſcamus & ibi Gloſ. V. poſtulatus diſt.* 43.

(f) *Barboſ. Sum. Apoſt. dec. collect.* 579. *n.* 4.

(g) *S. Thom.* 2. 2. *qu.* 31. *art.* 3. *ad* 1.

(h) *Canon. Apoſt.* 39.

(i) *S. Ambr. offic. l.* 1 *c.* 30.

(l) *S. Thom.* 2. 2. *qu.* 185. *art.* 7. *ad* 2.

(m) *S. Thom.* 2. 2. *qu.* 32. *art.* 9.

(n) *S. Petr. Damian. to* 2 *l.* 4. *epl.* 1.

(o) *S. Leo ſerm.* 4. *de Jejun.* 7. *Menſis.*

(p) *S. Ambr. lib.* 1. *officior. c.* 30.

(q) 1. *Timot.* 5. 8.

n. 40. *Duallius in eod. loc. D. Thomæ tr. de Charit. quæſt.* 3. *de eleemoſ. Garcia in Sum. Theolog. Mor. tr.* 1. *diff.* 4. *dub.* 2. *n.* 10. *apud Dian. par.* 1. *tr.* 12. *reſ.* 36. *Sylveir. in opuſc.* 2. *quæſt.* 7. *reſ.* 32. *Cardinalis de Lugo de juſt. & jur. diſp.* 4. *ſec.* 3. *n.* 38. *Becanus in præfatum locum D. Thom. de fid. ſpe, & charit. cap.* 21. *dub.* 9. *n.* 23. Et ſicut in eleemoſynis obtinendis indigenæ ſunt extraneis, cæteris paribus, præferendi; ità & in beneficiis conſequendis, idem eſt: de quibus præclariſſimè *Durandus Mimatenſis in tractat. de mod. generalis Concilii celebrandi*, ſic loquitur: *Illi, qui ſunt ejuſdem linguagii, & ejuſdem Regni, & Provinciæ, Civitatis, & Diœceſis, & Eccleſiæ, cæteris paribus, ſunt aliis in eccleſiaſticis beneficiis, & prælationibus, ſecundum jura, præferendi. Et in hoc concordant jura, à multis Romanis Pontificibus edita, & ſpecialitèr à Cæleſtino, Pelagio, Gregorio, Innocentio, Leone, Stephano: & Conciliumgenerale, ne prò defectu, & penult. capit. Concilii Neoceſarienſis, & 2. & 3. cap. Conc. Bracaren., & penult. cap. Conc. Taurinenſis, & 8. & 9. cap. Concil. Auriacen., & ult. cap. Concil. Valentin. & 12. cap. Conc. 1. Toletan. & 12. cap. conc. 2. Toletan. & 2. cap. Bracaren.* (a) In quo, & nos libentiſsimè cum Contradictoribus convenimus, & conſtantiſsimè aſſerimus, tàm Clericos indigenas eſſe extraneis, in beneficiorum conſecutione, cæteris paribus, præferendos, quam pauperibus localibus eleemoſynas eſſe potiùs, quàm alienigenis, cæteris paribus, porrigendas.

(a) *Durand. de modo celebrandi Concil. par.* 3. *tit.* 43.

23. Sed aliud eſt loqui abſolutè, aliud cæteris paribus. Primum eſt omninò falſum. Secundum autèm eſt verum. Hæcque cæterorum paritas, inter extraneos, & indigenas, non eſt ab ullis aliis dijudicanda, quam ab ipſis beneficiorum, ac eleemoſynarium diſpenſatoribus, qui ponderatis rerum, perſonarum, ac temporum circumſtantiis, bonâ fide, ac ingenuè deliberatione decernant, an hic & nunc, in caſibus practicis, debeant indigenam extraneo, vel vice versè præferre. Supputando igitur totam ſeriem hujus rationis, concludimus, quòd ſicut Epiſcopus liberè, & licitè poteſt bona Eccleſiæ, ad uſum ſuæ menſæ deſtinata, tàm in totum ſi velit, quam quoad partem ſuperfluam, pauperibus erogandam, nedùm pauperibus ejuſdem Civitatis, & Diœceſis idigenis, ſed etiam extraneis impertiri; Ità liberè, & licitè poteſt alia bona Eccleſiæ, ad uſum Sacrorum Miniſtrorum deputata, ſeù in beneficia, & præbendas Clericales erecta, prò ſuo libito, tàm Clericis extraneis, quàm indigenis, dummodò dignis, & benemerentibus elargiri. Et quod dicitur de Epiſcopo, etiam de aliis beneficiorum Collatoribus, & ad ea Nominatoribus, æquo pede currit, ac ex eâdem ratione verificatur: quandòquidem hi omnes, in largitione beneficiorum, loco Epiſcopi ſuccedunt. Nam de jure collatio omnium beneficiorum ſuæ Diœceſis liberè pertinet ad Epiſcopum (b). Ad Papam autèm non pertinet, niſi vigore Reſervationum, quæ vel in Corpore juris ſunt clauſæ, vel in Regulis Cancellariæ Apoſtolicæ ſunt comprehenſæ, quæ Summo Pontificatu vacante, omnimodè ceſſant (c). Ad Imperatorem paritèr, & Reges, & ſi qui alii Laici ſunt beneficiorum diſtributores, id non niſi ex privilegio pertinet, illis hanc facultatem deferente, ab Epiſcopis avulſam, undè largitiones beneficiorum ab his factæ, dicuntur, vel Epiſcopali jure conceſſæ (d), vel reſpectivè editæ auctoritate Papali (e). Demùm ad Laicos, & Clericos, beneficiorum juris patronatus diſtributores, pertinet Epiſcopali jure, ob jus patronatus in erectione, vel dotatione beneficiorum, illis ab Epiſcopo reſervatum, quòd ſi expreſsè non reſervaretur, beneficium liberum eſſet (f).

24. Et ità quidquid dicitur de Epiſcopo in hac rè verificatur ex paritate rationis, etiàm de Papâ, Imperatore, Regibus, & aliis omnibus Clericis, aut Laicis, tùm ordinariis, tùm delegatis beneficiorum collatoribus, vel ad ea nominatoribus: Excepto quòd in Papâ eſt ſuperior, & plenior juriſdictio: & ubi alii inferiores tenentur beneficia Clericis elargiri; Papa de plenitudine ſuæ poteſtatis poteſt illa etiàm meris laicis concedere (g). Ac ubi alii inferiores debent fructus beneficiorum pauperibus, & aliis piis operibus applicare; Papa illos poteſt, ſaltèm

(b) *Borel. to.* 1. *tit.* 20. *n.* 258. *Lotter. de rè benef. l.* 2. *qu.* 21. *n.* 77.

(c) *Mandoſ. ad reg. Canc. reg.* 1. *qu.* 12. *n.* 6. *reg.* 30. *qu.* 7. *n.* 5. *Monet. de ult. volun. c.* 11. *n.* 405. *Engel. Colleg. jur. can. p.* 1. *in proem. n.* 44.

(d) *Mart. de juriſd. par.* 4. *cent.* 1. *caſ.* 46. *n.* 13.

(e) *Fagnan. in cap. quod nobis n.* 42. *de Clandeſt. deſponſ. Card de Luca de benef. diſc.* 9. *n.* 12. *Lotter. de rè benef. l.* 1. *qu.* 6. *n.* 46. 47.

(f) *C. nobis de jure p. Vivian. eod. tit. par.* 1. *c.* 2. *n.* 28.

(g) *Borel. ſum. deciſ. to.* 1. *tit.* 20. *n.* 89. *Garcia de benef. p.* 1. *c.* 2. *n.* 28.

ex

ex cauſâ, in alios uſus, etiàm profanos, prò ſuo libito impendere (*a*): quatenùs præceptum dictos proventus in religioſos, & pios effectus erogandi, eſt præceptum merè humanum (*b*); in quo Pontifex, ſine ambiguitate valet prò ſuo arbitrio diſpenſare. Itàque, cum illa pars bonorum eccleſiaſticorum, quæ debet in pauperes, & pios uſus impendi, poſſit liberè, & licitè non minùs in pauperes, & pios uſus extraneos applicari, quàm in locales, & indigenas; à paritate rationis, etiàm alia pars bonorum eccleſiaſticorum, quæ debet in uſus Sacrorum Miniſtrorum erogari, poteſt liberè, & licitè, nedùm Sacris Miniſtris indigenis, ſed etiàm extraneis conferri.

(a) *Cordub. l. 1. qu. 18 Dian. p. 5. tr. 8. reſ. 28*

(b) *Soto de juſt. l. 10 qu. 4 art. 3. Diana loco cit. & par. 10 tr. 11 reſol. 30. in fine*

25. Alia Ratio deſumitur ex naturâ pactorum, quæ obligant in conſcientiâ paciſcentes ad eorum obſervantiam: hocque ſicuti locum habet in omnibus aliis pactionibus ultrò citròque obligatoriis; ità etiam locum habet in pactis, intèr partes initis, quoàd negotia beneficiorum. Partium autèm hic nomine, intelligimus primò Papam ex unâ, & Epiſcopos, ſeu Ordinarios ex aliâ. Secundò Papam, Epiſcopos, & Ordinarios ex unâ; & Principes aliquos, alioſque Clericos, & Laicos juſpatronatus in beneficiis habentes, ex aliâ. Et quoàd primum certum eſt, quod Papa eſt primarius, & plenipotens diſpenſator omnium beneficiorum in totâ Eccleſiâ exiſtentium (*c*); tamen plenitudinem hanc ſuæ poteſtatis habet limitatam reſpectu Epiſcoporum, à pactis, ſive tacitè, ſive expreſsè contentis, præſertim in Reſervationibus determinatis, tàm in corpore juris, quàm in Regulis Cancellariæ Apoſtolicæ clauſis: ità ut beneficia, quę in his non ſunt contenta, videantur eſſe ſub fide publicâ, plenariæ Epiſcoporum diſpoſitioni conceſſa. Tametſi Papa interdùm juſtis ex cauſis valeat etiam Ordinarios prævenire, & præbendas quoque, ac beneficia non reſervata conferre; quod tamen inſolitum eſt, & vel nunquam, vel valdè raròſuccedit. Loquendo ergò de jure ſolito, quamvis facultas juriſdictionis à Pontifice dimanet in Epiſcopos, uti ſentiunt & Theologi (*d*), & Canoniſtæ (*e*), & Scripturales (*f*); tamen Epiſcopus creari non poteſt ſinè juriſdictione, vel actuali, vel habituali, reſpectu territorii, cujus Epiſcopus eſt. Et cum Epiſcopus de jure habeat poteſtatem adminiſtrandi omnia bona eccleſiaſtica ſuæ Diœceſis, & beneficia eccleſiaſtica conferendi (*g*); non poteſt creari Epiſcopus, qui facultatem non habeat beneficia conferendi, quæ ſpecialitèr non ſint reſervata Pontifici. Omnia itàque beneficia, quidquid ſit an poſſit, ſaltèm non debet Pontifex reſervare: quià tunc ſolum, ut ait S. Leo, *Sacerdotalis officii meritum ſplendeſcit, ubi ſic ſummorum ſervatur auctoritas, ut in nullo inferiorum putetur imminuta libertas* (*h*).

(c) *Cap. licèt 2 de præbend. in 6*

(d) *Bellarm. de Pôt. l. 4 c. 24, & 25 S. Thom. in 4. diſt 24, qu. 24, & lib. 4 con. Gent. c. 76*

(e) *Cap. qui ſcit. 2 qu 6 Barboſ. Jur. Eccleſ Univ. l. 1 cap. 8 n. 19 cum aliis*

(f) *Cornel. à Lap. in Matth 16 19 & explic.*

(g) *Barboſ. loco cit. l 3. c. 23. n. 15 Borel. ubi ſuprà n. 358, & alii*

(h) *S. Leo epl 63. ad Theodor. Epiſcop. Cyri.*

26. Nec ideò quidquam detrahitur Pontificiæ poteſtati, ſi ſuos limites in materiâ beneficiorum habere dicatur; quià, ut benè inquit Auctor libri, cui titulus eſt, Regale Sacerdotium, *hanc poteſtatem, exlegem, & effrenem, ac inverecundam, nec Apoſtolus admiſit, qui prò veritate tantum, non contrà veritatem, sè aliquid poſſe dicebat. Vanæ igitùr ſunt illæ, ne quid acerbius loquamur, inconſultę quorumdam juriſconſultorum voces, eam Pontificibus aſſerentium poteſtatem, quam ipſi Pontifices erubeſcunt, Deos quoſdam eſſe in cauſis beneficialibus: mutare quadrata rotundis &c. & alia, quæ licet innocentem aliquem, ſanumque ſenſum habere poſſint, ipsâ tamèn verborum ſpecie, abſurdiſſima ſunt, ac Hęreticis riſum, Catholicis indignationem moven. Quibus meritò illud Job 13. occinere poſſis: Utinam taceretis, ut putaremini eſſe ſapientes? Nunquid enim Deus indiget mendacio veſtro, ut prò illo loquamini dolos* (*i*)? Habet ergò poteſtas Pontificis reſpectu Epiſcoporum limites deſignatos, quoàd diſtributionem beneficiorum, nempè normam præſertim Reſervationum, quæ vel in corpore juris clauſæ ſunt, ut innuimus, vel ſunt in Regulis Cancellariæ contentę. Per has Papa, vel expreſsè, vel ſaltèm tacitè, cum Epiſcopis quodammodò tranſegiſſe videtur, & ſub publicæ fidei verbo ſpoſpondiſſe facultatem conferendorum beneficiorum, Epiſcopis obſervare, quæ illis extrà per dictas reſervationes relicta eſt.

(i) *Regal. Sacerdotii l. 4. §. 1. Verſ. At verò fol 561.*

27. Imò ad Papam pertinet facultatem prædictam Epiſcoporum, jàm ſuis legi-

gitimis modis conſtitutam, & multorum ſeculorum obſervantiâ confirmatam, tueri, ut non arctiùs conſtringatur, ſi effuſiùs non protenditur. Petro etenim juſſit Chriſtus, *& tù converſus confirma fratres tuos* (*a*): ideſt protege, conforta, defende: tuum enim eſt eorum, quorum caput es, tamquàm tuorum, & Eccleſiæ membrorum, cuſtodiam gerere, curam habere, & jura toto niſu tueri. Quapropter ſi nunc Pontifex libertatem (quâ uſque modo potiti ſunt Epiſcopi) conferendi beneficia, ad ſuam largitionem pertinentia, tum Clericis extraneis, tùm indigenis, novis vellet hiſce circumſtipare cancellis, & jàm collationem ipſam ad ſolos indigenas coarctare; videretur prefatę juſſionis debito contraire, inſolitum eis onus adiicere, & pacta, ſive tacita, ſive expreſſa, prout ſuprà cum Epiſcopis inita vulnerare: ſicque fidem publicam violare, ac Epiſcopos, & Ordinarios ſuis juribus defraudare, & promiſſionibus anteactis deeſſe. Quod non debere ullo modo fieri, quiſque prudens, & rectus affirmabit, cui perſuaſum ſit, quod etiam Papa ex ſuâ promiſſione obligatur (*b*), nec ab eâ proindè debet deficere, niſi aliud aliqua urgens cauſa, vel publicæ utilitatis ratio depoſceret, à perſonarum, temporum, ac locorum circumſtantiis menſuranda. Vel niſi ipſi Epiſcopi conſentirent, quemadmodùm eos feciſſe cogitamus, cum Apoſtolica Sedes quibuſdam Nationibus indultum contulit, extraneos ab eorum beneficiis excludens. Et quidquid etiam ſit, an de facto Pontifex poſſet hoc onus Ordinariis ingerere, de ſuę plenitudine poteſtatis; tamen de æquitate, ſinè præfatorum pactorum prævaricatione non poſſe videtur, & ſi hoc faceret, citrà præciſæ neceſſitatis, & cauſæ urgentis exigentiam, ſinè querimoniis non tranſiret. Papa ergò libertatem Ordinariorum conferendi beneficia, etiam Clericis extraneis, vel non poteſt, vel ſaltèm non debet, juſtitiâ, vel æquitate ſic depoſcente, ſubtrahere.

28. Viceversâ, neque Epiſcopi, ſeù Ordinarii locorum hanc libertatem conferendi beneficia, tàm extraneis, quàm indigenis, Papæ competentem, ſinè gravi culpâ impugnare valent, vel, ne illâ utatur, obſiſtere. Tùm quià Epiſcopi in eorum inauguratione jurarunt *Regalia S. Petri, jura, honores, privilegia, & auctoritatem S. Romanæ Eccleſię, Domini Papę &c. conſervare, defendere, augere, & promovere &c. & reſervationes, proviſiones, & mandata Apoſtolica totis viribus obſervare* (*c*). Tùm quià per deſignationem beneficiorum, hinc indè à Papâ, & Epiſcopis conferendorum, nempe ut Pontifex ea, quę in Reſervationibus, vel corpori juris inſertis, vel in Regulis Cancellariæ comprehenſis continentur, diſpenſet; Epiſcopi verò ea conferant quę ſuperſunt; viſi ſunt, ut innuimus, Papa, & Epiſcopi intèr sè, vel tacitè, vel expreſsè paciſci. Quemadmodùm ergò, ex firmatis, non poteſt Papa, vel non debet, ſinè magnâ causâ, & multum relevante, libertatem conferendi extraneis beneficia, Epiſcopis auferre, ſinè pactorum, ut ſuprà memoratorum prævaricatione, & ſinè publicę quodammodò fidei violatione; ità & Epiſcopi non poſſunt ab ipsâ promiſſione, ſive mutuâ pactione, ex ſuâ parte deficere, ac ſinè gravi peccato eandem libertatem Pontifici denegare. Et ſic uſque nùnc jàm clarè remanet eliquatum, nec à Papâ Epiſcopis; nec ab Epiſcopis Papæ eſſe detrahendam libertatem conferendi eccleſiaſtica beneficia, tàm Clericis extraneis, quàm indigenis: niſi aliud Pontifex ob gravem aliquam cauſam, bonum publicum intuentem, decernendum eſſe cenſeret: quo caſu etiam res pendentèr agenda eſſet, ut minùs in hac parte libertatem Eccleſiæ læderet, quam fieri poſſet.

29. Eodem modo nec Papa, & Epiſcopi, ex unâ parte negare valent, vel reſpectivè debent, magnis Principibus, & Clericis, atque Laicis, potientibus jure patronatus in beneficiis, vel alitèr de illis diſponentibus, ex aliâ parte, libertatem, nè beneficia ipſa, vel extraneis, vel indigenis, prò eorum voluntate largiantur. Nàm quoad Principes ſupremos, quibus favent Concordata intèr eos, & Sedem Apoſtolicam ſtipulata, uti ſunt Concordata Germanica inter Nicolaum Papam V., & Fridericum III. Imperatorem ſtabilita (*d*), Concordata Gallica inter Leonem Papam X. & Franciſcum I. Regem concluſa (*e*): & ſi quę alia ſunt, quæ rationem ha-

(a) *Luc.22.32.*

(b) *Decius in cap. perrectam n.4. de cõfirm. util. vel inutil. & in c. Canonum n.23. de Conſtit. Barboſ. Jur. Eccl. Univ. l.1. c.2. n.136.*

(c) *Pont. Rom. p.1. de Conſecr. Epiſc.*

(d) *Nicol.5. Conſt.1.*

(e) *Leo X. Conſt.20.*

habent Concordatorum, quidquid ſit an Sedes Apoſtolica, ab eis valeat reſilire, illave reſcindere, vel aliter alterare (*a*); Sine dubio jura in his pactionibus conſtituta favore Principum, non eis debent, nec à Pontifice, neque ab Epiſcopis minorari. Nàm Papa proculdubiò, ut innuimus, ſuis promiſſionibus, juramento vallatis, obligatur (*b*), cum & ipſe Dominus verbo, quod juravit, profiteatur in Sacris Scripturis, ſe quodammodò formiter obligari (*c*). Et quoàd Epiſcopos, citrà dubium eſt, illos non poſſe à pactis, intèr Papam, & Regem initis deſilire. Sicut & nec Principes licitè poſſunt jura in pactis reſervata, ſive Papæ, ſive Epiſcopis, intercipere, imminuere, defraudare; aliàs quicumque eorum prevaricator eſt Concordiæ, non ſinè culpa id agit.

(a) *Suarez con. Regem Angel. l. 4. c. 34. num. 24. & de leg. l. 8. c. 37. n. 5. Del Bene de Immun. to. 1. c. 9. dub. 6. ſec. 6. n. 34.*
(b) *Decius & Barboſa locis citat.*
(c) *Pſalm. 931. n. 11.*

30. Quoàd alios verò Principes magnos, quibus pertinet ex mero privilegio ad beneficia Clericos idoneos præſentare, vel alitèr de illis diſponere: quamquam in conceſſione privilegiorum non cenſeatur Pontifex jura ſuæ dignitati coæva, unquam à ſe totalitèr abdicaſſe (*d*); tamen, quantum eſt in ſe, privilegia conceſſa non tollit (*e*): Quidquid ſit, an poſſit tollere, & prò ſuo arbitrio revocare (*f*). Non, inquam, ea tollit, præſertim quoties indulta non merè gratuito, ſed vel ex titulo oneroſo, vel ad lites dirimendas, vel ad compenſanda alia jura, conceſſa ſunt: tunc enim hanc limitationem non ſuſtinent (*g*). Imo & ipſa mere gratuita limitationem hanc non admittunt, quoties jus eſt Monarchis taliter acquiſitum, ut ſine magnis contentionibus, & incommodis indulta ipſa non valeant revocari. Et quatenùs etiàm hæc facultas Pontifici non negetur, adhùc tamen habere quidem poterit locum in ſenſu diviſo, ſed non in ſenſu compoſito. Id eſt quod poterit quidem Pontifex privilegia ipſa reſcindere, & poſt reſciſionem nova onera, vel beneficiis, vel beneficiariis imponere; ſed non poſſe videtur, ſubſiſtentibus adhùc dictis privilegiis, quibus eſt jus tertiò acquiſitum, novum onus indigenatus ingerere, ac libertatem Principis privilegiati, extraneorum diſpulſione, truncare.

(d) *Barel. to. 1. tit. 20. num. 303. Barboſ. Jur. Eccl. univ. l. 1. c. 2. num. 129.*
(e) *Cap. privilegia cum ſeq. 25. qu. 2. cap. quanto deſt. 63. in fin.*
(f) *Garcia de benef. p. 5. c. 1. n. 678.*
(g) *Seraphin. deciſ. 1082. n. 13. deciſ. 1293. n. 2. & deciſ. 1372. n. 2.*

31. Paritèr quoàd Laicos inferiores, & Clericos, jure patronatus præditos in beneficiis à ſè fundatis, vel dotatis; nec Epiſcopi, imò & nec Papa ſaltem ſine magnâ causâ valent eos hoc novâ lege ligare, ut non niſi indigenas ad eadem nominent, & preſentent (loquimur de beneficiis juris patronatus, jàm dudum erectis, non de iupoſterum erigendis) quià intèr Superiorem erigentem, & patronum fundantem, aut dotantem, inita ſunt pacta ultro citròque obligatoria. Patronus nempè ſe obligavit tradere bona Eccleſiæ, & actualitèr tradidit in beneficii titulum erigenda, cum jure tamen præſentandi, Clericum idoneum juxtà praxim Eccleſiæ: & vice verſa Superior ſè obligavit accipere bona nomine Eccleſiæ, & in titulum beneficii erigere, prout erexit, & illi reſervare jus Clericum idoneum juxtà praxim eccleſiaſticam præſentandi. Hoc edito contractu, neutra pars valet à pactionibus reſilire. Et cum Clericus idoneus, juxtà praxim Eccleſiæ, uſque nunc ſemper fuerit reputatus quilibet undecumque progenitus, non conſideratâ idoneitate ex parte indigenatus, ſed ex parte probitatis, & doctrinæ, ac legitimæ ætatis; non poteſt nunc Superior pacta violare, novum onus Patrono injungens, arctandi preſentationem ad ſolos indigenas, & locales. Imò nedùm in patronatibus jàm erectis, ſed nec etiam in erigendis, poſſet licitè jure ordinario apponi hujuſmodi reſtrictio; quià ex eo quod expulſio extraneorum à beneficiis, quantum eſt in ſè, dicitur ambitioſa, & exorbitans à jure (*h*); habenda videtur prò conditione turpi, & ſic à limine erectionis arcenda; niſi eam fundator ipse depoſcat, vel niſi aliud graves aliquæ cauſæ, in occaſionibus particularibus conſiderandæ, poſtularent, quarum intuitu Preſul Eccleſię aliter ſuâ poteſtate in præfatis rebus uti deberet, aut vellet.

(h) *Rota & Doctor. ap. Barboſ. in c. ad decorem n. 3. de inſtit.*

32. Quomodò autem nec Papa, nec Epiſcopi jus Principum, & aliorum laicorum, & Clericorum, patronatu in beneficiis eccleſiaſticis perfruentium, vel alitèr de illis diſponentium, imminuere, in præfatis terminis reſpectivè non valent, & ſic non illos arctare ad beneficia ſolis indigenis elargienda; eodem modò, & nec Principes, neque laici, & Clerici prefati, jus Epiſcoporum, & Pontificis, quo hi

uſque

uſque nunc potit; ſunt, beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis impertiendi, vulnerare licitè valent: Utrobique enim eſt par ratio. Et quoàd Principes, augetur vis rationis in eis, ex juramento in eorum auſpicatione interpoſito. Nàm Reges, dum ſolemnitèr coronantur, tactis Dei Evangeliis jurejurando pollicentur: *Pontificibus Eccleſiarum Dei condignum, & canonicum honorem exhibere (promitto) atque ea, quæ ab Imperatoribus, & Regibus Eccleſiis collata, & reddita ſunt, inviolabilitèr obſervare &c.* (a). Hæc autem quomodò adimplebunt, minorando libertatem Eccleſię, ejuſque Antiſtitum, in beneficiis prò eorum libito diſpenſandis? Profectò ſi res ſincere penſetur; perjurium evaderentnè Reges, peculiari diplomate deſtituti, qui Eccleſiam Dei ad has anguſtias coarctarent, ut non niſi indigenas poſſet beneficiis ſacris præficere? Certè Pontificibus canonicum honorem non exhiberent, quem ſponderunt; ſi eos adigerent ad excludendos ab eccleſiaſticis beneficiis Clericos extraneos, quos Canones non repellunt.

33. Porrò quælibet promiſſiones, quantumvis nudæ, atque ſimplices, obligant in conſcientiâ ad eorum obſervantiam ſub peccato mortali, maximè ſi ex violatione promiſſionis infertur damnum tertio, qui jus in rè adeptus erat, uti docent Theologi, tàm Scholaſtici, quàm Morales (b). Hocque præſertim verum eſt intèr Magnates, quorum verba prò lege inviolabili habenda ſunt. Undè quidam Galliarum Rex magnanimè pronuntiabat, quod ſi veritas, & fides humana, ab Orbe foret extorris, deberet contubernium in ore Principum reperire. Quæ verò promiſſiones ſunt, non ſimplices, & nudæ, ſed inſuper juramento vallatæ, multò magis ad obſervantiam obligant ſub pœnâ culpæ mortalis, quià juramentum ſuperadditum promiſſioni, prætèr naturalem obligationem, parit etiam debitum obſervantiæ ratione religionis, juxtà doctrinam Divi Thomæ, atque aliorum paſſim Theologorum (c). Quæ obligatio talis eſt, ut ex naturâ ſuâ ſufficiat ad confirmandos contractus, nedùm juſtos, & validos, ſed etiam eos, qui alioquin ex ſuâ conditione, validitate carerent (d). Et imò ideò in contractibus, & promiſſionibus apponitur juramentum, ait D. Thomas (e). Ut dum unus homo alteri diſcredit, mutua fides fulcro religionis roboretur, & promiſſa nutantia, ſub divinâ invocatione ſinè ambiguitate ſerventur. Quaproptèr memoratæ partes, quæ, prout ſupra innuimus, inter ſe, vel expreſsè, vel tacitè tranſegerunt, ſinè culpâ reſpectivè non valent in hoc beneficiorum negotio, de quo agimus, à promiſſionibus deſilire, & onus inſolitum alteri ſuperinfundere, quale eſt onus reſtringendi provectionem ſolummodò indigenarum ad beneficia.

34. Itàque jàm intèr Sacerdotium, & Regnum: intèr Papam, & Epiſcopos, ſeù Ordinarios: intèr Papam, & Epiſcopos, atque Clericos, ac Laicos beneficiorum Patronos, pacta inita, & jura, & privilegia conceſſa, quoàd beneficiorum largitionem, ſunt in conſcientiâ obſervanda, nec partibus novum onus, naturam pactionis alterans, ſinè culpâ reſpectivè poteſt imponi. Et ità nec Papa ſaltem de jure ordinario, & in terminis, de quibus ſuprà, nec non ſinè magnâ, & valdè urgenti causâ, quæ reſtrictioni libertatis Eccleſiæ det æquilibrium, coarctare debet, valetue Epiſcopos, ut cuncta beneficia ſolis conferant: nec Epiſcopi Papam: nec Papa, & Epiſcopi valent Reges, & Principes Clericos, atque laicos, beneficiorum patronos, vel alitèr de beneficiis diſponentes, hoc novo gravamine onerare: nec Reges, & Clerici, & laici ad eandem valent anguſtiam Papam, Epiſcopos, & Ordinarios adigere, ſalvâ eorum conſcientiâ. Si ergò neque Papa Epiſcopos, & alios ſibi inferiores, Principes, & privatos, Clericos, atque laicos beneficiorum diſtributores, neque Epiſcopi Papam; & vice verſa neque Reges, Clerici, & Laici, Papam, & Epiſcopos valent reſpectivè inducere ad beneficia ſolis indigenis conferenda; quis eſt quæsò, cui competat hoc jus adversùs Papam, & Supremos Principes, & Epiſcopos, nec non Clericos, atque Laicos beneficiorum diſtributores, vel per viam collationis, vel reſpectivè per viam nominationis? Populus nè in-

(a) *Pontific. Rom. lib. 1. de Coron. Regis.*

(b) *Suarez Opuſ. Theol. de liber. Divin. diſp. 2. ſec. 2. n. 22. Leſſius de Juſt. c. 15. dub. 5 n. 55. Dian. p. 3. tr. 5. reſ. 116. Aragon. 2. 2. qu 88. art. 3. Sot. de Juſt. & Jur. l. 4. qu. 5. art. 1. Azor. l. 11. p. 3. qu. 3. Bonac. to. 2. de contr. diſp. 3. qu. 12. p. 2 n 4. & 5. Lugo de Juſt. tom. 1. diſ. 23. ſec. 6. num 89.*

(c) *S. Thom. 2. 2. qu. 89. art. 7. ad 3. Aragonius & alii in eundem locum D. Thomæ Vaſqu. de teſtam. ca. 2. dub. 2. n. 17. Azor. p. 1. l. 11. c. 7. qu. 5. Filliuc. tr. 25. c. 7. qu. 9. n. 206. Bonac. loc. cit. qu. 1. pu. 1. n. 13.*

(d) *Card. de Lugo de Juſt. to. 1. diſp. 22. ſec. 8. n 206. Suarez de relig. to. 2. l. 2. c. 29. Leſſius de Juſt. l. 2. c. 17. dub. 7. n. 56. Molin. to. 2 diſp. 149 & to. 2 diſp. 515. col. 4. & diſp. 256. col. 2. Bonac. ubi ſupr. num. 7.*

(e) *S. Thom. 2. 2. qu. 89. art. 3.*

inferior? Juvenes, & virgines, ſenes cum junioribus? Ultimanè turba ſubjectorum, pelliones, bajuli, & agaſones hoc poterunt? Vel etiam, Decuriones, Conſules, & incolę locorum nobiliores? Non certè. Nam, ut ait Tacitus, *Principibus ſummum rerum judicium Dii dederunt, ſubditis obſequii gloria relicta eſt* (*a*).

(a) *Tacit. Annal. l. 4.*

35. Tantò magis, quod nec Papa, nec Epiſcopi, nec Imperator, nec Reges, neque Clerici, atque laici beneficiorum collatores, & reſpectivè patroni, vel nominatores, jus habent de beneficiis diſponendi, acceptum à populis. Sed Papa totam ſuam facultatem ſortitus eſt à Deo (*b*): Epiſcopi verò, & alii Clerici, necnon Principes illi, ac alii laici, qui ſunt reſpective beneficiorum collatores, vel ad ea nominatores, id habent, vel per viam juris Communis, authorizati ab ipſo Summo Pontifice, omne jus beneficia conferendi in Epiſcopos excitante (*c*); Vel ex privilegio particulari Apoſtolico, alicui Principi conceſſo, ſine quo nulli laico ineſſe poteſt facultas beneficia conferendi (*d*). Et generalitèr omnes Patroni beneficiorum jus patronatus habent ab eodem Summo Pontifice, à quo auctoritatem habet lex canonica, permittens fundatoribus, ac dotatoribus beneficiorum jus patronatus in eis. Ergò illis non poteſt eorum facultas à populis alterari, à quibus illam non acceperunt. Igitur ſi præfatis beneficiorum largitoribus licitum non eſt ſibi mutuò novum onus ingerere, & libertatem, quam ſortiti ſunt, beneficia tùm extraneis, tùm indigenis prò eorum libito conferendi, à sè reſpectivè totalitèr abdicare; Pariter ſi nec populo, vel nobiliori, vel viliori, hoc ineſt jus prædictos largitores arctandi ad fugandum à beneficiis extraneos; Nil aliud reſtat, niſi quod liberum, & licitum ſit Eccleſiæ, atque illius miniſtris, inprimiſque Summo Pontifici, ejuſdem Eccleſię capiti, necnon & Epiſcopis, aliiſque omnibus, tùm ordinariis, tùm delegatis beneficiorum Collatoribus, vel ad illa Nominatoribus, eccleſiaſtica beneficia, non modò Clericis indigenis, verum etiam extraneis elargiri.

(b) *Bellarmin. & Bzovius de Pontif. Barboſ. Jur. Eccl. Univ. l. 1. c. 19. n. 194.*

(c) *Gonzal. ad reg. 8. Cancel. §. 1. præm. n. 1. cum aliis ibi.*

(d) *Garcia de beneſ. p. 1. c. 2. n. 33. Decius in c. Decernimus n. 54. de judiciis.*

Digitized by Google

CAPUT XIV.

In quo variis Rationibus, ut plurimum Politicis, *& ex variis inconvenientibus, quæ ſequerentur, ob excluſionem Clericorum extraneorum à beneficiis; probatur libertas Eccleſiæ, in hæc tradendo etiàm Clericis extraneis.*

SUMMARIUM.

1 *Bonum eſt, ſcribentem pro veritate plura motiva proponere, ut quiſque lectorum inveniat media, illorum intelligentiam adæquantia.*
2 *Ubi nedùm doctis, ſed & indoctis quoque fit ſermo, coacervandæ ſunt rationes, ut quiſque inveniat in quo ſibi complaceat.*
3 *Beneficia merè ſimplicia ſemper diſtribui conſueverunt etiàm extraneis. Fundator enim ſe conformare cenſetur juri communi, & uſui Eccleſiæ.*
4 *Reſidentialia beneficia, etiàm per viam electionis canonicæ interdùm obtingebant extraneis. Nec attendendum, quid de his fieret tunc, ſed quod fit nunc.*
5 *Antequam eſſent Principes, & Principatus noſtri temporis, antequam eſſet mos canonicæ electionis, erant bona Eccleſiæ.*
6 *M. Aurelius Imperator Eccleſiæ Hierapolitanę, & Conſtantinus Alexandrinę, proventus quoſdam dederunt, quos Julianus Apoſtata ſubſtulit.*
7 *Alexandrina Eccleſia ſub paganis Imperatoribus divitiis abundavit. Quod & de Antiochenâ probatur ex faſtu Pauli Samoſateni.*
8 *Titulos Romę diviſit Evariſtus, vel Anacletuſa. Quid eſſent Tituli ipſi? Quid de Romanâ Eccleſiâ ſcribat Dionyſius Corinthius.*
9 *Quod omnes tandem Eccleſiæ regnantibus adhùc Paganis Principibus, fundos, prędia, & reditus poſſiderent, aliundè dignoſcitur.*
10 *Quibus temporibus nullus adhùc emerſerat canon, preſcribens electionem Clericorum de gremio. Prius Eccleſię prædia vendebantur, deindè ſervari eadem magis proficuum eſſe cenſitum eſt.*
11 *Imperator Conſtantinus 32. Eccleſias erexit. Quot milliones Eccleſiæ contulerit? Quot eſſent reditus S. Silveſtri.*
12 *In his bonorum traditionibus, vel à Privatis, vel à Principibus factis, onus non eſt adiectum eorum reditus dandi indigenis.*
13 *Si Largitores bonorum Eccleſiæ voluerunt ſe uniformare juri communi, patet, quod jus commune admittit etiàm extraneos.*
14 *Quod ſi ab aliquibus Largitoribus bonorum adjectum eſſet onus ea tradendi in beneficium ſolis indigenis, oporteret nunc diſtinguere præcisè iſta bona.*
15 *Oporteret quoque diſcernere, quænam bona fuerant per Eccleſiam ante 12. Seculum acquiſita, & quænam poſteà, quod in praxi eſt difficile.*
16 *Si beneficia eſſent reſtringenda ad ſolos indigenas, oporteret abolere omnes Conventiones, & privilegia beneficialia, per Eccleſiam edita.*
17 *Cum quibuſdam Nationibus inita ſunt Concordata. Et quibuſdam Principibus indultum eſt diſponere de aliquibus beneficiis.*
18 *Concordata, Regulæ Cancellariæ, & Indulta præfata ſunt contraria formæ electionis Canonicæ, undè hæc omnia eſſent abolenda.*

19 *Inju-*

19 *Injuſti quoque eſſent omnes, qui vel ratione Regularum Cancellariæ, vel Concordatorum, aut Indultorum, diſponunt de beneficiis.*

20 *Hę & alię ſtultitiæ, ingenſque chaos confuſionum emergit ex doctrinâ Contradictorum, quas compeſcere oportet, ſervareque ſolitum.*

21 *Si in Regno Neapolitano excludendi eſſent extranei, neceſſe eſſet idipſum facere in aliis quoque Regionibus, nil proficientibus literis naturalitatis.*

22 *Legis ratio æquiparatur legi. Ut quid petere ex privilegio excluſionem extraneorum, ſi eam jura decernerent?*

23 *Si ſoli Clerici de gremio, per viam electionis, eſſent beneficiis præficiendi, beneficiorum diſpenſatio à ſuperibus tolleretur, ut ſubditis daretur.*

24 *Etſi non ageretur de introducendâ electione Canonicâ, ſed de ſolâ excluſione extraneorum, hoc fieri non poteſt, & cur?*

25 *Sicuti quando vigebat forma electionis Canonicæ liberum erat electoribus Clericos extraneos beneficiis preficere; itá & nunc id licitum eſſe debet.*

1. NOBIS ſemper placuit in ſcribendo (prout hic fecimus, ſolo zelo tuendę veritatis, eamque in propatulo ponendi, atque claram, renidentem, ac dilucidam cunctis patefaciendi) placuit, inquam, non unicum, ſed plura, & multiplicia proponere motiva, quæ veritatem ipſam probent, ac Lectores, eorumque mentes diverſis modis, differentibus mediis, variis tandem ratiociniis adæquent, ut ſi non unâ, ſaltèm alterâ convicantur ratione: ac ſi non à ſingulis ex ſe ſumptis, ſaltem captiventur à cunctis inſimul copulatis, juxtà tritum illud adagium, quod juncta juvant, quæ ſeparata non proſunt (*a*). Et ſanè, cum labor iſte noſter, non ad manus paucorum tantum hominum, ſed facillimè ad multorum ſit intuitum perventurus, tàm citrà, quàm ultrà montes: & ad Catholicos, & ad Hæreticos; & ad eruditos, & minus doctos: & ad veritatis, & ad falſitatis amantes, adeòque *ſapientibus, & inſipientibus debitores ſimus* (*b*); Neceſſarium omnino ducimus, quo plures poſſumus, eo plures allegare rationes, inter quas quilibet inveniat, media, illius intelligentiam adæquantia. Non enim omnes rationes omnibus placent: non cuncta motiva cunctis ſufficiunt: non ſingulæ probationes ſingulorum mentibus ſatisfaciunt.

(a) *L. Spadonem §. qui jura ff. de excuſ. Tutor. Vid. Barboſ. Axiomat. Juris 209.*

(b) *Roman. c. 1. n. 14.*

2. Ubi ad ſolos doctos, providos, æquanimes, & prudentes viros habetur ſermo, pauca fortè media ſufficiunt, quę candidè expoſita, & in eorum germano ſenſu explicata, citò intellectum audientium ſatiant, illumque brevi electione captivant: ſed ubi perſuaſio eo dirigitur, ut capaces reddantur, & quantum poteſt fieri convincantur, viri docti quidem, ſed diverſorum ſenſuum, ac geniorum, & non omnes fortè undequaque benè compoſiti, atque inter eos, & Theologi, & Juriſconſulti; & Hiſtorici, & Politici; & Scripturales, & Eruditi; & Sæculares, & Clerici; & Religioſi, & Mundani; proculdubiò multis rationibus utendum eſt, diverſis mediis, probationibus diſſimilibus, ut quilibet ex eis inter illas inveniat, tales, ac tantas, quę ſibi congruè ſatisfaciant: Multò magis id agendum eſt, ubi non tantum ſcientibus, ſed etiàm ſciolis; nedùm excellentibus in doctrinâ, ſed etiàm mediocritèr intelligentibus, & quandoque imperitis, peritiam oſtentantibus, eſt loquendum, quod non ſemel ſolet accidere Scriptoribus librorum quippè, qui typis editi, cunctis, doctis, & indoctis fiunt communes: tùnc enim proculdubiò congerendæ ſunt probationes, multiplicanda motiva, coacervandæ rationes, & omnia media adhibenda, quibus poſſit aliquo modo veritas comprobari; ut qualiſcumque fuerit lector inveniat, in quo tibi debeat complacere (*c*).

3. Igitur poſt alias rationes hucuſque allegatas, novas adhùc adnectimus, ut plurimum Politicas; quarum una eſt illa, quæ ſequitur, deſumpta ex naturâ ipsâ beneficiorum eccleſiaſticorum, eorumque inſtitutione, & erectione. Nàm

(c) *Card. de Luca Relat. Rom. Cur. diſc. 46. n. 6.*

Digitized by Google

ab ipſo tempore, quo beneficia fuerunt erecta, uſque ad noſtram ætatem, ſemper conſueverunt, pro arbitrio Collatorum, vel Nominatorum ad ea, promiſcuè tàm Clericis extraneis, quàm indigenis diſpenſari. Et quidem ſi loquamur de *beneficiis merè ſimplicibus*, quę Contradictores aſſerunt non niſi à Duodecimo circitèr Chiſti Sæculo Eccleſię innotuiſſe; ratio, quam proponimus, eſt pluſquam efficax. Siquidem cum ipſa beneficia, ab eodem ſæculo uſque ad præſens, ſemper fuerint indiſtinctè collata, tùm Clericis extraneis, tùm indigenis; neceſſariò inferre oportet, quod à piis illis fidelibus, qui tunc ea fundarunt, ſub eâ conditione, & naturâ fundata fuerint, quam cognoverunt eſſe conſonam praxi Eccleſię, & uſui beneficiorum illius ſpeciei: Fundator enim, niſi expreſsè aliud appareat, cenſetur ſe conformare voluiſſe diſpoſitioni juris communis, & conſuetudini univerſalis Eccleſiæ (*a*). Sed jus commune, & univerſalis Eccclesię conſuetudo, fert, ut à præfato tempore uſquè ad noſtram ætatem, beneficia merè ſimplicia fuerint promiſcuè conceſſa, tàm Clericis extraneis, quam indigenis; ergò à piis fundatoribus, eâ conditione cenſenda ſunt fuiſſe fundata, ut liberè poſſint, tùm Clericis extraneis, tùm indigenis diſpenſari. Et quià in dubio, ubi agitur de modo in beneficiorum diſtributione tenendo, ſempèr attendenda eſt natura beneficii, ejuſque fundatio (*b*): Sequitur, quod beneficia merè ſimplicia, juxtà eorum naturam, & conditionem liberè, & licitè valeant Clericis etiam extraneis diſpenſari.

4. Si vero ſit ſermo de *beneficiis reſidentialibus*, prout ſunt Epiſcopatus, Abbatiæ Regulares, Dignitates, & Canonicatus Eccleſiarum &c. hæc quidèm olìm per viam electionis Canonicæ ſolebant diſtribui, ſed non ideò ſemper Clericis de gremio Eccleſiæ obtingebant, quamquàm ut plurimùm eis potius, quam exteris traderentur. Nec erat de jure, ut ſolis ipſis Clericis de gremio Eccleſię pręberentur, ſed ſolùm *de boneſtate*: Vel uti ſcripſit Nicolaus Papa I. Michaeli Imperatori, erat *de conſuetudine Canonicâ* (*c*). Sicut autèm tùnc erat de conſuetudine Canonicâ, ut electio fieret de gremio Eccleſię vacantis; ità etiam nùnc eſt de conſuetudine Canonicâ, ut eligatur Clericus, de quocumque loco nativus. Intèr duas autèm haſce conſuetudines, non primę ſtandum eſt, jàm antiquatę, & ſublatę; ſed ſecundę, actualitèr ſubſiſtenti, conſtanti, & in viridi obſervantiâ exiſtenti: canendumque eſt ad hæc cum Poetâ, *laudamus veteres, ſed noſtris vivimus annis* (*d*). Nec dicatur à Contradictoribus, quod beneficia eccleſiaſtica erecta fuere, vel à Principibus, vel à privatis dominis, & reſpectivè incolis particularium locorum, eo tempore, quo vigebat obſervantia canonum, ſuggerentium electionem de gremio Eccleſiæ vacantis fieri, per quod ex conſequenti repellendi veniant extranei, & quatenùs etiam beneficia fuiſſent poſteà fundata, ſit attamèn præſumendum, quod fundatores voluerint ſe conformare ſacris canonibus, & communi hominum voto, magìs optantium, ut beneficia ſuis concivibus, quam alienigenis pertradantur. Non, inquam, hoc dicatur, quià id totum gratis aſſeritur, & eſt probandum, non ſupponendum. Dicant enim quæſo Contradictores: & ubinàm conſtat, quod beneficia eccleſiaſtica, reſidentialia, vel merè ſimplicia, fuerint à Principibus, vel privatis erecta, eo pręciſo tempore, quo mos electionis canonicæ *de gremio* faciendæ vacantis Eccleſię conſiſtebat; & non antè, nec poſt? Certè tantùm illis proficit affirmare, quod beneficia eo tempore ſint erecta; quantùm nobis prodeſt aſſerere, quod erecta fuerint, vel dudùm anteà, vel aliquantò poſt. Probent ergò ipſi oppoſitum ſenſus noſtri, & eis poſtmodùm reſpondebimus.

5. Sed notum, atque certum eſſe lectori noſtro cenſemus, quod antequàm eſſet ullus ex Principibus, imò & ullus ex Principatibus Chriſtianis, qui nùnc in mundo ſunt (unus enim erat ſub primis Eccleſię Sęculis in his Regionibus Princeps, nempè Romanorum Imperator, Cęſaris ſucceſſor, cujus Imperium jàm eſt penitùs abolitum, in Conſtantino XII. (*e*), per Mahometem II. Turcarum Principem obtruncato) Pariter antequàm inciperent officia, & beneficia eccleſiaſtica,

per

(a) *Vivian de Jurepatr. p. 1. l. 6. num. 33.*

(b) *Alex. conſ. 170. num. 5. l. 2. Vivian. p. 1. l. 4. cap. 2. num. 5.*

(c) *Nicol. PP. I epl. ad Mich. Imp. in Actis Concil. Conſtantinopolit. IV.*

(d) *Ovidius Faſtor. lib. 1.*

(e) *Genebrard. in Chron. ad ann. 1453. Georgius Phrãza Laonicus Chalcõdil. Egnatius, & alii.*

Digitized by Google

per viam electionis Canonicæ, diſpenſari Clericis *de gremio*, Eccleſia bona plurima poſſidebat: hæc quippè via electionis *de gremio* cum ipsâ Eccleſiâ non incepit, ſed multo poſt: cum enim tunc nondum eſſent editi canones illam dirigentes, nec etiam eſſe poterat electio Canonica *de gremio*, quæ talis à canonibus nuncupatur (*a*). Neque iſta demùm ullibi incæpit, vel profecit ſinè Summi Pontificis auctoritate, & aſſenſu (*b*). Antequam eſſent inquam illi Principes, & Principatus Chriſtiani, qui modo ſunt in Mundo, & Provinciis, atque ditionibus præſunt, in quibus Fides Catholica dominatur; Antequam quoquè inciperent officia, & beneficia eccleſiaſtica, ut ſuprà per viam electionis Canonicæ *de gremio* diſpenſari; jàm erant bona eccleſiaſtica, quæ Eccleſiæ fuerant variis titulis attributa, vel nimirum ſpontaneâ fidelium oblatione, eorumve donatione, vel teſtamentariâ diſpoſitione, vel alio modo: quinimò & alicubi habebat Eccleſia reditus ſibi à viris Ethnicis aſſignatos.

(a) *Paſſerin. de elect. c. 9. num. 69.*
(b) *Cap. gratum 2. de poſt. præl.*

6. Nàm Marcus Aurelius Imperator, tametſi paganus, & infidelis; ad petitionem Abercii Epiſcopi Hierapolitani, ter mille modios tritici, pauperibus tùm Clericis, tùm Laicis per annum diſtribuendos, aſſignavit (*c*), quos Capitolinus, & ipſe ethnicus, prò modo ſuæ capacitatis, hiſce ſermonibus connotavit: *pueros, & puellas novorum hominum frumentariæ præceptioni aſcribi præceperunt* (*d*): Hocque triticum Eccleſiæ Hierapolitanæ eſt annuatim ære publico perſolutum, donec nequiſſimus Imperator Julianus Apoſtata illud ſuſtulit (*e*): proùt etiam Eccleſię Alexandrinæ ſubtraxit aliam tritici erogationem (*f*), quam Imperator Conſtantinus Eccleſiæ ipſi aſſignaverat, ad nutum Patriarchę illius ſedis anno quolibet diſpertiendum: de quo S. Athanaſius: *frumentum à patre Imperatorum* tùnc viventium, *in alimentum viduarum, partim Lybicarum, partim Ægyptiarum, quod etiam nùnc accipiunt: Athanaſio nihil indè, niſi operam, & laborem referente* (*g*). Hęc eſt largitio illa, de quâ Iſchyrion Diaconus in Concilio Chalcedonenſi accuſavit Dioſcorum Alexandrinum, quod illam ſibi appropriaſſet, tametſi ab origine addictam etiam Eccleſiis Lybiæ, *ut incruenta ex ipſo hoſtia offeratur, deindè ut & peregrini, necnon & provinciales pauperes aliquod mereantur ſolatium*, jamque ex hoc *neque terribile, & incruentum Sacrificium celebratum eſt, neque peregrini, aut provinciales hoc ſolatio fruiti ſunt* (*h*).

(c) *Baron. an. 163. n. 14. Acta S. Abercii ap. Metaphraſt 22 Octobr*
(d) *Capitolin. in M. Antonin. poſt initium f. 25.*
(e) *Baron. an. 163. n. 14. Biſciol. ibidem.*
(f) *Theodoret. hiſtor. lib. 4. cap. 4.*
(g) *Synod. Alex. ap. S. Athan. Apolog. 2. f. 197. 3. 2.*
(h) *Libel. Iſchyrion. Diacon. in Conc. Chalcedon. Action. 3.*

7. Profectò *Eccleſia Alexandrina*, dùm adhùc Imperatores Ethnici Romanorum purpuram induebant, bonis lautè affluebat. Nàm S. Dionyſius ejuſdem Eccleſiæ Antiſtes, qui tempore Decii, Galli, & Valeriani Cæſarum, in Chriſtianos deſævientium, floruit, memorat quod ejus Eccleſia, exemplo Romanæ, divitias poſſidebat, quas piis uſibus applicabat (*i*). *Eccleſia* paritèr *Antiochena*, ſub Paganis Principibus, divitiis abundabat: cujus rei indicium eſt, faſtus, quo Paulus Samoſatenus ejus Epiſcopus, Gallieno, & Aureliano imperantibus è pauperrimis initiis ad tantam ſuperbiam erectus eſt, ut ſuis ſtipendiis equorum turmas aleret, & agmina famulorum. En qualibus coloribus in Synodicâ Concilii Antiocheni ad Dionyſium Romanum Pontificem depictus cernitur: *Faſtu, & arrogantiâ ſuprà modum elatus, ſæculares gerit dignitates, & Ducenarius vocari, quam Epiſcopus mavult, per forum magnificè incedens, epiſtolas legens, ac dictans intèr ambulandum palam, ac publicè: ſtipatuſque maximâ hominum multitudine, partim præeuntium, partim ſubſequentium, adeò ut ex illius faſtu, & arrogantiâ incredibilis invidia, odiumque multorum adversùs fidem noſtram conflatum ſit* (*l*).

(i) *Euſeb. hiſtor. lib. 4. cap. 23.*
(l) *Concil. Antioch. in epiſtola apud Euſeb. l. 7. c. 24.*

8. Dè *Romanæ Eccleſię* opibus, dum Pagani adhùc Principes imperabant, ambigendi locus non eſt. Nàm Evariſtus Papa, qui ſub Trajano vixit (*m*), vel ut aliis placet, Anacletus ejus Anteceſſor (*n*). Titulos in urbe diviſit. Erant autèm tituli hujuſmodi, ait Ciaconius, *reditus, & proventus ex villis, prædiis, fundis aut agris, à piis ſivè viris, ſivè fœminis, ad alendos Eccleſiæ Miniſtros relicti: in quâ ſignificatione dicitur quemquam ad titulum, ſivè beneficii, ſivè patrimonii, ordinari: hoc eſt ad reditus, qui vel ex beneficio, vel ex patrimonio percipiuntur in*

(m) *Ciacon. vit. Pontif. in Evariſto.*
(n) *Biſciol. epitom. Annal. Eccleſ. an. 121.*

ſuſtentationem ordinandi (a). Et omiſſis aliis documentis, illud unum ſufficiat, quod Dionyſius Corinthius, de temporibus Soteris Papæ, qui ſedit ſub Marco Aurelio, & Lucio Vero Principibus, in epiſtolâ ad Dionyſium Papam allegat: *Apud vos jàm mos inveteravit, ut omnes fratres variis afficeretis beneficiis, & Eccleſiis permultis, quæ in quâque Civitate ſunt, vitę mitteretis ſubſidia: ſed planè non ſolum egentium ſublevatis inopiam; verùm etiam fratribus, qui ſunt ad metalla damnati, opem fertis: ſicque per ea beneficentiæ ſubſidia, quæ jàm à primis Eccleſię veſtrę jactis fundamentis paſſim mittere conſuevistis, cum ſitis Romani, Romanorum conſuetudinem, à Patribus traditam, ſedulò obſervatis, quam quidèm certè Beatus Soter veſter Epiſcopus, & hactenùs cuſtodivit diligentèr, & mirum in modum ſuo propenſo ſtudio adduxit, idque non modò opes in ſanctos reficiendos delegatas benignè ſubminiſtrando, verùm etiàm fratres ad ipſum adventantes, tamquam pater indulgens, & clemens in liberos, beato, ac pio ſermone ad virtutem cohortando* (b).

(a) *Alphonſ. Ciacon. in ubi ſupra in Hygino.*

(b) *Dionyſ. Corinth. ap. Euſeb. l. 4. c. 23.*

9. Et generalitèr *omnes Eccleſias* ſub primis illis Sęculis, & imperantibus adhùc Ethnicis Principibus, poſſediſſe fundos, & prædia, patet ex edicto Galerii Maximiani Cæſaris, qui poſt fatigatos Chriſtianos, virtute tandèm Chriſti cognitâ, hęc prò illis edixit, *Orationum domos, ideſt Dominica ſua, ut inſtaurent prò voluntate permittimus &c. etiàm illud hac lege ſancimus, ut ſi quæ domus, agri, vel quælibet prædia, ex Chriſtianorum bonis, antè hac, parentum noſtrorum præceptis, ad fiſci jus fuerant ſociata; ſi qua etiam ab aliquo competita ſunt, vel ſi qua diſtracta, aut dono in aliquem collata; hæc omnia in antiquum jus Chriſtianorum præcipimus revocari &c.* (c). Sed clarius adhuc id liquet ex eo, quod Magnus Conſtantinus Imperator, initio ſui Principatus, reſcriptum dedit ad Anulinum Præfectum Africæ, quo mandavit, ut boua cuncta Eccleſiis, perſecutionum tempore erepta, eiſdem promptiſſimè redderentur, *omnia*, inquit, *quæ ad Eccleſias rectè viſa fuerint pertinere, ſivè domus, ac poſſeſſio ſit, ſivè agri, ſivè horti, ſivè quæcumque alia, nullo jure, quod ad dominium pertinet, imminuto, ſed ſalvis omnibus, atque integris, reſtitui jubemus &c.* (d). Ex quibus patet, quod Eccleſia à ſuis incunabulis, & Paganis adhuc Principibus imperantibus, prædia, fundos, hortos, bona tandèm uberrimè poſſidebat, quorum fructus partim in beneficium, ſeù alimenta, & ſtipendia Clericis impendebat, partim pauperibus ſubveniebat, nulla apparente obligatione, per eorum largitores adjectâ, quod ipsa bona, redituſve deberent ſolis indigenis erogari.

(c) *Euſeb. l. 9 cap. 9. hiſtor.*

(d) *Euſeb. vit. Conſt. l. 2. c. 39.*

10. Et cum ſub illis temporibus, nullus adhùc emerſiſſet canon, præſcribens, quod ad officia, & beneficia eccleſiaſtica deligerentur Clerici *de gremo* Eccleſiæ vacantis, nec ex naturâ fundationis, nec ex lege quidquam haberetur, per quod beneficia, ſivè reditus, in Clericorum alimoniam deputati, deberent ad ſolos indigenas coarctari; Imò ex eo, quod bona ſtatim ac per fideles erant Eccleſiis tradita, liberè poterant venundari, & eorum pretium in pauperes, in Clericos, in peregrinos, in longè poſitos indigentes, prò arbitrio Antiſtitum diſpertiri; patet ad ſenſum, quòd Eccleſiæ, earumque Miniſtri, bona ipſa à fidelibus ſinè ullo onere, ſed ſub integrali, ac plenâ libertate tenebant, ut ea vel venundarent, vel ſervarent, & vel eorum pretium, aut reditus in Clericos, & pauperes indigenas, vel extraneos, prò eorum voluntate, erogarent. Et ſicut ad bonorum prætium admittebantur extranei, quùm bona Deo tradita vendebantur, ità ad eorum proventus admittendos fuiſſe extraneos, de sè conſtat, quando Eccleſia utiliùs cenſuit bona non alienare, ſed in ſuâ proprietate tenere, *Videntes enim*, ait Urbanus Papa, *Sacerdotes ſummi, & alii, atque Levitæ, & reliqui fideles, plus utilitatis poſſe afferre, ſi hæreditates, & agros, quos vendebant, Eccleſiis, quibus præſidebant Epiſcopi, traderent, eo quod ex ſumptibus eorum, tàm præſentibus, quàm futuris temporibus, plurima, & elegantiora miniſtrare poſſet fidelibus; communem vitam ducentibus, quàm ex pretio ipſorum; cæperunt prædia, & agros, quos*

vendere ſolebant, Matricibus Eccleſiis tradere, & ex ſumptibus eorum vivere &c. (*a*): Ità Eccleſia fundis, & reditibus abundabat tempore Principum Ethnicorum.

(a) *Cap. Videntes 16. cauſ. 12. quæſt. 1.*

11. Chriſtianâ poſtmodùm fide per Magnum Conſtantinum ſusceptâ, ingens augmentum Eccleſiarum patrimonium ſuſcepit. Nàm prætèr bona, quæ à privatis Chriſtifidelibus, donatione, teſtamento, & ſpontaneis oblationibus totius Orbis Eccleſiis conferebantur; ipſe Imperator *multas multis in locis* erexit Eccleſias, teſte Socrate (*b*), *plurimaſque toto orbe, dejectis Numinum phanis, excitatas*, innuit Eunapius Sardianus (*c*), quas triginta duas fuiſſe numerat Niceporus (*d*), omnes ingentibus donariis locupletatas, auro, argento, prædiis, poſſeſſionibus, quorum valorem trium millionum, & trecentum nonaginta quinque aureorum millium, valorem dicitur exceſſiſſe, & reditus annuos ad ducenta triginta quinque aureorum millia perveniſſe (*e*). Quâ fortè de causâ Aurelius Victor, piiſſimi illius Principis detractor, eum carpſit effutiens, quod fuit Imperii ſui *duodecim noviſſimis annis pupillus, ob profuſiones immodicas, nominatus* (*f*). Certe tunc temporis ſola Eccleſia Romana tantis proventibus abundabat, ut iis in quatuor partes diſciſſis, juxtà decretum Concilii Romani, tùnc editum (*g*). Sancto Silveſtro Pontifici, prò ſuâ parte *annui ſexaginta mille aurei obvenirent* (*h*), pretèr oblationes, & alia emolumenta, manualitèr accedentia.

(b) *Socrates hiſt. l. 1. cap. 14.*
(c) *Eunap. Sardian. in Vit. Edeſii Philoſ.*
(d) *Nicepor. Hiſtor. l. 8 c. 30.*
(e) *Alphonſ. Ciacon. in Vit. S. Silveſtri Papæ.*
(f) *Baron. an. 316. n. 6.*
(g) *Concil. Rom. ſub Silveſt. c. 5. & 6.*
(h) *Alphonſ. Ciacon. ubi ſupr. in vit. Silveſtri Papæ.*

12. In his autèm omnibus, ſivè à Principibus, ſivè à privatis fidelibus Eccleſiæ dono datis, nulla penitùs umbra, nec ullum prorsùs veſtigium reperitur, voluntatis Largitorum, ità uſum porrectorum illorum munerum temperantis, ut deberent ad ſolos indigenas pervenire: quinimò contrariæ potiùs intentionis argumentum deſumitur ex iis, quæ de Conſtantino Cæſare protulit aliquandò Theodoretus, *literam ad Provinciarum Præfectos dedit, mandavisque, ut certus frumenti numerus viduis, & his, quæ perpetuam ſervant virginitatem; quin etiàm illis, qui divinis miniſteriis obeundis conſecrati ſunt, in ſingulis civitatibus quotannis ſuppeditarentur, eumque non tàm egentium neceſſitate, quàm ſuâ ipſius magnificentiâ menſus eſt* (*i*). Profectò ſi Cæſar non de egentium neceſſitate, ſed de ſuæ liberalitatis magnitudine, modum conferendi Eccleſiis, & Eccleſiaſticis perſonis bona dimetiebatur; ità, & taliter ea dabat, ut non ſolùm indigenæ, ſed etiam extranei, poſſent de illorum participatione gaudere. Igitur corruit ſuppoſita illa largitio bonorum, facta Eccleſiæ per Principes, & privatos, ſub eâ conditione, ut illorum uſufructus in ſolam utilitatem cederet indigenarum, & Clericorum de gremio Eccleſiæ, cum conſtet, quòd bona ipſa Eccleſię collata ſunt, antequàm eſſet in uſu electio Clericorum *de gremio*, & antequàm eſſent in mundo Principes, & Principatus, qui hodiernâ die præſunt Chriſtianis Nationibus.

(i) *Theodoret hiſtor. l. 2. c. 2. & l. 4. c. 4.*

13. Et quamvis etiàm poſteà Principes magni uti Carolus I. Ludovicus pius, Henricus I. & alii Cæſares in Germaniâ: Clodoveus, Ludovicus IX. & alii pii Reges in Galliâ: Stephanus in Hungariâ: Caſimirus in Poloniâ: Ferdinandus in Hiſpaniâ, & alii pii Principes in Imperio Orientali, atque in Regnis Portugalliæ, Boemię, Siciliæ, Angliæ, Sveciæ, Danię, Armeniæ, Cypri, Hieruſalem &c. demùm ubilibet per totam Chriſtianitatem, religioſi viri, & feminę, ingentia prędia, fundos, & hęreditates Dei Eccleſiis detulerint, eo tempore, quò jam vigebat forma electionis de gremio faciendę, tamèn cum non conſtet, quòd eorum traditio fuerit facta ſub hoc onere, vel conditione, ut bonorum fructus in ſolam utilitatem cederent indigenarum; perperam per Contradictores ad hos ſolummodò coarctatur eorumdem collatio: ad ipſoſque ſpectat Contradictores de hâc adjectâ conditione docere, ex regulâ generali, quod qui conditionem appoſitam fuiſſe prætendit alicui contractui, debet eam probare (*l*). Donatio enim unicuique factâ ſupponitur libera, niſi contrarium appareat. Multò magìs facta Eccleſiæ, pietatis intuitu, & proptèr Deum, qui omnium dominus eſt. Et quatenùs etiàm obtendatur, quod donantes intenderint sè uniformare juri communi, non inde benè infertur, quòd donatio fuerit facta Eccleſiis cum onere, ut bonis in beneficium ere-

(l) *L. ex his C. quam di eſ. leg. ed. Maſcar d. de prob. Concl. 343. n. 4*

ctis

ctis, ſoli indigenæ fruerentur, ſivè Clerici de gremio; ſed potiùs, ut illi cuncti Clerici iiſdem potirentur, qui, ſecundùm univerſalem Eccleſiæ conſuetudinem, ad eadem bona perfruenda ſolent admitti, nempè tàm indigenæ, quàm extranei. Præterquam quòd de gremio Eccleſiæ olim poterant, & nunc quoque eſſe poſſunt, etiàm Clerici, alioquin origine extranei. Ulteriùs electio de gremio nunquam fuit præceptiva, ſed ſolummodò directiva. Demùm ſi olim de jure communi erat, ut Clerici de gremio ad beneficia, & officia eccleſiaſtica promoverentur, nunc, ut innuimus, de jure communi eſt, ut ad illa promoveantur tàm Clerici indigenę, quàm extranei (*a*). Et ſic, ſi intentio Donatorum illùc proſpexit, ut ſe uniformarent juri, quo communitèr vivitur in Eccleſiâ, cum hoc non minus exteros, quàm indigenas admittat; ſequitur quod ſecundùm intentionem Donatorum, bona Eccleſiæ tradita, & in beneficium erecta, liberè valent, non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis diſpenſari.

(a) *Cap. ad decorem de inſtitutionibus.*

14. Cæterùm quantumvis etiàm bona, ſivè per Principes, ſivè per privatos, Eccleſiis collata, hoc onus indiviſibilitèr præſeferrent, ut in beneficium ſolis Clericis indigenis traderentur; iſtud eſt, quod politicè magis cauſæ noſtræ proficit: Nam cum eorum talitèr facta collatio onus involvat, libertati Eccleſiæ contrarium; nec debeant bona iſta in ſervitutem ſecùm trahere alia bona, totali prædita libertate, non eſt introducenda, nec permittenda, ubi non erat, ſi unquam fuit reſtrictio collationis beneficiorum ad ſolos indigenas, nè ſub hac reſtrictione diſtributionis bonorum, ſucceſſivè acquiſitorum, involvantur etiàm priora illa bona, libera ab hoc onere, quibus Eccleſia erat præcedenti tempore inſtructa: libera enim beneficia non ſunt ſervituti ſubjuganda (*b*). Et ſic, ut reſtrictio hæc ritè, rectè, & juſtè fieret, *primò*, oportet nunc antè omnia diſtinguere, quænam ſint bona ab Eccleſiis, titulo donationis, ſibi per Principes, vel privatos factæ, acquiſita; & quænam ſint alia, per eandem adepta, titulo emptionis, permutationis, vel aliâ ratione. *Secundò*, oporteret diſtinguere, quænam bona poſſideret Eccleſia tempore Principum Paganorum, & quęnam acquiſiverit poſt receptam à Principibus fidem. *Tertiò*, oporteret diſtinguere, quænam ſint bona, quæ poſſidebat Eccleſia, antequàm ederentur Canones, jus electionis *de gremio* ſtatuentes, & quænam ſint, quæ poſtmodùm eſt aſſecuta. *Quartò*, oporteret diſtinguere, quænam ſint bona, quæ Eccleſia conquiſivit eo tempore, quo vigebat forma electionis de gremio, & quænam poſtquàm hæc ſuppreſſa eſt, acquiſivit.

(b) *Lotter. de re bene. l. 1. qu. 33. n. 10.*

15. Paritèr *quintò*, diſtinguere oporteret, quænam ſint bona, quæ Eccleſia antè Sęculum duodecimum acquiſivit, quandò, ſecundùm Contradictores, nondùm diſtinguebantur beneficia merè ſimplicia à reſidentialibus, & quęnam poſt dictum tempus adepta eſt. *Sextò*, oporteret diſtinguere, quænam bona erecta ſint in beneficium quinque, vel ſex ab hinc ſęculis, cum beneficia ſolita ſunt confusè, tàm indigenis, quàm extraneis diſpenſari, & quęnam antè hoc tempus fundata eſſent, ut poſſet diſcerni, an fundatores sè uniformare voluerint huic praxi, vel non. *Septimò*, tandem, oporteret ſcire clarè, certè, ac dilucidè erectionem individualem uniuſcujuſque beneficii, & conditiones à fundatoribus appoſitas, hancque pręſertìm, ut beneficia non debeant niſi indigenis exhiberi: quandoquidem juſtum non eſt, ut beneficia huic conditioni non ſubjecta, oneri hujuſmodi ſubjugentur. Cum autèm tales diſtinctiones in praxi habere ſit difficile, & fortè etiàm moralitèr impoſſibile; nec veleant ſinè magnâ Eccleſiarum perturbatione, urbiumque, locorum, & provinciarum convulſione vetuſtę iſtæ nęnię diſquiri, atque ex antiquitatis gurgitibus expiſcari; ſequitur quòd politicè loquendo, bonum eſt Eccleſiam in ſuo ſtatu relinquere, & importunam novitatem hanc profligare, ſinendo Eccleſiam in ſua libertate, quâ uſque modò potita eſt, pręficiendi ſacris prębendis, & beneficiis etiàm Clericos extraneos, benemerentes, & dignos, ubi alitèr privilegium Apoſtolicum non diſponit.

16. Alia ratio deſumitur ex abolitione, quam oporteret fieri, omnium Con-

ventionum, & Privilegiorum beneficialium, ab Eccleſiâ provenientium, ſi Clerici extranei eſſent à beneficiis eccleſiaſticis repellendi. Nàm proptèr crebras contentiones, quæ oriebantur intèr Sedem Apoſtolicam, & Reges Chriſtianos, intèr Papam, & Epiſcopos; & intèr Epiſcopos, ac Reges, quoàd beneficia, cum ea vacare contingeret, conferenda, cum quotidianę emergerent lites, & lites de litibus fierent, eo quod electum ab uno, alius repelleret; vel hinc repulſum, indè alter intruderet; generali Eccleſiæ quieti cogitatum eſt expedire, ut leges aliquæ fierent, quæ determinarent ſingulorum menſuram, & Concordata ederentur à Sede Apoſtolicâ cum Nationibus, formam continentia in beneficiorum diſtributione ſervandam. Et ità in corpore juris quædam ſancitæ ſunt Conſtitutiones ad hoc facientes, Simulque initio cujuslibet Pontificatus, novus Papa promulgat Regulas Cancellariæ Apoſtolicæ, methodum præfinientes, quam Sedes Apoſtolica, Pontificatu illo durante, ſervatura eſt, in conceſſione beneficiorum: hocque præcipuè concernit diviſionem quandam dictorum beneficiorum, intèr Summum Pontificem, & Ordinarios obſervandam, ut tàm Pontifex fixè ſciat quænam ad ſui collationem pertinere ſtatuerit; quàm Epiſcopus conſcius ſit, ad quæ, qualia, quomodò, & quandò vacantia beneficia, illius auctoritas ſe dilatet.

17. Cum quibuſdam quoquè Nationibus inita ſunt Concordata, per quæ tùm Papæ, tùm Epiſcopis, Principibus paritèr, atque aliis, in beneficiorum diſtributione partem habentibus, ſui aſſignati ſunt limites, & menſura; diſtinguiturque ibi, quænam beneficia ad unum pertineant, & quæ ad alium; qualia, & quo tempore vacantia ſpectent ad hunc, & qualia ad illum: ut ità neutèr mittat falcem in meſſem alienam, & intèr eos pax integra conſervetur. Præthereà Sedes Apoſtolica, ad gratificandum quibuſdam Principibus, de illâ, & de Fide Catholicâ benemerentibus, illis Privilegia nobiliſſima indulſit, vel beneficia conferendi, uti habere dicitur Chriſtianiſſimum Regem Francorum (*a*). Vel ad ea nominandi, uti habet Auguſtiſſimus Imperator, vi primarum precum (*b*). Vel juris patronatus, in beneficiorum proviſione exercendi, prout habent alicubi ipſe Imperator, & Rex Franciæ, nec non Catholicus Rex Hiſpaniæ (*c*), aliique ſi qui ſunt Reges Orthodoxi, & Principes magni, hæc indulta nacti prò quibuſdam beneficiis Regnorum, vel urbium, aut locorum, quibus ipſi pręſunt. Et ità hi, vel vi Concordatorum, vel ope Privilegiorum, diſponunt reſpectivè de prætaxatis ſibi beneficiis, Epiſcopalibus, vel Abbatialibus, aut Canonicalibus, vel alterius qualitatis, viros ad ea idoneos deſignando. Cujus methodi obſervantiâ, quies, & tranquillitas viget; charitas, & benevolentia inter utrumque ordinem Eccleſiaſticum, & Laicalem conſervatur: præciditurque via infinitis diſſenſionibus, quæ, aliter faciendo, creberrimè pullularent.

(a) Vivian. de jure-patr. p. 2. l. 11. c. 12. n. 5. German. de Sacror. immunit. l. 2. c. 12. n. 32

(b) Engel. Colleg. Jur. Canon. p. 2. l. 3. tit 35. §. 7. n. 70. Vid. infr. in hoc tom. cap 24. n. 26.

(c) Clemen. PP. VII. apud Roc. Pirrum Sicil. Sacr. to 1. in Append. f. 470.

18. Hæc autèm omnia, ſivè Concordata intèr Nationes, & Sedem Apoſtolicam ordinata; ſivè Regulæ Cancellariæ, præſcribentes normam, in beneficiorum proviſionibus, tàm à Pontifice, quàm ab Epiſcopis, obſervandam; ſivè indultum primarum precum Imperatori Romanorum conceſſum; ſivè Jus patronatus in pluvimis beneficiis eccleſiaſticis majoris, & minoris ordinis, aliquibus magnis Principibus conceſſum; ſivè poteſtas conferendi beneficia, uti ſuperiùs memorata; hęc, inquam, omnia reſpectivè contraria ſunt formæ providendi beneficia per viam electionis Canonicæ. Cujus vi, cum tùnc ad electores pertineret deputare promovendos ad beneficia, nùnc pertinet ad Superiores Eccleſiaſticos, vel reſpectivè ad Laicos id facere. Et cum tunc viri eligendi deſumerentur ex gremio Eccleſiæ vacantis, nùnc undecumquè eliguntur, ſivè ſint de gremio, ſivè aliunde; indigenæ, ſivè extranei. Igitur ſi in ſententiâ Contradictorum abolenda eſt admiſſio extraneorum ad eccleſiaſtica beneficia, eo quod ſit juribus Divino, naturali, & humano contraria, ut ſupponitur, quatenus per eam læditur antiqua methodus eligendi ad beneficia Clericos de gremio Eccleſiæ vacantis; ſequitur quod etiam tàm Concordata, quàm Privilegia prænominata, ſivè primarum precum, ſivè juris patronatus,

ſivè

ſive poteſtatis conferendi beneficia; necnon Regulæ Cancellariæ, & ſi quæ aliæ ſunt Conſtitutiones, & indulta excludentia vetuſtam formam eligendi Clericos de gremio ad beneficia vacantia; hæc, inquam, omnia ſint injuſta, illegitima, falſa, uſurpata, nulliuſque momenti, & omninò caſſanda (tamquam & ipſa contraria ſuppoſito juri Divino, naturali, & humano) quippè illa nec Papa concedere, nec Principes memorati potuerint acceptare, nec Epiſcopi admittere, neque Nationes concorditèr approbare.

19. Et illa oporteret dicere, quod injuſtus ſit Pontifex conferendo beneficia, vi Concordatorum cum Nationibus, ad sè ipſum ſpectantia; & Indulta Apoſtolica Imperatori, ac præfatis Regibus, vel Principibus elargiendo, ſivè conferendi beneficia, ſivè ad ea nominandi. Injuſtus ſit Imperator, utens Concordatis Germanicis, & primas porrigens preces in cunctis Eccleſiis ſuæ Nationis. Injuſtus ſit Rex Galliæ, conferens beneficia, & reſpectivè ad ea nominans, vi Concordatorum Gallicorum, & Indultorum ſibi à Sede Apoſtolicâ conceſſorum. Injuſtus ſit Rex Hiſpaniæ, indultis ſibi conceſſis utens. Injuſti tandem ſint alii Reges, & Principes, ſi qui ſunt habentes privilegia, vel eis utentes, nominandi Clericos idoneos ad beneficia, ſivè Pontificalia, ſivè ordinis inferioris; quià hæc cuncta tollunt electionem Canonicam, Clericis de gremio faventem, ac ſuppoſitam legem Divinam, naturalem, atque humanam exterminant. Paritèr injuſti ſint omnes Epiſcopi, & Ordinarii, atque Clerici Germaniæ, Galliæ, Luſitaniæ, Italiæ, Poloniæ, Hungariæ, Hiſpaniæ, qui vi vel Concordatorum, vel Regularum Cancellariæ Apoſtolicæ, conferunt, vel reſpectivè acceptant, beneficia Epiſcopalia, Abbatialia, Parochialia, Canonicalia, & cujuslibet alterius ordinis, ſinè electione canonicâ, Clericos de gremio poſtulante. Injuſti tandem ſint infiniti alii Laici, & Eccleſiaſtici, Superiores, & privati, jus patronatus in beneficiis habentes ex privilegio Eccleſiæ, & ad ipſa beneficia nominantes Clericos idoneos, abſque electione canonicâ, Clericis de gremio favente.

20. Hi omnes, inquam, injuſti erunt, uſurpatores, & mali contrectatores jurium Eccleſiæ. Cunctos quoque eorum Anteceſſores, Papas, Imperatores, Reges, Epiſcopos, alioſque viros Eccleſiaſticos, atque Laicos præmemoratos, omnes oportebit dicere fuiſſe injuſtos, omneſque jam eſſe damnatos, quià legem Divinam, naturalem, & humanam prævaricati ſint, & reſpectivè prævaricantur, preſcribentem beneficia eccleſiaſtica eſſe per ſolam formam electionis Canonicę diſpenſanda, à ſolis Electoribus, & ſolis Clericis de gremio Eccleſiæ, pulſis exinde longè procùl extraneis. Ideòque operæ pretium erit omnia Concordata præfata reſcindere, Indulta abolere, Privilegia caſſare; aliàs cuncti Collatores beneficiorum, atque ad ea Nominatores, erunt in continuo ſtatu peccati, in perpeti periculo damnationis, in jugi exercitio prævaricationis legis Divinæ, naturalis, & humanæ. Omneſque iſtæ, vel directè, vel indirectè; vel tacitè, vel expreſsè; vel mediatè, vel immediatè; omnes iſtæ inquam ſtultitiæ, ingens hoc chaos confuſionum emergit ex doctrinâ Contradictorum, excludentium Clericos extraneos ab eccleſiaſticis beneficiis. An autem ex tàm imbecilli motivo, jura Papæ, Imperatoris, Regum, Epiſcoporum, aliorumque, ad quos ſpectat beneficia conferre, vel ad ea nominare vulneranda ſint, profitque, & expediat totam Eccleſiæ diſciplinam, tàm improvido conatu diruere, & Concordata, Indulta, Privilegia, Regulas præfatas, magnâ ponderatione in Eccleſiâ introductas, atque plurium ſæculorum obſervantiâ roboratas, nunc impetere, vellicare, & ut deſtruantur urgere; quiſque prudens Lector dijudicet. Igitur quià politicè nimiùm faſtidioſum eſt haſce perturbationes in Eccleſiâ fovere, & Concordata ipſa, Regulas, ac Privilegia caſſare; oportet, ratione adſtipulante relinquere in ſuâ pace, & libertate Eccleſiam Dei, ut quod hucuſque fecit, pergat & inpoſterum exercere: ac quoties judicaverit expedire Clericos etiam extraneos prǽficiat ſacris beneficiis, dummodò benemerentes, & dignos.

21. Itidèm alia Ratio deſumitur ex perniciosiſſimâ conſequentiâ, quæ naſceretur,

Digitized by Google

tur, toti Eccleſiæ præjudicium inferens, ſi beneficia deberent ſolis Clericis indigenis conferri; ſcilicet quod oporteret, nedùm in Regno Neapolitano, prò quo Contradictores laborant; ſed etiam in quolibet alio Chriſtianitatis Regno, Provinciâ, Diœceſi, & Oppido, ac generalitèr in cunctis totius orbis Chriſtiani locis; oporteret, inquam, collationem beneficiorum ad ſolos indigenas coarctare. Non enim eſt major ratio unius loci, quàm alterius. Nàm ſi in Regno Neapolitano, eccur non etiam in Æmiliâ? Eccur non in Piceno, in Etruriâ, in Liguriâ, in Inſubriâ, & in cunctis aliis Italię provinciis? Imò & de cunctis Regionibus, & Regnis totius Chriſtianitatis idipſum erit dicendum. Quippè Pręſules Eccleſiarum, & Monarchę Regnorum, quomodò, vel collatione, vel reſpectivè nominatione, admittere poterunt extraneos ad benefica, ſi non id poteſt facere Papa, cum totâ plenitudine ſuę Pontificalis auctoritatis in rebus beneficialibus, juxtà Doctrinam Contradictorum? Nunquid plus poterit quam delegans, delegatus? Nec proficit dicere, quod Reges valeant huic rei occurrere, vertendo extraneos in indigenas, per conceſſionem literarum naturalitatis. Nàm hęc eſt petitio principii: eſt id quod ponitur in quęſtione. Siquidem ſi de jure Divino, naturali, & humano (in ſententiâ Contradictorum) beneficia ſunt ſolis indigenis conferenda; Princeps nulli poterit dare literas naturalitatis, ſinè gravi culpâ, quia non poteſt pręjudicare veris indigenis, à jure Divino, naturali, & humano eccleſiaſtico ad beneficia vocatis, vel privative ad extraneos, vel præventivè ad indigenas, qui ſunt tales, non origine, ſed ſola fictione juris, nempè vi literarum naturalitatis. Prætereà Princeps laicus non poteſt derogare juri Divino, naturali, & humano eccleſiaſtico, extraneos, ut ſupponitur, inhabilitante ad beneficia: ergo nec etiam extraneis impertiri poterit literas naturalitatis, quibus ad eadem beneficia reddantur habiles, & idonei. Vides lector qualitèr admiſsâ excluſione extraneorum à Regno Neapolitano, ſubtrahitur cunctis Præſulibus, & Monarchis poteſtas admittendi eoſdem ubilibet ad beneficia. Hoc autem expeditnè? Gregorius Papa XI. retudit inſtantiam Ludovici Regis Hungarię, poſtulantis, ut beneficia illius Regni, non niſi viris à sè propoſitis, per Sedem Apoſtolicam conferrentur, & ità de hac rè ſcripſit Eliſabethę Reginę: *Tua diſcreta devotio dignetur attendere, ſi eſt decens, & expediens univerſali Eccleſiæ, quod omnes Prælaturæ, dignitates, & beneficia, in quibus dicta Sedes meram, & plenam à Deo poteſtatem obtinet; ad beneplacita Principum, & aliorum dominantium concedantur. Hæc enim non Catholici Reges, ſed Tyranni faciunt, quorum exemplum deteſtabile, & damnabile ipſi Regi per aliquos deteſtabiles Reges, ut audivimus, allegatur. Advertas etiam ſi ſuper his omnia dicti Regis beneplacita curaremus adimplere, quale indè exemplum daretur: oporteret nos, & ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices, aut facere ſimile (quod abſit) quià non expediret fidei Chriſtianæ: aut ipſorum Regum contrà Apoſtolicam Sedem periculoſa turbatio oriretur* (a).

(a) *Odoric. Raynald. ann. 1375. n. 30.*

(b) *Lotter. de rē benef. l. 2. qu. 45. n. 20.*

22. Loquitur hìc Pontifex de conceſſione beneficiorum ad inſtantiam Regis, ſed quià ratio legis, uti fert commune proloquium, æqui paratur legi (*b*); adaptetur ſermo Papę propoſito noſtro, & videbitur, quod ſicuti Gregorius petitioni Ludovici annuendum non eſſe definivit, ex politicâ ratione, quod ſi illi complacuiſſet, in non admittendo ad beneficia niſi Clericos à ſe propoſitos, operę pretium fuiſſet idipſum in aliis quoque Regnis, & Regionibus obſervare; ità & ex eâdem ratione nunc non eſt annuendum votis Contradictorum, quia ſi à Regno Neapolitano repellerentur extranei; oportet illos etiam repellere in cunctis aliis Regnis, Regionibus, & Provinciis, cum magno libertatis eccleſiaſticæ detrimento. Ad hæc cum in locis, à quibus repelluntur extranei, id fiat vi privilegii Apoſtolici, præſcribentis, quod inibi beneficia debeant ſolis indigenis conferri; ſequeretur, quod improvidi, & ſtulti fuiſſent Principes, atque incolæ illorum locorum, quærentes tamquàm ex privilegio obtinere Clericorum extraneorum excluſionem ab eccleſiaſticis beneficiis, quam jura divinum, naturale, & humanum, ſecundum Contradictores

de-

decernunt. Summi quoquè Pontifices ſolem meridianum æſtivi temporis dono dediſſent, ex privilegio Principibus illis, & locorum incolis, indulgentes, ut à beneficiis extraneos ablegarent, quos tria præfata jura facerent conſtantiſſimè extorres. Quarè ut & hæ abſurditates, & præfatæ conſequentiæ, nimis Eccleſiæ pernicioſæ tollantur; politicâ ratione omninò expediens eſt definire, quod permaneat Eccleſia in ſuâ priſtinâ libertate, nec quidquam innovetur ſupèr admiſſione Clericorum extraneorum ad eccleſiaſtica beneficia.

23. Alia demùm ratio deſumitur ex variis inconvenientibus, quæ probabilitèr evenirent, ſi Clerici extranei eſſent talitèr à beneficiis eccleſiaſticis excludendi, ut hęc non niſi per electionem,& Clericis de gremio Eccleſię viduatę deberent omninò conferri. Nàm in primis nec Papa, nec Epiſcopi conferre poſſent ampliùs beneficia: nec Imperator, nec Reges ampliùs ad illa nominarent; ſed tota beneficiorum diſpenſatio in manu inferioris Cleri, & populi projiceretur: hocque facto, reviviſcerent ſimonię, diſcordiæ, contentiones, præpotentiæ, & cuncta illa mala, quæ honeſtatem eccleſiaſticam deturpabant, eo tempore, quo beneficia per viam electionis canonicæ tradebantur, & quæ fuerunt cauſa, ut forma electionis pręfatę diſpungeretur, eique ſubrogaretur collatio pleno jure facta à Summo Pontifice, ab Epiſcopis, & ab Ordinariis locorum: atque Inſtitutio ab iiſdem facta in jure patronatus, ad petitionem, vel pręſentationem patronorum, Principum, vel privatorum: In quibus qualia, & quanta ſint inconvenientia, non eſt qui eadem ponderans, non cognoſcat: quantęque naſcerentur perturbationes, quantæ in Eccleſiâ Dei convulſiones, quiſque vir cordatus intelligit. *Tametſi electiones*, inquit Bail, *cum canonicè agebantur multum Eccleſiæ ſolatii, decoris, ac utilitatis afferrent; tamen quià ut plurimùm fiebant non ex canonum præſcripto, ſed ex motu, & ambitu privato Clericorum, ad ſacras dignitates anhelantium, quibus populi in varias plerumque diſtracti partes, impetus potiùs, quàm legitimus aſſenſus interveniebat: hincque tumultus paſſim oriebantur, ſchiſmata naſcebantur, potentior, quàm benemeritus prævalebat &c. Adverſus quos erumpentes in Dei Sacrarium nefarios auſus, quis non videat, non potuiſſe opponi antidota fortiora ab Eccleſiæ Præſulibus, cum etiàm ob tumultus, & contentiones cogerentur Reges, Pontificeſque ad ſe pertrahere lites de ſacrorum Magiſtratuum deſignationibus, non niſi cum labore, tempore, expenſiſque finiendas* (a).

(a) *Bail. Summ. Concilior. 1 in Conc. Later. 5. de Concordat.*

24. Si dicatur, quod Contradictores non agunt de ſubtrahendâ poteſtate conferendi, & præſentandi, Collatoribus beneficiorum, & Nominatoribus ad ea, ſed ſolum dè debito ad eadem promovendi tantummodò indigenas: itàut relictâ intactâ Collatoribus, & Nominatoribus poteſtate, quæ ad eos poſt ſuppreſſam formam electionis canonicę convolavit, hoc unum ab illis exigatur, ut beneficia non niſi indigenis porrigantur; in promptu eſt reſponſio: nàm hujuſmodi poſtulatio, ſinè ingenti politici ſtatus conturbatione, ſortiri effectum non valet, quia involuit abſciſſionem libertatis, quâ jàm dudùm à multis Sæculis potiuntur, & Patroni omnes beneficiorum, Principes, vel privati, & Epiſcopi eorum Collatores, & Papa tandèm ſupremus illorum adminiſtrator, qui omnes nunquàm patientur ſe libertate propriâ denudari. Et cum eorum cauſa, ut alibi patefecimus, ſit adeò connexa, ut non poſſit hæc libertas uni tolli, quin abſtrahatur & alteri; ſequitur quod prò quiete Eccleſię, & prò pacifico Chriſtianitatis ſtatu, pręſtat eandem libertatem cunctis integram, prout hucuſque fuit, ſervare. Et quatenùs de coarctandâ alicubi largitione beneficiorum ad ſolos indigenas agi vellet; agendum eſſet precibus; interpellandus eſſet Summus Pontifex officiis, ſupplicationibus, interventione Magnatum, aliiſque laudabilibus modis, ut ab ejus manu eliceretur diploma, hoc præſcribens; non verò adeo irregulari modo, uti fit à Contradictoribus, ſive à dantibus illis cauſam, id pręſumendum eſt, tamquàm de jure, cum non niſi ex magnâ gratiâ, & ſingulari privilegio, valeat obtineri.

25. Cæterùm dicimus, quod à Summo Pontifice, Imperatore, Regibus, & Epi-

Epiſcopis, aliiſque beneficiorum Collatoribus, vel reſpectivè ad ea Nominatoribus, qui conferendo, vel nominando, ſucceſſerunt in jure eorum, ad quos ſpectabat beneficiarios eligere, dum vigebat forma electionis canonicæ, non poteſt exigi, ut beneficia ſolis indigenis dilargiantur, quia ſicuti præfati Electores tùnc non arctabantur ad beneficia ſolis Clericis de gremio, ſeù indigenis, deſerenda; ſed ad ea poterant Clericos undelibet advocare, ut millies feciſſe notum eſt omnibus in ſacrâ antiquitate verſatis; ità etiàm præfati Pontifex, Imperator, Reges, & Epiſcopi, aliique pręmemorati, in locum ipſorum electorum ſubrogati, eâdem omninò debent libertate potiri: nec enim ulla eſt juſta ratio, cur Clerus, & populus inferiores, quà votis, & quà teſtificationibus, Clericos ad beneficia deligentes, liberè poſſent ad ea etiam extraneos promovere, non verò id facere poſſint Præſules, & Principes, eccleſiaſtici, & ſæculares, atque alii ut ſuprà, in eorum locum ſuffecti. Certè *quàm difficile eſſet Regum animos à prætenſo iſto jure, ac aliquâ conſuetudine firmato avellere* (a)! Quantùm etiàm difficile eſſet illud abſcindere Papæ, Epiſcopis, atque beneficiorum Patronis! Nè confuſiones ergò, & ſcandala in Eccleſiâ Dei cauſentur: nè perturbationes intèr ordinem Clericalem, & Laicalem gignantur: & nè intèr poteſtatem ſæcularem, & eccleſiaſticam jurgia diſſeminentur; eſt omninò politicè concludendum, quod liberum, & licitum eſſe debet, prout ſempèr hucuſque fuit, extrà loca, indulto Pontificio communita, Eccleſię, illiuſque miniſtris, atque in primis Papæ ejuſdem Eccleſię capiti; necnon Epiſcopis, aliiſque omnibus, tùm ordinariis, tùm delegatis beneficiorum Collatoribus, vel ad illa Nominatoribus, ipſa eccleſiaſtica beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis elargiri.

(a) *Ludov. Bail. loco cit. in Conc. Lateran. 5.*

CA-

CAPUT XV.

In quo novis adhùc Politicis *Rationibus, eadem libertas Eccleſię probatur, committendi Eccleſiaſtica Beneficia, etiàm Clericis extraneis. Agiturque opportunè dè* Penſionibus *Eccleſiaſticis.*

SUMMARIUM:

1 *Sicut in rebus civilibus regulæ quædam politicæ dantur, obſervandæ pro bona reipublicæ ſtatu; ità dantur in diſpenſatione beneficiorum.*

2 *Repulſio extraneorum perturbationem paritura eſt in Eccleſiâ. Non enim largitores beneficiorum permittent ſe ſuâ libertate nudari.*

3 *Si Contradictores hac eſſent præditi libertate, non eam ſibi ſinerent uſurpari: Nec ergò beneficiorum Collatores, & Nominatores, id patientur.*

4 *Novitas itàque iſta de medio tollenda eſt, quæ Principes, & privatos, Clericos, & Laicos, magnis perturbationibus involuere apta eſt.*

5 *Ipſa mutatio conſuetudinis novitate perturbat. Nemo ignorat, quot ſcandala ex publicis perturbationibus exoriantur.*

6 *Si non eſt licitum beneficia extraneis exhibere, licitum quoque non erit eis præbere penſiones. Penſionum impoſitio eſt utilis Reipublicæ.*

7 *Penſiones ſolus Papa reſervat: alii eas deſignant, à Pontifice reſervandas. Ad eas conſequendas Clericatus exigitur. Penſio quid ſit?*

8 *Antiquitas penſionum eccleſiaſticarum innoteſcit ex tribus actibus, qui in Concilio Chalcedonenſi evenerunt circà quoſdam Epiſcopatus.*

9 *Simplicius Papa Ravennatem Archiepiſcopum ad penſionem pendendam adegit: Alia ex Agapito Papâ I. & alia ex Concilio Matiſconenſi innoteſcit.*

10 *S. Gregorius Papa I. penſionem juſſit annuam exhiberi Agathoni Liparitano depoſito. Et aliam alteri, ſi Eccleſiam dimitteret.*

11 *Idem S. Pontifex, Præſulibus quibuſdam: B. Perpetuus Turonenſis duobus Parochis: S. Gregorius Papa VII. Presbytero cuidam, ſtipendia eccleſiaſtica pendi voluerunt.*

12 *Concilium Emeritenſe Vicarii Parochialibus; Joannes Papa VIII. penſionem ſolui mandavit Hincmaro Laudunenſi cæco.*

13 *Penſiones memorantur poſitæ in Scotiâ, & in Angliâ: aliæ innuuntur ex Clemente Papâ III. & ex Stephano Tornacenſe.*

14 *Ex prædictis patet quàm magna ſit antiquitas penſionum. Variæ ſunt cauſæ propter quas licitè reſervantur penſiones:*

15 *Plenam poteſtatem habet Papa imponendi penſiones: Sanctus Bernardus orat Papam, ut cuidam Epiſcopo penſionem, ſivè ſubſidium quoddam indulgeat.*

16 *Ex Concilio Bituricenſi, & communi ſenſu Doctorum omnium Nationum, ineſt Papæ facultas reſervandi penſiones etiam ſinè gravi causâ.*

17 *Reſervare penſiones, vel reſervandas deſignare ſinè causâ, peccato non caret. Papa non tenetur aſſignare cauſam, cur penſionem reſervet.*

18 *Penſionarius, qui ſupereffluit bonis, penſionem tenetur piis uſibus applicare, ſive pauperibus, ſive Eccleſiæ, ſive aliis piis operibus pro ſuo libito.*

19 *Penſionis quantitas alicui major, alicui minor ſufficit, juxtà qualitatem perſonarum: nec tàm computanda eſt penſio, quàm onera Penſionarii.*

20 *Penſio non imponitur beneficio pleno, ſed vacanti, adeòque nulli fit injuria: nec imponitur quoque ſinè aſſenſu Penſionarii.*

21 *Quomodò ſegerant nunc Monarchæ quoàd reſervandas penſiones? Solus Papa reſervationes baſce complet.*

22 *An olim etiàm Epiſcopi poſſent imponere penſiones perpetuas? Concilium Lateranenſe III. penſiones poni ab Epiſcopis interdicit.*

23 *Concilii Lateranenſis IV. & Oxonienſis Sanctiones in idem collimant. Fortè Antiſtites ipſi procurarunt ſibi facultatem hanc tolli.*

24 *Patet ex his, quod impoſitio penſionum non eſt res nova, nec à Pontifice introducta, adeòque non eſt carpenda, ut fit à Contradictoribus.*

25 *Si beneficia extraneis interdicitur impertiri; nec etiam licebit eiſdem penſiones concedere, quæ ſunt partes fructuum beneficii.*

1. QUEMADMODUM in rebus civilibus regulæ quædam politicæ dantur, obſervandæ pro bono Reipublicæ ſtatu; ità & in eccleſiaſticis, aliæ pariter dantur regulæ, florido Eccleſiæ regimini conferentes, quę ſi obſerventur, ſubſiſtit, invaleſcit, ac proficit Eccleſiæ gubernatio; ſi verò contemnantur, Eccleſiæ quoquè rectum regimen languorem patitur, & hebeſcit. Itàque quod laudabili Politiâ res eccleſiaſticæ agantur, non deviat ab honeſto Eccleſiæ regimine, ſed cum eo conſonat, eique proficit: & ideò ſicut in aliis eccleſiaſticis negotiis, laudabile eſt juxtà id, quod exigunt politicæ rationes, procedere; ità & in diſpenſatione beneficiorum, proficuum eſt, & publicæ utilitati accommodum, rationes politicas non contemnere, ſed illis potius inhærere, atque illam tenere methodum in illorum diſtributione, quam humana prudentia, maturius regulata, & ſacris Canonibus conſentanea, dictat eſſe ſequendam. Plures Rationes jàm in Capitulis præcedentibus congeſſimus (*a*), politicè demonſtrantes beneficia eccleſiaſtica eſſe non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis impertienda. Nunc alias addimus, in idem collimantes, ut pateat, quod ſicut ex aliis ſcientiis, ad hos ſuadendum, abundant probationes; ità & ex politicâ doctrinâ, ſuperaffluunt motiva, ſententiam ipſam uberrimè comprobantia.

(a) *Unde ſupra to. 1. cap. 16. per totum.*

2. Igitùr efficax Ratio deſumitur ex magnâ perturbatione, quę non poteſt non invaleſcere in Eccleſiâ ſi amodò non deſiſtat hæc novitas, agendi ut excludantur extranei benemerentes, & digni ab eccleſiaſticis beneficiis: *Optimum verò eſt ambitioſa certamina prorsùs exſcindere, atque adeò nec nomina nova, aut aliud quid, ex quo oriri diſſidia poſſint, permittere*, monebat Auguſtum Mecęnas apud Dionem (*b*). Et quidem certè, cum hucuſque liberâ poteſtate potiti ſint, & Papa, & Epiſcopi, & alii omnes Clerici, atque Laici, Principes, & privati, beneficiorum Collatores, aut ad ea reſpectivè Nominatores, beneficia eccleſiaſtica porrigendi, prò eorum libito, tùm Clericis extraneis, tùm indigenis; hujuſmodi libertas nunc non illis valet auferri ſinè magnâ, & probabili Eccleſiæ, Urbium, Provinciarum, & Regnorum perturbatione: Quippè neque Papa, neque Imperator, neque Reges, neque Epiſcopi, neque tandem omnes alii Clerici, & Laici, ordinarii, vel delegati beneficiorum Collatores, aut reſpective ad ea Nominatores, permittent sè hujuſmodi libertate de facili denudari; quam non ipſi nunc primùm ſibi aſſumpſerunt, non ſibi novitèr arrogarunt; ſeduti Eccleſiæ coęvam, atque jure optimo ad eos transfuſam, acceperunt, retinentque validiſſimè cuſtodiendam. Nec poteſt uni eorum detrahi, quin abſcindatur, & alteri: adeò inter illos coniuncta eſt cauſa, & intereſſe commune. Quarè ſi hæc libertas negatur Papæ, conſequentèr denegatur etiam Epiſcopis: & ſi in recto his ſubtrahitur; in obliquo aufertur etiam Regibus, & Laicis præfatis: non enim majorem libertatem habere poteſt delegatus, quam delegans, in exercitio eccleſiaſticæ juriſdictionis. Nec proficiet

(b) *Lipſius Polit. lib. 6. cap. 3.*

ficiet Principibus dare literas naturalitatis: quippè ut alibi pluries notavimus, non poterunt ſine gravi culpâ eas impertiri extraneis, in præjudicium indigenarum, prius vocatorum ad beneficia, privativè quoad extraneos in ſententiâ Contradictorum. Ultrà quod ipſi Principes derogare non valent juribus divino, naturali, & humano eccleſiaſtico, extraneos, ut ſupponitur, excludenti.

3. Profectò, ſi memorati Contradictores hac eſſent præditi libertate, nunquid quieto animo paterentur, eam ſibi à rerum novarum excitatoribus uſurpari? Proculdubio non. Sed ſivè privatis, ſivè publicis viribus innitentes, & calamum acuerent, & volumina lucubrarent, & omnem lapidem moverent, & omnia ſacra, atque profana invocarent, ne propriâ libertate minuerentur, & fortè aliquis eorum, concitato nimiùm animo, cum Poetâ cantaret, *quod ſi mea Numina non ſunt, magna ſatis (dubitem haud equidèm implorare, quod uſque eſt) Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta movebo* (a). Eodem autèm modo neque Principes, & Magnates, neque Superiores, neque Inferiores, Eccleſiaſtici, & Laici, præditi jure conferendi eccleſiaſtica beneficia, ſivè ad illa nominandi, tàm Clericos extraneos, quam indigenas, ſinè magnâ rerum convulſione patientur, propriâ ſe libertate nudari. Sed toto conatu prò eâ ſibi retinendâ contendent: & cunctis, quibus poterunt viribus, laborabunt, ne illis libertas ipſa, quâ uſque modò potiti ſunt, abripiatur. Nàm, ut ait Tacitus, ſi Principi per novarum rerum autumatores *imperium detrectetur, bello certandum eſt* (b). Ergò hujuſmodi novitas, & recentèr excitata contentio (repellendi extraneos ab eccleſiaſticis beneficiis, reſpectu ad illas perſonas, & Collatores, & Nominatores, ac ubi uſque modò, ſinè ortus differentiâ, extranei promiſcuè cum indigenis ſunt admiſſi) talis eſt, ut non poſſit ſinè magna, ut dicebamus, Eccleſiæ, Provinciarum, ac Nationum perturbatione vigere.

(a) Virgilius Æneid. lib. 7.

(b) Tacitus Annalium lib. 1.

4. Tollenda igitur eſt è medio notivas hæc profana: & quemadmodùm *incipiens, nondumque adulta ſeditio melioribus conſiliis flectitur* (c); Sic & hujuſmodi Contradictorum conatus melius maturari debet, atque cum periculis, quæ ſecum trahere valet, factâ collatione probari, ut conquieſcat: ne tàm Principes, quam privatos; tamque Clericos, quam Laicos, majoris, & minoris ordinis, in hac rè intereſſe habentes, perturbationibus infinitis involuat, quæ inevitabilitèr emergent, ſi Eccleſia cum impugnatoribus ejus libertatis congredi compelletur. Patiens ipſa eſt, longanimis, & multum miſericors: toleravit idcircò hanc iniuriam pluribus annis, diſſimulavit offenſam, obmutuit, humiliataque eſt nimis: ſed tantam dejectionem ſuſtinere diutiùs non valebit. Undè ſi res non ceſſat; apprehendere cogetur, vel invita ſcutum, & arma, atque id tandèm facere, quod diù facere recuſavit. *Mores meos*, ſcribebat mitiſſimus S. Gregorius Magnus Sabiniano Apocriſano ſuo apud Conſtantinopolim, *mores meos benè cognitos habes, quod diù porto, ſed ſi ſemèl deliberavero non portare, contrà omnia pericula lætus vado* (d). Poſt ſimilem lenitatem, comparem quoquè fortitudinem, ſupremus Eccleſiæ Præſul, cum tempus erit, exercere tandem non formidabit: ac tot habebit in executione ſuæ auctoritatis adjutores, quot ſunt Epiſcopi, & Clerici; Principes, & Privati, ſuæ cauſæ participes, proptèr illis ademptam libertatem, quâ uſque modo potiti ſunt, præficiendi etiam extraneos beneficiis, à ſe vel Collationis, vel Nominationis titulo, dependentibus.

(c) Tacitus Annal. lib. 1.

(d) S. Gregor. l. 7. ind. 1. epiſt. 1.

5. Hæc ſi ſedulò perpendantur; prudentèr, ut putamus, & rationabilitèr debebunt Contradictores, eorumque Auctores, ad amorem quietis publicæ revocare, atque ad obſervantiam ſtyli hucuſque cuſtoditi, providâ deliberatione inclinare: nè priſca conſuetudo alterationem recipiat: Sed aureum illud dogma prævaleat S. Auguſtini, *quod nequè contrà fidem, nequè contrà bonos mores iniungitur, indiferentèr eſt habendum, & prò eorum, inter quos vivitur ſocietate, ſervandum &c. Faciat ergò quiſque quod in eâ Eccleſiâ, in quam venit, invenerit: Non enim quidquam eorum contrà fidem eſt, aut contrà mores &c. Ipſa quippè mutatio conſuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat* (e). Quantæ confuſiones, & ſcan-

(e) S. Auguſt. epiſt. 118.

dala è publicis perturbationibus ſolita ſint exoriri, nemo vir cordatus ignorat: ad ea ergò protelanda, omnes vires ſunt prudenti æquanimitate jungendæ; declinanda pericula, prævenienda infortunia: laudabiliſque politiç dictamine cuſtodito, uni Chriſtianitatis quieti ſtudendum eſt, atque illa ſemita non dimittenda, quæ uſquenunc fuit à nobis, & à majoribus noſtris calcata, nempè quod eccleſiaſtica beneficia promiſcuè, ut anteà, non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis, dignis, & benemerentibus conferantur.

6. Alia quoquè Ratio deſumitur ex præjudicio, quod infertur Eccleſiæ; nedumquè Papç, & Epiſcopis, ſed etiam Imperatori, atque Regibus, in impoſitione *Penſionum*, vel earum deſignatione, atque deſtinatione ad extraneos. Jàm ſuprà oſtendimus, valdè utile eſſe Præſulibus Eccleſiæ, atque Summis Principibus, quod eis etiàm ab extraneis deſerviatur (*a*). Iſtud autem ſervitium non poterunt adipiſci niſi habeant præmia, quibus congruè merita ejuſmet ſervitii retribuant. Cernimus verò ex ordinariâ praxi totius Chriſtianitatis, quod merita famulantium Præſulibus Eccleſię, ac Magnis Principibus, ſi deſervientes ſint Clerici, & probitate merum floreant, doctrinâ, & aliis laudabilibus prerogativis, in præmium ſolent obtinere, vel beneficia eccleſiaſtica, vel penſiones. Beneficia deneganda omninò eſſe Clericis extraneis Contradictores inculcant. Nec Præſules igitùr Eccleſiæ, neque Monarchæ præfati poterunt dictis Clericis ſibi famulantibus beneficia concedere, & ſic ſublata eſt medietas præmii, quo poterant eorum benemerentiam retribuere. Supereſſet recompenſatio facta penſionibus. At hæc quoquè dè medio tollitur doctrinâ Contradictorum. Nàm ſi beneficia neceſſariò danda ſunt ſolis indigenis, & neganda prorsùs extraneis, idipſum erit quoquè de penſionibus eccleſiaſticis, quæ ſunt tot portiones beneficiorum, eorumque redituum, & repreſentant beneficia, ſuper quibus reſervantur (*b*), nec proindè ab illis differre poſſunt, quià pars à ſuo toto non diſſonat, validumque eſt argumentum à toto ad partem, & è contrà, ubi coæqualis eſt ratio (*c*): adeoque nec Principes præfati, neque Antiſtites, & neque ipſe Pontifex poterunt ullum virum extraneum, ſibi famulantem, vel alitèr de ſe benemerentem, vel deſignando, vel reſpectivè reſervando penſionem aliquam, eâ inpoſterum munerare: in quo quantum ſit detrimenti Superioribus, tàm eccleſiaſticis, quam laicis, quibus non ſemper bonum eſt, ut à ſolis indigenis deſerviatur; quantum quoque aliundè ſit abſurdum, & damnum publicum, quis non videt? Sanè reſervatio penſionum, non eſt quid odioſum, ſed favorabile, ac Reipublicæ ſatis utile (*d*), quià non reſervatur in odium Titularis, quo beneficium caret, dum vacat, ſed in favorem tertii, habetque admixtam illam publicæ utilitatis rationem, ut ex pingui beneficio, plures Clerici alantur (*e*). Ac juſtum, & ſanctum eſt, ut ex his, quæ ſuperfluunt uni, pars auferatur, & detur alteri egenti, ab eo, ad quem ſpectat generalis redituum eccleſiaſticorum adminiſtratio: preſertìm accedente poſteà Beneficiarii gravati conſenſu (*f*): Qui poſt hoc præſtitum, irrationabilitèr, & poſteà injuſte quandoque de penſione ipsâ conqueritur (*g*).

7. Adversùs ipſas penſiones linguam acuunt Contradictores. Nos ergò, ut de illarum juſtitiâ, & antiquitate hic funditus eloquamur; ea, quæ ſequuntur, nunc ducimus proferenda. *Penſiones* ſuper fructibus Eccleſiarum ſolus Papa ad favorem alicujus reſervat (*h*): Epiſcopi verò non reſervant, ſed reſervandam Papæ deſignant: quod & faciunt alicubi Reges aliqui, & Imperator, deſignando ut ſuprà penſiones, illaſque Pontifex, ad eorum requiſitionem reſervat, vel ut prò reſervatis habeantur, præſtat aſſenſum (*i*). Earum autèm obtinendarum nedùm Clerici, verùm etiàm Laici cenſentur eſſe capaces (*l*), quià hæ de ſui naturâ videntur habere rationem ſtipendii quodammodò temporalis: quamquam de ſtylo Romanæ Curiæ non niſi Clericis conferantur (*m*). Itàut ſi penſionem accipiens ſuper fructibus beneficii Clericatu careat; penſio ipſa reſolvatur, & ad nihilum redigatur (*n*). Porrò nomen penſionis in antiquis etiam canonibus, inſertis Juris Corpori reperitur,

(a) *Vide ſupra Tom. 1 Sæculo 7. Cap. 16. à num. 1. ad 12.*

(b) *Faguan. in cap. ad audientiam num 74. de reſcript lib 1.*

(c) *Barboſ. trac. var. loc. 82. & 114. cum aliis ibi.*

(d) *Gigaſ. de penſion. qu. 96. num. 5. Cabed. dec. 149. num. 1 p. 1.*

(e) *Burſat. conſ. 126. num. 90. l. 2.* Barboſ. *prax. exig. penſ. p. 3. proem. num. 9.*

(f) *Caſſad. dec. 11. n. 8. de reſcr. Barboſ. loco citato.*

(g) *Mandoſ. ad reg. 19. Canc. qu. 11 num. 4. Gambar. de Off Legat. l. 6. num. 11.*

(h) *Fagnan. in cap. audivimus num. 8. de colluſ. detegend. lib. 5.*

(i) *Barboſ. Jur. Eccleſ. univ. l. 3 cap. 11. n. 16. 35. & 54.*

(l) *Cap. poſſeſſiones 16. qu. 1. Faguan. in cap ad audientiam num 74 81. 128. de reſcriptis lib 1.*

(m) *Fagnan. in cap. cum in cunctis num 94 de elect lib. 1 & in cap. ad audientiam il 2. à num. 75. de reſcrip.*

(n) *Gigas de penſ. qu. 22. num. 8. Barboſ. Jur. Eccl. univ. l. 3. cap. 11. num. 63.*

tur, de quibus in margine (*a*). Sed ibi potiùs prò cenſu annuo ſcriptum eſt, quam prò penſione, in eo ſenſu, de quo nùnc loquimur, quæ conſiſtit in aſſignatione portionis fructuum alicujus beneficii, favore Clerici, vel Laici, factâ ad tempus, à legitimo Superiore, poteſtatem ad id habente (*b*). Propiùs ad hujus ſignificationem accedit id, quod in canone, ex Gelaſii verbis compacto, continetur, ità ſonante, *ſtatuimus, ut quaſcumque munificentias Clericis, aut ſibi ſervientibus, de rebus Eccleſiæ in uſum præcedentes dederint Sacerdotes, ſubſequentes Pontifices nullatenùs auferre præſumant* (*c*). Verùm & hic potiùs eſt ſermo de beneficio, quàm de penſione.

(a) *Cap. Eleutherius 18. qu. 2. cap querelam de election. cap præterea de Cenſ. cap. Conſtitutus de religioſ. Domibus.*

(b) *Lotter. de re beneſ l. 1 quæſt. 36. num. 9. & ſeq. Barboſ. prax. exig. penſ. p. 1. præm. num 3.*

(c) *Cap. illud 16. qu. 6.*

8. Sed quidquid ſit de nomine penſionis, in præfato ſenſu, vel non, vel obſcurè, & parcè in antiquis canonibus explicato; res certè ſignificata per ipſum nomen, ſaltèm uſque ad tempora Concilii Chalcedonenſis generalis IV. habiti anno 451., ritè valet, atque opportunè referri: quippè in eo cum fuiſſet Epiſcopatu Antiocheno exauthoratus Domnus, & ſuffectus illi Maximus, hic ultrò sè obtulit Anteceſſori annuam penſionem præbere, congruo illius victui reſpondentem; quam Patres, auditâ Maximi humanitate, ſynodalitèr approbarunt: *deprecor*, inquit ille, *glorioſiſſimos Judices, & Sanctam Synodum, ut humanitatem in Domnum exercere, qui fuit Antiochiæ Epiſcopus, dignemini, & ſtatuere ei certos ſumptus de Eccleſiâ, quæ ſub me eſt* (*d*). Ibidem, de Perrhenorum Epiſcopatu duobus intèr sè contendentibus; Synodus alteri Epiſcopale Officium, ac plenam Eccleſiæ adminiſtrationem commiſit; alteri verò Epiſcopalem nomine tenus honorem tradidit, cum ea redituum portione, quam Maximus Antiochenus honeſtam, & congruam declaraſſet, ſanciens de ſecundo, *dignitatem Epiſcopatus habeat, & paſcatur, ſicut Maximus Epiſcopus Antiochenorum, ſecundùm facultatem Perrhenorum Sanctiſſimæ Eccleſiæ diſpoſuerit* (*e*). Demum in eodem Concilio lis celebris eſt dirempta, inter Baſſianum, & Stephanum ardens, ob affectatam utrimque Cathedram Epheſinam, repulſo inde utroque; ſed utrique dignitate Epiſcopali relictâ, cum congruâ fructuum illius Eccleſiæ portione, quam Cæſarei Magiſtratus, Concilio intereſſentes, in ducentis ſolidis condixerunt: *Habeant*, inquit Synodus, *dignitatem Epiſcopi, & ex reditibus memoratæ Eccleſiæ nutrimenti gratia, & conſolationis, annis ſingulis, ſolidos aureos ducentos accipiant* (*f*).

(d) *Concil. Chalcedon. Act. 10.*

(e) *Concil. Chalcedon. Act. 14.*

(f) *Concil. Chalcedon. Action. 11.*

9. Non diutino poſt tempore, Joannes Epiſcopus Ravennas Gregorium quendam invitum in Mutinenſem Antiſtitem ordinavit (*g*), quod valdè improbans Simplicius Papa, in Divi Petri Sede locatus anno 467. eum gravibus hiſce literis objurgavit, *Ubi iſta didiciſti, quæ in fratrem, & Coepiſcopum noſtrum Gregorium, non dilectione, ſed invidiâ perpetraſti, quem inexcuſabili violentiâ pertrahi ad te paſſus es, atque vexari, ut ei honorem tantum, non per animi tranquillitatem, ſed per amentiam, ſicut dicendum eſt, irrogares* (*h*)? Deinde Joannem ad pendendam Gregorio quandam annuam ſubventionem adigit, ſivè fructus prædii Eccleſiæ Ravennatis, vel quod in idem reſonat, annuam penſionem, ſub hoc themate perſolvendam, *neceſſitatibus etiam, quas, faciente tè, compellitur ſuſtinere, hac definitione conſulimus, ut refuſo prædio, quod antè annum ſibi datum eſſe commemorat, atque ad Eccleſiam Ravennatem reverſo, poſſeſſio in Bononienſi triginta ſolidorum reditus liberorum, sinè dubitatione tradatur, in diem ſcilicèt vitæ ejus, ſalvo proprietatis jure Ravennatis Eccleſię, ad quam poſt prædicti obitum revertetur* (*i*). Sæculo ſubſequenti Concilium Matiſconenſe Fauſtinianum Epiſcopum Aquenſem depoſuit, & ejus Ordinatores hac pœnâ mulctavit, ut prò alimentis ipſi Fauſtiniano centenos aureos annuâ penſitatione perſolverent. Rem narrat S. Gregorius Turonenſis, concludens, *eâ conditione removetur, ut Oreſtes, ſivè Palladius, qui eum benedixerant; vicibus paſcerent, centenoſque ei aureos annis ſingulis miniſtrarent* (*l*). Per eadem tempora Joannes Papa II. ſivè ut aliis placet, Concilium Provinciale, Contumelioſum Epiſcopum Regienſem à ſuâ ſede depoſuit, &

(g) *Simplic. PP. epiſtola 2. cap. denuntiamus 25. qu. 2.*

(h) *Simplic. loc. cit. cap. ubi iſta 7. diſt. 74.*

(i) *Idem Simplicius epiſtola 2.*

(l) *S. Greg. Turon. hiſt. lib. 8. cap. 20.*

in

in monaſterium detruſit, Agapetus vero Papa I. Joannis ſucceſſor, ad quem cauſa per appellationem fuerat devoluta, decrevit, ut ipſi Contumelioſo congrua portio de proventibus illius Eccleſiæ prò alimoniâ preberetur (*a*).

(a) *Agapit. I. PP. epl. 7. Baron. ann. 534. 47. & 535. n. 111.*

10. Paritèr S. Gregorius Magnus, depoſito judicialitèr Agathone Epiſcopo Liparitano, voluit, ut ei quotannis ſumma quædam de illius Eccleſiæ fructibus ſolveretur, ſcribens Maximiano Epiſcopo Syracuſano, *poſtquàm in Agathonem, quondam Epiſcopum, juxtà qualitatem exceſſuum, diſtrictione eſt canonicâ vindicatum, neceſſe eſt humanitatis intuitu quemadmodùm ſuſtentari poſſit, diſponere. Propterea fraternitas tua ad Liparitanum Eccleſiam, in quâ ſupradictus Agatho ſacerdotis geſſit officium, feſtinet dirigere, eique ad præſens exindè quinquaginta ſolidos, qui in ejus poſſint proficere victum, tranſmittat. Nàm nimis eſt impium ſi alimentorum neceſſitati, poſt vindictam, ſubjaceat* (*b*). Et alibi ad Etherium Epiſcopum ſcribens, de quodam Antiſtite, dolore capitis ità offenſo, ut delirium pateretur, inſinuat: quod ſi Antiſtes ille, ad lucida intervalla quandòque rediens, ſponte Epiſcopatui cedere vellet; alius in ejus locum eligeretur, hac lege, ut ipſi congruam penſionem annualitèr miniſtraret, *omnium*, inquit, *ſolemnitèr electione, alter qui dignus fuerit, Epiſcopus conſecretur; ſic tamèn, ut quouſque eundem Epiſcopum in hoc ſæculo vita tenuerit, ſumptus ei debiti de eâdem Eccleſiâ miniſtrentur* (*c*).

(b) *S. Greg. lib. 2. epl 53.*

(c) *S. Gregor. lib. 11. epl. 2.*

11. Generalitèr tandèm de Magno hoc Pontifice Auctor illius vitæ teſtatur, quod ſive Epiſcopi aliquo infortunio excuſſi, ſive voluntariâ ceſſione ab Epiſcopali deciderent miniſterio; volebat eos penſionibus, & contributionibus, ad victum congruis ſuffulciri. *Pontificibus voluntariè renuntiantibus Succeſſores nullo modo denegabat, eoſque poſtmodùm de reditibus Eccleſiæ relictæ, ſufficientèr nutriendos eſſe cenſebat* (*d*). Alibi de ipſomet S. Gregorio ſcripſerat idem Auctor: *Expulſos Epiſcopos, quos tam citò, vel incardinare non poterat, vel quorum reditum ad ſedes proprias contingere poſſe ſperabat, aliis Epiſcopis, qui tunc videlicet in locis ſuis degebant, interìm pro ſuſtentatione, ac ſtipendiis præſentis vitæ jungebant* (*e*). Quæ junctio, & onus præbendi præfata ſtipendia, vel erat idem, ac penſio, vel quid non multum diſſonans à penſione. De inferioris ordinis Clericis, penſione annuâ muneratis, occurrit ab antiquis ſæculis B. Perpetuus Epiſcopus Turonenſis, qui floruit circà annum Chriſti 475. & interfuit primo Concilio Turonenſi, habito anno 482. (*f*). Is depoſitos binos Parochos ſuæ diœceſeos, nè ampliùs reſtituerentur, diſtrictiſſimè demandavit; ſed identidem juſſit, *Sportulam tamèn habeant quandiù vixerint* (*g*). Dè Præsbytero homicidâ, quem Remedius Epiſcopus Linconienſis Romam direxerat, præcepit Gregorius Papa VII. ne unquàm officio ſuo reſtitueretur; ſed & adjecit, ut ſtipendiis eccleſiaſticis non careret (*h*); quid autèm ſunt hæc, niſi penſiones, vel penſionum ſpecies, vel idem ſub diverſis terminis, ac penſiones?

(d) *Joannes Diacon. Vit. S. Gregor. lib. 4.*

(e) *Idem Joannes Diaconus lib. 3. cap. 16*

(f) *Card. Baron. in not. ad Martyrol. die 8. April*

(g) *Spicileg. tom. 5. f. 107.*

(h) *Greg. 7. epl. 34. lib. 1.*

12. In Concilio Emeritenſi, habito anno 666. collata eſt facultas Epiſcopis transferendi ad Cathedrales Eccleſias Parochos Diœceſanos, ſubrogato ad parochiam regendam idoneo Sacerdote, cum congruo ſtipendio, dataque poteſtas eſt Parocho tranſmigranti, ut retento apud ſè titulo, ex fructibus beneficii, congruam penſionem novo Sacerdoti, officium parochiale agenti, conferret, *Præsbyter alius inſtituatur, qui ſanctum officium peragat, & diſcretione prioris Presbyteri, victus, & veſtitus rationabilitèr illi miniſtretur, ut non egeat* (*i*). Hincmarum Laudunenſem Antiſtites Pſeudoſynodi Tricaſſini, ſeù Hincmarus Remenſis ejus patruus, totius facinoris architectus, iniquiſſimè ſuâ ſede ſpoliarunt: & quod penè omnem inhumanitatem ſuperat, excæcarunt; ſubintruſo interim in ſuam Cathedram Hedenulpho, quem parum abſuit, quin (rè ad Joannem Papam VIII. per appellationem delatâ) præcipiti de throno ejectione quateretur, niſi cæcitas Hincmari eum invalidum, & inutilem Eccleſiæ Laudunenſi regendæ inpoſterùm reddidiſſet. Res igitùr eſt hoc modo ſarcita, ut Hedenulphus Epiſcopatum teneret,

(i) *Concil. Emeritenſ. cap. 13.*

ſed

ſed Hincmaro ipſi cæco redituum portionem congruam miniſtraret: *vim facientibus*, ait Aimoinus, *quibuſdam Epiſcopis, & conſentiente Rege, dixit Joannes Papa, ut Hedenulphus, ſuâ auctoritate Epiſcopus ordinatus, ſedem ſuam teneret, & Epiſcopale miniſterium ageret, & Hincmarus cæcus, ſi vellet, Miſſam cantaret, & partem de rebus Epiſcopi Laudunenſis haberet* (a).

13. Gravibus quandoque accenſis diſſidiis intèr Guillelmum Regem Scotiæ, & Archiepiſcopum Sanctandreenſem, tempore Lucii Papæ III. concluſum eſt tandem, ut ad potentiæ Regalis vitandos impetus, & majora ſcandala declinanda, Archiepiſcopus Eccleſiæ cederet, at de fructibus ejuſdem ſtipem ſibi congruam retineret (b). Sub Cœleſtino Papâ III. graves auditæ ſunt conqueſtiones Anglorum de Archiepiſcopo Eboracenſe, quod in collatione præbendarum, eas diſciſſas pluribus diſpertiret; vel quando integras dabat, ſibi nihilominùs penſitationes indebitas applicaret, quâ de re Rogerius, *Eccleſiam ſcindit per partes &c. aut in eâ novam, & indebitam retinet penſionem* (c). Sub Clemente Papâ III. repetita eſt Conſtitutio Lucii ejus Anteceſſoris, de Parocho leproſo, quod daretur ei Coadjutor, *& de facultatibus Eccleſiæ ad ſuſtentationem ſuam, congruam recipiat portionem* (d). Stephanus Tornacenſis Hugoni Abbati S.Dionyſii Pariſiorum ſcribit: *Penſionem annuam, quam fratri noſtro promiſiſtis, rogamus ut ei ſine dilatione ſolvatis* (e).

(a) *Aimoin. lib. 5. c. 37.*

(b) *Rogerius Ovedenus hiſtor. an. 1182.*

(c) *Rogerius anno 1194.*

(d) *Cap. Rectoribus 3. cap. tua noſ. 4. de Cler. ægrot.*

(e) *Stephan. Tornacenſ. epiſt. 204.*

14. Allegavimus varia hæc documenta penſionum, vel erogationum, penſionibus æquivalentium, ut videant Contradictores, qui penſiones ipſas torvis non parum oculis intuentur, quàm antiquæ ſint in Eccleſiâ Dei; & à quàm conſpicuis Conciliis, Romanis Pontificibus, & Epiſcopis uſitatæ; Nec pro ſolâ remuneratione ſervitii, Eccleſiæ penſionatæ præſtiti, adhibitæ, & adhibendæ; ſed etiàm ad tollenda diſſidia, ad convenientem penſionarii ſtatum ſuſtinendum, & ad alias honeſtas cauſas intèr quas non ultimum locum tenere debet ſervitus Pontifici, ſervitus Epiſcopo præſtita, in quibus proculdubiò Eccleſiæ deſervitur (f). Nec alitèr ſentiendum eſſe videtur de ſervientibus Imperatori, atque Regibus, quippè hi Principes ſunt perſonæ, ſacro oleo delibutæ: ſunt defenſores Eccleſiæ, illiuſque Miniſtri, & digni, ut qui eis inſerviunt, præſertim in miniſteriis piis, inter perſonas de Eccleſiâ benemeritas numerentur, & prò talibus habeantur, qui dignè valeant de fructibus Eccleſiæ in penſionum participatione gaudere, dummodò ſint requiſitis neceſſariis inſigniti. Juſtæ quoque cauſæ reſervationis penſionis ſunt, ſi fiat prò concordiâ litis intèr duos hinc indè rationabilitèr contendentes (g), prò coæquandis reditibus duorum permutantium inter ſe beneficia (h): pro pauperibus alicujus loci adjuvandis (i): prò ſubventione alicujus ſcholaris pauperis, ut ſtudiis meliùs poſſit incumbere (l); prò remunerando aliquo ſtrenuo viro, qui adverſus paganos, & infideles, prò religione fortitèr dimicaverit, & aliæ conſimiles pietatem redolentes.

(f) *Cap de cætero 7. c. cum dilectus 14. c. ad audientiam 15. de Cler. non reſid.*

(g) *Gratian. diſcep. for 613. n. 5.*

(h) *Barboſ. jur. eccleſ l. 3. c. 11. n. 56.*

(i) *Gratian. loc. cit.*

(l) *Barboſ. ubi ſupr. n. 57.*

15. Plenariâ autèm poteſtate in penſionibus imponendis præditum eſſe Romanum Pontificem, nemo eſt, qui poſſit ambigere, niſi delirando loquatur: nàm ut benè ſentiunt appoſitè ad hoc Canoniſtæ (m). Papa beneficiorum omnium Eccleſiaſticorum plenam, ac pleniſſimam habet adminiſtrationem (n), & ſic illa tàm onere penſionis preſſa, quàm poteſt libera totalitèr impertiri. Quinimò & ipſa gravare poteſt penſione, etiàm ſinè causâ, uti dicemus inferiùs: multò ergò magis cum causâ. Certè D. Bernardus preces Eugenio Papæ III. porrexit, ut ſuper proventibus Epiſcopatus Aurelianenſis quædam penſio apponeretur, ad Epiſcopi, nuper exauthorati, debita perſolvenda, & ad Preſbyteri, ſibi famulantis, ſervitium munerandum, *tempus eſt*, inquit, *ut & ego ſcribam, non tàm prò Epiſcopo, ſed prò paupere, & humili monacho, idque quod miſerabilius eſt, facto de divite, & ſublimi &c. ſufficit ſi veſtra indulgentia poſſit retinere Sacerdotem, qui Epiſcopus fuit &c. Prætereà angitur debitis multis, cum ſit pauper, & inops. Jubeat auctoritas veſtra de rebus Epiſcopalibus ea ſolvi. Durum eſt enim ſimùl, & honore privari, & onere premi debitorum* (o).

(m) *Gigaſ. de Penſ. qu. 6. n. 6 7. 17. Decius Conſ. 439. vol 3. Felyn. in c. ad audientiam de reſcriptis Azor. p. 2. l. 8. c. 6. qu 8.*

(n) *Clementina 1 ut lite pend. c. licet 2 de præb S. Thom. 2 2. qu. 100 ar. 1. ad 7.*

(o) *S. Bernard. epi. 245.*

16 In

16. In Concilio Bituricenſi legitur ſequens decretum, quod plenam, & totalem in penſionibus imponendis poteſtatem Pontificis præſupponit, *Accipientes quæcumque beneficia, cuſtodiæ, aut fiduciæ nomine, vel ex iiſdem penſiones ſinè Summi Pontificis auctoritate paciſcentes, aut percipientes ſe Simonaicos eſſe intelligant* (a). Uno verbo omnium Doctorum conſona vox eſt, ſupremam eſſe in hoc Summi Pontificis poteſtatem, ut ex Germanis docet Ludovicus Engel (b), ex Gallis Petrus Rebuffus (d), ex Hiſpanis Nicolaus Garcia (c), ex Luſitanis Auguſtinus Barboſa (e), prætèr Italicos, alioſque dictarum Nationum Doctores. Summatim igitùr dicimus, quod Papa poteſt imponere penſiones, nedùm ex causâ, ſed etiàm ſinè causâ (f), quamquàm ut advertit Azorius, *aliud eſt quærere, an Pontifex, ſi penſionem alicui reſervet ſinè ullâ juſtâ causâ, peccet: Aliud verò eſt, an penſio citrà juſtam cauſam alicui reſervata, valeat, ut penſionarius tutâ conſcientiâ eam poſſit exigere. Si primum quæratur, illud abſque peccato fieri nequit, quià ut minimum, quòd ſinè juxtâ causâ fit, imprudentèr, ac levitèr, & temerè fit &c. Si verò ſecundum quæratur, arbitror penſionem reſervatam valere, quià eam ſinè causâ dando Pontifex, contrà jus divinum, vel naturale non facit, ſed contrà canones, & jura, quæ nimirùm vetant beneficia cum diminutione conferri. Sed quod Papa contra canones, & jura dumtaxat ſinè causâ concedit, valet, cum hujuſmodi jura remittere, & relaxare queat, quamvìs malè, ſinè causâ relaxando, faciat* (g).

(a) *Concil. Bituric. an.* 1584. *tit.* 41. *cap* 1.
(b) *Engel. Colleg. Juris par.* 2. *l.* 3. *tit.* 15. §. 6 *n.* 69.
(c) *Rebuff. prax beneſ. de reſerv. n.* 16.
(d) *Garcia de benef. p.* 1. *c.* 5. §. 2 *n.* 274.
(e) *Barboſ. Jur. Eccleſ. Univ. l.* 3. *c.* 11. *n.* 55.
(f) *Garcia loc. cit. n.* 279. *cum aliis ibi Fagnan. in cap. niſi eſſent n.* 16. *de præbend.*
(g) *Azorius Inſt. mor p.* 2. *l.* 6. *c.* 5 *qu.* 8.

17. Vides Pontificis auctoritatem in reſervatione penſionum adeò effuſam eſſe, ut nullâ canonum reſtrictione coarctetur: quamvìs illaudabilitèr ſe gerat, penſiones ſinè causâ reſervando. Idipſum dicendum erit de Imperatore, Regibus, & Epiſcopis, qui penſiones deſignant ſinè rationabili, & juſtâ causâ favore aliorum, & eaſdem faciunt à Pontifice reſervari, ſeù alitèr approbari. Eodemque modo male facere dignoſcuntur, nec ſinè peccato eaſdem ſuſcipere, qui aliundè opulentis reditibus ditati, præſertim Eccleſiaſticis, & ſuo ſtatui congruentibus, non ceſſant penſiones eccleſiaſticas aucupari: peccant enim, non ex eo præcisè, quod penſiones accipiendo, de ſuperfluis beneficiarii conſtitutas, quæ debita eſſent ſubventioni Eccleſiæ, vel pauperum; iſtis Penſionarius fructus ipſos rapere videatur, & alienas res ſine neceſſitate occupare (uti ex ſenſu Armandi Burbonii malè eliciunt Contradictores), ſed quià res Eccleſiæ in profanos uſus convertunt. Quod poſteà Pontifex non teneatur cauſam aſſignare, propter quam penſionem reſervat; eamque, uti diximus, etiàm ſinè causâ valeat reſervare; hoc eſt privilegium ſupremæ dignitatis, qua potitur; cum etenim ab omni hominum iudiciali ſubjectione ſit exemptus, & ſoli Deo debeat operum ſuorum rationem reddere (h), hinc eſt, quod nulli tenetur cauſas exponere, cur penſionem aliquam ei placuerit reſervare. Quamquam de facto in praxi Papa penſiones nunquam ſine allegatione alicujus cauſæ, ſit ſolitus reſervare.

(h) *Cap ſi Papa diſt.* 40. *Bellarm de Pont. c.* 26. *& de Concil. l.* 2. *c.* 17. *Decius in c ſignificaſti num.* 9 *de elect. Barboſ. loc. cit. l.* 1. *c.* 2. *n.* 67. *Feyn. in c. nihil n.* 4. *de præſcript.*

18. Nàm ipſe Pontifex in reſervatione penſionis favore alicujus, sè ad hoc moveri aſſerit, ut ille ob merita, quibus præſtat, vel propter alias cauſas habeat undè congruè poſſit vivere, & ſuis honeſtis opportunitatibus opitulari; qui ſi ſuperfluit, in pios uſus impendat eam oportet. Quarè Penſionarius, qui rè verâ ſubſidio illo indiget, ipſum poteſt & validè exigere; ſi verò non indiget, peccat, non penſionem accipiendo, ſed illam in uſus pios non applicando. Uſus inquam pios: neque etenim debitum licitè contrectandi res eccleſiaſticas, & penſiones, proprio ſtatui ſupereffluentes piè impendendi intèr hæc duo ſolùm capita limitatur, ut vel pauperibus, vel Eccleſię applicentur; ſed ſufficit, quòd in aliquos pios uſus, & intrà latitudinem piorum uſuum, erogentur. Sicque penſiones ſatis eſt, ut quoad ſuperflua ſuo ſtatui, à penſionario in piis uſibus aliquo modo impendantur: nec penſionarius alicui rationem reddere tenetur, an potiùs in hoc, quàm in alio pietatis opere, pio ve uſu, penſione ſit uſus: Nequè quandò illam in pios uſus vult applicare, tenetur tubâ canere, & detractorum ſuorum linguas undèlibet convocare,

ut

ut videant, & cognoſcant, & intelligant, quod penſionem piis uſibus applicavit; ſed hoc cujuslibet conſcientiæ relinquitur, & prudentis Confeſſari examini, atque judicio tandèm divino, cujus vim nullus unquàm penſionarius eludit, neque eſt inpoſterùm eluſurus.

19. Rursùs non de omnibus eſt idem judicium faciendum quoàd quantitatem penſionis percipiendæ, ſed uniuſcuiuſque ſtatus eſt menſurandus, cujus ratione, uni ſufficiunt centum aurei, alteri non ſatis ſunt mille: prò aliis opus erit decem millibus, & ſic de cęteris, attentâ nimirùm ratione dignitatis, nobilitatis, paupertatis, & conſanguineorum, quibus aliquid honeſtè debeat impertiri &c. Et demùm non attendenda eſt ſumma penſionis, quam penſionarius exigit, ſed quantitas onerum, quibus premitur; & collato introitu cum exitu, judicium de penſionis ipſius legitimâ contrectatione eſt ferendum: Qui calculus ſi ritè fieret, non tàm velocitèr, neque tàm crebrò ab otioſis, & dicacibus hominibus impeterentur, & Summus Pontifex, & Reges, & Epiſcopi, penſiones beneficiis eccleſiaſticis imponentes, & reſpectivè penſionarii eaſdem ſuſcipientes. Nàm in quibus conſideratur penſio, conſiderari quoque debet onus, quod ſuſtinent, & diſpendium, quod patiuntur: plures namque creduntur affluere, qui anguſtias fortè patiuntur; & ſępè ſæpius, habitâ ratione perſonæ, inter egenos recenſendus venit, qui putabatur eſſe ditiſſimus, Cæterùm etſi aliqui penſionarii abundarent, & penſionis fructibus abuterentur, ipſi viderint coram Deo. Coram hominibus namque, ſicuti non eſt beneficio Eccleſiaſtico privandus, neque officio, vel munere temporali, qui fructus eorundem non rectè impendit; Sic & nec penſionarius, idem agens de penſione, illâmet eſt privandus, ſed ſatis eſt, quod onus in ſè habeat reddendi de illâ ſuo tempore rationem Deo.

20. Accedit ad juſtitiam penſionum, quod nulla ex eis imponitur beneficio pleno, ſed vacante, ac idcircò per eaſdem nulli irrogatur injuria, cum nulli ſuper beneficio vacuato jus ullum competere diſcernatur. Et ſivè fructibus beneficii viduati, ſivè pleni, penſio aliquâ reſervetur, hoc nunquàm fit ſinè aſſenſu illius, cujus eſt penſionem perſolvere (a), qui Clericum penſione donatum, ejuſque dignitatem, prærogativas, & jura cognoſcit, vel pro cognitis habet, dum penſioni prębet aſſenſum. Multò magis ſine ipſius beneficiarii conſenſione, penſio de uno in alium non transfertur (b). Quem conſentientem ſi poſteà oneris ſuſcepti pœniteat; non exactor penſionis culpandus eſt, qui utitur jure ſuo; ſed beneficiarius, qui reſilit à promiſſis, & poſt præſtitum penſioni aſſenſum, fidei datæ deficit, ac promiſſionem factam eludit. Ceſſerat Nicolaus Epiſcopus Dunelmenſis beneficio ſuo Epiſcopali, ad favorem Valterii, retentâ ſibi penſione tertiæ partis fructuum ejuſdem Eccleſiæ, ſuper quo interpoſitâ auctoritate Innocentii Papæ IV. renuntiatio ſuum eſt conſecuta effectum. Valterus autèm poſtmodùm, voluntate mutatus, prò abolendâ penſione, judicium apud Pontificem excitavit, qui non ſinè ſtomacho hunc conatum audivit, irritumque conſilii fecit: Papam adjerunt Valterus, ejuſque Canonici, ait Pariſius, *dicentes quòd irrationabilitèr facta fuit portio Epiſcopatus Dunelmenſis Epiſcopo Nicolao cedenti: & quod ipſe Nicolaus ferè tertiam partem Epiſcopatus habuerat, undè petierunt Epiſcopatum, vel redintegrari, vel minus damnificari. Quibus Papa: miramur ſupèr his: Nonnè facta fuit diſtributio illa, & partitio per magnam deliberationem, & conſiderationem virorum peritorum, & conſenſum partium, & res jàm confirmata eſt per nos, & Regem Angliæ, & per Proviſores* (c).

21. Cernitur hinc, quod aliqui Reges olim partem ſibi ſumebant in impoſitione penſionum: Imò Reges Angliæ illas auctoritate Regiâ imponebant beneficiis patronatibus ſuæ Coronæ; quamquàm non perpetuas, ſed ad tempus, donec Clerici penſionarii beneficia competentia obtinerent (d). Imperatores quoque Orientales penſiones quodammodò reſervaſſe videntur: etenim Leo IV. Cognomento Philoſophus, Theodoro Santabareno Epiſcopo Echaitarum exauthorato, *alimen-*

(a) *Caſſad. dec. 11. ſub. n. 8. de reſcript.*

(b) *Urban. VIII. Conſtit. 34. alias 144.*

(c) *Matth. Pariſ ad ann. 1251.*

(d) *Concil. Angliæ. to. 2. f. 615.*

ta ex novâ Eccleſiâ decrevit, uti narrat Cedrenus (a). Similitèr Michael Paphlago Cæſar, Theophane Theſſalonicenſi depoſito, juſſit ut Prometheus, illi in munere ſubrogatus, alimenta præberet (b), niſi probabilius malis dicere, Principes illos non reſervaſſe, ſed deſignaſſe penſiones, ab Eccleſiâ reſervandas, vel approbandas; ità fortè uſu, ſeu diſciplinâ illius temporis exigente. Imperatores itidem Occidentales idipſum feciſſe conjicitur, tùm ex juſſionibus, quas interdùm Beneficiariis, & Monaſteriis dirigebant, ut alicui viro determinata ſubſidia largirentur (c): tùm ex diviſione bonorum beneficialium, quæ aliquandò ſcindebant, & partìm uni, partìm alteri, prò eorum libito, tribuebant, quę vel erant penſiones, vel in sè imaginem aliquam præſeferebant penſionis. Sed hæc fortè Principes illi potius de facto, quàm de jure operabantur, cum id, ut ab Eccleſiâ protelaret Carolus Magnus, à Leone Papâ III. interpellatus, edixerit, *ut ab Eccleſiâ, de non dividendis rebus ipſius, ſuſpicionem dudùm conceptam penitùs ammoveremus, ſtatuimus, ut neque noſtris, neque filiorum, & ſucceſſorum noſtrorum temporibus &c. ullam penitùs diviſionem, aut jacturam patiatur* (d). Utcumque autem res olim ſe habuerint, nunc diverſa methodus obſervatur. Et licèt nobis plenariè non conſtet, quomodo ſe gerant ſupremi Monarchæ circa penſiones iſtas Eccleſiaſticas reſervandas; audivimus tamen, quod eas à ſe ipſis deſignatas, Summo faciant Pontifice reſervari, ſivè ab illo inſtructi ſint facultate, ut eas valeant reſervare. An ità, vel aliter, & quomodo in praxi fiat, veritati locum relinquimus. Certè reſervatio penſionum nunc non niſi Papę auctoritate completur (e).

22. Olim fortè etiam Epiſcopi penſiones beneficiis eccleſiaſticis imponebant, ſed res incerta eſt. Celebrem hiſtoriam Euphraſii Epiſcopi Arvernenſis S. Gregorius Turonenſis recenſet, quod B. Quintiano Rutenenſi, ad ſe ab irâ Gothorum confugienti, *largitis ei tàm domibus, quàm agris, & vineis ſecum eum retinuit, dicens, ſufficit hujus facultas Eccleſiæ, ut utrumque ſuſtineat; tantum Charitas, quam B. Apoſtolus prædicat, permaneat intèr Sacerdotes Dei* (f). Hæc videtur fuiſſe penſio, ſive ſpecies penſionis, quam Euphraſius proprio Epiſcopatui favore B. Quintiani impoſuiſſe indicatur: etſi res obſcuritate non careat. Narrat Balſamon, in Patriarchę Conſtantinopolitani poteſtate fuiſſe, monaſteria pinguiora oneri ſubjugare, conferendi Prelatis, aliquo infortunio è ſuo throno dejectis, congruas ſubventiones, quæ, in eorum vero ſenſu, non niſi erant annuæ penſiones, eiſdem liberalitèr attributę, *ſi accedit ex Antiſtitibus, qui ſuos thronos perdiderunt, & ſunt inopes, & voluerit ſtatuere Patriarcha, ut is victum capiat è ditiori aliquo monaſterio, hoc rectè faciet &c.* (g). Attamèn ſucceſſu temporum hęc auctoritas Epiſcopis eſt negata: Nàm in Concilio Lateranenſi III. decernitur, *prohibemus ne novi cenſus ab Epiſcopis, vel Abbatibus, aliiſue Prælatis imponantur Eccleſiis, nec veteres augeantur, nec partem redituum ſuis uſibus appropriare præſumant* (h).

23. Et clariùs in Concilio Lateranenſi IV. *Illud autem penitùs interdicimus, ne quis in fraudem de proventibus Eccleſiæ, quę curam proprii Sacerdotis debet habere, penſionem alii quaſi prò beneficio conferre præſumat* (i). In Concilio quoquè Oxonienſi anno 1222. hæc ſanctio edita eſt: *Eccleſiarum indemnitatibus conſulere cupientes, præſentis Concilii auctoritate duximus ſtatuendum, ut nullus Abbas, nullus Prior, nullus Decanus, vel Archidiaconus, vel alius habens perſonatum, vel dignitatem, ſed nec Clericus inferior penſiones, vel reditus dignitatis, vel conſanguineis, vel amicis &c. quolibet modo alienare præſumat &c.* (l). Cauſa denegatæ hujuſmodi facultatis, vel non productæ uſque ad noſtram ętatem, potuit fortè fuiſſe nimia copia Clericorum, qui Epiſcopos prò captitandis penſionibus inquietabant; ità ut Antiſtites voluntariè procuraverint ſe facultate hujuſmodi denudari (m). Sed Legales cauſæ ſunt hę: *primò*, quod penſionis impoſitio eſt ſpecies alienationis rerum Eccleſiæ (n), rerum autem Eccleſię alienatio jure communi prohibetur, ut notum eſt. *Secundò*, quod cum de jure beneficia debeant ſine diminutione conferri (o), penſiones imponi non valent, niſi ab habente facultatem diſpenſandi ſupèr

jure

(a) *Cedren. hiſtor. in Leon. Baſil. fil. f. 479. 34*

(b) *Idem Cedren. in Michael. Paphlagon. fol. 611. 59.*

(c) *Vide Lupum Ferrarienſ. epl. 23*

(d) *Capitular. Carol. Magn. lib. 1. cap. 83.*

(e) *Lotter. de rè beneſ. lib 3. qu 35. n. 18. Sanchez opuſc. l. 2. c. 3. dub. 45. n. 3.*

(f) *S. Gregor. Turonenſ. hiſt. lib. 2. cap. 36.*

(g) *Balſam. in Canon. 17. ſeptimæ Synodi*

(h) *Concil. Later. 3. cap. 7.*

(i) *Concil. Later. 4. cap. 32. §. qui verò*

(l) *Concil. Oxonien. an. 1222 §. Eccleſiarū*

(m) *Thomaſſin. Vet. & nov. Eccl. diſc. p. 3. l. 2 c. 31. n. 8. § duplex*

(n) *Fagnan in c. niſi eſſent n. 57. de præben. lib 3.*

(o) *Cap ſi quis prębendas 1. qu. 3 c. 1. ut beneſ ſin. diminu. cōfer.*

Digitized by Google

jure communi, quod in hac rè ſoli Summo Pontifici reſervatur (*a*). Veruntamèn penſiones temporaneas etiàm Epiſcopi imponere poſſunt, juſtis ex cauſis, de quibus Doctores (*b*). Sed perpetuas, ideſt ad vitam ejus, favore cujus reſervantur, non niſi Romanus Pontifex decernere poteſt, ex Conſtitutione Pauli Papæ IV. aliiſque juribus, id expreſſiſſimè definientibus (*c*). Nihilominus ad petitionem Epiſcoporum, Pontificem interpellantium, ut ſuper beneficio illius Diœceſis, penſionem aliquam perpetuam, favore alicujus, prout ſupplicant, reſervet, Papa benignè annuit; & niſi magna ſubſit cauſa, oppoſitum depoſcens, gratiam reſervationis petitę non ſolet Pontifex denegare.

24. Ex hucuſque allatis patet, quod impoſitio penſionum non eſt quid novum in Eccleſiâ Dei, nec quid in eâ de recenti per Pontifices introductum, ſed eſt res antiqua, jàm per duodecim ſaltèm ſæcula uſu recepta, & quæ non tàm Sedem Apoſtolicam tangit, quam etiam Reges, & Epiſcopos, tamquàm in eiſdem partem habentes, vel deſignando, vel reſpectivè reſervando penſiones: & cum eis aſſiſtat non minùs antiquitas, quam juſtitia, neſcimus videre quid ſit in eis carpendum. Vel ſi quid in eis eſt vitii, non tam illæ carpendæ venient, quas Papa imponit, quam illæ quoque, quas Epiſcopi, & Principes ſuperiùs memorati, deſignant; præſertim cum multò majores ſint penſiones, quas ipſi Principes, & Antiſtites ponunt, quam illæ, quas ex ſe ſolo Papa reſervat. Qui ſanè hoc faciens, & utitur jure ſuo, ut innuimus, & ſuam poteſtatem exercet, & nulli facit injuriam, & opus favorabile complet, & in multos diſtribuit, quod multis poteſt ſufficere, & publicæ utilitati conſulit, & rem tandem juſtitiæ plenam exequitur, *juſtum enim, & ſanctum eſt, ex ſuperfluis ab uno auferri, ut detur egenti, per eum cui redituum eccleſiaſticorum abſoluta ineſt adminiſtratio, precipuè ubi concurrit conſenſus ejus, qui videtur gravari* (*d*). Quod ſi fortè Papam quandoque deceptum, gravare contigerit Eccleſias ultrà vires; agendum eſt prò reductione penſionis (*e*), non ejus autem eſt impugnanda poteſtas: corrigendus demùm eſt exceſſus, ſi quis occurrit, non damnanda dignitas, vel eam exercentis auctoritas (*f*).

25. Ineſt ergò Summo Pontifici, & Epiſcopis jus imponendi penſiones perpetuas, & reſpectivè temporaneas: Ineſt & Imperatori, atque aliis quibuſdam Regibus, mos eaſdem deſignandi, ſive ut reſerventur agendi, ex fructibus beneficiorum ſolvendas, ab eorum collatione, ſeu nominatione pendentibus. At ſi hi beneficia eadem licitè non valent Clericis extraneis impertiri, proculdubiò nec etiam licebit eis, uti dicebamus, penſiones temporaneas, vel perpetuas ſuper ipſis beneficiis imponere, viris extraneis perſolvendas; nulla enim major eſt ratio, quarè poſſit pars beneficii, nempè penſio, viro extraneo diſpenſari, & non poſſit integrum beneficium: cum ejuſdem naturæ ſint pars beneficii, & integrum beneficium, ideòque quod de uno verificatur, debeat etiam verificari de alio. Porrò praxis totius Eccleſiæ obvia, ſtabilis, & inconcuſſa eſt, quod Papa, Imperator, Reges aliqui, & Epiſcopi, aliique ſi qui ſunt his ſimiles, beneficiorum Collatores, & ad ea Nominatores, Pontificali, Imperiali, & Regiâ dignitate fulgentes, penſiones beneficiis imponant, & reſpectivè imponendas deſignent, ad favorem non modò virorum indigenarum, verum etiam extraneorum, de Sede Apoſtolicâ, de Eccleſiis, de Imperio, de Regno, benemerentium, propter labores, obſequia, ſervitia, & opitulationes præfatis Eccleſiæ Præſulibus, & Principibus exhibitas: iidemque Præſules, & Principes, in hac pacificâ poſſeſſione ſunt, jàm à multis ſæculis ſolidatâ, eiſque hæc norma ſe gerendi, ac libertas eſt utilis ad regimen etiam politicum Epiſcopatus, Pontificatus, Imperii, & Regnorum; ergò non expedit eam tollere, ſed in ſuo ſtatu relinquenda eſt: & ſic politicè loquendo, præſtat ut liberum, & licitum ſit Eccleſiæ, illiuſque Miniſtris, poſſe beneficia eccleſiaſtica, etiam Clericis extraneis elargiri.

(a) *Vide Thomaſſin. loco cit. n. 5. & hæ*

(b) *Azor. p. 2. l. 8. c. 6 qu. 1. 6 contrà. Fagnan. in c. niſi eſſent de præbend. l. 3. Barboſ. Jur. Eccl. Univ. lib. 3. c. 11. num. 57.*

(c) *Paul. 4. Conſt. 12 Conc. Tolet. an. 1582. de off. Epiſc. c. 20. Concil. Bitur. an. 1584. tit. 42. c. 1 Thomaſſin. ubi ſuprà n. 11, & 12*

(d) *Barboſ. prax. exig. penſ. p. 1 in proœm. n. 9*

(e) *Fagnan. in c. Ad hoc n. 32 de ſolutio. l. 3*

(f) *Capit. neque 14. quæſt. 5.*

CAPUT XVI.

In quo datâ opportunitate, ſit ſermo de Bullis, *ac Literis Apoſtolicis, quæ in beneficiorum conſecutione ſuſcipiuntur, dèque illis agitur, tàm antiquè, quàm recentèr conſideratis.*

SUMMARIUM.

1 Bullæ non ſunt neceſſariæ ad acquiſitionem beneficii, ſed ad probationem acquiſitionis ipſius. Promotus non eſt ſuſcipiendus ſinè illis.

2 Bulla quid olim ſignificaret? Bullę Pontificię non ſunt perfectę, niſi plumbo munitę. Habentque executionem paratam.

3 Concilium Ancyranum, Melevitanum II. & Generale Chalcedonenſe, jubent non recipi Clericum ſinè literis ſui Præſulis.

4 In Concilio Romano ſub S. Gregorio ſit mentio traditionis Chartarum. Conciliam Cabilonenſe II. & Moguntinum Bullis favent.

5 De Communicatoriis literis agitur in Concilio Eliberitano: De Commendatitiis, in Sardicenſi. Formatas literas Metropolitani dabant.

6 Sicut olim dabantur Clericis, aliæ literæ publicæ, ità non eſt, cur & Bullæ beneficiales ipſis non darentur, quæ fortè ſub Formatis comprehendebantur.

7 Literæ Metropolitani, ab eo & Coepiſcopis ſubſcriptę, de Epiſcopatu collato, vocantur Placita vel etiam Literæ Canonicæ. Literas Papales de Epiſcopatu memorat Nicolaus Papa I.

8 Etiàm antiquitùs ergò literæ dabantur Clerico ad Epiſcopatum promoto, Clero, & populo, ac omnibus oſtendendæ.

9 Ponitur exemplar literarum provectionis ad Epiſcopatum, Bullæ neceſſariæ erant etiam in dimiſſione Eccleſię, ex D. Athanaſio?

10 Imperatores quoque literas interdum dabant, favore ſuſcipientium Epiſcopatum. Verùm hæ non erant Bullæ.

11 Marculfus ponit formulam literarum Regis prò aliquo, ad Epiſcopatum promovendo, alias formulas ſimiles exhibet Sirmondus.

12 Nunc Reges non dant niſi Cedulas præſentationis, vel ſupplicationis prò Epiſcopatibus, ſolus verò Papa dat Bullas de illis.

13 Bullas Apoſtolicas S. Gregorius Magnus commemorat, & Ivo Carnotenſis. Sigillum plumbeum cum cordulis quando incęperit.

14 Bullas, literaſve prò ordinibus, ac officiis, & beneficiis eccleſiaſticis, gratis concedendas eſſe mandavit D. Gregorius.

15 Decreta plurium Conciliorum, nè in conceſſione Bullarum, ſivè literarum aliquid per Præſules exigatur.

16 Spontè oblata nullatenùs vetabantur, ut patet ex D. Gregorio, & S. Anſelmo, ac ex pluribus Conciliis.

17 Minoris momenti munera, quæ inclinare non valent animum conferentis, abſque culpa ſuſcipi poſſe inſinuat Alexander PP. III.

18 Pecunia quædam Papæ ab Archiepiſcopis Daniæ pendebatur prò ſuſceptione pallii. Spontè oblata olim licebat accipere.

19 *Cur olim Cancellario Epiſcopali nil permitteretur accipere prò Bullis, & literis? Quid permiſerint eis dari aliqua Concilia?*
20 *Concilia Ravennatenſe, Mediolanenſe, & Burdigalenſemetam ponunt Cancellariis Epiſcopalibus in expeditione Bullarum Beneficialium.*
21 *Concilia aliqua, & Sacra Congregatio vetant, nè ſigillum, vel Cancellaria Epiſcopalis, illiuſque emolumenta locari valeant.*
22 *Deteſtatur Eccleſia injuſtas exactiones prò Bullis, ſed juſtas non evellit. Concilia Tridentinum, & Baſileenſe quid voluerint?*
23 *In proviſione Epiſcopatuum olim Imperator quidquam exigebat, literas dando, dictas à D. Gregorio* Principis juſſionem, *alibi alitèr appellatas.*
24 *Conſtantinus Pogonatus remiſit aurum, ab electo Papâ Cæſari præbendum, indè remiſit etiam uſum aſſenſum provectioni præbendi.*
25 *Imperatores Occidentales, & aliqui Reges olim in Præſulum provectione, ſicut literas exarabant, ſic & emolumentum aliquod exigebant.*
26 *Imperator primas preces porrigens, & Reges de beneficiis per viam nominationis, aut alitèr diſponentes, dant ſuper eâ rè literas.*

1. HUcusque multa congeſſimus prejudicia, perturbationes, & incommoda, quæ naſcerentur, ſi beneficiorum collatio intrà tales limites arctaretur, ut illa non poſſent niſi ſolis Clericis indigenis diſpenſari, extraneis prorsùs excluſis. Agendum eſt modò de illo præjudicio, quod inferretur diſpenſatoribus ipſorum beneficiorum, proptèr Bullas, Diplomata, ſeù Literas collationis, & reſpectivè nominationis ad ea. Sed prius loqui operę pretium eſt de iiſmet *Bullis*, & ſucceſſivè de *Annatis*, in quas Contradictores ſuis ſcriptis animadvertunt. *Bullæ*, tametſi non ſint de ſubſtantiâ gratiæ acquiſitionis beneficiorum (*a*), nec ad ipſius gratiæ perfectionem requirantur; neceſſariæ tamèn ſunt ad illius probationem (*b*). Promotus etenim ad beneficium non eſt recipiendus tamquam beneficiarius, niſi literas ſuæ promotionis exhibeat (*c*). Hincque eſt, quod jàm Eccleſiæ mos, univerſalitèr approbatus, hoc habet, ut quilibet, cui beneficium committitur, accipere teneatur literas publicas, ſivè Bullas, in quibus à Superiore dicatur, talem Clericum fuiſſe tali tempore, tali beneficio decoratum: nequè hic, antè illas adeptas, ingerere ſe valet in ipſius beneficii miniſtratione (*d*).

2. Verbum *Bulla* priſcis Latinis ſignificaſſe rem tumidam reperimus, quemadmodùm ſunt guttę ampulloſę, prominentes in aquis, quando in eas defluunt pluvię, vel proùt ſunt capita orbicularia, quę ſuperexcellunt in clavis, aut aliæ res non diſſimiles, turgidæ, atque rotundæ; quibus quoniam ſimilitudinem quamdam habent ſigna illa impreſſoria, quę ſigilla communitèr nuncupantur; ideò invaluit mos, ut literæ publicæ, ſigillis Antiſtitum communitæ, vocentur Bullæ, & bullare prò ſigillare dicatur (*e*). Imperator aureâ bullâ, vel cereâ utitur, quam adhibet quoquè Papa, ſi vult, quamvìs propriam ſibi fecerit plumbeam (*f*), quâ & Epiſcopi olim utebantur (*g*), & ea nunc adhuc uti audivimus Archiepiſcopum Beneventanum. Bullæ Pontificię beneficiales in membranâ craſſiore, ac magis densâ ſcribuntur, charactere Gothico, ſivè Gallico antiquo (*h*), nec perfectę dicuntur, niſi poſtquam ſunt plumbeo numiſmate communitæ (*i*). Ipſe habent executionem paratam (*l*), & contrà illos, qui eaſdem impediunt, quotannis in Bullâ Cænæ Domini dira anathemata fulminantur (*m*).

3. Certum eſt cunctis eccleſiaſticæ antiquitatis conſciis, quod uſque à remotioribus fidei Chriſtianæ Sæculis, Clerici, ſive ad ordines, ſive ad officia, & beneficia promoti, debebant ſuæ promotionis fidem facientes publicas literas adipiſci, de quibus in Concilio Ancyrano, habito anno Chriſti 314. definitum eſt: *Non liceat præsbyteris Civitatis, ſine præcepto Epiſcopi, vel literis, in unaquâque parochiâ aliquid*

(a) *Fagnan. in cap. qualitèr n. 7. de elect. lib. 1.*
(b) *Fagnan. in cap. prætereà num. 85. Ne Prælat. vices ſuas &c. lib. 5.*
(c) *Extrav. Iniunctę 1. de elect. inter commun & ibi Barboſ. n. 2 Fagnan. in cap. qualitèr num. 4. de elect.*
(d) *Fagnan. ibidem num. 5. Azor. p. 2. l. 3. cap. 29. qu. 9. & lib. 7. cap. 1. q. 2. Ricc. par. 4. collect. 1325. Barboſ. ubi ſupr. & de Off. Epiſc. p. 3. alleg. 54. num. 161.*
(e) *Martin. Lexic. Philologic Verb. Bulla.*
(f) *Jo. Limnæus ad Auream Bullam Caroli IV. in proœm. obſer. 3.*
(g) *Concil. Cabilon. II. cap. 41.*
(h) *Card. de Luca Relat. Rom. Curię diſc. 7. num. 10.*
(i) *Fagnan. in cap. licet num. 5. de crim. fall.*
(l) *Card. de Luca de benef. diſc. 72. num. 5. de Fideicom. diſc. 13. num. 14. & de judic. diſc. 43 num. 3.*
(m) *Thomaſ del Bene de Immunit. cap. 2. dub. 10. ſect. 2. per tot.*

Digitized by Google

quid imperare, nec ſine auctoritate literarum ejus in unâquaque parochiâ aliquid agere (*a*). Et in Concilio Milevitano II. anno 416. *Placuit, ut quicumque deinceps ab Epiſcopis ordinatur, literas accipiat ab Ordinatoribus ſuis, manu eorum ſubſcriptas, continentes Conſulem, & Diem, ut nulla alteratio de poſterioribus, vel anterioribus oriatur* (*b*). In Concilio quoquè Generali Chalcedonenſi, anno 451. definitur, *Clerico extra ſuam Civitatem ſine commendatitiis literis proprii Epiſcopi, nuſquam liceat penitus miniſtrare* (*c*). Alia ſimilia in aliis Conciliis canonicè decreta ſunt, quæ hìc non eſt neceſſarium minutati exſcribere (*d*). Unum eſt, quod cuilibet Clerico neceſſaria erat Schedula, Bulla, ſive Epiſtola *Commendatitia*, quâ, inquit Balſamon, *utatur ad comprobationem illius gradus, qui ei ineſſe dicitur* (*e*). Sicque uſque à remotioribus ſeculis Clerici tenebantur habere publicas Literas, Diplomata ſive Bullas, à ſuo Antiſtite ſignatorio Stigmate communitas, quarum teſtificatione innoteſceret, atque in opportunitatibus docere poſſent, quemnam ordinem, vel officium in Eccleſiâ ſuſcepiſſent: ne pateret aditus alicui Nebuloni ſe prò tali jactitandi, qualis non eſſet. Cumque in ſenſu Contradictorum tunc idem eſſet ordines, & ſtipendia ſacra, ſeu quod in idem recidit, beneficia eccleſiaſtica adipiſci, jam clarum remanet, quod etiam antiquis temporibus, Bullę, ſive Literæ publicæ, illis æquivalentes, erant in uſu in Eccleſiâ.

(a) *Concil. Ancyran. cap. 10.*
(b) *Concil. Milevit. cap. 14.*
(c) *Concil. Chalced. cap. 12.*
(d) *Concil. Trullan. ſeu Quiniſextum c. 17. Concil. Herefordienſ. ap Bedam hiſtor. Angliæ lib. 4. c. 5. Concil. Francofordienſ. ann. 794 cap. 27.*
(e) *Balſamon. ad can. 17. Concilii Trullani. fol. 378.*

4. Sanè in Concilio Romano, celebrato tempore S. Gregorii PP. I. fit mentio *traditionis Chartarum* (*f*), quę non erant niſi Bullę, Diplomata, ſive Literæ patentales, docentes de ordine, vel officio, ſive beneficio eccleſiaſtico, quo erat Clericus aliquis inſignitus. Conſentaneę his dici poſſunt literę, quarum fit mentio in Concilio Cabilonenſi II. ubi ſancitum eſt: *Presbyter proprio dimiſſo loco ad alium migrans, nequaquam recipiatur, niſi ſuę migrationis cauſam dixerit, & ſè innocenter vixiſſe in parochiâ, in quâ ordinatus eſt ſub teſtibus probaverit, literis etiam, in quibus ſint nomina Epiſcopi, & Civitatum, plumbo impreſſa* (*g*). En quomodò ſemper eccleſiaſtica diſciplina popoſcit, ut Clerici haberent publicas literas, ſive Bullas teſtimoniales ordinis, vel officii, aut beneficii, per eos poſſeſſi. Enim verò ſi & Judicibus in foro, & militibus in caſtris, & familiaribus in Aulâ, literæ dantur, quibus cunctis generalitèr innoteſcat, illos eſſe Aulicos, Milites, Juſdicentes &c. Nonnè & de Clericis debet per literas notum eſſe, quinam ſint, & qualem ordinem, officium, vel beneficium obtineant? Merito Synodus Moguntina decrevit: *Arebipresbyteris, aut aliis Commiſſariis noſtris ſeriò inhibemus, nè quem ad alicujus beneficii poſſeſſionem, vel ad regimen, aut ad Officiaturam alicujus Eccleſiæ admittant, niſi qui inveſtituram, ſeu proviſionem, & inſtitutionem ſuam canonicam literis eorumdem ſigillatis oſtenderit* (*h*).

(f) *S. Greg. lib. 4. epiſt. 44.*
(g) *Concil. Cabilon. 2. an. 813. cap. 41.*
(h) *Concil. Mogunt. an. 1549. n. 69.*

5. Hęc de publicis literis ordinum, beneficiorum, aut officiorum inferioris notæ, quibus oportebat olim, & nunc etiam oportet, Clericos conſtipari, ut promptum ſecum habeant documentum gradus, & muneris, quo in Eccleſiâ perfruuntur. Nequè ab his valdè diſſident literæ *Communicatoriæ*, de quibus in Concilio Eliberitano (*i*). *Commendatitiæ*, de quibus in Concilio Sardicenſi (*l*). Et generalitèr *Formatæ*, de quibus in Concilio Nicæno (*m*). Formatas Metropolitanorum erat concedere. Undè Synodus III. Carthaginenſis decrevit: *Epiſcopi trans mare non proficiſcantur, niſi conſulto primæ Sedis Epiſcopo ſuæ cujuſque provinciæ, ut ab eo pręcipuè poſſint ſumere Formatam* (*n*). Arelatenſis Præſul hoc jus habebat in Galliis, decreto Zoſimi Papæ, ne quis inde proficiſceretur, *niſi Metropolitani Arelatenſis Epiſcopi Formotas acceperit literas, quibus Sacerdotium ſuum, vel locum Eccleſiaſticum, quem habet, ſcriptorum ejus aſtipulatione perdoceat* (*o*). Romanum Pontificem has literas conſueviſſe concedere, patet ex Optato Milevitano, qui de S. Damaſo ait, *cum quo nobis totius Orbis commercio Formasarum in unâ communionis ſocietate concordat* (*p*), & de S. Sixto Papâ legitur in libro Romanorum Pontificum, caviſſe, ut Epiſcopus pergens *ad parochiam ſuam non ſuſcipiatur, niſi cum Formatis ſalutationis ad plebem à Sede Apoſtolicâ* (*q*).

(i) *Concil. Eliberit. cap. 58.*
(l) *Concil. Sardicenſ. can. 9.*
(m) *Bail. to. 2. f. 180. D. Cabaſut. not. Concil. Sæcul. 2. Diſſert. 7. fol. 32.*
(n) *Concil. Carthag. 3. c. 28.*
(o) *Zoſim. Papa ep. 5*
(p) *Optat lib. 2. contr. Parmenian.*
(q) *Card. Baron. an. 142 num. 6.*

6. Hæc

Google

6. Hæc omnia clarè docent, quod etiam temporibus antiquis, & Papa, & Metropolitani, & Epiſcopi, literas publicas Clericis exhibebant. Qui ſicuti Formatas, & aliarum ſpecierum literas dabant, non eſt cur & Bullas, & Diplomata, ſive literas concedere non valerent, quibus de officio, vel beneficio eccleſiaſtico ipſos Clericos inveſtirent, vel inveſtitos eſſe docerent: niſi malimus dicere, has quoque Bullas, & Diplomata fuiſſe ſub Formatarum ſpecie computatas. Unde eluçet Bullas beneficiales, quæ nunc à Summo Pontifice, atque à Præſulibus conceduntur, non eſſe quid novum, ſed quid Eccleſiæ antiquitati coevum. De Bullis Epiſcopatuum, ſive de literis teſtimonialibus Epiſcopatus adepti paulò infrà uſum videbimus, uſque à tempore D. Athanaſii (*a*). Eſt & aliquod veſtigium in Concilio Epheſino, ubi Epiſcopi quidam Europæi Synodum interpellarunt, ne ſibi ſubtraherentur bini Epiſcopatus, quibus erant ſoliti præſidere, ſed illorum poſſeſſio eiſdem obſirmaretur, eàdemque de rè fierent ſcripta publica, Patrum ſigillis, ſive ſignaculis roborata (*b*). Eſt quoquè aliquid in Concilio Tarraconenſe, ubi decernitur: *Si quis in Metropolitanâ Civitate non fuerit Epiſcopus ordinatus, poſteaquam ſuſceptâ benedictione, per Metropolitani literas, honorem fuerit Epiſcopi adeptus, optimum adeſſe decernimus, ut poſtmodum ſtatuto tempore, idest impletis duobus menſibus, sè Metropolitani ſui præſentet aſpectibus, ut ab illo monitis eccleſiaſticis inſtructus, plenius quid obſervare debeat recognoſcat* (*c*).

7. Literæ iſtæ Metropolitani, a conſecrato Epiſcopo tunc ſuſcipiendæ, vocantur *Placita* apud Sirmondum, in examine Villeberti Epiſcopi Catalaunenſis, ubi dicitur, illum poſt conſecrationem ſuam accepiſſe *Placita, quæ antè pridem ei relicta fuerant, quæque Ordinatos ab Ordinatoribus ſuis ſacri Canones accipere jubent, diem, & Conſulem præferentia, manibus Archiepiſcopi, & Coepiſcoporum ſubſcripta* (*d*). De his iiſdem Placitis, aut Bullis, ſeu literis, loquebatur Hincmarus Remenſis, quando Hincmarum Laudunenſem nepotem ſuum objurgans, altis vocibus ejulabat, *Meum eſt Ordinandum examinare, non tuum. Tuum eſt autem cum aliis mecum ordinare Epiſcopum, & literis canonicis, quas Ordinatus ab Ordinatoribus ſuis jubetur accipere; poſt mè, in tuo loco ſubſcribere* (*e*). Literarum Papalium de Epiſcopatu fit mentio à Nicolao Papâ I. ad Archiepiſcopum Ravennatem: *Sancimus, ut Epiſcopos per Æmiliam non conſecres, niſi poſt electionem Ducis, Cleri, & Populi, per epiſtolam Apoſtolicæ Sedis Præſulis, acceperis eos conſecrandi poteſtatem* (*f*).

8. Itaque antiquis etiam temporibus Clerico ad Epiſcopatum promoto tradebant Pontifex, vel Metropolitanus cum Coepiſcopis Bullas, Diplomata, ſive Literas publicas, & patentes, cunctis generaliter oſtendendas, & præſertim Clero, ac populo, ſive aliis curam agentibus beneficii, vel Eccleſię per Promotum ipſum regendę: *quibus literis*, inquit Diana, *omnis Ordo rei geſtæ continebatur, ſubſcriptionibus omnium Ordinatorum firmabatur, & Conſul adſcribendus erat* (*g*). Hiſce literis quia carebat Armentarius Epiſcopus Ebredunenſis, tempore Concilii Rhegienſis, accedentibus etiam aliis defectibus, quibus ejus ordinatio laborabat; Synodus illam irritam declaravit: *Ordinationem, quam Canones irritam definiunt, nos quoque vacuandam eſſe cenſuimus, in quâ prætermiſſâ trium præſentiâ, nec expetitis Comprovincialium literis, Metropolitani quoquè voluntate neglectâ &c.* (*h*). Cernitur hic etiam vetuſtis illis temporibus neceſſarias fuiſſe literas, ſive Bullas, nè quis per vim, vel fraudem irreperet in Eccleſias: vel nè aliquis Veterator sè ſimularet beneficium Epiſcopale, vel alterius generis eſſe aſſecutum, cum rè verâ illo careret.

9. Si cui placet exemplar intueri literarum, quas Clerici, beneficiis Epiſcopalibus inſigniti, ab eorum Ordinatoribus accipiebant, illud videat inter epiſtolas Hincmari Remenſis (*i*), ad quem Lectorem remittimus. Breviorem hanc, quæ ſubſequitur, referemus, eſtque in Ordine Romano, quem ſcriptum fuiſſe cenſent Sæculo octavo Melchior Hittorpius, Jodocus Coccius, & Margarinus de la Bigne

(a) *Vide infrà in hoc capit. num. 9. in fine.*

(b) *Concil. Epheſin. Action. 7. Bail. Sum. Concilior. in eodem Cōcilio Epheſin. tom. 1. fol. 218.*

(c) Concil. Tarracon. *an. 517. cap. 5.*

(d) *Sirmond. to. 2. Concil. Galliæ in ſin. Formul. 33.*

(e) *Hincmar. Remēſ. in lib. contr. Hincmer. nepot.*

(f) *Nicol. PP. I. in Concil. Rom. an. 861. Anaſtaſ. Bibliot. in Nicol. I. §. Verum tamen.*

(g) *Diana part. 10. tract. 1. reſol. 2.*

(h) *Concil. Rhegienſ. an. 439. cap. 1.*

(i) *Hincm. Remenſ. fol. 626.*

gne (*a*). Eſt inquam in eo formula Bullæ, ſive Literarum, quas Pontifex Ordinator Antiſtiti Ordinato præbebat, hujuſce tenoris. *Dilecto nobis fratri, illi Epiſcopo, ille Pontifex. Dum, ut credimus tè divino nutu vocante, Clerus, vel populus Civitatis illius, unà cum ſubjectis parochiis, unanimes, unoque ore ſibi elegerunt Rectorem, & ad nos uſque perducentes petierunt conſecrari Epiſcopum, quoniamque auxiliante Domino, teſtimonium illis reddentibus de conſcientiâ tuâ, vel caſtitate, ſeu de reliquis bonis, quæ Deo acceptabilia ſunt, ob utilitatem ipſius Eccleſię, per manus noſtræ impoſitionem te Epiſcopum conſecravimus* (*b*). Diplomata verò publica, ſeù Literas, Bullaſve præfatas fuiſſe neceſſarias, nedum in aſſecutione, ſed etiam in dimiſſione Eccleſiæ; colligitur ex D. Athanaſio, in Apologiâ ad Conſtantium Cæſarem, dę sè dicente, quod acri fuiſſet increpatione carpendus, ſi Eccleſiam ſuam abſque memoratis literis dimiſiſſet: *quomodò non tua pietas meritò bis mè verbis objurgaſſet? Cur tù cum Diplomatibus in Eccleſiam intromiſſus, ſine Diplomatibus egrederis, populoſque deſtituis* (*c*)?

10. Quamdam ſpeciem literarum, ſive diplomatum, favore illorum, qui promovendi erant, vel promoti ad Epiſcopatum, etiam Imperatores aliquando, ſuo modo largitos eſſe videtur. Memoriæ namque occurrit, quod in Concilio Chalcedonenſi terminata eſt contentio, quæ notabilitèr efferbuerat intèr Baſſianum, & Stephanum, de beneficio Epiſcopali Epheſinæ Eccleſiæ contendentium. Ibi enim Stephanus adverſus Baſſianum conclamavit, quod ſedem illam uſurpaſſet; jàmque à quadriennio fuiſſet à Divo Leone Romano Papâ depoſitus (*d*). Baſſianus verò sè literis ab Imperatore ſuſceptis tuebatur, dicens, ſe non Cathedram invaſiſſe, ſed ritè electum, ac vi quadam ad thronum provectum; fuiſſe in eo Diplomatum Imperialium auctoritate firmatum: *multâ neceſſitate, & vi inthronizaverunt mè in eâdem Civitate Epheſi Populus, & Clerus, & Epiſcopi. Agnoſcens autem hæc piiſſimus Imperator, repentè hoc confirmavit, & repentè per commonitorium apertè declaravit, confirmans Epiſcopatum. Poſteà direxit iterùm ſacram per Euſtachium Silentiarium, quę confirmaret Epiſcopatum* (*e*). Et nedum Imperatores Chriſtiani, ſed etiam Principes Ethnici, literas aliquandò dedère Clericis, ad beneficium Epiſcopale in eorum ſtatu promotis. Et ità narrat Theophanes: *anno 736. Maruan Chriſtianis poſtulantibus, Theophilactum presbyterum Edeſſenum Antiochię Patriarcham, poſt Stephani obitum ordinari permiſit, eundemque publicis literis honorificè ab Arabibus ſalutari ſanxit* (*f*). Verum hæ non erant Bullæ, vel Diplomata, de quibus modò ſermonem habemus, ſed epiſtolæ Principis laici, eccleſiaſticæ juriſdictioni adjutorium præbentis.

11. Marculfus, qui floruit anno Chriſti circitèr 640. in formulario, quod inſcripſit Landerico Epiſcopo Pariſienſi, in vivis agenti tempore Clodovei II. Francorum Regis, ponit formulam Regalium literarum, prò Epiſcopali beneficio, ejus, qui ſequitur tenoris: *Ille Rex &c. illi Epiſcopo &c. Quià cognovimus ſanctę recordationis illum, Urbis illius Antiſtitem, evocatione divinâ ab hac luce migraſſe, de cujus ſucceſſore ſollicitudinem congruam unà cum Pontificibus, vel Proceribus noſtris, pleniùs tractantes, decrevimus Illuſtri Viro, aut venerabili illi, in ipsâ Urbe Pontificalem in Dei nomine committere dignitatem, quem plerumque apud animos noſtros, & actio probata commendat, & nobilitatis ordo ſublimat, & morum probitas, vel manſuetudinis, & prudentię honeſtas exornat; qua de rè ſtatuta preſentibus ordinamus, ut cum adunatorum catervâ Pontificum, ad quos tamen noſtrę ſerenitatis devotio ſcripta pervenit, ipſum, ut ordo poſtulas, benedici, veſtrâ induſtriâ ſtudeat, voluntatis noſtrę deliberationem, reſeratis oraculis, publicare, atque effectum, Domino annuente, ſortiri* (*g*): Alias ſimiles literas videre eſt apud Sirmondum (*h*). In Concilio Barcinonenſi earum fit mentio (*i*), pluriesque in ſacris Canonibus indicantur (*l*), quas brevitatis ergò intermittimus. Verùm hujuſmodi literæ Principum non erant propriè Bullæ, in eâ ſignificatione, quam nunc Bullę præſeferunt, nempè collationis officii, & beneficii, in Bullis enuntiati, à legitimo Superiore

factæ

(a) *Margarin. de la Brign in ſerie Auctorum Bibliothec. Patr. Sæcul. 8.*

(b) *Bibl. Patr. Sæcul. 8. f. 448.*

(c) *S. Athanaſ. Apolog. ad Conſtant.*

(d) *Concil. Chalced. Action. 11.*

(e) *Concil. Chalced. loco citato*

(f) *Theophan. in ſua hiſtor.*

(g) *Marculfus formul. 5.*

(h) *Sirmond tom. 2. Concil. Galliæ in fin. formul. 2. f. 636.*

(i) *Concil. Barcinon. an. 599 cap. 3.*

(l) *C. principali 25 c. Reatina 16 cap. iſ- ctis 18. diſt. 63.*

factæ; Sed potiùs erant paginæ deſignativæ illius, qui erat ad Epiſcopalem cathedram deſtinatus. Vel alicubi erant folia permiſſiva provectionis illius viri ad illud officium. Aut erant literæ teſtificativę promotionis ejus jàm factæ. Vel demùm erant hieraticæ tutativæ Promotorum, ne in pacificâ poſſeſſione adeptoru n munerum turbarentur.

12. Aſt jàm hujuſmodi literę, vel diplomata, qualiacumque eſſent, omninò ceſſarunt quoàd Epiſcopatus, nec dantur à Principibus, niſi literæ quædam, ſive Cedulæ, quarum vi Principes ipſi, qui jurepatronatus Cathedralium potiuntur, præſentant; alii, eo carentes, ſupplicant, ut Clerico ab eiſdem propoſito, Epiſcopatus à Summo Pontifice conferatur, ſi eis competat hoc, ut de hujuſmodi rè valeant ſupplicare, vel alitèr in tali rè ſe immiſcere. Literæ quoque olim ſolitæ à Metropolitanis, & Comprovincialibus Epiſcopis novo Præſuli conferri, & quas diximus Bullarum ſpeciem habuiſſe; jàm nunc in deſuetudinem abierunt, & Bullæ formales prò Epiſcopatibus à ſolo Romano Pontifice conceduntur, ac dicuntur Bullæ in plurali, quià plures ſunt literæ, una directa Præſuli promoto, altera Metropolitano, alia Clero, alia Populo, alia Principi Civitatis, alia Baronibus Urbis, & Diœceſis, cui pręficitur Antiſtes, & ſi quæ aliæ aliis, cunctæque notitiam, & teſtificationem dant provectionis ipſius Præſulis, & expediendę ſunt intrà tempus, atque juxtà modum per Bonifacium Papam VIII. alioſque Papas præſcriptum, qua de rè Thomaſſinus, *Publicata eſt à Bonifacio VIII.* Decretalis, quæ incipit *Injunctæ, intèr extravagantes communes locata, quà probibentur Prælati promoti, & confirmati &c. ne ſe quantulumcumque immiſceant adminiſtrationi Eccleſiarum, niſi Pontificiis inſtructi ſint Bullis, alioqui parto jure excutiantur. Ab Alexandro V. & Julio II. ſtatutum eſt, ut Epiſcopi, & Abbates, quos promovit Pontifex intrà annum Pontificia diplomata impetrent, alioqui eâdem privationis pænâ afficiantur. Bonifacius eâ ratione fulciebatur, quod etſi diplomata non conferant ad promotionem faciendam; at totum conferant ad eam approbandam. Atqui uſus ille totâ Eccleſiâ & antiquiſſimus, & etiam nunc uſu receptiſſimus eſt, ut ſinè chartis, & proviſionibus ſcripto editis, nulli unquàm admittantur Clerici, ad beneficia, ad officia, & munia eccleſiaſtica* (a).

13. Itàque uſque à primis Eccleſiæ temporibus, ſemper in Eccleſiâ, hæc laudabilis viguit diſciplina, ut Clericis opus eſſet literis publicis, chartis, diplomatibus, ſive Bullis, teſtimonium dantibus gradus, ordinis, officii, & beneficii, cujus unuſquiſque illorum eſt particeps: quæ literæ, nunc dicuntur Bullæ, & ſive conferantur à proprio Præſule ordinario cujuslibet Clerici, ſive à Papâ, ſive ab alio; merè materialitèr hoc ſe habet, atque occaſionalitèr, prout collatio beneficii ad unum pertinet, vel ad alium, juxtà leges, & regulas eccleſiaſticas, quæ aliquorum beneficiorum diſtributionem aſſignant Epiſcopis, aliquorum adſcribunt aliis eorum collatoribus, alia conferenda eſſe decernunt à Summo Pontifice: omneſque iſti, qui conferunt beneficia, conſequentèr etiam literas publicas, ſive Bullas collationis Beneficiariis elargiuntur. Hìnc origo Bullarum Apoſtolicarum adeò antiqua eſt, ut penè cum ipſa Eccleſia initium habuiſſe dignoſcatur, eo modo, quo initium habuit in Epiſcopis: & ſinè dubio incępit uſque ab eo tempore, quo beneficia eſſe incęperunt. Quandonàm autem Bullę Pontificiæ incęperint invaleſcere uſque ad illud ſignum in quo jàm reperiuntur; difficile eſt definire, noſque præter ea, quę diximus, hìc addendum aliud non habemus. Certè illarum uſus antiquiſſimus eſt cum D. Gregorius Papa I. haſce Bullas, ſive chartas commemoret, uti res illo antiquiores (b). Ivo quoquè Carnotenſis, qui floruit anno 1088. de illis mentionem facit (c). Et de *Cordulis* bicoloribus, quæ à præfatis Bullis dependent, numiſma plumbeum ſuſtentantibus, legitur apud Joannem Marianam celebrem hiſtoricum rerum Hiſpanarum, quod Petrus Aragoniæ Rex renuntiavit in manibus Innocentii Papæ III. juri patronatus omnium beneficiorum, ad sè pertinentium, hac lege, ut Romani Pontifices vexillum ferrent cum teſſeris, ſimilibus Armis Aragoniæ, crocei, ac rubei co-

(a) *Thomaſ. Vet. & nov. Eccl. diſc. p. 2. l. 2. c. 42. n. 10.*

(b) *S. Gregor. lib. 4. epiſt. 44*

(c) *Ivo Carnot. epiſt. 94. ad Riccbard. Abb.*

coloris, & quod Bullæ à Datariâ Apoſtolicâ, prò beneficiis eccleſiaſticis expediendæ, dictorum colorum cordulis inpoſterum munirentur (*a*). Paritèr quoàd *Sigillum plumbeum*, Bullis Pontificiis appenſum, hoc recenſet Polydorus Virgilius, quod Agatho, & anteriores Pontifices annulo cæræ impreſſo literas obſignabant; incępit verò Stephanus III. ac deinde Hadrianus I. circà annum Chriſti 772. diplomata, quę præbebant, ut diuturniora forent impreſſione plumbeâ communire (*b*). Quarè jàm propè à mille annis citrà, Bullę Apoſtolicę, ſigillo plumbeo roboratæ, in uſu eſſe dignoſcuntur.

14. Nunc de modo in Eccleſiâ obſervato in conceſſione Bullarum, aliqua memoremus. Literę, ſeu Bullæ, occaſione ordinum, ſive beneficiorum, extenſę, gratis & ubique erant antiquioribus ſæculis concedendę; Nàm de illis Sanctus Gregorius Magnus, in Synodo coram ſe congregatâ, diſpoſuit. *Antiquam Patrum regulam ſequens, nihil unquàm de ordinationibus accipiendum eſſe conſtituto; neque ex datione pallii, neque ex traditione chartarum, neque ex eâ, quam nova per ambitionem ſimulatio invenit, appellatione paſtelli. Quià enim ordinando Epiſcopo Pontifex manum imponit, Evangelicam verò lectionem Miniſter legit, confirmationis autem ejus epiſtolam Notarius ſcribit, ſicut Pontificem non decet manum, quam imponit vendere; ità Miniſter, vel Notarius non debet in ordinatione ejus vocem ſuam, vel calamum venundare. Prò ordinatione verò, vel pallio, ſeu chartis, atque paſtello eundem, qui ordinandus, vel ordinatus eſt omninò aliquid dare prohibeo. Ex quibus prędictis rebus ſi quis hinc aliquid commodi appellatione exigere, vel deferre fortè præſumpſerit, in diſtricto Dei Omnipotentis examine reatu ſubjacebit. Is autèm, qui ordinatus fuerit, ſi non ex placito, neque exactus, neque petitus, poſt acceptas chartas, & pallium, aliquid cuilibet ex Clero, gratiæ tantummodò cauſa, dare voluerit, hoc accipi nullo modo prohibemus, quià ejus oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ ex accipientis ambitu non proceſſit* (*c*). An autem hæc juſſio D. Gregorii ſtatim integrum effectum ſit conſecuta; non ſinè dubio eſt. Nàm in ſacræ antiquitatis ſcriniis reperitur, quod Epiſcopi dum præficiebant Abbates monaſteriis, & conſequentèr etiam literas teſtimoniales talis provectionis ejuſdem exhibebant, aliquid ab eis *Præmii*, vel *Comodi* titulo ſuſcipiebant. Neque ab hoc onere sè ſubtrahere illis datum erat, niſi monaſterium eſſet tali privilegio communitum, quod exactiones iſtas excluderet. Undè inter formulas Marculfi una eſt, decernens, *ſine premio urbis Epiſcopus promoveat Abbatem* (*d*). Et quodam in Diplomate Cœno[illegible]i Corbejenſis apud Sirmondum, dicitur, quod Abbas à Præſule Diœceſano *abſque ullo commodo, ſecundum ſacros canones ordinetur* (*e*).

15. Succeſſivè in Concilio Pariſienſi anno 1212. hoc emanavit decretum; *probibemus ne Prelati, vel eorum Miniſtri, ratione ſigilli aliquid exigant* (*f*). Paritèr in Concilio Oxfordienſi anno 1222. decretum eſt, ac diſtrictè inhitium, ne Epiſcopus *prò inſtitutione, vel miſſione in poſſeſſionem, vel chartâ ſuper hoc faciendâ aliquid audeat extorquere: nec ab Officiariis ſuis ſuſtineat extorqueri* (*g*). Item in Concilio Andegavenſi anno 1279. interdictum legitur: *Ne quis de cæterò prò literis ſigillandis, quæ conceduntur prò ordinatione Clericorum, aliquod pecuniarum commodum, vel quidquam aliud exigat, vel recipiat temporale* (*h*). Rursùs in Concilio Palentino anno 1322. hæc ſanctio prodivit. *Jubemus ne Epiſcopi, vel quivis alius, ad quem beneficii collatio pertinet, ratione collationis hujuſmodi beneficii, aut chartæ, ſeu alio quocumque colore, aliquid præſumant, per sè, vel per alium, exigere, ſeu etiam retinere. Nec Notarius, ſeu Scriptor quidquam niſi moderatum exigat prò collationis litera, & ſigillo* (*i*). Strictiùs adhùc in Concilio Londinenſi ann. 1321 ſancitum eſt hoc modo, *quià Ordinarii ſuis tenentur miniſtris ſtipendia conſtituere, quibus debeant meritò contentari, pro ſigillatione literarum hujuſmodi nihil omninò exigi volumus, vel perſolui; ne cujuſuis ſpecie velaminis, ſolutio prò ſigillo literarum hujuſmodi, in prædę quæſtum damnabilem convertatur* (*l*). In Concilio Toletano anni 1473. hæc ſanctio continetur: Epiſcopi &c. *nihil levare permittant prò ſigillo,*

&

(a) *Joannes Mariana Rer. Hiſpan. lib. 19.*

(b) *Polidor. Virgil. de rer. invent. lib. 8. c. 2.*

(c) *Concil. Rom. an. 595 vel S. Gregor. lib. 4 epiſt. 44.*

(d) *Marculfus Formul. lib. 1. cap. 1*

(e) *Jacob. Sirmond. Conc. Gallię to. 1. f. 503*

(f) *Conc. Pariſienſ. par. 1. cap. 13.*

(g) *Conc Oxfordienſ. vel Oxon. an. 1222 ap. Bin. tom. 7*

(h) *Conc. Andegav. cap. 2.*

(i) *Concil. Palentin. cap. 19*

(l) *Conc. London. an. 1321. c. 4.*

Digitized by Google

& cerâ, ſed gratis, & liberalitèr impendant (*a*). Demùm in Concilio Baſileenſi, in quo preſſius de hujuſmodi rebus actum eſt, hæc diſpoſitio prodivit, *de cæterò nihil penitùs, antè, vel poſt exigatur, ratione Literarum, Bullæ, Sigilli, in beneficiis, officiiſque eccleſiaſticis quibuſcumque* (*b*).

16. Veruntamèn ſi aliquid, non ut ex debito, ſed ut ex merâ largitionis liberalitate, Scriptoribus hujuſmodi literarum antiquitùs tradebatur, nulla prohibitio erat, quæ id vetaret, prout patet ex verbis Divi Gregorii Papæ mox allegatis. In Concilio quoquè Londinenſi anni 1125. cautum eſt, *decernimus, ut in conſecrationibus Epiſcoporum, vel Abbatum benedictionibus &c. non cappa, non tapete, non manutergia, non bacilia, & nihil omninò per violentiam, niſi ſpontè oblatum fuerit penitùs exigatur* (*c*). In præmemorato Concilio Palentino legitur conſtitutum, *Ordinati verò ſi poſt receptos ordines prò ſcripturæ labore, chartâ, & cerâ, aliquid offerre voluerint, hoc accipi minimè prohibetur: ità tamèn, quod hæc gratuita oblatio ſummam quinque marabetinorum uſualis monetæ aliquatenùs non excedat: à pauperibus autem, aut nihil, aut minùs recipiant prò prædictis* (*d*). In Concilio quoquè Pariſienſi anni 1212. ſublatæ quidèm ſunt omnes abuſiones ſimoniacæ, ſed tamèn laudabiles conſuetudines in ſuo robore ſunt relictæ, *Simoniam generalitèr, & uniformitèr prohibemus, videlicèt in ordinum, & beneficiorum collatione &c. ſalvis honeſtis, & licitis conſuetudinibus Eccleſiaſticorum* (*e*). Nec quidquam turpitudinis in ſe habere creditum eſt, recipere xeniola, & munuſcula, quæ non pretium, neque mercedem reſonant, ſed potiùs honeſtatis, & humanitatis officium; ſeù, ut illa nominat Cardinalis Baronius, quę ſymbolum charitatis exprimunt in dante; & in accipiente non arguunt avaritiam (*f*). Et ita D. Anſelmus Cantuarienſis, Pallium Archiepiſcopale à Romano Papâ ſuſcipiens, quoddam illi munus ſpontè obtulit, dicens, *in munuſculo noſtro magnitudo veſtra, rogo non ſolam penſet quantitatem, ſed & bonam, qua miſſum eſt voluntatem* (*g*).

17. Pulcherrimè de his diſſerit Alexander Papa III. in reſponſione ad Archiepiſcopum Strigonienſem, ſcrupulis agitatum, eo quod frater ejus equum dono dediſſet Cardinali Legato, à quo, nomine Pontificis, fuerat Archiepiſcopali Pallio decoratus; *In accipiendis, vel dandis muneribus tria ſunt maximè attendenda, perſonæ ſcilicet dantis, & accipientis qualitas: quantitas muneris: & donationis tempus. Qualitas perſonarum, ut à quo, & cui, videlicet, an à paupere diviti, vel à converſo, ſive à divite locupleti, datum fuerit. Æſtimatio muneris, & donationis tempus, ſi magni, vel minoris prætii res data exiſtat, & an inſtante neceſſitate, ſeù alio tempore conferatur. Si ergò prædictorum Cardinalis, & fratris tui perſonam, & qualitatem penſamus, non fuit magnum ab eodem fratre tuo, Cardinali equum unum tranſmitti, quem etiàm joculatori non petenti, vir tantus, & tàm abundans fortè donaret. Verùm ſi temporis neceſſitatem perpendimus, non aliâ intentione hoc conſtat factum fuiſſe, quàm ut Cardinali ſubveniretur in articulo prænotato &c. Quod autem ſcriptum eſt, Beatus, qui excutit manus ſuas ab omni munere; De illis donis dictum eſt, quæ accipientis animum allicere, vel pervertere ſolent: quoniàm ſi ipſa etiàm perſona electi offerat Ordinatori, vel Conſecratori ſuo electuarium, aut de vino, ſivè de aliis hujuſmodi, quæ modici prætii fuerint, & quæ voluntatem recipientis inclinare, vel movere non debeant, non tamen Romana Eccleſia interpretari conſuevit, accipientem in his delinquere, vel donantem* (*h*).

18. Tales erant ab initio collationes illæ pecuniariæ, quas Archiepiſcopi Daniæ, Pallium à Romano Pontifice ſuſcipiendo, illi offerebant. Symbola nempè charitatis, & humanitatis officia: quæ poſteà cum nimiùm excreviſſent, Canuto Rege poſtulante, Joannes Papa XX. erogari inpoſterùm interdixit (*i*). Sed licèt olim prò Bullis, & Literis Patentalibus ordinum, & beneficiorum, ſpontè oblata ſuſcipi poſſent, paulatìm tamen hæc quoque omninò ſunt è medio ſublata, & ità in ordinum collatione, quæ cum beneficiorum largitione affinitatem habent, mandavit Concilium Tridentinum, ne prò literis, vel ſigillo, aut aliâ quacumque

(a) *Concil. Tolet. an. 1473. c. 25.*

(b) *Concil. Baſileenſ. ſeſſ. 21. c. 1.*

(c) *Conc. Londin. c. 1 & 3.*

(d) *Concil. Palentin. cap. 19.*

(e) *Conc. Pariſien. c. 12. 13.*

(f) *Card. Baron. ann. 855.*

(g) *S. Anſelm. Cantuar. lib. 3 epiſtola 37.*

(h) *Cap. etſi 18. de ſimon.*

(i) *Villel. Malmesb. l. 2. cap. 11.*

Digitized by Google

ratione quidquam ab Ordinariis percipiantur (*a*). Et ratio eſt ſatis congrua, & æquitati conveniens. Nàm Epiſcopi, & Ordinarii locorum habent prædia, habent reditus, habent proventus, honeſto eorum ſtatui competentes, quibus & vivere, & ſuam alere familiam poſſunt, & ſine aliis exactionibus ſe competentèr manutenere. Juſtum eſt ergò, ut à quacumque perceptione pecuniarum abſtineant, gratiſque omninò dent, quod gratis à Chriſto Domino ſuſceperunt. Hæc quoad Epiſcopos, & Ordinarios: quo verò ad Summum Pontificem aliæ inſpectiones concurrunt, de quibus habebitur ſermo, capitulo ſubſequente.

19. Cancellariis quoque, ſive Miniſtris Antiſtitum, priſcis temporibus interdictum erat aliquid prò literis præfatis exigere, tamquàm ex debito (*b*), quià tunc Cancellarii, ac Scribæ munus inter officia, & beneficia eccleſiaſtica numerabatur. Et ideò juſtum erat, ut hi tamquam qui ab Eccleſiâ ſtipendium, ſuo muneri congruens recipiebant, cuncta gratis totalitèr expedirent (*c*). Sed cum progreſſu temporis Scribæ, & Notarii officium à beneficiorum catalogo fuiſſet excluſum; permiſſio illis facta eſt aliquid congruum, & honeſtum ratione ſui muneris, prò Bullarum, ſive Literarum expeditione ſuſcipiendi. Hinc in Concilio Cantuarienſi (*d*), & in Ravennatenſi (*e*), valdè antiquis, taxata cernitur ſumma, prò Scripturâ, chartâ, ſchedulâ, cerâ, & ſigillopendenda. Quoàd *Angliam*: In Concilio Londinenſi anni 1321. conſtitutum eſt, *quod prò Scripturâ ſingularum literarum, inſtitutionum, vel collationum, ultrà ſingulos duodecim denarios Sterlingorum; prò literis verò ſingulis Sacrorum Ordinum, vel Dimiſſarum, ultra ſingulos ſex denarios &c. non accipiant* (*f*). Quoàd *Hiſpaniam*: in Concilio Toletano anni 1347. hæc emerſit ſanctio: *Quià plerumque in exactione emolumenti Sigilli nonnulli metas rationis excedunt &c. nos eorum inſatiabilem voraginem componere cupientes, ſtatuimus, ut prò qualibet prædictarum literarum poſſint ſex marabetini, & prò Cancellariâ duo denarii, & unus marabetinus prò regeſtro, & non ampliùs recipi ullo modo* (*g*), quam poſteà taxam adauxit uſque ad decem marabetinos Concilium aliud Toletanum, habitum anno 1473. (*h*)

20. Quoàd *Italiam*: Concilium Ravennatenſe anni 1211. conſtituit, *ne ultrà duos Venetos* poſſet accipi: & in alio paritèr Ravennate anni 1317. Sigilliferis, & Notariis meta conſtituta eſt in literarum expeditione imprevaricabilitèr obſervanda (*i*). In Concilio Mediolanenſi I. definitum eſt, uti ſequitur: *Notariis, Scriptoribus, aliiſque Epiſcopi miniſtris, prò omnium operâ, ſumptu, ac labore, in conſiciendis literis, quibus beneficii collatio, confirmatio, inſtitutio, proviſio, continetur, non plùs duobus aureis ad ſummum perſolvatur* (*l*). Quoàd *Galliam*: in Concilio Burdigalenſi anni 1583. hęc ſanctio ſtat, præcipiens, *prohibemus nè prò literis collationum, & inſtitutionum cujuſcumque beneficii, tàm Scribæ, quàm Sigilli nomine, aliquid, præter duos aureos, accipere liceat* (*m*): Et in Concilio Toloſano anni 1590. *Poſſit Notarius, aut Cancellarius Epiſcopi in ſingulas collationes accipere mercedem, ſuo labori congruam, quæ ſigillo, cerâ, & cæteris computatis, aureum unum non excedat* (*n*).

21. Has tamen exactiones in Bullarum, Literarumque hujuſmodi traditione faciendas, ità voluit Eccleſia omni avaritiæ ſpecie carere, ut nec ſigillum, neque officium talium expeditionum poſſit locari; & ideò in Concilio Tarraconenſe anni 1370. fuit ſequens prohibitio ſanctionibus ſynodalibus interſerta, *ordinamus, & ſtatuimus, quod emolumenta proprii ſigilli Epiſcoporum, ſeù Prælatorum, non poſſint per quoſcumque ſpecialitèr vendi; ſeù etiàm arrendari. Et ſi contrarium factum fuerit, arrendatio, ſeù venditio ipſo facto nulla exiſtat, & Arrendatores, ſeù emptores excommunicationis ſententiam incurrant* (*o*). Et in Concilio Burdigalenſi anni 1581. *Non liceat Epiſcopis ſigillum ſuum ad certum pretium locare, ſed illud probo viro, nec indocto, tamèn Eccleſiaſtico, committant* (*p*). Et quamvìs Epiſcopus cogere poſſit omnes beneficiarios ad accipiendas Bullas, ſeù literas ſui beneficii (*q*), tamen nihil indè emolumenti ipſe ſumere ſibi poteſt (*r*). Nec hujuſmodi

Bul-

(a) *Concil. Trid. ſeſſ.* 21. c. 1.

(b) *S. Gregor. lib.* 4. *Epiſt* 44.

(c) *Thomaſſin Vet & nov. Eccl. diſcipl p.* 3. *l.* 1 *c.* 61. *n.* 3. 4 *minime & n* 7. 8. *nihil*.

(d) *Concil. Cantuar. ann.* 1295. *c* 6.

(e) *Conc. Raven. an. an.* 1311. *c.* 23. & *ann.* 1317. *c.* 14.

(f) *Conil. Londin. ann.* 1321. *cap.* 4.

(g) *Concil. Tolet. an.* 1347 *cap* 4.

(h) *Concil. Tolet. an.* 1473. *c.* 25.

(i) *Concil. Raven. an.* 1311. *c.* 32.

(l) *Concil. Mediol.* 1. *part.* 1. *de iis*, quę pertinent &c.

(m) *Concil. Burdigal. ann.* 1583. *c.* 14. 11.

(n) *Concil. Toloſan. ann.* 1590. *cap.* 8.

(o) *Concil. Tarracon. l.* 5 *tit.* 4.

(p) *Concil. Burdigal. an* 1581. *tit. de Juriſd.*

(q) *S Congr. in Roſſanen.* 15. *Januar.* 1616

(r) *Thomaſſin. Vet & nov. Eccl. diſcipl. p.* 2. *l.* 1. *c.* 61. *n.* 9.

Bullarum expeditionis, ſivè ſigilli officium, & generalitèr Cancellariam ſuam ullo modo locare, prout multoties Sacra Congregatio expreſſis, ac repetitis Sanctionibus definivit (*a*). Demùm non multis ab hinc annis prodivit *Taxa Innocentiana* ab Innocentio XI. Pontifice valdè pio edita, quâ præſcribitur quid, qualitèr, quantum, & quandò in Tribunalibus Epiſcopalibus exigi poſſit: eâque obſervatâ certum eſt, quod æquitatis, juſtitiæ, ac honeſtatis tramites cuſtodiuntur, abeſtque omnes avaritiæ ſuſpicio.

(a) *S. Congr. in Oſtunen. 3. Septembr. 1587. in Averſan. 3. Feb 1593. in Recinet. 10. Januar. 1594. & alibi.*

22. Eccleſia igitur vult Literas, atque Bullas conferri, ſed injuſtas, & exuberantes exactiones deteſtatur, in Bullarum, & Literarum, de quibus ſermo eſt, expeditione ſuſceptas, non verò juſtas, & legitimas, ac diſpendio, & labori congruo coæquales, *eum nec calamus, nec charta gratis, ut dicunt, habeatur,* ſcripſit Ivo Carnotenſis Richardo Cardinali Albanenſi, Romanæ Eccleſiæ Legato (*b*): plenumque omninò juſtitiæ eſt, ut Miniſtris Epiſcopalibus aliquid honeſtum prò hujuſmodi literis conferatur. Quod agnoſcens Concilium Baſileenſe, valdè alioquin Bullarum, & ſigilli exactionibus reluctans; non abnuit, *Scriptoribus abbreviatoribuſque, & regiſtratoribus literarum, ſuâ minutarum, prò ipſorum labore competens ſalarium eſſe ſolvendum* (*c*). Et Concilium Tridentinum, quod hiſce rebus ultimam manum appoſuit, ſapientiſſimè definivit, *Notarii verò in his tantùm locis, in quibus non viget laudabilis conſuetudo, nihil accipiendi, prò ſingulis literis dimiſſoriis, aut teſtimonialibus decimam tantùm unius aurei partem accipere poſſint, dummodò eis nullum ſalarium ſit conſtitutum prò officio exercendo* (*d*). Loquitur Synodus de literis teſtimonialibus, & dimiſſoriis: ſed ſanctio, ſervatâ proportione, afficit etiàm pro Bullis beneficialibus, cum utrobique ſimilis ſit ratio. Ex quibus modicis exactionibus, licèt nihil in Ordinariorum utilitatem debeat provenire, undè & Patres Tridentini ſubjungunt, *Nec Epiſcopis ex Notarii eommodis aliquod emolumentum &c. directè, vel indirectè provenire poſſit* (*e*); tamèn conſecutivè, ac ex tranſverſo aliquid in eos utilitatis recurrit, ex eo quod Notariis, & Scribis ſuæ Curiæ ſtipendium de propriis reditibus non aſſignant, quod illis præbere deberent, ſi exactiones iſtæ deeſſent. Talem autèm utilitatem ex tranſverſo venientem, Ordinarii non perciperent, ſi eccleſiaſtica beneficia largiri etiàm viris extraneis non valerent, uti non poſt multa ſubinferemus:

(b) *Ivo Carnotenſ. epiſt. 94.*

(c) *Concil. Baſileenſ. ſeſſ. 21. c. 1.*

(d) *Conc. Trid. ſeſſ. 21. c. 1.*

(e) *Concil. Trident. loc. cit.*

23. Hucuſque autèm de Epiſcopis, & Ordinariis, Bullas, & Diplomata, ſeù Literas publicas concedentibus prò beneficiis eccleſiaſticis conſequendis. Nunc de Principibus Sæcularibus aliquid dicamus, beneficia ipſa, ſi qui ſunt ex privilegio Apoſtolico conferentibus, vel ad ea nominantibus, aut aſſenſum eorum acquiſitioni præbentibus: & propterea literas, cedulas, ac diplomata, ſuper hoc exhibentibus. Olim in proviſione Epiſcopatuum Imperator Conſtantinopolitanus partem habebat, vel promovendos deſignando, vel electis aſſenſum porrigendo, vel eoſdem, ut vocabant inveſtiturâ beneficii Epiſcopalis exornando, ſic ut literas ſupèr hoc exararet, quas S. Gregorius Magnus vocat Principis juſſionem (*f*), & alibi alitèr in Sacris Canonibus nuncupantur (*g*). Tuncque quandam ſummam pecuniæ repoſcebat, de quâ Gloſſa: *quilibet Epiſcopus dare conſuevit aliquid Imperatori in electione ſuâ &c. dummodò reditus Epiſcopales excederent duas libras auri, ut in Auth. de Sanct. Epiſc. §. 4. Et fortè tùnc eum mos erat, crimen non erat, ut 32. quæſt. 4. objiciuntur* (*h*). Nec ſolùm in provectione Epiſcoporum, ſed etiàm in ipſius Summi Pontificis elevatione, conſenſum tribuens Imperator Conſtantinopolitanus, numeroſam pecuniarum ſolutionem exigebat, prò literis, aſſenſum ipſum continentibus, à quâ pendendâ non niſi ſeptimo Eccleſiæ ſæculo ſe Romani Pontifices excuſſerunt.

(f) *S. Greg. lib. 3. epiſt. 20.*

(g) *Vid. cap. principali 15. cap. Reatina 16. c. lectis 18. diſt. 63.*

(h) *Gloſſ. in cap. Agatho 21. V. quæ ſolita diſt. 63.*

24. Rem totam narrat Anaſtaſius Bibliothecarius in vitâ Agathonis Papæ ſcribens: *Hic accepit divalem juſſionem* à Conſtantino Pogonato Imperatore, *ſecundùm ſuam poſtulationem, per quam reſervata eſt quantitas, quæ ſolita erat dari prò ordinatione Pontificis faciendâ. Sic tamèn, ut ſi contingeret poſt ejus tranſitum electionem fieri,*

Digitized by Google

fieri, non debeat ordinari, qui electus fuerit, niſi priùs decretum generale introducatur in Regiam Urbem, ſecundùm antiquam conſuetudinem, & cum eorum conſcientiâ, & juſſione debeat ordinatio provenire (*a*). Ità, remiſſo debito pecuniæ, Pogonatus retinuit ſibi poteſtatem aſſenſum præbendi electioni Pontificis; quà quoque citò ſe exuit, illam dimittens tempore Benedicti Papæ II. (*b*)

(a) *Anaſtaſ.* Biblioth. *in Agathon.c.Agatho* 21.*diſt.*63.

(b) *Anaſtaſ.Platin. & alii in Bened.II.*

25. Imperatores Occidentales eouſque ſè in Epiſcopalium, & Abbatialium beneficiorum diſpenſatione miſcebant, ut electos ab Eccleſiis, vel per ſe ipſos auctoritate Cæſareâ deſignatos, per virgæ, & annuli traditionem, de beneficiis eccleſiaſticis inveſtirent, & diploma inveſtituræ præberent; in quo quantum invaleſcerent exactiones pecuniariæ, & fiſcus Imperialis proficeret, indè colligi poteſt, quod quando propter reſiſtentias, à Romanis Pontificibus interpoſitas hujuſmodi Inveſtituris, Cæſares tandèm coacti ſunt ab earundem largitione ceſſare; Arniſæus inquit, quod Henricus V. Imperator, huic abuſioni cædens, prò dimidiâ ſui parte reddidit Imperium deterius (*e*). Quo modo autèm fructificabant Imperatoribus literæ Inveſtiturarum, vel deſignationum præfatarum, vel aſſenſus, quem promovendorum provectioni præbebant; ità & non parùm proficiebat Regibus aliquibus literas conſimiles in eorum Ditionibus porrigere, vel aſſenſum continentes, vel alium actum, quem ſoliti eſſent provectionibus Antiſtitum exhibere. Narrat Pariſius, quod Guillelmus II. Angliæ Rex dedit gratis D. Anſelmo literas conſenſionis ſuæ, prò Archiepiſcopatu Cantuarienſi: ſed mox ingentem ab eo argenti maſſam exegit, quam Anſelmus pendere recuſavit, *nihil intereſſe ducens, antè promotionem, vel poſt, talem ob cauſam numerare pecuniam, pari pænâ dignum arbitrabatur utrumque. Cum autèm ſaccos Regis, niſi læſâ conſcientiâ, implere non poterat, elegit potiùs Regis indignationem, quàm diſpendium famæ, & periculum animæ in præſenti incurrere, & inpoſterùm confuſionem, & ſcandalum in Dei Eccleſiam ſeminare* (*d*).

(e) *Arniſæus de jure Majeſtatis l*.2.*c*.1.*n*.13

(d) *Matthæus Pariſius hiſt. ad ann.* 1094.

26. Romanorum Imperator nunc dare ſolet primas preces in omnibus Eccleſiis ſui Imperii, juxtà modum, & formam in diplomate Pontificio, ſupèr hoc exarari ſolito, deſignatam (*e*). Rex quoquè Chriſtianiſſimus Galliarum diſpenſat plurima beneficia, & tam ille, quam aliqui alii Reges nominant promovendos ad plura beneficia, ſivè Epiſcopalia, ſivè Abbatialia, ſivè alterius qualitatis; prò quibus Deputationibus, Largitionibus, & reſpectivè Precibus, literas exhibent Patentales, ſivè Bullas, vel Cedulas, ſivè Diplomata, vel quocumque alio titulo nominentur. An ipſi ex hujuſmodi Chartis, & Signaturis aliquod lucrum acquirant, nos neſcimus: id ſcient illi, qui eorum aulas frequentant, & à Regiâ Cancellariâ literas ipſas expoſcunt. Aliquos audivimus aſſerentes, ibi quoſdam taxas reſpectivè in dictarum literarum confectione ſervari. Quod an rè verâ ità ſit, nec ne, atque ad cujus commodum iſta emolumenta proficiant, ubi & ſi fiunt, nobis non conſtat: Undè hac de rè veritati locum relinquimus. Certè tamenſi in præfatis Cancellariis aliquæ nummorum ſummæ penduntur, ac ſi exactiones ipſæ, vel Principibus memoratis, vel miniſtris eorum exhiberi debent, quiſque juſtus, & prudens rerum æſtimator facillimè ſibi perſuadet, id ex privilegio Apoſtolico, vel ex antiquâ, & laudabili conſuetudine provenire; ut & nos rem talitèr sè habere cenſemus, adeòque exactiones ipſas juſtas, & æquas eſſe, ſinè ambiguitate putamus. At ſi hæ penſitationes juſtè præfatis Regiis Cancellariis exhibentur; etiàm à fortiori juſtè, ac juſtiſſimè ſolvuntur Apoſtolicę Datarię illa emolumenta, quę ibidem exigi ſolent, occaſione Bullarum Beneficialium: niſi quis delirando velit contendere, plus licere laicis in hac materiâ, quæ de ſe ſpiritualis eſt, & eccleſiaſtica, quàm Summo Pontifici Eccleſiæ Capiti: quodque majora jura competant illis, qui ex privilegio Apoſtolico admiſſi ſunt ad miniſterium illud bonorum eccleſiaſticorum, quod exercent, nominando Clericos ad beneficia, quam habeat Pontifex, privilegii ipſius conceſſor, & à Deo deputatus ſupremus adminiſtrator rerum Eccleſiæ (*f*).

(e) *Corradus Oligenius de Prim Precib. fusè per totum.*

(f) *S. Thomaſ.* 1.2. *qu.*100.*art.*7.*ad* 7.

CA-

CAPUT XVII.

In quo de Annatis agitur, & Quindenniis, aliiſque exactionibus, quæ Datariæ Apoſtolicæ perſolvuntur, earumque juſtitia probatur.

SUMMARIUM.

1 Contradictores carpunt exactiones Datariæ, prò Bullis Apoſtolicis. Papa nec ut Epiſcopus, nec Papa habet præbendam.

2 Reditus ex Urbibus Status Eccleſiaſtici, non ſunt præbenda Papæ, ut Papæ, ſed uti Principis ſæcularis.

3 Cum careat Pontifex præbendâ, exigit primò Annatas, quæ nùnc dicuntur Bonifaciana, hæcque olìm erat duplum, quàm nùnc ſit.

4 Secunda exactio dicitur Commune ſervitium. Tertià dicitur Minuta ſervitia. Sunt & Quindennia, quæ tamen non faciunt diverſam exactionem.

5 Antè D. Gregorii Magni tempora Papæ aliquid exigebant in concedendo Bullas prò Epiſcopatibus, & Pallio Archiepiſcopali.

6 S. Gregorius exactiones illas prohibuit, ſed tempore S. Leonis Papæ II. revixerant. Quomodo ſe gerant Electores Imperii.

7 Exactiones faciebant Pontifices D. Zachariæ Papæ prędeceſſores, quamquam ipſe mallet ab eiſdem abſtinere.

8 Vigebant exactiones Pontificiæ tempore S. Gregorii VII. Ivo Carnotenſis quid de illis aſſerat? Et quid Felynus de illarum origine.

9 Firmatum eſt, jàm ſolvendum eſſe Commune ſervitium, vel dimidiam Annatam Datariæ Apoſtolicę: quæ exactiones piis uſibus applicantur.

10 Afferuntur verba Pauli Papę IV. innuentia mentionem, de his exactionibus factam in Conciliis Viennenſi, & Conſtantienſi.

11 Etiàm Epiſcopi aliquandò Annatas, vel Annatarum ſimilitudinem in beneficiorum collatione ſuſcipiebant. Diſtinctio Innocentii III. ſuper illis.

12 Ex D. Athanaſio, & ex facto Antonini Epheſini liquet, quod olim Epiſcopi exactiones quaſdam ſumebant. Idem faciebant Abbates. Juſſio Imperialis hac de rè indicatur.

13 Frequentes erant apud Grecos exactiones ipſæ tempore Conciliabuli Baſileenſis. Cur Epiſcopi non ſumant Annatas in collatione beneficiorum?

14 Ubì conſuetudo, vel privilegium dat Epiſcopis facultatem aliquid exigendi, jus iſtud non eſſe illis ſublatum: oſtenditur id pluribus documentis.

15 Quandoque Annatæ deſtinatæ fuerunt piis uſibus, & ità ex Concilio Colonienſi, aliiſque documentis conſtat eas fuiſſe applicatas.

16 Canonici S. Victoris exigentes Annatas de beneficiis, quid allegaverint prò ratione? Plures Eccleſiæ hujuſmodi exactiones faciunt.

17 Poſtquam Annatæ fuerunt abolitæ, Præſules interdùm Privilegium Pontificium prò illis exigendis adipiſci ſatagerunt.

18 Honorius Papa III. indultum contulit Epiſcopo Tullenſi exigendi binas Annatas, & à cunctis, Apoſtolico privilegio ſuffultis, exigi poſſunt.

19 Si Papa concedere poteſt aliis indultum percipiendi Annatas de beneficiis vacantibus; eccur non eas poteſt ſuis, & ſuę Eccleſiæ uſibus applicare?

20 In-

20 *Interdùm Pontifex exactionem Annatarum Regum uſibus applicavit. In Conventu Norimbergenſi fuit inſtitum eas fiſco Imperiali à Papâ concedi.*
21 *Petrus Alliacenſis, & Joannes Gerſonius, has exactiones prò juſtis habent. Qualitèr eas nuncupent Paulus IV. S. Pius V. & Joannes XXII.*
22 *Bonifacius Papa IX. primus fuit, qui Annatas perpetuas fecerit. Aliqui proptèr hoc illum carpſerunt, intèr quos Theodorus Niemenſis.*
23 *Laudatur Bonifacius IX. à Genebrardo. Exactiones hę ſunt prohibitæ jure ſolum humano, à quo Romanus Pontifex eſt exemptus.*
24 *Aliqui Annatarum exactiones, quæ fiunt Romæ, temerariè impugnarunt, Petrus Alliacenſis eas juſtas, & licitas eſſe tuetur.*
25 26 27 *Quid ſentiat Joannes Cabaſutius de ipſis exactionibus Annatarum, quæ Datariæ Apoſtolicæ perſolvuntur.*
28 29 30 *Refertur Doctrina Thomæ del Bene, Regni Neapolitani, de Annatis, & quod non valeat eas Princeps laicus impedire.*

1. CONTRADICTORES, nè quid intentatum relinquant, quo Summum Pontificem, Romanamque ſedem prò poſſe impetant; quemadmodum eam vellicant quoad beneficiorum eccleſiaſticorum diſpenſationem, ſic & adversùs Annatas, quę Datarię Apoſtolicæ de more ſolvendæ ſunt in expeditione Bullarum, linguam acuunt, & ut injuſtę, ac ſimoniacæ reputentur, calamum defatigant. Neceſſe eſt ergò, ut hìc nos earum juſtitiam oſtendamus, antiquitatem, rationabilitatem, & quidquid aliud congeri poteſt ad juſtificandam rem alioqin de sè juſtiſſimam, in medium proferamus. Eſt autèm ſciendum, quod Papa nec uti Epiſcopus Romanus, nec velut Patriarcha totius Occidentis, neque tamquam Summus Pontifex Eccleſiæ Dei, & Chriſti in terris Vicarius, habet prędia, reditus, cenſus, annuas præſtationes, proventus tandèm ullos, qui ſint veluti dos, emolumentum, ſtipendium, vel præbenda ſuę dignitatis, ex quibus vivere poſſit, sèque, ac ſuam familiam, Officiales, & Miniſtros valeat congruè ſuſtentare (*a*), eo modo, quo alii Epiſcopi, & Præbendati ſuos habent reditus, ac proventus, quos ex deſignatis fundis percipiunt, & ſunt veluti dos, appanagium, & eccleſiaſtica portio, quâ competentèr vivant, & valeant. Valdeque eſt notanda hæc deficientia præbendę in Romano Pontifice, quià multum prævalet ad Annatas juſtificandas.

(a) *Fagnan. in cap. preterea: num. 19. & 25. ne Prælat. vices ſuas &c. lib. 1.*

2. Quod ſi Papa plures reditus habet, ex Urbium ſui Principatus contributione collectos; hi non ſunt reditus eccleſiaſtici, neque præbenda beneficialis Epiſcopatus Romani, neque Patriarchatus Occidentalis, neque Summi Pontificatus; ſed ſunt proventus temporales Principatus Laicalis, cui præeſt Papa, non tamquam Epiſcopus, neque ut Patriarcha, neque tamquam Summus Pontifex, ſed tamquam Rex, aut Dominus illius partis Italię, atque Gallię, quę Status Eccleſiaſticus communitèr appellatur. In eâque ſe habet, ſivè facit figuram Principis Sæcularis (*b*). Et eſt per accidens, quod Principatus iſte ſit junctus Romanæ Sedi; quam nulli dubium eſt eodem per aliqua ſęcula caruiſſe. Ex cujus Status Urbibus, Oppidis, & Provinciis, licèt notabilis ſumma pecunię Romam confluat; eſt tamen hæc principalitèr aſſignata in ſtipendiis Arcium, Militum, & Officialium Laicorum, necnon in montium fructibus perſolvendis, debitorumque uſuris ſatisfaciendis, quæ Camera Apoſtolica contraxit, ut plurimum ad ſubventiones Chriſtianis Principibus exhibendas, vel contrà Turcas, vel adversùs Hæreticos, vel ſimilibus de cauſis. Tantaque eſt iſtorum debitorum cum proventibus coæquatio, ut introitus exitui reſpondeat, & quandòque fortè reditus tanto oneri non ſufficiant: quę res adeò certa eſt, ut rerum Cameralium periti eam prò certiſſimâ, & inconcuſsâ pronuncient, quemadmodùm nos propriis auribus Romæ non ſemèl, & bis, ſed penè centies ab iiſdem audivimus.

(b) *De Luca Rel. Rom. Cur. diſc. 2. num. 19. de Feud. diſc. 93. n. 6. & de Regal. diſc. 55. num. 4.*

3. De-

3. Deficientibus ergò Pontifici reditibus eccleſiaſticis, & præbendâ ſacrâ, conſimilis ad alios beneficiarios, nè ipſe, qui caput eſt Eccleſiæ, atque Apex Epiſcoporum (*a*), necnon omnium bonorum eccleſiaſticorum ſupremus Adminiſtrator eſt (*b*), & eunctorum Beneficiatorum Præſul, & Præſes, ſit deterioris conditionis ab illis (*c*), aliquid exigere poſſe neceſſariò debet, quo valeat congruè ſuſtentari, non tamquam Princeps temporalis, ſed tamquam Papa. Id facit autèm, exactiones in beneficiorum conceſſionibus ſuſcipiendo, quarum *prima* vocatur *Annata*, ſeù *Bonifaciana*, & dicitur *Annata*, quià conſiſtit in exactione medietatis fructus, quem reddere poteſt beneficium uno anno: itàut ſi beneficium fructificet centum aureos annuales, in ſuſceptione Bullarum pendendi ſint Datariæ aurei quinquaginta (*d*), qui adhùc non ex omnibus beneficiis ſolvuntur, ſed ex aliquibus tantum; nempè ex illis, quæ non ſunt Conſiſtorialia, & quæ valore annuo excedunt 24. aureos, ſeù Ducatos. Itàut Epiſcopatus, & Abbatiæ, quæ per viam Conſiſtorii diſpenſantur, minoraque illa beneficia, quæ annuos Ducatos vigintiquatuor non fructificant, hanc annatam, ſeù mediam annatam non perſolvant (*e*). Dicitur quoquè *Bonifaciana*, quià cum anteà Dataria exigeret integram annatam, per tres annos diſtributam, itàut ſingulo anno tertiam partem fructus beneficii ſuſciperet; Bonifacius Papa IX. patriâ Neapolitanus, quotam hanc minoravit, eamque reduxit, uti nunc eſt, ad mediam annatam; hæcque exactio integrè ſoli Summo Pontifici obtingit (*f*).

(a) *Cap. cuncta c. per principalem 9. qu. 3. Borel. ſumm. deciſ. 10. 1. tit. 4. num. 10*

(b) *S. Thomaſ. 2. 2. quæſt. 100. artic. 2. ad 7.*

(c) *Fagnan. in c. præterea 1. n. 24. ne prælat. vices ſuas lib. 5.*

(d) *Fagnan. loc. cit. num 9 & 10.*

(e) *Fagnan loc. cit. & in cap. ad audientiam 2. num. 88. de reſcript. lib 1. de Luca de benef. diſc. 90 num. 82.*

(f) *Fagnan in d. cap. præterea num. 9. 10.*

4. Exactio *ſecunda* vocatur *Commune ſervitium*, & ex ſolis Epiſcopatibus, atque Abbatiis Conſiſtorialibus exhibetur, juxtà taxam, quæ antiquitùs erat effuſior, ſed eam moderatus eſt Joannes Papa XXII. (*g*), diciturque commune ſervitium, quià communitèr intèr Papam, & Cardinales præſentes in Curiâ diſpenſatur (*h*). Conjunctis enim viribus laborant, attendunt, & incumbunt negotiis ipſorùm beneficiorum, quæ per viam Conſiſtorii diſpenſantur, circà quæ interdùm vigilias non paucas, & ſtudia, ſudoreſque multos interponunt, prout magis, & minùs rerum, & perſonarum exigentiæ depoſcunt. *Tertia* exactio dicitur *Minuta Servitia*, & conſiſtit in quadam parvâ contributione, diſtributâ in quinque portiunculas, quæ ad quoſdam Miniſtros, & Officiales Papæ pertinent, hæcque ex ſolis fructibus Epiſcopatuum, & Abbatiarum Conſiſtorialium decerpitur. Quæ minuta ſervitia ſic dicuntur, tùm quià in parvâ quantitate conſiſtunt, tùm etiàm quià intèr Miniſtros Pontificios minoris ordinis diſpenſantur (*i*). Exigit aliquandò etiam Dataria *Quindennium*, quod quidem facit quartam ſpeciem exactionis, ſed non quartam exactionem; eſt enim idem cum tribus primis, ſolâ temporis differentiâ diſcretum: percipitur enim ex beneficiis unitis alicui loco pio, quæ quià numquam vacant, uti vacabant priuſquam eſſent unita; calculatum eſt, quod circitèr, plus, vel minus, beneficia de quindecim in quindecim annis poſſint vacare (*l*): ideòque Dataria Pontificia de beneficiis ipſis unitis præfatas annatas, vel contributiones exigit, de quindennio in quindennium (*m*). Adeòque quindennia ſuccedunt loco annatarum (*n*).

(g) *Extrav. cum nonnullæ de præbend. Fagnan ubi ſupr. num. 11.*

(h) *Fagnan. d. cap. præterea num. 15.*

(i) *Fagnan. loc. cit. num. 12.*

(l) *De Luca de Regal. diſc. 162. num 2. & de benef. diſc. 89. num. 3. & 8.*

(m) *Filliuc. to. 2. tr. 41. cap. 6. num. 56.*

(n) *De Luca de benef. diſc. 139. num. 5.*

5. Sanè Romani Pontifices, etiam qui prioribus Eccleſiæ ſæculis præfuerunt, contributionem aliquam exigebant, ab his, quos Eccleſiis præficiebant: nàm S. Damaſus I. qui ſedit anno Chriſti 367. in ſuo Chronico ſcripſit: *Sicut Papa in ſui ordinatione, contribuebat Imperatori, nec id vitio dabatur, ſic & ſuſcipientes modo ordinationes à Papâ, aliquid ei perſolvunt* (*o*). Scimus ab aliquibus in dubium vocari, an Chronicon illud ſit Damaſi, & Anaſtaſio Bibliothecario appropriari (*p*), ſed res hæc non adeò eſt plana. Et quatenùs etiam ità sè haberet; non parum eſt hujus Contributionis documentum habere tale, quod ſi de eâ non teſtatur Damaſus, teſtetur Anaſtaſius, qui parum poſt Octavum Chriſti Sæculum clavit (*q*). Sed ſi ambigua eſt teſtificatio Damaſi, aliam certam exhibeamus. Proculdubiò illi Pontifices, qui D. Gregorium Magnum præceſſerunt, in ſuis Bullis concedendis aliquid exigebant, quod *commodum* vocabatur: patetque hoc ex ipſius Sancti Pon-

(o) *Damaſ. in Chron. & ap. Fagnan. loc. cit. num 15.*

(p) *Bellarm. de Script. Eccleſ. in Damaſ. Poſſev. Appar. ſacr. in eodem.*

(q) *Idem Bellarmin. in Anaſtaſ. Bibliot.*

Pontificis epiſtolâ ad Joannem Epiſcopum Corinthienſem, ubi improbat morem, aliquid exigendi in ſacrorum diſpenſatione: tumque ſubdit. *Novit autèm fraternitas veſtra, quià priùs pallium, niſi dato commodo, non dabatur. Quod quoniàm incongruum erat, facto Concilio antè corpus B. Petri, Apoſtolorum Principis; tàm de hoc, quam de ordinationibus aliquid accipere, ſub diſtrictâ interdictione vetavimus* (a).

6. Porrò S. Gregorius in eâ Synodo expreſsè cavit, nè quid acciperetur, *nequè ex datione pallii, nequè ex traditione chartarum* (b): patet ergò quod præventivè in expeditione Bullarum, ſeù chartarum Papalium, aliquid exigebatur: quod quià fortè creverat ad exceſſum, ideò S. Gregorius illud expungendum decrevit. Sed decretum Gregorii, vel effectu caruit, vel citò abſolevit: quippe tempore S. Leonis Papæ II. qui ſolummodò poſt 79. annos Gregorio in Pontificatu ſucceſſit, exactiones præfatæ pendebantur; de quibus Platina, *Leonis quoquè inſtitutum eſt, ac quidem ſanctum, quod utinàm hodiè obſervaretur, ne ad Archiepiſcopatum aſſumptus, prò uſu pallii, aliorumve officiorum, quidquam Eccleſiæ perſolveret* (c). Notavimus quoquè ſuprà ex Marculfo, & ex privilegio Corbejenſi, quod Præſules diœceſani, prò Abbatum provectione ad beneficia Abbatialia Monaſteriorum, contributiones aliquas exigebant, ſub nomine *Præmii*, vel *Commodi*: niſi cœnobium eſſet tali diplomate communitum, quod exactiones iſtas excluderet (d). Generalitèr autèm non prohibebantur ſpontè oblata recipi, cum D. Gregorius clarè diſtinxerit, *ſi autèm, qui ordinatus fuerit, ſi non ex placito, nequè exactus, nequè petitus, poſt acceptas chartas, & pallium, aliquid cuilibet ex Clero gratiæ tantummodò causâ dare voluerit, hoc accipi nullo modo prohibemus* (e). Nulla enim videtur eſſe ratio, cur ſpontè oblata recipi non poſſint, cum & D. Anſelmum aliquid ex poſt Summo Pontifici contuliſſe, præcedente capitulo notaverimus. Notum eſt quod Electores Imperii prò voto, ſivè cedula, vel diplomate, aut ſubſcriptione, quibus favent Electo Imperatori, nihil exigere poſſunt. Nihilominùs ſi quid eiſdem poſteà ſpontè, titulo gratitudinis offeratur, id optime valent recipere (f).

7. Ex hac fortè ſpontaneâ collatione, paulatìm ad exactiones, velut ex debito tradendas, defluxum eſſe, ſatis probabile eſt, nec minùs probabilitatis habet, quod Papæ Anteceſſores S. Zachariæ, qui ſedit anno 741. pecunias prò Bullarum expeditione ſuſciperent, quamquàm ipſe eaſdem ſumere detrectaret. Nàm Sanctus Bonifacius, Archiepiſcopus Moguntinus, illum ſuis literis monitum fecit, quod in Germaniâ rumores ubilibet ſuſurrabant, adversùs exactiones hujuſmodi Sedis Apoſtolicæ, tamquàm ſi Romæ Diplomata, ſeù Bullæ venderentur, & Sacra ſimoniacè conferrentur. Cui Zacharias reſpondit, vaniſſimos eſſe hujuſce generis rumores, ſeque in Bullis de more tradendis, atque in Pallio impertiendo, nil nec minimum exegiſſe: Abſit quod nos *eum noſtis Clericis in Simoniacam hæreſim incidamus, accipientes, & compellentes, ut hi, quibus pallia tribuimus, nobis præmia largiantur, expetentes ab illis pecunias. Abſit à nobis, & à noſtris Clericis, ut donum, quod per Spiritus Sancti gratiam ſuſcepimus, pretio venundemus: dùm & illa tria pallia, quæ, te ſuggerente ſumus flagitati, nullum ab eis quiſpiam Commodum expetiit. Inſuper & Chartas, quæ ſecundùm morem à noſtro Scrinio prò tuâ confirmatione, atque doctrinâ tribuuntur, de noſtro conceſſimus, nihil ab eis auferentes. Abſit ut ſic quidquam à tuâ fraternitate criminis verbis Simoniaci obiiciatur* (g).

8. Patet ex hac epiſtolâ Zachariæ, Pontificias exactiones etiam illo tempore in uſu fuiſſe: nec defuiſſe Romę Datariam Apoſtolicam, ex quâ Chartæ Papales proficiſcebantur, dicta *Scrinium*. Quod ſi ipſe Zacharias ab eiſdem exactionibus ex abundanti maluit abſtinere: vel ſi fortè tunc adeò creverant, ut æquitatis menſuram viderentur excedere, adeòque ſpeciem aliquam vitii continere, nullâ fortaſſe regulâ ſtabili, & diſcretâ ſuper illis adhuc firmatâ; non ideò carpendæ ſunt exa-

(a) *S. Gregor. lib. 4. epi. 55.*

(b) *S. Gregor. lib. 4. epi. 44.*

(c) *Platin. in Leon. II. Anaſtaſ. in eodem.*

(d) *Vide in hoc tomo cap præcedent. num. 14*

(e) *S. Gregor. lib. 4. epi. 44.*

(f) *Joan. Limneus. tom. 1 Jur. public. l. 3. c. 2. num 5. & ad Aur. Bullam c. 4. §. 3. Obſerv. 5. num. 2.*

(g) *Zachar. PP. epi. 5. in tom 1. Conc Gall. f. 540, vel epi. 13. inter epiſtolas S. Bonif. Mogunt.*

exactiones illæ moderatæ, quæ nunc fiunt: nequè carpendi Pontifices, qui & antè, & poſt Zachariam aliquid rationabilitèr perceperunt. Sanè tempore S. Gregorii Papæ VII., qui obiit anno 1084., & adversùs Henricum Imperatorem, prò abolendis inveſtituris beneficiorum, infractis viribus decertavit, in Bullarum Apoſtolicarum expeditione aliquam ſummam exigi conſueviſſe, deducitur ex epiſtolâ Ivonis Carnotenſis, qui propè illa tempora vixit, & reſpondens Epiſcopo Albanenſi, carpenti Clericos Carnotenſes, quod in beneficiorum largitionibus pecunias aliquas corrogarent, ait, *ſi quæ autèm adhùc ſunt, quæ prò conſuetudine antiquâ publicè exigunt Decanus, & Cantor, & alii Miniſtri ab iis, qui Canonici fiunt, mè contradicente, & perſequente; Romanæ Eccleſiæ conſuetudine ſe defendunt, in quâ dicunt Cubicularios, & Miniſtros ſacri palatii multa exigere à Conſecratis Epiſcopis, vel Abbatibus, quæ oblationis, vel benedictionis nomine pallіantur, cum nec calamus, nec charta gratis, ut dicunt, habeatur, & hoc quaſi lapide conterunt frontem meam* (*a*). Hinc benè Felynus ait, quod ſolutionum, quæ fiunt Apoſtolicæ Datariæ, tanta eſt antiquitas, ut earum principium penitùs ignoretur: cum ut videmus, etiam priſcis illis ſæculis, & antè annos ab hinc milleducentos, penderentur, & reſpectivè ſuſpenderentur, repeterentur &c. (*b*). Undè non benè attribuitur earum introductio Bonifacio Papæ IX. quippè diù antè illum exigebantur, & erant in uſu (*c*).

9. Ità alternantibus rerum vicibus, & temporibus, in Bullarum Pontificalium largitione, modò factæ, modò intermiſſæ ſunt exactiones: & quę interdum decretis, vel obſervantiâ Pontificum, ſunt ſuppreſſæ, vel ſuſpenſæ, paulatim revixere, vel ſpontanearum largitionum titulo, quæ ſucceſſivè in debitum obligationis ſenſim ſine ſenſu tranſierint, vel expreſsâ lege id mandante, vel conſuetudine ſic introducente, tum proptèr altum dominium, quod Papæ competit ſuper cunctis bonis Eccleſiæ: tùm proptèr neceſſitatem ſubveniendi indigentiis Pontificis, necnon aliis de cauſis, quarum nunc, poſt adeò prolixum temporis curſum, reddi non poteſt individua ratio. Hocque unum eſt, quod jam à multis annorum centuriis, in totâ Chriſtianitate iſto vivitur modo, ut Datarię Pontificię occaſione beneficiorum, aliqua determinata exhibeatur ſumma pecuniæ, quę hodiè, ut audivimus, ad manus Eleemoſynarii Apoſtolici defluit, ut pauperibus, & locis, ac uſibus piis prò diverſitate perſonarum, diverſimodè opituletur. Jamque de ſtylo eſt imprevaricabili, & inconcuſſo, ut ex cunctis beneficiis, in Romanâ Curiâ diſpenſandis, dùm eorum Bullæ, & Diplomata ſuſcipiuntur, Miniſtris Datariæ Pontificię ſolvatur Commune ſervitium, vel dimidia Annata valoris beneficii, ſecundum diverſitatem locorum, in quibus ſita ſunt ipſamet beneficia (*d*).

10. Quâ de rè Paulus Papa IV. patriâ Neapolitanus, anno 1559. ità decrevit: *Nupèr ſanè accepimus, quod licèt Communium ſervitiorum, & Annatarum exactio in recognitionem univerſalis Dominii introducta, ſit antiquiſſima, ità ut etiam probatiſſimi, & peritiſſimi juris interpretes, qui tempore Concilii Viennenſis, jàm ducentis quadraginta, & ultrà annis celebrati, & poſt illud ſcripſerunt, expreſſam de eâ fecerint mentionem, & aſſeruerint, eam in dicto Concilio roboratam fuiſſe, & in Concilio Conſtantienſi, antè centum, & quadraginta annos celebrato, ſtatutum fuerit, ut de Eccleſiis, & Monaſteriis virorum vacantibus, & vacaturis, ſolverentur prò fructibus primi anni à die vacationis ſummæ pecuniarum, in libris Cameræ Apoſtolicæ taxatæ, quæ Communia Servitia etiàm tùnc nuncupabantur. De cæteris autèm dignitatibus, perſonatibus, officiis, & beneficiis ſæcularibus, & regularibus, valorem vigintiquatuor Florenorum de Camerâ excedentibus, quæ auctoritate Sedis Apoſtolicę, non tamen vigore gratiarum expectativarum, aut ex causâ permutationis conferrentur, vel de quibus provideretur, ſolveretur Annata, ſeù medii fructus juxtà taxam ſolitam &c.* (*e*).

11. Hujuſmodi Annatas, vel Annatarum ſimilitudinem, etiam Epiſcopi in beneficiorum largitione aliquandò ſibi ſumebant, & ita faciebat olim (ac fortè nunc

(a) *Ivo Carnot. epl.94.*

(b) *Felyn. in c. ex parte 1.n.4. ver.tertio de Offic. Legat.*

(c) *Polydor. Virgil. de invent.rer. l.8.c.2. Genebrard.Chron.l.4. ad an.1389. Fagnan.in c. præteread n. 15. ne præl. vices suas lib.5.*

(d) *De Luca de Benef. diſc.89. & Relat. Rom.Cur.diſc.10. Fagnan. in cap.præteredà 1. Ne Prælat. Vices ſuas.*

(e) *Paul.IV. Conſt. 17.§.1.*

etiam facit Epiſcopus Agrigentinus) de antiquâ conſuetudine (*a*), jamque ultrà quingentis ab hinc annis Innocentius Papa III. in epiſtolâ ad Archiepiſcopum Mediolanenſem enuntiavit, hunc contuliſſe beneficium Cancellariæ ſuæ Eccleſiæ, & ſibi retinuiſſe proventus: ſuper eâ re ſic diſtinguens, ſi Collator antè beneficii *donationem perceperit ipſe proventus, credimus diſtinguendum, utrum antè donationem conſtituat, ut ipſi proventus retineantur ad tempus, prò causâ juſtâ, & neceſſariâ, an conveniat cum eo, qui accepit beneficium, ſeù eum mediatore quocumque, ut officio illo conceſſo, retineat ipſe ſibi proventus. Primum enim membrum credimus eſſe licitum. Secundùm autem dicimus non licere &c.* (*b*). Hujuſmodi epiſtola eſt Juris corpori inſerta, ubi Gloſsa in verb. conſtituat, hæc habet, *patet quod Epiſcopus poteſt ad tempus ex juſtâ causâ retinere fructus vacantis beneficii &c.* (*c*). Earundem Annatarum, quas ſibi Ordinarii ſumebant, meminit etiam S. Raymundus de Pennafort in ſuâ Summa, & ſuper eis tenuit diſtinctionem Innocentii præfati, cujus ętate, vel paulò poſt vixit (*d*). Adhucque anterius, annis ab hinc 588. nempè anno Chriſti 1109. fit ſimilium memoria in Concilio Lateranenſi III. definiente, *prohibemus ne novi cenſus ab Epiſcopis, vel Abbatibus, aliiſve Prælatis imponantur Eccleſiis, nec veteres augeantur, nec partem redituum ſuis uſibus approprîare præſumant* (*e*).

12. Et ſi adhùc antiquius veſtigium hujuſce rei deſideratur, haberi poteſt ex D. Athanaſio, qui floruit anno Chriſti 340. memorante, quod ſuo tempore apud Arrianos abſque pecuniæ ſolutione, non dabatur ad Eccleſias beneficiales introitus (*f*). Aliud jam à 1400. & ultra annis antè hęc tempora effulgens, ſumatur ex facto Antonini Epiſcopi Epheſini, de quo memorat Palladius, quod *prò lege, ac decreto habebat ordinationes Epiſcoporum vendere prò modo redituum* (*g*). Remque adeò invaluiſſe poſt illa tempora conſtat, ut opus fuerit Juſtiniano Cæſari definire, quod non ampliùs quàm unicam proventuum beneficii annatam Ordinarii poſſent exigere, *ſed neque Clericum cujuſcumque gradus dare aliquid ei, à quo ordinatur, aut alii cuilibet perſonæ, permittimus, ſolas autem præbere eum conſuetudines iis, qui ordinantium miniſtrantes ſunt, ex conſuetudine accipientibus; unius anni emolumenta non tranſcendentem* (*h*). Abbates quoquè in beneficiis à ſe dependentibus, Annatas antiquitus exigebant, uti memorat Concilium Generale Viennenſe, ſive in eo Clemens Papa V. ità perorans: *Interdùm Abbates &c. Beneficiatos beneficiis ſuis privant, ut ſic fructus beneficiorum illorum percipere valeant primo anno &c.* (*i*).

13. Frequentes fuiſſe apud Gręcos Patriarchas hujuſmodi exactiones, & adhùc perrexiſſe, quando Patres Concilii, ſive Conventiculæ Baſileenſis, Annatas ipſas ex Romanâ Aulâ eliminare geſtiebant; notatum eſt in compluribus libellis, tùnc per Orbem divulgatis, favore Eugenii Papæ IV. ut exactio ipſarum Annatarum licita probaretur, *utpotè quæ nunquam fuerint per aliquod Concilium revocatæ, imò potiùs in generali Viennenſi, & Conſtantienſi Concilio ſuſceptę; ſervatque etiam uſque in hodiernum diem ritum hunc in ſuâ obedientiâ Orientalis Eccleſia, in illis, in quibus adhùc dominatur* (*l*). Verùm eſt quod haſce annatas, vel ſimiles exactiones, quoàd Ordinarios ſacri Canones vetuère (*m*). Ac meritò quidem: quippè cum Præſules Ordinarii locorum habeant, ut innuimus, proprios reditus, & proventus, qui ſunt velut prębenda, & ſtipendium, ac merces congrua ſuo labori, atque ſervituti, quam prętant Eccleſiæ, adeò ut inde habeant, quo & ipſi honeſtè vivere, & ſuam competentèr familiam alere poſſint; juſtum non eſt, ut inſuper alias exactiones faciant, in diſpenſatione beneficiorum.

14. Nihilominùs & ipſis, ubi ex immemorabili conſuetudine, vel privilegio, jus habent aliquid exigendi, jus iſtud non fuit per leges Canonicas abrogatum. Et ità in Concilio Londinenſi anno 1268. decretum fuit, *fructus, & proventus Eccleſiarum Prælati per annum, vel aliquanto alio tempore nequaquàm percipiant, niſi fortè jus hujuſmodi ſibi valeant, ex ſpeciali privilegio, vel conſuetudine ab antiquo* vindi-

(a) *Rocc. Pirr. Sicil. Sacr. notit. 3. n. 29. ſq. 3. f. 394.*

(b) *Cap. 1. Ut benef. ſine demin. confer.*

(c) *Gloſſa in dicto cap. 1. verb. conſtituat loco citat.*

(d) *S. Raymund. Sum. l. 1. tit. 1. n. 24.*

(e) *Concil. Later. 3. cap. 7.*

(f) *S. Athan. epiſt. ad Solitar.*

(g) *Pallad. in Vit. S. Jo: Chryſoſt.*

(h) *Juſtinian. Novel. 123.*

(i) *Clementin. unic. de exceſ. Prælator.*

(l) *Raynald. an. 1436 num 4.*

(m) *Concil. Later. 3. c. 7. cap. cum in Eccleſia de Simonia.*

vindicare (a). Archidiaconus Eccleſiæ Cantuarienſis, Ordinarius quarundam Eccleſiarum, pertinentium jure patronatus ad monachos S. Auguſtini, dimidiam Annatam fructuum in earum vacatione percipiebat. Nam in tranſactione, factâ per Archiepiſcopum, intèr dictum Archidiaconum, ac Monachos, id cautum eſt, ut eiſdem vacationibus occurrentibus, *liceat ipſis Religioſis habere retentionem clavium penès sè, vacationis tempore, donèc ad præſentationem eorum alius inſtituatur in eiſdem, ſalvo jure Archidiaconi Cantuariæ, qui prò tempore fuerit, quoàd jurisdictionem, in eiſdem medio tempore exercendam, & quoàd medietatem fructuum, & ſequeſtrorum interim perceptorum (b).*

(a) *Concil. Londin. an.1268.c.16.*

15. Aliquandò hujuſmodi Annatę ſunt aliquibus piis uſibus applicatę: & ità in Concilio Colonienſi anni 1310. ſancitum legitur: *Statuimus & hoc, ut ſi qui Canonici ſuſpenſi deceſſerint, quod proptèr hoc Eccleſiæ annis gratiæ, & eorum fructibus non fraudentur, ſed ipſis Eccleſiis, & non ſucceſſoribus ſuſpenſorum cedant, prò reditibus perpetuis comparandis, ad communem utilitatem Eccleſiarum (c)*. Ità paritèr in Diplomate Ducis Burgundiæ, favore Capellæ Divionenſis dato, hæc intèr cętera continentur: *Volumus ut quotieſcumque præbendam, vel præbendas vacare contigerit, fructus illarum per annum integrum in augmentum, & utilitatem dictę Cappellæ integralitèr convertantur, priuſquàm Canonici, quibus conſerentur aliquid percipiant in eadem (d)*. Vide hìc Annatas, locorum piorum uſibus deſtinatas, illarumque exactionem eſſe majorem exactione Romanę Datarię, cum hęc ſit mediate fructuum beneficii unius anni contenta; illa verò Annatam integram contineret: pręterquamquod multa beneficia minoris momenti Romę nihil perſolvunt.

(b) *Conſtit. Antiqu. Regni Angliæ fol.840*

(c) *Concil. Colon. an. 1310 c.14.*

(d) *Recueil. pour. l. hiſtor. de Bourgogn. f.469.*

16. Uſque ab anno 1123. Stephanus Epiſcopus Pariſienſis Annatas præbendarum ſuæ Cathedralis conceſſit Cœnobio S. Victoris, cui cum aliquandò hac de rè fieret controverſia, Cœnobitę hoc ſe tuebantur reſponſo: *Prębendarum Pariſienſium Annualia Eccleſię S. Victoris ex integro deberi, & ipſius Eccleſię Pariſienſis tàm Epiſcopi, quàm Capituli, authenticum reſcriptum teſtatur, & Sanctorum Romanorum Pontificum privilegia confirmant, & pluſquàm longiſſimi temporis pręſcriptio Civili ſimul, & Canonico jure clamat*. Super quo etiam reperitur Bulla Eugenii Papæ III. Annatas illas in pluribus Eccleſiis, Cœnobio ipſi S. Victoris debitas, luculentèr affirmans (*e*). Similia indulta legere eſt apud Hiſtoricos memoriam facientes & Petri Bellovacenſis, concedentis Eccleſię S. Quintini ſuę diœceſeos Annatas præbendarum propriæ Cathedralis (*f*): Et Vuarini Epiſcopi Ambianenſis, eas deferentis Collegio Canonicorum S. Auguſtini, à ſe fundato (*g*): Et aliorum: adeò ut dubitari omninò non poſſit, quin & alibi, non minùs ac in Romanâ Curiâ exigerentur Annatę, cum pateat ipſas fuiſſe in uſu: eaſque vel Epiſcopis, vel locis piis fuiſſe applicatas: neque ſublatas per ſacros Canones, eiſdem obſiſtentes: qui, ut innuimus, eas ubi privilegio, vel conſuetudine firmatæ fuerant, non abſciderunt.

(e) *Hiſtor. Univerſ. Pariſ. to.2 f.160.39.*

(f) *Gall. Chriſtian. to.2. fol.385.*

(g) *Spicileg. tom.2. fol.160.*

17. Et poſtquàm etiam ſacri Canones ipſas Annatas ab Eccleſiâ Univerſali cenſuerunt eſſe tollendas, ubi fulcro legitimæ conſuetudinis, vel privilegii carebant; Epiſcopi prò earum perceptione, ad indultâ Apoſtolicâ recurrerunt. Nam, referente Matthæo Pariſio, per Innocentium Papam IV. Archiepiſcopo *Cantuarienſi conceſſum eſt, ut obventiones, ſivè fructus unius anni beneficiorum, quæ vacare contigerit in provinciâ Cantuarienſi, eidem Domino Cantuarienſi conferantur (h)*. Redarguit Gregorius Papa X. Epiſcopum Leodienſem, quod non contentus vigeſimæ fructuum Eccleſiaſticorum ſuæ diœceſis, ſibi ab Apoſtolicâ Sede indultę; dimidias etiam Annatas in quibuſdam prębendis eccleſiaſticis corraſiſſet, *Cum prò Eccleſiæ debitis, quibus Epiſcopatum tuum obligatum dicebat, vigeſimam eccleſiaſticorum redituum Eccleſiarum tuæ civitatis, & diœceſis tibi obtinuiſſes ab Apoſtolicâ Sede concedi, tu ipſâ vigeſimâ non contentus, in qualibet Eccleſiâ tuæ civitatis, & diœceſis, fructus dimidiæ præbendæ &c. præcipis annuatim (i)*.

(h) *Matth. Pariſ. ad an.1246.*

(i) *Vid. Thomaſſin. Vet. & Nov. Eccl. diſcipl. p.3. l.2. c.37. n.3. 9.non.*

18. Epiſcopus Tullenſis indultum ab Honorio III. impetravit, ut binas beneficio-

ficiorum Annatas licitè poſſet percipere: quod cum eludere quidam conarentur, obtentu gratiæ, ad prębendas, & majora beneficia non extenſæ; Pontifex, eadem quoquè comprehendi declaravit; *Tua nobis fraternitas intimavit, quod cùm tibi prò relevatione oneris debitorum duxerimus indulgendum, ut fructus beneficiorum, quæ interim in diœceſi tuâ vacare contigerit, tibi liceat biennio retinere, quidam Apoſtolicę gratiæ privilegium ſiniſtrâ interpretatione reſtringere molientes, aſſerunt præbendas, & majora beneficia, nequaquam beneficiorum nomine contineri. Nos igitur auctoritate præſentium declaramus, quod in hoc caſu præbendæ, ac alia beneficia, generali beneficiorum nomine continentur* (*a*). Et generalitèr quod Eccleſiæ, habentes privilegium Apoſtolicum prò hujuſmodi Annatis exigendis, illas licitè valeant adipiſci, non obſtantibus decreto Concilii Tridentini ſeſ.24. cap.14. & Conſtitutione 104. S.Pii Papę V. decidit Rota Romana (*b*).

(a) *Cap.32.de Præb. Significat.*

(b) *Rota ap. Lotter. de Re benef.l.3.qu.20. num.11.& 15.*

19. Porrò ſi Romanus Pontifex, auctoritatem ſuam interpellatus, potuit interponere, ut Epiſcopi Annatas beneficiorum percipiant, vel quod hę aliis piis uſibus applicentur; neſcimus videre, cur & eas ipſe ſibi non poſſit, & potuerit retinere, & Sedis Apoſtolicę neceſſariis, vel aliis piis uſibus applicare. Clemens Papa V. eas in quibuſdam Angliæ Epiſcopatibus ſibi reſervavit, hocque feciſſe refert Matthęus VVeſtmonaſterienſis, ad id illectus exemplo Epiſcoporum illius Regni, qui prò ſimilibus exactionibus obtinendis, ipſum Pontificem creberrimè fatigaverant: *Ipſe verò Papa videns inſatiabilem quorundam Epiſcoporum Angliæ avaritiam, importunè poſtulantium primas vacantes Eccleſias per annum in ſuis diœceſibus ſibi concedi, advertenſque, quià quod poſtulat inferior, poteſt & ſuperior, appropriavit ſibi per biennium omnes proventus de primo vacantibus in Angliâ, videlicèt de primo anno primos fructus, tàm de Epiſcopatibus, Abbatiis, Prioratibus, Pręhendis, Vicariis, & Rectoriis, quàm de cęteris minutis beneficiis* (*c*).

(c) *Matth.VVeſtmonaſter.f.457.*

20. Rurſus nulli dubium eſt, quod quandoque Summus Pontifex hujuſmodi Annatas ex beneficiorum fructibus percipiendas, Regum ità poſtulantium uſibus applicavit, & ità Joannes XXII. Annatam, ſivè dimidiam Annatam fructuum beneficiorum Angliæ, Vuallię, & Hiberniæ, Eduardo II. Anglorum Regi conceſſit (*d*). Martinus quoquè Papa V. Alphonſo I. Utriuſque Sicilię Regi, mediam annatam cujuſcumque beneficii eccleſiaſtici indulſit (*e*). Cur autem has Principibus laicis potuerit applicare, non verò ſuis propriis opportunitatibus deſtinare, dicant Contradictores, & diſcrimen aſſignent: quippè nobis nec diſcrimen iſtud occurrit, neque ratio diſcriminis, illicitum Pontifici declarans, quod ipſe prò Regibus authorizat. Certè Nangius, ſivè illius continuator, inſinuat eatenùs Papas ſibi Annatas beneficiorum applicare didiciſſe, quià eaſdem crebrò Principum ſęcularium uſibus aſſignaverant. In Conventu Norimbergenſi, habito propter cauſam Lutheri, plurimi ei adhęrentes propoſuerunt, decerni, ut annatas, quę Romanę Datarię ſolvebantur, Pontifex ulteriùs non perciperet, ſed eas Imperiali Fiſco aſſignaret (*f*). Per quod certè juſtificatę ſunt exactiones ipſarum annatarum. Nam ſi eas Summus Pontifex Imperiali Fiſco poterat applicare; cur quęſo & eaſdem non poterat prò neceſſitatibus, & uſibus proprię ſuę Sedis exigere?

(d) *Raynald.an.1317 n.49.*

(e) *Roc. Pirr. Sicil.Sac.tom.2.notit.3.*

(f) *Pallav. Iſtor. del Conc. di Trento l.2.c.8. n.2.& 3.*

21. Hę Annatæ in Pontificiam Cameram defluentes, à Petro Alliacenſi vocantur, *ſubventio à piorum devotione Eccleſiaſticorum introducta* (*g*); & à Joanne Gerſonio, Cancellario Pariſienſi, tametſi alibi de illis titubante, appellantur *recompenſatio rationabilis* debita Papę, qui ſervit Eccleſię (*h*). Illas nominant Paulus Papa IV. & S. Pius V. teſſeras, & ſigna univerſalis dominii, quod habet Pontifex ſuper Eccleſiâ universâ (*i*). Alii aliis vocabulis eas nuncupant, ex ipsâque hac denominatione pateſcit, quàm juſtè, & rationabilitèr exigantur. Poſt Clementem V. Joannes Papa XXII. ejuſdem in Pontificatu ſucceſſor, anno 1317. Annatam fructuum beneficiorum Angliæ, Hibernię, & Vualliæ ſibi reſervavit, ad levamen graviſſimorum onerum, quibus Romana Eccleſia deprimebatur (*l*): qui ſubindè ex pluribus Orbis beneficiis fructus trium ſibi reſervavit annorum, Epiſcopalibus, &

(g) *Petrus de Alliaco de Auctor.Eccleſię.*

(h) *Joan.Gerſon.to.2. f.428.*

(i) *Paul. PP. IV. Conſt.17.§.1.S.Pius V Conſt.38.§.3.*

(l) *Raynald.an.1317 num.49.*

Abba-

Abbatialibus Eccleſiis exceptis. Legere eſt eam Conſtitutionem in Extravagantibus communibus, quæ ſic ſonat, *cum non nullæ Eccleſiaſticæ perſonæ &c. revocare conentur in dubium, an fructus, reditus, & proventus primi anni beneficiorum eccleſiaſticorum, etiàm vacantium, & quæ in diverſis Orbis partibus uſque ad triennium vacare contingeret, quos prò Eccleſię Romanę neceſſitatibus, per noſtras ſub certâ formâ literas, duximus reſervandos, juxtà tenorem literarum ipſarum Camerę noſtrę ſolvere teneantur; præſertim cum Archiepiſcopales, & Epiſcopales Eccleſię, ac Regulares Abbatiæ ab hujuſmodi ſolutione fructuum, ut dicunt, in dictis literis eximantur; Nos dubitationem hujuſmodi amputare volentes, auctoritate Apoſtolicâ declaramus &c.* (*a*). Uſque ad tempoea tamèn præſati Pontificis, Annatæ, vel non fuerunt generales, vel non fuerunt perpetuę, tametſi ab eo decretæ (*b*).

(a) *Cap. cum nonnullæ 11. Extr. de præb. & dignit.*
(b) *Spondan. in Auctar. Baron. ann. 1394.*

22. Bonifacius Papa IX. patriâ Neapolitanus, ut ſuprà retulimus primus fuiſſe cenſetur, qui Annatas Cameræ Apoſtolicæ perſolvendas perpetuas deſtinavit, dè quo brevitèe Bartholomæus Caranza, *Bonifacius hic Annatarum (hoſtium potentium veritus, vel augendæ ditionis Eccleſiaſticæ causâ, ut aliqui volunt) uſum beneficiis eccleſiaſticis primus impoſuit; hac conditione, ut qui beneficium conſequeretur, dimidium annui proventus Fiſco Apoſtolico perſolveret. Quamvìs ſint qui hoc inventum Joanni XXII. aſcribant. Hanc conſuetudinem omnes admisère, prætèr Anglos, qui id de ſolis Epiſcopatibus conceſſere: de cæteris beneficiis non adeò* (*c*). Totidem penè verbis idipſum de Bonifacio IX. ſcribit Platina (*d*). Idque feciſſe Bonifacium intèe magnas illas ſchiſmatis peocellas, quæ tùnc vigebant, *ingraveſcentibus rei pecuniariæ difficultatibus, ob continuos armorum fragores*, ait Raynaldus (*e*): Theodoricus tamèn Niemenſis de hujuſmodi exactionibus ità parùm eſt modeſtè elocutus, ut eas vitio ſimoniæ infectas non dubitaverit pronuntiaee, inquit enim de Bonifacio, *Circà decimum annum ſui regiminis, ut cautius ageret in hac parte, palliaretque ſimoniam, quam exercuit, quadam neceſſitatis colore, primos fructus unius anni omnium Eccleſiarum Cathedralium, & Abbatiarum vacantium ſuæ Cameræ reſervavit: ità quodquicumque ex tùnc in Archiepiſcopum, vel Epiſcopum, aut Abbatem per eum promoveri voluit, antè omnia cogebatur ſolvere primos fructus Eccleſiæ, vel Monaſterii, cui præfigi voluit* (*f*).

(c) *Caranz. Sum. Concil. in Bonif. PP. IX.*
(d) *Platin. in Bonif. PP. IX.*
(e) *Raynald. ann. 1390. n. 1.*
(f) *Theod. Niemenſ. Raynald. an. 1399. n. 12*

23. Mirum eſt adeò procacitèr Theodoricum Niemenſem fuiſſe de Bonifacio Papâ IX. locutum, cujus mores optimos hiſce verbis delineat Genebrardus: *Hic annorum circitèr triginta erat cum Pontificatum iniit. Ità ſamen vixit in tantâ peccandi licentiâ, ut nihil ei obiici poſſet, niſi quod fortaſſis Annatarum uſum Sacerdotiis impoſuit* (*g*). Nota verbum *fortaſſis*, quod non aſſertionem, ſed dubitationem præſefert (*h*). Et benè non auſus eſt Genebrardus Annatas abſolutè damnare, quippè quem non latebat, aliquid præbere, vel alio modo pro beneficioeum conſecutione paciſci, non eſſe ſimoniam, jure divino, vel naturali prohibitam (alioquin non potuiſſent Pontifices Annatarum exactionem interdùm Regibus, & Epiſcopis concedere, proùt feciſſe pluries oſtendimus) ſed ſolam prohibitionem jure humano introductam, cui Romanus Pontifex non ſubjicitur, ſed potius ejus poteſtas ſemper intelligitur præſeevata. Hocque quod Papa non incurrat ſimoniam, ex jure canonico provenientem, adeò certum eſt apud Auctores, ut nullum ambigendi locum admittat (*i*). Tamèn hæc exactio non eſt talis, quæ pervertere valeat animum Collatoris, nec eſt nundinatio eei eccleſiaſticę, neque eſt actio ſimoniaca in Pontifice, quæ indigeat diſpenſatione, ut ex rationibus hucuſque allatis claro clariùs innoteſcit. Præteeeà etiàm antè Bonifacii IX. ætatem erant ſimiles exactiones, quas quod ille reduxerit ad rationem Annatæ, vel mediæ Annatæ, hoc parum, aut nihil refert.

(g) *Gilb. Genebr. in Chron l. 4. ad an. 1404.*
(h) *Leg. 1. §. ſi quis neſciat ff. de jur. & fact. ignorant. l. Julia 1. de rit. nupt.*
(i) *Vide Bonacin. to. 1. de Simonia diſp. 1. qu. 5. n. 2. & 3.*

24. Nèc magìs modeſtè de ſolutionibus hujuſmodi Annatarum locuti ſunt Coſmas Guymeeius gloſſatoe Pragmaticæ Sanctionis (*l*), Franciſcus Duarenus de Beneficiis (*m*), Tobias Pauxmeſter de Juriſdictione (*o*), Theodorus Keinkingk de Regimine ſæculari, & eccleſiaſtico (*p*), & alii ejuſdem farinæ Viri, Annatas ipſas

(l) *Coſm Guymer in Pragmat. ſanct. tit. de Annatis.*
(m) *Duaren. de beneſ. l. 7. c. 3.*
(n) *Pauxmeſter de juriſd l 2 c. 3 n. 37.*
(o) *Keinkingk de regim. l. 2, Claſ, 1, c, 8, n. 25,*

ut

ut injuſtas, & ſimoniacas venditantes: ſed quàm ſtultè, ac temerariè, vel ſaltèm reſpectivè locuti ſint improvidè, atque in errore verſantes; ea quæ per totum præſens Capitulum protulimns, & quæ in ſequenti ad ubertatem ſubjungemus; evidentiſſimè manifeſtant. Mirumque erit, ſi Contradictores amabunt potius Viris deſipientibus, & vaniloquis, ac vel errantibus, aut malitiosè contrà veritatem ſibilantibus conſentire; quam rationibus deferre, ac Doctoribus; & æquioribus, magiſque modeſtis Auctoribus, qui contrarium docent, ſubſcribere. Sanè ut agnoſcat Lector, affluere, non deeſſe doctrinam, & Doctores; etiam non Italos, & Romanos, ſed Ultramontanos, qui exactionum Apoſtolicæ Datariæ juſtitiam pleno calamo contuentur; exhibemus hìc ſenſum Joannis Cabuſutii Aquiſextienſis, Auctoris notiſſimi, & æquè docti: qui Appendicem conſiſcens ſanctionibus Concilii, ſivè Conciliabuli Baſileenſis, ubi exactiones ipſæ fuerunt toto impetu exagitatę, hęc, quæ ſequuntur, exarat.

25. -- Prælaturarum quidem Annatas, quas Papa exigere conſuevit, abolere omninò conatum eſt Baſileenſe Concilium. Eam tamèn conſuetudinem, ſi tamèn Annatarum pecunię collectę, non in vanos, aut ſæculares uſus, ſed in Eccleſiarum, aut miſerabilium perſonarum utilitatem expendantur, nihil habere injuſti, multis rationibus comprobatur. Primò, quià divino juri conformes ſunt Annatæ: Etenim Num. 18. ſingulis annis decimam decimarum, & primitiarum à Levitis, & Sacerdotibus perſolvi præcipitur Summo Sacerdoti. Secundò, cunctis animarum curam gerentibus decimæ debentur divino, & naturali jure c. 1. cauſę 16. q. 7. & c. 1. de decimis, ubi præclarum Hieronymi teſtimonium profertur, & cap. cum ſecundum de pręben. Et qui altari ſervit, de altari vivere debet, 1. Cor. 9. Tertiò, ex Lateranenſi Concilio ſub Innocentio III. debetur Epiſcopo à ſubditis Eccleſiis charitativum ſubſidium, & inſuper jura Catedratici, & Synodatici, quartaq; decimarum pars, c. conquerente de offic. jud. ord. Abſurdum ergò foret, ſi Papa, univerſi gregis Dominici paſtor, ſolus ab hujuſmodi juribus excluderetur. Quis paſcit gregem, & de lacte ejus non manducat? 1. Cor. 9. præcipuè cum ſolus Papa decimas annuas nullas percipiat. Quartò, Eccleſia unum conſtituitur myſticum corpus. Rom. 12. Multi unum Corpus ſumus in Chriſto: ſinguli autem alter alterius membra. Sicut autèm capitis officium eſt ſingulorum membrorum incolumitati providere, ſpirituſque elaborare, & tranſmittere, quorum præſidio membra proprios ſenſus, & motus, exerceant: ſic etiam convenit, ut ſubjecta membra caput viciſſim alant, & protegant, Papa ſponſus eſt Eccleſiæ, atque fidelium pater. Atqui ſuis in neceſſitatibus pater compellere filios poteſt, ut alimenta ſibi ſubminiſtrent, eoſque etiam ad ſui ſuſtentationem vendere, l. qui filios c. quæ res pign. obl. poſ. l. 1. & & 2. C. de patribus qui fil. diſtraxe. Et filiæ matrem inopem alere tenentur, l. filiæ, c. de adoptionibus. Ad maritum quoquè pro oneribus matrimonii fructus doctis pertinent, C. per veſtras, in fin. de donat. inter virum, & uxor.

26. Addit idem Auctor alia motiva, & proſequitur: -- In recognitionem ſupremi dominii perſolvenda ſunt Principibus tributa: itàut ſubditi contrà jus iſtud nullâ ſe tueri præſcriptione poſſint l. competit C. de præſcript. 30. ann. Imò jus divinum id ſanxit Matt. 22. Licet cenſum dare Cęſari, an non? Reddite, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & Rom. 13. Reddite cui tributum tributum, cui vectigal vectigal. Papa verò eſt univerſæ Eccleſiæ Dominus, & Princeps. Septimò, cuilibet Judici debetur, ex publico ſtipendium, ac ſalarium, authen. ut diff. jud. 4. final. Quę res in ratione communi fundatur, ut qui multitudinis curam gerit, talibus muniendus ſit præſidiis, quibus onus regiminis valeat ſuſtinere. Octavò, ſi poteſt Papa conferendo alicui prębendam imponere penſionem annuam in favorem pauperis alicujus Eccleſię, vel Clerici, cur non (quod multò minùs eſt) annatam ad ſubveniendum ſuis, & Eccleſiæ toto orbe diffuſę indigentiis? Romanam enim Eccleſiam ipſa neceſſitas excuſat, cum non poſſint de ſuo cunctis ſibi ſubditis Eccleſiis providere. Pretèr enim ordinarias expenſas, quotidiè ferè providendum eſt extraordinariis,

tum

tùm ad fidem innumeris locis propagandam, tùm ad ſubſtinendas bellorum contrà Infideles, aut Hæreticos armatos expenſas, tùm ad alias innumeras pietatis cauſas. Nonò, valet titulus pręſcriptionis immemorabilis, & conſuetudinis, cujus initii memoria non extet, quo fit ut res olim voluntaria evadat neceſſaria, cap. ad Apoſtolicam de Simon. At jus iſtud annatarum conſuetudine plurium ſæculorum invaluit, nec certum, aut compertum eſt earum initium. Quamvis enim non legatur aperta illarum in jurę mentio antè c. cum nonnullę in extrav. com. tit. de pręben; illa tamen Joannis Papę XXII. conſtitutio nihil docet fuiſſe tum primùm inſtitutas annatas. Deindè Bonifacius IX. annatas beneficiorum conſiſtorialium, hoc eſt Epiſcopatuum, & Abbatiarum, quæ olim continebant integrum annui proventus valorem, tribus annis per tertias partes ſolvendum, reduxit ad mediam unius anni fructuum partem, ſed quæ integrè perſolvatur ad litterarum collationis, ſeu proviſionis expeditionem. Atquè iſta ipſa nùnc viget annata, quę idcircò dicitur Bonifaciana.

27. Ponderat poſteà Cabaſutius ſenſum Joannis Gerſonii, qui videtur eſſe contrarius, & ait: -- Joannes quidem Gerſon Pariſiorum Univerſitatis Cancellarius, pietatis inſignis, ac ſapientię Doctor, trac. de Simon. annatas Simoniæ coarguit, applicans illud Evangelium: gratis accepiſtis, gratis date. Matt. 10. At ipſe fallitur, quatenùs exiſtimat annatas exigi prò ipsâ beneficii collatione. Cum ergò omnis ejus ratio in hoc fundetur, non poteſt eſſe niſi ruinoſa ejus omnis ſuperſtitio, quę falſo nititur fundamento, Supponendum quippè eſt cum Proſpero Fagnano, tria in quovis beneficio ſpectari. Primò, ipſum beneficium. Secundò, proviſionem, ſeu collationem beneficii. Tertiò, fructus beneficii. Si itàque propter beneficium, aut propter hujus collationem annatę onus imponeretur, interveniret in eo caſu manifeſta Simonia, juxtà c. ſi quis Epiſcopus 1. quæſt. 3. at annata ſolis fructibus imponitur. Porrò in fructibus poteſt diverſo reſpectu eſſe, vel non eſſe Simonia. Spectati enim fructus prout connexionem habent cum beneficio, aut Clericatu, non poſſunt abſque Simoniâ pretio diſtrahi, & uno vendito alterum non relinquitur invenditum, ut docet c. ſi quis objecerit, & cap. Salvator. 1. quęſt. 3. At connectio iſta non eſt in annatis, quatenùs hæ nihil ſunt, quam deductio ex fructibus beneficii ſub titulo ęris alieni, quod Summo Pontifici debetur, quod eidem acquiritur in illâ, ſive vacationis, ſive proviſionis circumſtantiâ: quemadmodùm paritèr poſſunt citrà Simoniæ labem fructus beneficii prò quocumque debito hypothecari, aut vendicari, ipſeque beneficii poſſeſſor poteſt fructus vendere, aut locare certo pretio. His enim caſibus ceſſat illa rei ſpiritualis cum temporali connexio, eoque modo ſpectati fructus ſunt merè temporales. Itàque annata neque beneficii, neque collationis pretium eſt, quâ ratione foret Simoniaca: ſed eſt dumtaxat deductio, ac reſervatio æris alieni, Pontifici debiti prò ſuis, & Eccleſiæ neceſſitatibus, aut etiam debiti prò recognitione ſupremi, quod habet in omnem Eccleſiam dominii. Atque ità collatio beneficii non habet hìc rationem cauſæ, ſed tantum circumſtantiæ (*a*).

(a) *Joan. Cabaſutius Notit. Conc. Append. ad Conc. Baſileenſ.*

28. Hucuſque Cabaſutius. Ex quo habemus acervum motivorum, & rationum, juſtificantium exactiones Romanæ Datariæ. Sed adhùc in gratiam Contradictorum volumus inſupèr alium peritum Doctorem hìc allegare, illorum Connationalem, ut ejus tamquàm Domeſtici, & Concivis Doctrinam gratam habeant, ſi fortè ſibi minus de extraneis complacerent. Hic eſt Thomas del Bene Marubienſis in Regno Neapolitano, qui propoſitâ quæſtione: An prohibitio Principis Laici, nè è ſuo Regno ſinè ipſius conſenſu Summo Pontifici Annatæ ſolvantur, ſit contrà libertatem eccleſiaſticam, reſpondet affirmativè: -- quià annatæ debentur ei de jure divino, ſaltèm ſcripto, ut ex multis notavit Azor. tom. 2. lib. 7. cap. 12. q. 1., & eidem debentur tamquam Patri in ſpiritualibus, in ſui ipſius, & ſuæ Curiæ ſuſtentationem, cui (præſertim ſi indigeat) filii ſpirituales ſubvenire tenentur, non minùs, quin multò magìs, quam patri naturali tenentur filii naturales, qui ad id compelli poſſunt, l. qui filius, Cod. quæ res pign. oblig. poſ. l. 1. & 11. Cod. de patr. qui fil. diſtr. ipſos etiam vendendo; tùm quià poteſt Pontifex fructuum decimas, etiam quæ aliis de-

bentur, laicis concedere (ut de facto Regibus Hiſpaniæ, & Gallię conceſſit, teſte Balboa, tom. 1. ad c. ad cauſam, de pręſcript. num. 12. & 13. & Caſtillo Sotomajor de Tertiis, cap. 10. n. 6. & poteſt ſtatuto, conſuetudine, vel privilegio inducere, ut fructus primi anni, & quandoque duorum, vel trium, fabricę, Epiſcopo, vel alteri pio operi reſerventur. Ergò multò magis poterit medios fructus primi anni in ſuimet ipſius, & ſuæ Curiæ ſuſtentationem reſervare. Conſequentia patet. Antecedens probatur ex c. a nobis, de decim. c. Adrianus, cap. in Synodo, 16. qu. 1. cap. ſi propter, de reſcriptis in 6. Extravag. Joannis 22. quę incipit: Suſcepti.

29. Proſequitur idem Auctor, ſubdens. -- Et probatur etiam ratione, quià cum ſit univerſalis Eccleſiæ paſtor, & Epiſcopus, & ſic habens pro ſuâ Diœceſi orbem univerſum, c. per principalem, c. cuncta per mundum, quæſt. 3. eſt omnium bonorum Monaſteriorum, & Eccleſiarum, ſi non dominus, ſaltèm ſupremus adminiſtrator, ità ut ex juſtâ, & rationabili causâ poſſit dicta bona ab eis (relictis ad victum neceſſariis) tollere, & aliis, etiam ſæcularibus, concedere (ſicuti cap. 5. dubit. 1. ſect. 5 dubit. 14. ſect. 12. & lib. de Parlamentis, dubit. 4. ſect. 21. ſubſect. 9. & 11. dubit. 24. ſect. 4. & dubit. 27. ſect. ult. ex communi ſententiâ Doctorum dicebamus, & docent præter alios Cajet. in 2. 2. q. 43. art. 8. col. de reditibus, capite 23. Mol. tom. 1. tract. 2 diſput. 29. concl. 2. Leſſius de juſt. & jure lib. 2. cap. 4. dub. 5. n. 19. & 20. Trullenchin Decalog. tom. 2. lib. 7. c. 2. dub. 5. n. 1. & dub. 6. n. 12. & Dicaſtillus de juſt. & jure lib. 2. tract. 2. diſp. 1. dub. 8. num. 100.) Quapropter ſi poteſt ex juſtâ, & rationabili causâ bona eccleſiaſtica ipſa ſæcularibus concedere, poterit multò magìs eorum aliquos fructus ſibi ipſi, in ſui, & ſuæ Curiæ ſuſtentationem applicare, ità ut ſi quando fortaſſe Annatarum exactio nimis Regno gravis, & oneroſa Regi videatur, non poſſit Rex illam prohibere, & impedire, ſed ſolum Summum Pontificem, ut illam moderari velit, ſupplicare: niſi forſan de non exactione privilegium à Sede Apoſtolicâ conceſſum habeat, quod an ſit, & modo non fuerit revocatum (præſertim per Bullam Cœnæ, & Bullam Urbani VIII. ſuper præſervatione jurium Sedis Apoſtolicæ, & inferiorum Eccleſiarum, perſonarumque eccleſiaſticarum quibuſcumque præjudicialibus, quæ incipit: Pontifex.) videant, qui conſulunt, & affirmant.

30. Indè ſubjungit itidem del Bene. -- Sed de his annatis vide Concilium Conſtantienſe ſeſſ. 43. ubi Martinus V. ait, sè inpoſterum nullatenùs Annatas in aliquo Regno impoſiturum, niſi de conſilio Prælatorum ejuſdem Regni; quę conceſſio (cum ſit quædam ſpecies privilegii, quod ſecundum regulas juris extendi non debet de perſonâ ad perſonam) minùs rectè ab aliquibus intendetur ad Principes laicos ejuſdem Regni, qui ſub nomine Prælatorum minimè comprehenduntur. Vide etiam Bellarminum in Apologiâ contrà Regem Angliæ, cap. 6. Azorium loco ſuprà cit. Thomam Campegium de annatarum inſtitutione, & earum defenſione, & Filliucium tom. 3. tr. 41. c. 6. n. 54 (*a*). Hos Auctores, à Thomâ del Bene citatos, hìc exſcribere ſupervacaneum reputamus, quià illorum libri cunctis obvii ſunt, & notiſſimi. Legat eos proindè quicumque vult in ſuo fonte, & ſibi ſatisfaciat. Quoniam verò adhùc alias eruditiones, motiva, & doctrinas habemus, Lectori noſtro exhibendas, quas tamen pręſenti Capitulo inſerere, ſinè tranſgreſſione juſtæ menſuræ non poſſumus; moram faciemus, ut & mens, & calamus noſter, & Lectoris quoque ipſius oculi, aliquantulum pauſę faciant, donec ad ſequens Capitulum tranſeatur.

(a) *Thomas del Bene de Immunit. cap. 8. dub. 30 per totum.*

CA-

CAPUT XVIII.

In quo materia precedentis Capituli continuatur circà Annatas, & Quindennia, que exiguntur ab Apoſtolicâ Datariâ. Deindèque deſcenditur ad oſtendendam libertatem Eccleſię in preficiendo, etiàm Clericos extraneos Eccleſiaſticis Beneficiis.

SUMMARIUM.

1 *Si Epiſcopi, & Abbates, ubi conſuetudo, vel privilegium Pontificium illis aſſiſtit, Annatas licitè exigunt; cur non eas licitè exigat Papa?*

2 *Plures Doctores has exactiones defendunt. Sicuti poteſt Capitulum Emphaniſtià Canonicis accipere; ità Papa exigere licitè poteſt Annatas.*

3 *Debentur Decimæ Pontifici à Clero totius Eccleſiæ, ergò etiam Annatæ, quæ in locum decimarum ſucceſſerunt.*

4 *Poteſt Papa applicare primam Annatam alicui Eccleſiæ: ergo etiam eam proprio uſui deſtinare. Epiſcopus exigit charitativum ſubſidium cum opus eſt.*

5 *Petrus de Alliaco ſenſit, Annatas eſſe Pontifici perſolvendas, donec alia æqualis proviſio fuerit ſubrogatà. Concilium Baſileenſe idem ſenſit, & eas fulcivit.*

6 *Proſper Fagnanus egregiè oſtendit, Annatas Pontifici eſſe debitas. Cardinalis de Alliaco in Concilio Conſtantienſi edidit librum de Eccleſiâ.*

7 *In illo demonſtrat deberi* Annatas, & Commune ſervitium *Papæ pluribus rationibus, & exemplo Pontificis veteris legis.*

8 9 *Variis rationibus, & eodem exemplo Pontificis veteris Legis, probat Leonardus Coquæus, Annatas de beneficiis eſſe Papæ contribuendas.*

10 *Nec edictum Senatus Pariſienſis, neque Caroli VI. Regis Annatas affecère. In Galliâ vi Concordatorum Annatæ ſunt auctę.*

11 *In Germaniâ penduntur Annatæ, etiam in beneficiis, quæ primarum precum vi conferuntur. In Concilio Viennenſi de Annatis abolendis, & de ſubrogandâ illarum loco vigeſimâ, tractatum eſt.*

12 *Dominicus Gravina Neapolitanus, & ipſe variis rationibus oſtendit, juſtè Annatas exigi à Pontifice in conceſſione beneficiorum.*

13 *Neapoli propter Aſſenſum Regium, ſivè Regium exequatur Beneficiarii, an quid ſolvat quibuſdam Miniſtris Publicis.*

14 *Annatas cur liceret exigere, ſi applicarentur fiſco Regio, non verò ſi Pontifici perſolvantur?*

15 *Quindenniu non ſunt nova exactio, ſed idem ac Annatæ, ſic ſolvendo de beneficiis, quæ unita fuerunt locis piis, & ideò unquàm vacant.*

16 *Afferuntur verba Bullæ Pauli Papæ II. circa eadem quindennnia: patetque illa in uſu fuiſſe jam tercentum circitèr ab hinc annis.*

17 *Sicuti ſunt juſtæ Annatæ, ità ſunt juſta Quindennia. Annata impoſita eſt beneficio, non beneficiario, ſemelque ſolum in anno ſolvitur.*

18 *Epiſcopi non exigunt Annatas, ubi deeſt privilegium, quia habent alios reditus pro ſuâ præbendâ, & exigunt decimas à ſuis Eccleſiis.*

19 *Concilium Baſileenſe ſpopondit aliud emolumentum loco Annatarum Papæ præbere,*

bere, quod numquam fecit. Concilia non ligant Papam.
20 *Quid ſint* Annatæ, Commune ſervitium, Minuta ſervitia, *&* Quindennia; *ex Ludovico Thomaſſino, qui illorum juſtitiam tuetur.*
21 *Hæc emolumenta diverſimodè pro Regionum diverſitate exiguntur. Quid ſolvatur in Germaniâ, & quid in Galliâ. Quidque fieret in Angliâ?*
22 *Magnalia decantantur de hujuſmodi exactionibus. Quid olim Procurator Regis Galliæ, quid Sixtus V. de illis dixerit.*
23 *Beneficii largitio fit gratis per ſignaturam libelli, non per Bullarum ſuſceptionem, quæ ſolum teſtantur de illius ſuſceptione.*
24 *Hæc lucra non poterunt adipiſci diſpenſatores beneficiorum, ſi beneficia non valent etiam Clericis extraneis conferri: & cur?*
25 *Nèc poterit Papa eadem ſibi applicare: nec Regibus, vel Epiſcopis concedere: neque ad bella infidelibus inſerenda, vel ad hæreticos retundendos.*
26 *Sed & neque Antiſtites, Ordinarii, & Reges poterunt percipere lucra, ſibi, vel ſuis Officialibus debita, occaſione beneficiorum.*
27 *Sicut integra beneficia erunt ſolis localibus conferenda, ità & idem faciendum erit de parte, ſeù de fructibus ipſorum beneficiorum.*
28 *Lucra, quę obveniunt diſpenſatoribus beneficiorum, eorum ve Miniſtris ſaucientur per excluſionem extraneorum.*

1. TAMETSI ea, quæ Capitulo præcedenti protulimus, validè probent juſtitiam, quâ per Datariam Apoſtolicam exiguntur *Annatæ*; bonum tamèn erit eaſdem exactiones hic & aliis rationibus ſuffulcire ſtrictim conſertis, ut ad ubertatem veritas innoteſcat. Et *primò*, ſi Epiſcopi, ſi Abbates, ubi conſuetudo, vel indultum Pontificium illis aſſiſtit, Annatas valent exigere: Si Papa privilegium eaſdem exigendi aliis poteſt prò ſuâ voluntate impertiri; eccur & ipſas non ſibi poterit reſervare (*a*)? *Secundò*, accedit his pręclara locutio Joannis Gerſonii, non ſoliti Pontificię auctoritati adulari, ſed ingenuè profiteri, quid prò veritate ſentiat, qui licèt ut vidimus cum Cabaſutio, errando ſuſpectas habuerit *Annatas*; tamèn rè totalitèr ponderatâ, victus tandèm veritate profeſſus eſt, *ſicut ex antiquâ lege decimæ decimarum debebantur ſummo Sacerdoti à Levitis: numeri* 18. *Deuter.* 16. *ſic non minùs lege novâ debetur hæc decimatio facienda ipſi Papæ per inferiores. Hæc autèm recompenſatio videtur rationabilis, quod fructus primi anni, à quolibet beneficiato perſolvantur, quoniàm in hoc Papa ſervit Eccleſiæ, & ità prò ſuſtentatione ſtatus ſui poteſt onerare perſonas, & beneficia* (*b*).

(a) *Vid. Jo. Gerſon. de ſimonia 3 objec. cum ejus Reſponſ. to. 2. f.* 428.

(b) *Gerſon. loc. cit. Objec. 1. cum ejus reſponſ.*

2. Tedet hìc profuſiùs eloquium conſcire, quod citrà dubium facere poſſemus, agglutinando illa omnia, quæ prætèr jàm ſuperiùs relata, ex aliis Auctoribus ad juſtificandam exactionem Annatarum, quas in collatione beneficiorum ſuſcipit Sedes Apoſtolica, congerunt Cardinalis Bellarminus in Apologiâ contrà Regem Angliæ cap.6. *Thomas Campegius* in tractatu de Annatis. *Galleſius* in ſimili tractatu. *Echius* in Enchiridio adverſùs Lutherum. *Azorius* in Inſtit, moral. par.2. lib.7. c.11. *Filicius* tom.2.tr.41. c.6. n.54 *Diana* part.7. trac.1. reſ.22. *Thomaſſinus* de diſciplin. par.3. lib.2. cap.58. *Lotherius* de rè benef. lib.1. quę.20. *Ferdinandus Cordubenſis*, qui tempore Sixti IV. tractatum de hac rè compilavit, ubi conatus eſt oſtendere Annatas, & penſitationes haſce à jure divino originem trahere, ex ratione, quam mox legimus apud Gerſonium &c. Nihilominùs, ut abundè ſatisfiat oppoſito ſenſui Contradictorum, exactiones hujuſmodi vellicantium, pręter Rationes uſquè modò allegatas, aliàs producimus, quæ ſequuntur. *Tertiò*, ſicuti, citrà labem ſimoniæ, poteſt à Canonicis novitèr præbendatis, per alios Canonicos exigi quędam ſumma, vel in Annatâ fructuum, ſivè in aliâ erogatione conſiſtens, quæ olim *Inſinuativa*, ſeù *Emphaniſtica* dicebatur (*c*), de quâ nos alibi ſermonem facimus,

(c) *Magri. Vocabul. Eccleſ. V. Emphaniſtica.*

Digitized by Google

mus, & ità in praxi obſervatur (a), ſic etiàm Pontifex licitè poteſt prò eorundem beneficiorum collatione aliquid, uti ſunt Annatæ, recipere (b). Ut quid enim non valeat Pontifex adipiſci tantundèm, quantum, vel quale, aut ſimile ei, quod cuilibet Capitulo, ubi talis viget uſus, eſt fas exigere?

3. *Quartò*, Summo Pontifici à Clero totius Eccleſiæ debentur decimæ, ſi eas expoſcat, uti diſertis verbis edocet S. Thomas (c): & de facto olim in cunctis Chriſtianitatis provinciis colligebantur decimę, ſivè redecimæ, Romano Antiſtiti perſolvendæ (d). Cum has autèm nunc non exigat, ſucceſſerunt in earum locum Annatæ (e). Et cum ſubrogatum naturam induat ejus rei, in cujus locum ſubrogatur (f), ſequitur quod ſicuti Papa licitè exigebat, & poteſt exigere decimas, ac redecimas; ità etiàm licitè exigere valet annatas (g). Nèc improprium cenſeatur dicere, quod Annatæ ſucceſſerint in loco decimæ, vel redecimæ Pontifici perſolvendæ, quià de facto in Angliâ, ubi Papæ contradebatur denarius S. Petri, qui vel erat decima, vel redecima, ſivè ſpecies earum; Annatę de beneficiis Datariæ Apoſtolicæ ordinariè non pendebantur, uti notat Fagnanus (h). *Quintò*, ſi Pontifex licitè poteſt beneficia eccleſiaſtica penſionibus onerare, ad favorem alicujus Eccleſię, vel loci pii, vel Clerici benemerentis, per determinatum annorum numerum, vel ad vitam alicujus; multò magis unicam ſibi reſervare poteſt annatam (i).

4. *Sextò*, legem generalem ſancire poteſt Pontifex, qua beneficiis eccleſiaſticis onus univerſalitèr imponatur, pendendi alicui Eccleſiæ, vel homini primam annatam. Imò & alicubi abſquè lege generali, hoc ex conſuetudine peragitur, decernente, ut fructus primi anni reſerventur hæredibus beneficiarii defuncti, quam conſuetudinem valere, & fuiſſe à Romanâ Rotâ approbatam teſtatur Barboſa (l), ergò hanc legem etiam ad proprium commodum potuit introducere in ſolutione Annatarum (m). *Septimò*, cuilibet Epiſcopo indigenti debentur ab Eccleſiis propriæ diœceſis ſubſidia, & ſubventiones congruæ, quibus poſſit ſuum officium honeſtè adimplere, & decorem ſuæ dignitatis honorificè ſuſtinere: hincque fit ut valeat, ſi opus ſit, exigere ab eis charitativum ſubſidium (n), nec id ſemèl ſolùm, ſed bis, & tèr, ac quotiès urgens cauſa id expoſcit (o): Adeò ut à porrigendo charitativo illo ſubſidio nullum eximant privilegia generalia, & neque præſcriptio (p). Ergò etiam Papæ ab omnibus totius Orbis Eccleſiis ſubſidia, officio, & dignitati ſuæ condecentia debentur: qui propterea, ſicuti ſubſidium charitativum, ſi vult, valet ſinè dubio ab Eccleſiis ipſis exigere (q), ità etiàm coęqualia alterius ſpeciei valet ſubſidia poſtulare, & in hac ſerie ritè computari poſſunt Annatæ, quas in beneficiis conferendis ſibi decernit exſolui.

5. Hæc ratio tanti ponderis eſt, ut hujus unius obtentu, ſi cunctæ aliæ deeſſent, inculcaverit Petrus de Alliaco, Annatas eſſe pendendas, donèc ſaltèm alitèr ſit Pontificiæ opportunitati proviſum, *oportet*, inquit, *ſic fieri, quod ſubventio nùnc exiſtens, & à priorum devotione eccleſiaſticorum introducta de primis annatis, & ſimilibus, permaneat, quouſquè priùs, aut ſimùl ſaltèm fuerit alia fortè proviſio ſalubrior, vel ſanctior rationabiliùs adinventa, & effectualitèr practicata* (r). Concilium quoquè Baſileenſe, quod immenſis conatibus jus Annatas exigendi concuſſit, nec quid intentatum reliquit prò illis totalitèr abolendis; hanc rationem adeò magnifecit, ut Annatas ipſas exhiberi non vetaverit, niſi ſubrogatâ congruâ proviſione, earum abolitionem recompenſante, & ità decrevit, *Summum Pontificem Synodus exhortatur, ut &c. prò confirmatione electionum &c. nihil penitùs exigat &c. Prò oneribus autèm, quæ ipſum prò regimine univerſalis Eccleſiæ ſubire oportet &c. hoc Sacrum Concilium antè ſui diſſolutionem, omninò debitè, & congruentèr provideat* (s). Concilium autèm ipſum, qualecumque illud eſſet, nedùm compenſationem non ſubrogavit, ſed imò Annatarum exactionem favore Felicis Sabaudi, ad Antipapatum provecti, decrevit, ità ut Felix per quinquennium perciperet quintam partem, & per aliud quinquennium, decimam partem proventuum

(a) *Barboſ. de Canonic. c. 15. num. 29. Toomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſcipl. p. 3. l. 1. c. 56. num. 2. & 3. & cap. 61. per totum.*

(b) *Vid. Gerſon. loc. cit. 2. Objec. cum reſponſ.*

(c) *S. Thom 2. 2. qu. 87. ar. 4. ad 3. Fagnan. in cap. præterea à num 33. nè Prælat. vices ſuas l. 5. & ibi DD Filliuc. to. 2. tr. 41. c. 6. n. 54.*

(d) *Lotter. de rè benef. l. 3. c. 20. n. 23.*

(e) *Card. Baron. an. 1156. in fin.*

(f) *C. Eccleſia S. Mariæ 2. & ibi Gloſ. 1. ut lite pend. cap. cum tù in fin. & ibi Gloſ fin. de Uſur. Decius Conſ. 290 num 3.*

(g) *Lotter. de rè benef. l. 3. c. 20 num 23.*

(h) *Fagnan. in cap. præterea 1. nè Prælat. vices ſuas num. 60. lib. 5.*

(i) *Azor p. 2. l. 7 c. 11. 5. accedit Fagnan. loc. cit. num. 46. Campeg. de Anat. num. 13. Filliuc. loc. cit.*

(l) *Barboſ. de Canon. c. 15. num 8.*

(m) *Azor. loc. cit. 5. ſanè.*

(n) *C. conquerente de Offic. Ordin. c. cum Apoſtolus de Cenſ. Fagnan. in c. præterea à num. 36 nè Prel. vices ſuas l. 5. Filliuc. loc. cit.*

(o) *Azor. p. 2. l. 9 c. 14 qu. 8. Barboſ. de offic. Epiſ. alleg. 87. num. 36.*

(p) *Barboſ. d. alleg. 85. num. 24. & 25.*

(q) *Bellencin de ſubſid. charit qu 1. num 2. Barboſ loco citato num 22. Azor ubi ſuprà.*

(r) *Card. Alliacenſ. de Eccleſiæ Auctor. c. quo jure annatæ &c 5. Stat. ap. Jo. Gerſon. tom. 1. f. 910.*

(s) *Concil. Baſileenſ. ſeſ. 12.*

tuum

Digitized by Google

tuum omnium beneficiorum: cavens eodem tempore, ne per hoc decretum prejudicaretur Eccleſiis, habentibus ex conſuetudine, vel privilegio, quod poſſent exigere fructus primi anni aliquorum beneficiorum (*a*). Quapropter hujuſmodi Conciliabulum, Annatis Pontificiis rabioſiſſimè adverſum, prò eo quod illas expungeret, potiùs eaſdem fortiùs ſolidavit, & roboravit.

(a) *Idem Concil. Baſileenſ. ſeſ. 23.*

6. Septem rationibus allegatis alias poſſemus adjungere, ſed jàm iſtæ ſint ſatis: quos enim hæ non convincunt; plures non captivabunt. Non quià ipſæ non valeant, ſed quià eaſdem legens veritati, & æquitati acquieſcere recuſabit. Qui plures deſiderat, conſulat Auctores nominatos (*b*), quibus adjungimus Fagnanum celebrem Doctorem, qui negotium hoc egregiè pertractat (*c*), oſtenditque, Annatas deberi Papę Jure Gentium, Jure Eccleſiaſtico, Jure Civili, aliiſque pluribus de cauſis, quas ibi congerit, & optimè fulcit. Omittimus quoquè plurimas Conſtitutiones Pontificum, de Annatis ipſis loquentium (*d*), quos Contradictores fortè ſuſpectos habebunt, ſed non eſt probabile eos cunctos rem injuſtam juſſiſſe. Nos his rationibus poſtpoſitis, ad auctoritates aliquas Doctorum, gravis ponderis, & qui prò veritate ſcripſerunt afferendas, verba convertimus. Et poſt Cabaſutium Gallum, ac Thomam del Bene ex Regno Neapolitano, ſuperiùs allegatos (*e*), hic primo loco in medium proferimus *Petrum Cardinalem de Alliaco* Archiepiſcopum Cameracenſem in Belgio, virum valdè doctum, & celebrem, nec ſolitum dare Sedi Apoſtolicæ aliquid ultrà honeſti menſuram. In libro enim unico de Eccleſiæ, & Cardinalium auctoritate (quem ſcripſit in Concilio Conſtantienſi, ubi libentèr attenuandæ Summi Pontificis auctoritati indulgebatur, & elevandę poteſtati Concilii) ad exactionem annatarum, quæ ibidem impugnabantur, & ab Eccleſiâ Romanâ ſuſcipiuntur, deſcendens; pręter ea, quę mox retulimus, etiam ſubſequentia pronuntiavit.

(b) *Vide hic ſupr. in hoc capit num. 2.*
(c) *Fagnan. in cap. prætereà 1. nè Prelati vices ſuas &c. lib. 5.*
(d) *Paul. II. Conſt. VI Innoc. VIII. Conſt. III. Julius II. Conſt. IV. Clē. VII. Conſt. XXXIII. Jul. III Conſt. XX Paul IV. Conſt. II & XVII. S. Pius V. Conſt. XXXVIII. Sixtus V. Conſt. XXXIII.*
(e) *Vidè ſuprà capit. precedent. à num. 25. uſque ad finem.*

7. Cum Papa, inquit, *habeat jure divino diſponere, & ordinare circà bona, & temporalia laicorum, ut dictum eſt: multò magis, & in pluribus caſibus habet jus, & poteſtatem circà bona, & jura eccleſiaſtica Clericorum: & ideò non ſolum in caſu neceſſitatis, ſed etiam in caſu utilitatis, & honeſtatis publicę, non ſolum Univerſalis Eccleſiæ, ſed etiam prò convenienti ſtatu perſonæ ſuæ (inquantum eſt perſona publica, repreſentans Eccleſiam, & generalis paſtor, ac univerſalis adminiſtrator bonorum eccleſiaſticorum) rationabilitèr poteſt ſibi facere fructus ſuos, ex bonis communibus pinguiores, ſecundum exigentiam ſui ſtatus &c. Hujus rei exemplum præceſſit in veteri Teſtamento, quià cum Levitę prò ſuâ ſuſtentatione receperunt decimas, ſummus Sacerdos decimam decimæ à Levitis debebat recipere, ut patet Numer 18. Undè ſimili jure videtur, quod Papa poſſit recipere ab Epiſcopis promotis communia ſervitia, quæ vocantur Vacantię, & in minoribus beneficiis primos fructus, ſeù alia hujuſmodi ſubſidia, ex quibus ipſe, & ſibi in Eccleſiæ ſervitio aſſiſtentes, poſſunt convenientèr ſuſtentari. Et iſta non ſolum ſibi conveniunt jure prędicto, ſed etiam jure præſcriptionis, quo etiam aliqui infideles in ſimilibus uti conſueverunt, & in pluribus Regionibus manifeſtum eſt, de decim. ca. 1. & ca. 11. in gloſſa, & dicunt Doctores, quod loco dictarum decimarum ſuccedunt decimę, quę dantur Papę* (*f*). Et poſt quędam alia ſubjungit: *Status Summi Pontificis, & Sacri Collegii Cardinalium, dum recipit, & quęrit ſubventiones conſuetas in oblationibus, decimis, vel Annatis, & ſimilibus, non debet eo ipſo de ſimoniacâ pravitate notari, niſi fortè vitium aliud in exactionis modo concurrerit, quod vitium corrigi debet, non obindè ſtatus minui, deſtrui, culpari &c. Sicut ab infirmo morbus tollendus eſt, non ſubjectum, vel corpus deſtruendum. Oppoſitum verò pertinacitèr imponere, notando generalitèr de ſimoniacâ pravitate totum ſtatum iſtum, temerarius eſt error* (*g*). Attendant hęc eloquia Contradictores, & poſteà proprii eorum ſenſus, quo carpunt exactiones Datariæ Pontificię, ipſi ſint Judices.

(f) *Petr. de Alliac. de Eccl. Auctor. c. quo jure vacantiæ &c. ap. Jo. Gerſon. to. 1. f. 917.*
(g) *Alliacenſ. loco citato fol. 920. B.*

8. Alliacenſi ſuccedat *Leonardus Coquęus* Ordinis S. Auguſtini, contrà audacem Mornæum pugnans, Pontificię dignitatis, & poteſtatis impugnatorem, &

præ-

Google

præterea Libro ſuo Antimornæi denominationem apponens, in quo ſic excellenter proloquitur: *Annatas hujuſmodi dicimus licitè inſtitutas fuiſſe, quicquid aliqui repugnent. Nequè enim alioquin communi conſenſu omnium Eccleſiarum receptę fuiſſent, neque ſequentes omnes Pontifices timoratę conſcientię eas percipere voluiſſent: & ſi Pontifex Romanus legem conſtituere poteſt, ut qui deinceps eccleſiaſticum beneficium obtinuerint, integros fructus primo anno colligendos, & percipiendos, vel dimidiam eorum partem, ſolvant in ſubſidium hujus, vel illius Clericorum Sęcularium, vel Regularium Conventus, vel Hoſpitalis domus; certè pari ratione poterit reſervare in communem aliam utilitatem. Quidni igitur poterit eos fructus exigere in commune Romanæ Curiæ, vel Cameræ Apoſtolicæ commodum, quæ omnium Eccleſiarum utilitatibus inſeruit? Deindè ſi abſque ullâ ſimoniæ labe Pontifex beneficiis, quę confert, quotidiè penſiones imponit in Clericorum, vel aliorum indigentium ſubſidium; non igitur erit ullum ſimonię crimen, ſi hujuſmodi penſionem reſervet in ſubsidium eorum, qui in Curiâ Romanâ inſerviunt. Siquidem Annatam ſolui Romano Pontifici nihil aliud eſt, quam ei fructus primo anno colligendos, vel dimidiam eorum partem reſervari.*

9. Proſequitur idem Auctor. *Nequè Romano Pontifici Annatæ ſolvuntur tanquam beneficii Clerico collati pretium, aut tamquam merces Papæ conferenti debita, ſed tanquam penſio, vel debitum laboris ſtipendium in vitæ ſubſidium, undè neceſſarii Miniſtri ad uſus Curiæ Romanæ ſuſtentari queant. Certè in veteri lege decima pars fructuum juſſu Dei Levitis, & Sacerdotibus ſolvebatur, deindè Levitæ, & Sacerdotes, ex decimis ſibi à populo redditis, Summo Sacerdoti Decimam ſolvebant, & dicebatur Decima Decimarum. Illud quidem jus fuit judiciale, proprium veteris Legis, nec indè jus Annatarum deducimus; potuerunt tamen Romani Pontifices, quemadmodùm inſtituere Jubilæum exemplo Jubilęi Levitici; ità jus condere judicialis illius exemplo, quò certa pars fructus, vel penſio ex beneficiis ſibi juſtis de cauſis ſolveretur. Interim ſi lex de Annatis omnibus Nationibus ſancita ab omnibus recepta fuit; haud dubiè poteſtatem, & juriſdictionem Romani Pontificis omnes tùm nationes agnovère. Nequè enim alioqui ſibi hoc jugum (cum non defuerint præſertim viri docti, qui eas improbarint) imponi paſſę fuiſſent* (*a*).

10. Tractat & alibi idem Coquæus de juſtitiâ earundem Annatarum, oſtenditque Edictum Senatus Pariſienſis anni 1406. & decretum Caroli VI. Regis Franciæ illius confirmatorium, nihil afficere ad impugnandas Annatas, quas jam dudùm anteà Galliâ uſu receperat, & deinceps uſu, & conſuetudine ſolvere continuavit (*b*). Sicut & nihil officere docet, quod in Concilio Conſtantienſi tractatum ſit de reformatione ipſarum Annatarum (*c*), quodque ibidem, Eccleſiæ Gallicanę, & Univerſitatis Pariſienſis nomine ſcriptum quoddam exhibitum fuit ad eaſdem Annatas ablegandas directum: Quippè nequè rationes in eo libello contentę, *aut quęvis aliæ à cæteris allatæ, ejus ponderis fuère, ut ad evertendum jus exigendarum Annatarum quidquam valerent* (*d*). Nedumque in Galliâ Annatæ non ſunt expunctę, ſed imò poſteà in Concordatis Gallicanis auctę fuerunt (*e*). Quæ jàm cum fuerint in pactum deductæ, ſuperfluum eſt de illis poſt pactionem ipſam, ducentos jàm per annos obſervatam, diſceptare. Cæterùm ſi Concilium Conſtantienſe, interpellatum ut eas aboleret, id facere recuſavit, hoc potius favet, quam officiat Annatis, quas Concilium delere non omiſiſſet, ſi cognoviſſet injuſtas, illaſque eo ipſo, quod non abſtulit, ex conſequenti approbavit, junctâ obſervantiâ generali totius Eccleſiæ, approbationem ipſam non modicum roborante (*f*).

11. Hæ Annatæ prętèr Galliam nullibi, quod ſciamus, impugnatæ fuerunt, niſi in Germaniâ. A quâ tamèn in Conventu Norimbergenſi non petebatur eas aboleri, ſed Fiſco Cæſareo applicari (*g*). Et ab eâ nedùm non fuerunt abſciſſæ, verum potius fortius cuſtoditæ fuerunt, dietimque obſervantur: & in ipsâ diſpenſatione beneficiorum, quæ fit juſſu Imperatoris, vigore Primarum precum, ſi beneficia ipſa vacaverant in menſibus, Sedi Apoſtolicæ reſervatis; penduntur Datariæ Annatę,

(*a*) *Leonard. Coquęus in Antimorneo. tom. 2. f. 234.*

(*b*) *Leonard. Coquæus loc. cit. f. 250. § Quod.*

(*c*) *Concil Conſtantienſ ſeſſ. 40 n 3. & 11*

(*d*) *Coquæus ubi ſupra fol. 251. § Verum*

(*e*) *Bail. Sum Concil. to. 2. ad Conc. Later. 5. de Concordatis.*

(*f*) *Vid. Fagnan. in c. prætereà n. 43. ne prælat. vices ſuas. l. 3.*

(*g*) *Pallavicin. Iſtoria del Concilio di Trento lib. 2. cap. 8. n. 3. & 3.*

Digitized by Google

natę, & medię annatæ, abſque aliâ Contradictione (*a*). Ad hęc teſtatur *Joannes Andreæ* celeberrimus Juriſconſultus, ad ejus inſtantiam fuiſſe in Concilio Generali Viennenſi propoſitum,ut Annatę abolerentur, earumque loco ſolveretur Pontifici vigeſima pars redituum beneficiorum totius orbis, tamquàm decima illi debita (*b*): Et Concilium huic rei annuiſſe indicat Genebrardus ex mente Franciſci Zabarellę: ait enim: cum *Franciſcus Zabarella ſcribat,in Concilio Viennenſi ſtatutum fuiſſe,ut ſublatis annatis, vigeſima pars vectigalium ſacerdotalium quotannis Romano Pontifici penderentur* (*c*). Quę agendo Concilium,vel tacitè,vel expreſsè approbavit ipſas Annatas, tamquam juſtas, & Clero minus diſpendioſas; ſed Papę magis lucroſum fuiſſet, quod propoſitum illud Conciliare de ſolvendâ vigeſimâ effectum habuiſſet: quippè ſi Papa vigeſimam illam exigeret multò majorem ſummam ad ſe traheret, quam obtineat per annatas (*d*). Et fortè adhùc tantum ab eccleſiaſticorum ordine non captitaſſet, quantum Summus Sacerdos antiquę legis à Leviticâ Hierarchiâ, & à Judęorum populo ſolebat annualitèr adipiſci, prout poſitâ de his ratione à curioſis, doctiſque hujuſce rei ponderatoribus,eſt obſervatum (*e*).

12. Nèc ommittenda eſt hìc Auctoritas *Dominici Gravinę* Neapolitani, graviſſimi Theologi, cujus verba cunctis oſtendent, quinam eſſet præcedenti ſæculo hac de rè ſenſus Neapolitanorum, & quantum Contradictores, eorumque inſtigatores à juſto ſenſu,& doctrinâ ſuorum Majorum diſſentiant: ait enim adverſus Marcum Antonium de Dominis,alioſque ſimilis farinæ viros,Annatarum impugnatores, *Cum communi omnium Eccleſiarum conſenſu Annatæ hujuſmodi receptę ſint, non eſt veriſimile omnes errare potuiſſe, & contra conſcientiam Romanos Pontifices accepiſſe. Quid eſt annatas recipere, quam ei fructus primo anno colligendos, vel dimidiam partem reſervari? Non dantur hę tanquam beneficii collati pretium, vel merces Pontifici, ſed veluti penſio, vel laboris ſtipendium, ad ſuam, Miniſtrorumque Curię vitam ſubſtentandam, non eſt deterior Summus Pontifex, Hębręorum Pontifice, cui à Levitis Decima Decimarum ſolvebatur. Ad ſupradictum ergò finem, & utilitatem Clericorum, fundationem Xenodochiorum, Collegiorum, poterat, & poteſt ejuſmodi Annatas Romanus Pontifex lege editâ ſtatuere, ſicut & Taxę in Cancellariâ juſtè inſtitui &c.* (*f*). Senſum *Thomę del Bene*, itidem in Regno Neapolitano progeniti, Capitulo antecedente retulimus.

13. Calamum temperamus, nè volumen ſuprà metam deſignatam excreſcat, parcimuſque aliis Doctoribus allegandis. Hoc tamen, quod ſequitur Motivum non cenſemus prætermittendum, ad annatas juſtificandas. In quibuſdam locis, & ſignantèr Neapoli, mos obtinendi *Regium exequatur*, ultrà primeva repagula dilatatus, adeò effuſus eſt, ut videatur valdè diſtare à priſco illo aſſenſu, quem Romani Pontifices antiquis Regibus Neapolitanis permittendum eſſe duxerunt, uti alibi magis ex propoſito demonſtrabimus, de illo agentes (*g*). Qui ſanè Regius aſſenſus interponi alioquin ſinè permiſſione Apoſtolicâ non valeret (*h*). Quidam ergò Miniſtri publici Neapolis *Aſſenſum* Regium, ſivè Regium *Exequatur* Bullis Beneficiorum per Datariam Apoſtolicam collatis, adhibendum eſſe contendunt, ut diſcernant, inquiunt, an qui beneficium obtinuit, exceptionem aliquam patiatur, cujus intuitu ſit Coronæ Regiæ ſuſpectus, nè acceſſus detur ad eccleſiaſtica beneficia Viris Principi infeſtis. Prò iſto autem *Exequatur* obtinendo incæperunt Miniſtri præfati quamdam ſummam exigere pecuniarum: quod cùm exorbitaret ab omni æquitate, nec ullius juris auctoritati niteretur; querelis materiam non exiguam miniſtravit. Rex proindè Philippus II. diſtrictè præcepit, nè prò *Regio exequatur* aliquid à Miniſtris Neapolis exigeretur (*i*). Nihilominùs, ut audivimus, adhùc Neapoli, vel proptèr ipſum *Exequatur*, vel ejus occaſione, ſive prò eo impetrando, aut alitèr dum de illo agitur obtinendo, Beneficiarii compelluntur ſolvere quandam pecuniæ quantitatem.

14. An hoc verum ſit,& quanta, qualiſque pecunia iſta ſit, quæ Neapoli, prò conſequendo Regio exequatur, pendenda eſt, & cui, ac quomodò exhibeatur nobis

non

(a) *Conradus Oligenius de prim. prec. ſ.58.*

(b) *Jo: Andre. in Cap inter cætera n.13 de Offic. Ordin.*

(c) *Gilbert. Genebrard. Chronic. lib.4. ſub anno 1359.*

(d) *Fagnan. in cap. præterea n.19.nè Prel. vices ſuas lib.5.*

(e) *Jo:Steph.Menoch.Traten. Evad.Centur.1.cap.30.*

(f) *Gravina Cathol.præſcript.part.2. diſp.4. ſ. ad 2. verſ. Quod f.461.*

(g) *Vid.infra in hoc tomo cap.38.& 39.*

(h) *Azor.Juſt.Mor. p.2.l.5.c.14. qu.3. del Bene de Immun. c. 8. dub.10. Dian tr.2. reſ. 23.par.1.& par.5.tr.2 reſ.12.*

(i) *Iſtoria della Monarchia di Sicilia pagina 278.*

non eſt benè notum, qui Neapoli non fuimus, ſed ſolum audivimus, exactionem hanc ibi fieri. Et quatenùs ità ſit; quæri poterit à Contradictoribus, cur licitè valeat hæc ſumma à Miniſtris Neapolis extorqueri, & non licitè exigantur Annatæ à Miniſtris Pontificis in Datariâ? Quid quæſò habet amplius juſtitiæ prima illa contributio, quam hęc ſecunda? Certè ſi rationes utriuſque exactionis in ſuo vero eſſe, in ſuâ radice, in ſuâ naturali conditione penſentur; potius exactio Regii *exequatur* injuſta eſſe videtur, quam exactio *Annatarum*: Sed demus: ſit juſta prima exactio; at non negent Contradictores juſtam eſſe quoque ſecundam: quilibet enim prudens, doctus, & ęquanimis rerum ęſtimator, hanc potius, quam illam pronunciabit eſſe juſtiorem. Ad hęc inclyta Natio Germanica, ſive, quicumque ex eâ fuerunt, in Comitiis Norimbergenſibus, prout innuimus, poſtularunt, ut Annatę de beneficiis, ſolitę Romam mitti prò Bullis beneficiorum expediendis, non tollerentur: ſed loco Datarię, fiſco Imperiali inpoſterùm penderentur (*a*). Similitèr, in Sveciâ Annatę, ac taxæ, quę olim pendebantur Apoſtolicę Datarię, nunc fide abjectâ, ſolvuntur Regi (*b*). Quęrimus cur quęſo licitę fuiſſent Annatę, eſſentqe adhùc in illorum ſenſu, ſi fiſco Imperiali, & Regio exhiberentur, & reſpectivè ſolvuntur; non verò licerent, neque liceant, ſi Apoſtolico Ærario contribuantur? Quid àmabo plus habent juſtitię laici, prò exactionibus corradendis è beneficiorum expeditionibus, à ſe nullatenùs dependentibus; quàm habeat Summus Eccleſię Pontifex in diſpenſandis beneficiis, illius adminiſtrationi, & auctoritati à Chriſto Jeſu commiſſis?

15. Nùnc aliqua de Quindenniis dicamus. *Quindennia* non ſunt nova exactio, nec exactionis nova ſpecies, ſed idem prorſus, ac Annatę, ſolâ temporis diverſitate diſtinctę (*c*). In locum etenim Annatarum ſubrogata ſunt (*d*). Nàm cum vix pręterlabatur ullus Pontificatus, in quo Papæ, modò ab his, modò ab illis rogati, aliqua beneficia, ſolita per Datariam diſpenſari, non uniant Collegiis, Seminariis, Conventibus, aliiſque locis piis, qui manus mortuæ nuncupantur, quatenus loca ipſa nunquam moriuntur, adeoquè beneficia ipſa nunquam vacant, & per conſequens Dataria Annatis illis deſtituitur, quas perciperet, ſi præbendæ illæ non fuiſſent unitæ, ac per obitum unius beneficiati, conferrentur alteri ejuſdem ſucceſſori; oportuit expediens aliquod reperire, quo & unionibus ipſis conſuleretur, & ſimul obviaretur detrimento ipſi Datariæ Apoſtolicę illato (*e*). Expediens autem hoc eſt ſolutio quindennii, ut nimirum, de quindecim, in quindecim annis ſolvantur ipſimet Datariæ Annatæ prętatę, & quidquid emolumenti perciperet, ſi beneficia unita vacarent (*f*).

16. Iſtud expediens non eſt novum, ſed jàm tercentum circitèr ab hinc annis inventum, de quo Paulus Papa II. edixit. *Monaſteria, Prioratus, Præpoſituræ, Præpoſitatus, Dignitates, Perſonatus, Adminiſtrationes, Officia, & Beneficia, ut præfertur unita, prò quibus Cameræ Apoſtolicæ annata, ſeu alia jura ſolui conſueverant, vel debebant temporibus retroactis, & de ſolvendis ſingulis certis temporibus futuris obligatio in eâdem Camerâ per inadvertentiam facta non fuit, annatam, ſive medios fructus unius anni inpoſterùm ſingulis quindecim annis perpetuò ſequuturis, eidem Camerario ſolvere teneantur, & debeant. Et quod de omnibus Monaſteriis, Prioratibus, Præpoſitalibus, Dignitatibus, Perſonatibus, Adminiſtrationibus, Officiis, & Beneficiis, ut præfertur unitis, à quorum unionum temporibus, poſtquam illę ſortitę effectum, anni quindecim effluxerunt, infrà annum proximè futurum, communia, minuta, & alia jura, ſeu annatas, & medios fructus hujuſmodi ſolvere adſtringantur, etiam ſingulis annis quindecim in futurum, prout multi alii ſimiles uniones, & gratias obtinentes, faciunt, & facere conſueverunt &c.* (*g*).

17. Quæ ſanè poſtrema Pauli Verba ſatis oſtendunt, quod quando ille Conſtitutionem iſtam edidit, anno 1469. jàm quindennia ipſa erant ſolita pendi. Sed & de illis alias Conſtitutiones ediderunt alii Pontifices (*h*), quas brevitatis ergò relinquimus. Quod autem quindennia hęc ſint æqua, & honeſta, ſatis elicitur ex ipſa-

(a) *Pallav. hiſt. del Concilio di Trento l. 2. c. 8. n. 2, & 3.*

(b) *Joan. Vaſtonius in vite Aquilonari de S. Svecia in præfacio*

(c) *Card. de Luca de beneficus diſcurſ. 89. num. 6.*

(d) *Idem Cardin. de Luca loco cit. diſcurſ. 119 num. 5*

(e) *Vide Azor p. 2. lib. 7. c. 12, 13.*

(f) *Fagnan. in cap. præterea n. 13. nè Prelat. vices. ſuas l. 5. Filluc. to. 2. tr. 41. cap. 6. à num. 56*

(g) *Paul. Papa II. Conſt. 6. §. 4*

(h) *Vide Laert. Cherubin. ad Conſt. 6. Pauli II, & ad Conſtit. 33. Sixti V.*

ipsâmet rerum naturâ; nàm cum quindennia ſubrogata ſint in locum Annatarum; uti diximus, & annatæ juſtiſſimè, prout uſque nùnc probavimus, exigantur, reſtat ut ipſa quoque quindennia juſtiſſima ſint, ex regulâ, quod ſubrogatum aſſumit naturam, & qualitatem ejus, in cujus locum ſubrogatur (*a*). Et ſanè, uti benè inquit de Luca, *cum proviſi de beneficiis &c. totum obtineant ex gratiâ, & liberalitate Papæ, cauſam merè lucrativam idcircò foventes, conqueri non poſſunt, quod eorum benefactori, & elargitori aliquam præbeant participationem illorum fructuum, quos ex gratiâ obtinent, & quos concedens poterat eis non concedere* (*b*). Præſertim cum onus annatę non ſit impoſitum beneficiario, ſed fructibus beneficii (*c*), adeò ut intrà unum, & eundem annum non niſi ſemel ſolui debeat; quarè ſi beneficium pluries eodem anno, per plurium beneficiatorum obitum, vacare contigerit, unicâ tantum vice Annatam ex illo Dataria percipit, uti patet ex praxi (*d*). Similitèr ſi proviſus, in actu expeditionis Bullarum, annatam ſolvere recuſet, donèc maturescant fructus beneficii, ut ex iis annatam ipſam perſolvat, ei Bullę ſine contradictione traduntur, præſtitâ tamen cautione de illâ intrà annum ſolvendâ (*e*), undè ad evidentiam patet, onus annatæ, non à beneficiario, ſed à fructibus beneficii depoſci.

(a) *Leg. ſi eum §. qui ff. ſi quis cauſ. & ibi Bartolus Bald & alii Card. de Luca de Regal diſcurſ 33. n. 12. de benef diſc. 27. n. 13. diſcurſ. 83. n. 8 diſc. 89. n. 7. Barb. Axiom. 213*

(b) *Card. de Luca de Regal. diſc. 163. n. 2.*

(c) *Fagnan. in capit. præterea n. 66. ad Prælat. vices ſuas &c.*

(d) *Idē Fagnan. loco citato num. 87.*

(e) *Idem Fagnan. eodem loco num. 88*

18. Sed dices, cur Annatas non exigunt Epiſcopi in propriis diœceſibus, quemadmodùm eas percipit Papa ex Eccleſiis totius Orbis? En reſponſio in promptu: Optimè etiam Epiſcopi à ſuis Beneficiariis Annatas ipſas accipiunt, in locis illis, ubi ex privilegio, vel conſuetudine legitimè introductâ id habent, ut eas poſſint exigere. Ubi verò Epiſcopi eaſdem non percipiunt, id provenit, quià & alios proventus eccleſiaſticos propriç prębendę Epiſcopalis percipiunt, eorum ſtatui ſufficientes, ideoque rationabiliter non indigent his ſubſidiis: & alias decimas exigunt ab Eccleſiis propriæ ditionis, nec juſtum videtur, has eſſe duplici publici onere prægravandas. Demùm ſi eas non exigunt, id procedit ex eo, quod Canones, & Concilia ſtrictè interdicunt, ne quidquam in conceſſione prębendarum, ab earum diſpenſatoribus accipiatur (*f*). Cumque hujuſmodi prohibitio ſit à jure Canonico, jus autem Canonicum auctoritatem Papæ non liget, imò ab auctoritate Papę vim ſuſcipiat; hinc fit, quod Summus Pontifex ritè potuit, & poteſt ſibi Annatas reſervare ſuper beneficiis totius Orbis, quas non poſſunt Epiſcopi à beneficiis propriæ Diœceſeos obtinere, Epiſcopis enim deeſt facultas juri Canonico in hac re derogandi.

(f) *Conc. Trid. ſeſſ. 24 cap 14. S. Pius V. Conſt. 104.*

19. Nec obeſt, quod Concilium Baſileenſe exactionem Annatarum, tum Papę, tùm Epiſcopis abrogaverit, ſanciens, *quod tàm in Curiâ Romanâ, quàm alibi, prò confirmatione electionum, proviſione, collatione de eccleſiaſticis Cathedralibus, Monaſteriis, Dignitatibus, beneficiis &c. nihil penitùs antè, vel poſt exigatur, ratione Literarum, Bullæ, Sigilli, Annatarum, Communium, & Minutorum Servitiorum, primorum fructuum, ac deportuum &c.* (*g*). Nàm *primò*, Concilium Baſileenſe non fuit Concilium OEcumenicum, & legitimum, ſed Pſeudoſynodus Acephala, & à ſupremo ejus capite evulſa; quod non majori prevaluit auctoritate, quam Synagoga latronum, & Conventicula malignatium (*h*). Satque ſit, quod S. Antoninus eam vocat, *Conciliabulum, viribus caſſum: Synagogam Sathanæ: temerarium, & præſumptuoſum Conventum* (*i*): Et S. Joannes de Capiſtrano ipſam nuncupat, *Synodum profanam, excommunicatam, interdictam, Baſiliſcorum ſpeluncam, Dæmonum cavernam* (*l*). *Secundò*, Conciliabulum hoc ſpopondit, quod, Annatis Apoſtolicis ſublatis, aliud emolumentum equivalens Pontifici contuliſſet; hoc autem nunquàm fecit, & ſic res in ſuo primævo ſtatu remanſit. *Tertiò*, Concilium illud etiam ſi fuiſſet legitimum, adhùc non potuiſſet auctoritatem Pontificis coarctare; quippè Concilium, tametſi generale, firmitatem recipit à Pontifice, non ei poteſtatem impertit (*m*). Miratuſque eſt Paſchalis Papa II. dùm Archiepiſcopus Panormitanus ei nomen Concilii generalis objecit; ideoquè ipſi reſpondit, *quaſi Romanæ Eccleſiæ legem Concilia ulla præfixerint, cùm omnia Concilia per Romanę Eccleſiæ auctoritatem, & facta ſint, & robur acceperint, & in eorum ſtatutis, Romani Pontificis patentèr excipiatur auctiritas* (*n*).

(g) *Conc. Baſileenſ. ſeſſ 21*

(h) *Joan. Turrecrem. de Eccleſ. l. 2. cap. 100. Raynald. an. 1441. n. 10*

(i) *S. Anton ſum p. 3 tr. 22. c. 10. §. 4*

(l) *S. Joan. de Capiſtr. de Pap. & Eccl. Auct. part. 3.*

(m) *S. Greg. VII in Apologet. Conc. Rom. cap. 3. Vide eadem §. ſi erat ult. 25 qu. 1.*

(n) *Cap ſignificaſti 4 & ibi Gloſ. V. excipiatur. de election.*

20 Ità-

20. Itàque Romana Eccleſia jure Annatas, Servitia communia, Minuta ſervitia, & Quindenina ſibi reſervat. *Annata*, inquit Thomaſſius, *penditur prò omnibus prorsùs beneficiis, exceptis Epiſcopatibus, & Abbatiis conſiſtorialibus: Conſtat autem media parte redituum beneficii annuorum. Ea ad uſum Papæ reſervatur, &* Bonifaciana *dicitur, quod Bonifacius IX. ità temperavit, ut nunc eſt. Antè enim Pontifices ſibi reſervabant reditus unius anni cujuſcumque beneficii, intra triennium ſolvendos, tertiâ ſcilicet ſolvendâ parte unoquoque anno. Bonifacius IX. dimidium ejus relaxavit, eâ lege, ut Bullas jàm deſcriptas, & expeditas non acciperet beneficiarius, niſi perſolutâ eâ pecuniâ, quæ Pontificis ipſius, & Cameræ Apoſtolicæ neceſſitatibus levandis dicata eſt &c.* Servitia Communia *ſolvuntur prò Epiſcopatibus, & Cænobiis Conſiſtorialibus: eorum media pars Pontifici addicitur, media Cardinalibus; ideò ſervitia vocantur Communia.* Minuta ſervitia *ſunt quinque minores taxæ Epiſcoporum, & Abbatiarum taxis accommodatæ, & intèr minuſculos Curiæ Romanæ Miniſtros partiendæ, ideòque minuta ſervitia appellantur.* Quintadecima *poſtremò illa eſt annata, quæ decimoquinto quoque anno ſolvitur prò beneficiis unitis* (*a*).

(a) *Thomaſſin. p. 3. l. 2. c. 19. n. 13.*

21. Hæc, inquam, emolumenta juxtà taxas in Romanâ Datariâ præſcriptas, Sedes Apoſtolica ſibi in beneficiorum diſpenſatione jure reſervat; quamquàm non ea omnia ubilibet, neque ſub unâ ubique ſummâ; nec prò omnibus æqualitèr percipit beneficiis. Nàm prò iis, quæ non excedunt valorem viginti quatuor aureorum, Annatæ non penduntur (*b*). Quoàd *Germaniam* prò ſolis Epiſcopatibus, & Abbatiis ſolvuntur Annatæ, & Communia Servitia (*c*). Quoàd *Angliam* ſolvebantur Servitia Communia, non verò Annatæ (*d*). Quoàd *Galliam*, Annatæ, & Communia, ac Minuta ſervitia ſolvuntur prò ſolis Epiſcopatibus, & Abbatiis Conſiſtorialibus, non verò prò beueficiis inferioribus (*e*), quià hæc exprimuntur valoris ſcutorum 24. (*f*) Et in Concordato Gallicano Rex cum Papâ convenit, ut Annatæ non ex veteri cenſu, qui longè minor erat, ſed ex verò, & novo ſolvendæ inpoſterùm eſſent (*g*). Quoàd alias Regiones alia fortè ſervatur ratio in hujuſmodi erogationibus, de quibus rerum Datariæ periti pleniorem notitiam habent, ac melius hæc à praxi deducitur, quam de illâ theoricè ab Auctoribus doceatur.

(b) *De Luca de benef. diſc. 90. n. 8.*
(c) *Azorius Inſt. mor. p. 3. l. 7. c. 11. qu. 2.*
(d) *Fagnan. in c. præterea n. 60. Ns Prælvicef. ſuas.*
(e) *Idem Fagnan. loc. cit. n. 73.*
(f) *De Luca de benef. diſc. 90. n. 8. & 13*
(g) *Bail. Sum. Conc. to. 2. in Concil. Later. 5. de Concordat.*

22. Unum non omittemus hic adnotare, quod circà hujuſmodi *Annatas*, & exactiones multa magnalia decantantur; nimirùm quod ex earum perceptione Sedes Apoſtolica maria, & montes aureos ad ſe trahit: quæ tamèn rè verâ ſunt longè minora vociferatis. Joannes San-Romanus, Procurator Regius Ludovici IX. Regis Galliæ, aliquando auſus eſt declamare, quod in ſolo triennio, in in quo ceſſatum erat ab obſervantiâ Pragmaticæ Sanctionis, immenſa auri pondera fuerant Romam traducta (*h*), quæ quoniàm impudentèr effutiit; Rex eum ſub omnium oculis objurgavit, & à Procuræ officio depoſuit. Conqueſtionibus Statuum Galliæ, tempore Henrici III. Regis, dè exactionibus Annatarum, ad aures Sixti Papæ V. reſonantibus, fecit Pontifex reſpondere, *La Francia hà poſte l'Annate al mondo, perche Giovanni vigeſimo ſecondo le poſe. E i Rè di Francia ne pigliano ſotto colore di decime, e d'altri titoli, tanti millioni d'oro; che il Papa non ne piglia cinque, ò ſei milla ſcudi l'anno: E le ſpedizioni di Francia hora ſotto un preteſto, hora ſotto un'altro, paſſano tutte gratis* (*i*). Quę dicta ſint obitèr, ad inſtruendum animum eorum, qui de hiſce Annatis magnalia debacchantur; & ad ſimul oſtendendum, quod ut ait alia occaſione doctiſſimus Thomaſſinus *facilem in concordiam Reges, Pontificeſque mutua ultrò, citròque utilitas debet adducere* (*l*). Cæterum ſi aliquid Romanæ Datariæ penditur prò ſcripturâ, & expeditione Bullarum, recogitet benignus lector brevem illam ſententiam Ivonis Carnotenſis, quod nec *calamus, nec charta gratis habentur* (*m*).

(h) *Ex Hiſtoar. de la Pragmatic.*
(i) *Stephan. Coſmi. memur. del Card. Moroſin. l. 3. c. 12. in fin.*
(l) *Thomaſſin. Vet. & nov. Eccl. diſcipl. p. 2. l. 1. c. 3 8 n. 13. in fin.*
(m) *Ivo Carnot. epiſt. 94.*

23. Aliquantò fuſiùs negotio harum penſitationum diſcutiendo immorati ſumus, quià Contradictorum vox, tales exactiones laucinans, ità nos hęrere coegit: ſed & rursùs in reſponſione ad Objectiones politicas, res erit ad trutinam revo-

canda (*a*). Interim repetimus ipſas exactiones omnis vitii, omnis ſimoniæ fœditate carere, ut ex rationibus, & Auctoribus allegatis ſatis elucet. Nunc addimus cum Fagnano celebri Canoniſtâ, quod beneficiorum largitio, quantum eſt in sè ſit gratis; eorum namque proviſio non fit per Bullarum ſuſceptionem, ſed per ſignaturam libelli ſupplicis, à Pontifice factam. Ità ut ſi talitèr gratiâ donatus, antè Bullarum expeditionem, beneficium alteri reſignet, reſignatio habet locum, quià Reſignans erat verè beneficiatius, & tamen literas beneficii nondum acceperat, nec quidquàm prò earum conſecutione tribuerat. Bullas ergò patet non beneficium conferre, ſed eſſe merè inſtrumenta, de beneficii collatione docentia; nec quidquam pro beneficii collatione contribui, ſed poſt beneficium aſſecutum, taxas illas prò miniſtrorum Romanæ Eccleſię manutentione perſolvi, quibus jàm à plurimis ſęculis ſunt portiones illę primi anni redituum deſtinatę (*b*).

24. Redimus nunc ad cauſam noſtram admiſſionis extraneorum ad beneficia. Hęc emolumenta, & alia, quæ hucuſque diximus cedere in utilitatem Papę, vel Epiſcoporum, aliorumque, ad quos ſpectat de beneficiis diſponere, proculdubio diſpoſitores ipſi recipere non potuerunt, ſi beneficia eccleſiaſtica ritè non valeant, etiàm Clericis extraneis diſpenſari. Quod ut evidentius appareat, ea diſtributim intueamur. Sedes Apoſtolica nec Annatas, nec Communia, neque Minuta ſervitia, neque demùm Quindennia poterit ad ſe trahere ab extradiœceſanis Urbis Romanę: quià eâ ratione, quâ non ritè ſupponitur conferri poſſe Clericis extraneis beneficia, eádem ratione, neque portio, neque tota redituum maſſa, ſivè Annata, & emolumenta pręfata, quę ſunt pars proventuum beneficii; poterunt in viros extraneos erogari. Et ità vel Summus Pontifex, quoàd omnia beneficia, in toto orbe, ſed extrà Romanam diœceſim, erecta, eſt indigena, vel eſt extranrus; Si eſt indigena, jàm Contradictores ſunt capti: nàm tamquam indigena eadem beneficia, in quacumque orbis parte ſita ſint, quemadmodum poſſet ſibi retinere, ità aliis Clericis ſuę Eccleſię valet rationabilitèr elargiri; quippè etiàm dicti Clerici ibi habent rationem indigenę, ubi eam habet Romanus Pontifex, cum membra capitis extranea dici non debeant à loco, à quo ipſum Caput non eſt extraneum.

25. Si verò Summus Pontifex ponatur, quod reſpectu dictorum Orbis beneficiorum, extrà Romanam diœceſim ſitorum, non ſit indigena, ſed extraneus; jàm, uti diximus, dictas Annatas, & emolumenta, nec ſibi appropriare poterit, neque ea, vel ſimilia Regibus concedere, neque Epiſcopis indulgere, neque aliis piis, & politicis uſibus applicare: non ad bella infidelibus inferenda: non ad Hæreticos retundendos; non ad Catholicos reſovendos addicere; quandoquidem ſicuti totum beneficium, ſub pœnâ lęſę legis divinę, naturalis, & humanę, uti autumant Contradictores, ad extraneos non valet licitè pervenire; ità neque pars illius, ſeù fructus, vel proventuum annuorum, ſub ejuſdem prævaricationis pœnâ, viris extraneis poterit erogari: Quod an juſtitiæ conſonet, ac politice expediat; doctus, & expertus Lector dijudicet.

26. Similitèr ex hac ratione Antiſtites, & Epiſcopi, aliique locorum Ordinarii, beneficia eccleſiaſtica conferentes, vel Reges reſpectivè ad ea nominantes, percipere licitè non valebunt emolumenta, ſibi, vel eorum Officialibus conſtituta, in ipſorum beneficiorum diſpenſatione, vel propter Bullas collationis, vel proptèr literas patentales nominationis, vel proptèr præſtationem aſſenſus Regii, ubi hic locum habet, vel aliâ de cauſâ, occaſione declarationis beneficiorum: quippè omnia jura, quæ per Contradictores, ad excludendos à beneficiis extraneos allegantur, omnia, inquam, probant, quod beneficia ipſa debeant ſolis localibus diſpenſari. Nàm Concilium Conſtantinopolitanum IV. diſponit quod promovendi ad beneficia ſint ex *eâdem Eccleſiâ* (*c*). Lex Civilis in Codice, dicit, quod ſint ex *eodem Vico* (*d*), Concilium Remenſe vult, quod ſint *ejuſdem loci* indigenæ (*e*). In Decretalibus definitur, quod ſint ex *eodem Epiſcopatu* (*f*). Alibi in jure decernitur, quod

(a) *Vide infrà to. 3. capit. 22. n. 17.*

(b) *Fagnan. in c. præterea à n. 83. Ne Prœl. vicef. ſuas.*

(c) *Concil. Conſpol. 4. cap. 13.*

(d) *Leg. in Eccleſiis 11. C. de Epiſc. & Cler.*

(e) *Concil. Remenſ. ann 720. in fin.*

(f) *Cap. te nobis de Cler. peregr.*

Google

quod ſint ex *eâdem Civitate* (a). Et ſic per hæc jura, quibus innituntur Contradictores, excluduntur, nedùm extraregionales, & extraprovinciales, ſed etiàm extradiœceſani. Quarè Antiſtites, Epiſcopi, & Ordinarii, ac reſpectivè Reges præfati, ex neceſſitate debebunt beneficia impertiri, non promiſcuè cunctis eorum Nationalibus, & Diœceſanis, ſed ſolis Clericis, qui in præciſis illis locis, ubi beneficia erecta ſunt, ſint indigenæ. Et ità Vienneníia beneficia tradenda erunt ſolis Viennienſibus, non verò cunctis Germanis, undelibet per Germaniam exortis. Pariſienſia, ſolis Pariſienſibus, non verò cunctis Gallis, undècumque per Galliarum Regnum progenitus. Toletana, ſolis Toletanis, non verò cunctis Hiſpanis, ubilibet ex Regione Hiſpanicâ prodeuntibus.

(a) *Cap. nullus 13. diſt. 61.*

27. Et ſicut integra beneficia non niſi ſolis nativis, & localibus poterunt præfati eorum diſpenſatores impertiri; ſic & nec etiàm beneficiorum partem, ſeù eorum fructus, & emolumenta, prò expeditionibus ipſorum beneficiorum conſtituta, poterunt ſibi aſſumere, vel ut aſſumantur à Miniſtris ſuis permittere. Imò nec etiàm poterunt Miniſtros extranationales in eorum Cancellariis tenere, qui de antedictis lucris participent, ſed cogentur habere in unaquâque Diœceſi, quinimò, & in unoquoque loco Diœceſis, peculiares Miniſtros, ex ipſo loco progenitos: alioquin, cum tam ipſi beneficiorum Diſpenſatores, quam eorum Miniſtri, extrà eorum peculiarem nativum locum, habito ad præfatas leges reſpectu, ſint extranei; tanquam tales non poterunt exactiones illas, ac lucra memorata percipere, quæ ſunt fructus, vel partes fructuum beneficiorum, ſolis indigenis, & localibus tradendorum. Quod quantam confuſionem pariat, & quale præjudicium inferat diſpenſatoribus beneficiorum, nemò facillimè non agnoſcit.

28. Conſimile judicium de inferioribus patronis beneficiorum fieri non valet, eo quod ipſi dè nominatione nullum percipiant emolumentum. Sed quatenùs ullibi, vel ullo modo aliqua utilitas directa, vel indirecta ſibi, vel ſuis indè poſſit accedere; facit prò eis ratio proportionalitèr adaptata, quæ prò Principibus præfatis, jure patronatus præditis allegatur. Et ſic tota ſimùl commixtâ ſerie lucrorum, quę Papę, & Epiſcopis, aliiſque beneficiorum Collatoribus, vel ad ea Nominatoribus, eorumve Miniſtris proveniunt, hæc ſauciantur mortalitèr per execluſionem extraneorum ab Eccleſiaſticis beneficiis: & è contrà validè foventur per iſtorum admiſſionem. Cum autèm nullatenùs expediat eadem lucra Collatoribus beneficiorum, vel ad ea Nominatoribus deperire, vel eorum Officialibus, & Miniſtris adimi, ſed potiùs præſtet eadem in ſuo eſſe ſervare; ſequitur, quod juxtà rectę politiæ regulas proficit, ut liberum, & licitum ſit Eccleſiæ, illiuſque Miniſtris, atque in primis Summo Pontifici ejuſdem Eccleſiæ Capiti, nec non Epiſcopis, aliiſque omnibus, tùm ordinariis, tùm delegatis beneficiorum Collatoribus, vel ad ea Nominatoribus, eccleſiaſtica beneficia, nonmodò Clericis indigenis, verum etiàm extraneis elargiri.

CA-

C A P U T XIX.

In quo diſcutitur, ad quem pertineat Beneficia Eccleſiaſtica diſtribuere. Et de methodo in hoc obſervatâ, ab initio Eccleſiæ, donèc fuit mos eadem per viam electionis Canonicæ diſpenſandi,

S U M M A R I U M.

1 *Contradictores invebuntur adverſus formam, quæ nunc in beneficiorum diſpenſatione ſervatur, laudantes priſcam viam electionis Canonicæ.*

2 *Chriſtus conſtituit Petrum diſpenſatorem bonorum Eccleſiæ, ſed methodum, in beneficiorum diſtributione ſervandam, relinquit arbitrio Eccleſiæ.*

3 *Sicus diſtributio bonorum Eccleſiæ fuit diverſimodè regulata, & variata, ita de beneficiorum diſtributione idem eſt factum.*

4 *Ex D. Bernardo interdùm præſtat ea, quæ ad diſcipilnam pertinent immutare. Neceſſitas quandoque ſumitur prò utilitate.*

5 *Chriſtus fuit quodammodo primus Eccleſię beneficiarius: Apoſtoli an ſuerint ab eo immediatè conſecrati Epiſcopi, an verò mediatè per Petrum.*

6 *Apoſtoli fuerunt pares Petro in officio Epiſcopali, diſpares verò in poteſtate regiminis; babueruntque poteſtatem ſub Petro, & per Petrum.*

7 *Petrus ſolus poterat eligere Matthiam in Apoſtolum loco Judæ, tamèn id maluit relinquere diſpoſitioni Eccleſiæ. Alitèr ſe geſſit cum Jacobo.*

8 *Primum beneficium eccleſiaſticum, quod fuerit collatum poſt Chriſti mortem, fuit Apoſtolatus Matthiæ, illi delatus per ſortes. Quænam fuerint hæ ſortes.*

9 *Sors in sè non eſt quid malum. Electio per ſortem ex Scripturis, Conciliis, & Legibus. Tamen in ſacris rebus, hæc jure Canonico reprobatur.*

10 *Licet Papis ab initio liceret omnia officia, & beneficia eccleſiaſtica diſpenſare; tamen perſecutionum tempore non poterant id ad effectum perducere.*

11 *Apoſtoli in locis, ubi Evangelium diſſeminabant, conſtituebant Præſules, jubentes ibi ſubrogari poſteà novos Antiſtites in locum decedentium.*

12 *Epiſcopi morituri aliquando ſibi deſignabant ſucceſſorem. Exempla hujus rei Summorum Pontificum, & Antiſtitum.*

13 *In electionibus Clerus, tàm Secularis, quàm Regularis; ac tàm Urbanus, quàm Ruralis partem habebat, necnon & populus Civitatis.*

14 *Populus habebat partem in electione Epiſcoporum, prout conſtat ex SS. Cypriano, Cæleſtino, & Leone, ac ex pluribus Canonibus.*

15 *An daret ſuffragia, res eſt non parum perplexa. Plura documenta proferuntur, excludentia porrectionem ſuffragiorum.*

36 *Continuatur materia numeri pręcedentis, & afferuntur documenta, oſtendentia, quod populus in electionibus prębebat ſuffragium.*

17 *Ex epiſtolis SS. Cypriani, & Siricii, ac ex decretis Concilii Remenſis, & quarti Toletanl, clici videtur, quod populus daret ſuffragium in electionibus.*

18 *Dualiius contra Calvinum, & Vigorium probat, ad populum nunquam pertinuiſſe dare ſuffragium, ſed ſolummodò teſtimonium.*

19 *Poteſtas votum ferendi in electione Antiſtitum, uti ſpiritualis, non poteſt ad laicos pertinere. Perniti oſa fuiſſet Eccleſiæ hæc populi poteſtas.*

20 *Alii*

20 *Alii idem cenſent, & docent de populo non habente ſuffragium. Quę ſententia ſtipatur decretis Concilii Laodiceni, & Bracarenſis.*

21 *Concilium Conſtantinopolitanum vetat laicis ſe in Antiſtitum electione miſcere. Solumque illis eſt permiſſum præbere teſtimonium.*

22 *Hoc modo partem habuiſſe populum in Antiſtitum electione, in Africâ, in Græciâ, in Hiſpaniâ, in Galliâ, & Romæ, probat Pomelius.*

23 *Invitæ plebi non erat dandus Epiſcopus: Coepiſcopi tamen admittere non cogebantur, quem plebs maluiſſet. Quid ageretur in caſu diſcordiæ?*

1. EXACUUNT linguam ſuam Contradictores adverſus formam, quæ nunc in beneficiorum largitione ſervatur, modernam improbantes, antiquam ſummis laudibus proſequentes: illam nempè, quâ per viam electionis Canonicæ beneficia diſpenſabantur, quippè per eam facilius beneficia ad indigenas pervenirent. Hęc ab illis proferri remur, non in illorum vero, & intimo ſenſu, ſed ad opportunitatem Cauſę, quam defendere connituntur: Vel ex illo pruritu, quo ſolent homines de rebus antiquis, quarum non cernunt defectus, melius ſentire, & honorificentius effari, quam de præſentibus, & modernis, in quibus aliquid vitii diſcernunt: cum tamen actiones humanæ ſemper fuerint, & ſint futuræ, defectuoſitati ſubjectę. Nihilominus quia talia non poſſunt in propatulo poni ſinè injuriâ Eccleſię, in primiſque Summi Pontificis, & Epiſcoporum, aliorumque, ad quos ſpectat beneficia, vel per viam collationis, vel per viam nominationis præbere, quaſi omnes iſti formâ minus rectâ, & illaudabili utantur, populis damnoſâ, & ſacræ antiquitatis regulis deteriore; operæ pretium eſt hic diſcutere, ad quem pertineat beneficia conferre, & quæ methodus in eorum diſtributione à primordio Eccleſię fuerit obſervata, uſque ad tempus, quo per viam electionis Canonicæ fuerunt ſolita diſpenſari.

2. Memor itàque ſit lector Divini Verbi, ſic in Evangelio loquentis, *quis putas eſt fidelis ſervus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis cibum in tempore* (*a*)? Hæc loquutus eſt Chriſtus Petro, quem Caput ſuæ Eccleſię, ſummum Chriſtianorum Antiſtitem, & totius eccleſiaſticæ familiæ Patrem, deſignavit: inſinuans, aliquam formam eſſe conſtituendam, in diſtributione bonorum Eccleſiæ tenendam: non imprevaricabilem, & ęternam; ſed prò opportunitate temporum regulandam, & poteſtati Eccleſiæ totalitèr ſubmittendam: ut ipſa Eccleſia formam eandem poſſet ſemper, & quandòcumque variare. Sanè ſi Chriſtus voluiſſet formam hanc eſſe immutabilem, illam ſuo divino eloquio pręſcripſiſſet, ac expreſsè in libris Evangelicis, aliiſve novi Teſtamenti paginis exaraſſet; Sed quià illam voluit commoditati totius Chriſtianitatis deſervire, cui non ſemper una methodus, una praxis, unus modus arridet; eandem arbitrio, ac facultāti Eccleſię reliquit, eâ ſupernâ providentiâ, quâ conſtat, ipſum Chriſtum, inquit Cornelius, *non omnia ordinaſſe, ſed multa circà Eccleſię regimen, prò ratione temporum futurorum, ordinanda commiſiſſe Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus. Hoc enim exigit cujuſcumque Republicæ prudens inſtitutio* (*b*). Ità quæ non ſunt juris Divini, ſed poſitivi, ſive uti ab Eccleſiâ inſtituta, ſive uti ejuſdem diſpoſitioni relicta; & variari poſſunt, & centies ſunt mutata: prout *multa ex loco, multa ex tempore, multa ex perſonis differentius* oportuit obſervari (*c*). Legat cui placet Ludovici Thomaſſini tres tomos, de novâ, & veteri Eccleſiæ diſciplina, & videbit quot, & quoties mutavit Eccleſia formas rerum, ad mores, & politiam eccleſiaſticam, pertinentium.

(a) *Matth. cap. 24. num. 45. Lucæ cap. 12.*

(b) *Cornel à Lapid. in Tit. 1. nu. 1. 6. Undè.*

(c) *Hildeb. Turon. apud Dacherium in Spicileg. f. 150.*

3. Hujuſce ſpeciei eſt forma, in diſtributione beneficiorum tenenda, quæ utpotè juris poſitivi, varietati ſemper patuit, ac mutationem pluries admiſit. Et ſicut diſtributio bonorum Eccleſię multiformitèr hucuſque regulata eſt, ut alicubi in duas, alicubi in tres partes, alicubi alitèr ſit partita; ſic & largitio beneficiorum,

quæ

quę eſt ſpecies diſtributionis bonorum Eccleſiæ, diverſum modum, prò diverſitate perſonarum, temporum, & locorum, ſortita eſt. Nèc ideò violata eſt fides, quià hæc varietas nihil ad fidei pertinet puritatem. Nequè in culpam vocata eſt hujuſmodi mutatio, quià culpa potius fuiſſet in illis circumſtantiis non admittere mutationem: *mutatâ quippè temporis causâ*, inquit optimè D. Auguſtinus, *quod rectè factum fuerat, ità mutari vera ratio plerumque flagitat, ut cum* aliqui *dicunt non rectè fieri ſi mutetur; contrà veritas clamet, rectè non fieri, niſi mutetur, quià utrumque tùnc erit rectum, ſi erit prò temporum varietate diverſum* (a). Ad hęc accedit jus diſpenſandi, reſidens in ſuperiore, & ad ea, quæ juris poſitivi ſunt ſe protendens: quod licèt eccleſiaſtica inſtituta totalitèr non immutet, illa tamen prout opus eſt variat: ſed ea ità variat, ut ipſamet prò ratione temporum alteraſſe, nedum non ſit culpa, ſed imò potius ſit meritum, & eccleſiaſticæ providentiæ utile officium, ac laudabile miniſterium. De hac rè peregregiè D. Bernardus in tractatu de præcepto, & diſpenſatione ad Abbatem Columbenſem, ſic loquitur.

4. *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. Novit autem fidelis ſervus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, ibi tantum uſurpare diſpenſationem, undè bonam poſſit habere recompenſationem* (b). Et infrà: *Quę à Sanctis tradita ſunt, ſancita ſtabilitèr perſeverant, nec omninò cuivis ſubjectorum ea aliquo modo variare, vel mutare conceditur. Quià tamen ab hominibus, etiam per homines, loco, & officio illis canonicâ electione ſuccedentes, licitè interdùm innoxièque prò cauſis, perſonis, locis, & temporibus diſpenſantur &c. Porrò inventa, atque inſtituta fuerunt, non quià alitèr vivere non liceret, ſed quod ità magis expediret, nec planè ad aliud, quam ad lucrum, vel cuſtodiam charitatis. Quandiù ergò charitati militant, immobilitèr fixa ſunt, mutarique omninò ne ab ipſis quidem præpoſitis, ſinè offensâ poſſunt. At ſi è contrario, contraria fortè aliquandò charitati viſa fuerint, his dumtàxat, quibus hoc poſſe videre datum eſt, & providere creditum eſt, nonnè juſtiſſimum eſſe liquet, ut quæ prò charitate inventa fuerunt, prò charitate quoque, ubi expedire videbitur, vel omittantur, vel intermittantur, vel in aliud fortè commodius demutentur &c. Tenent ergò fixam, firmamque immobilitatem etiam apud prælatos, quæ ex ſtabili neceſſario ſunt, ſed quatenùs charitati deſerviunt &c. Ubi ergò neceſſitas fuerit, ad utilitatem Eccleſiæ, qui poteſtatem habet ea diſpenſet. Ex neceſſitate enim fit mutatio legis. Neceſſarium deindè quod inviolabile nominavi, illud intelligo, quod non ab homine traditum, ſed divinitùs promulgatum, niſi à Deo, qui tradidit, mutari omninò non patitur, ut exempli causâ, non occides, non męchaberis &c.* (c), nota quod D. Bernardus ubi utitur verbo *neceſſitas*, intelligit *utilitatem*, quæ ſæpè neceſſitatis termino declaratur (d), & non ſemel utraque ęquiparatur (e). Hincque pateat, quanta auctoritate, & juſtitiâ potuerit Eccleſia, ſive per diſpenſationem, ſive per novę formę ſubſtitutionem, priſcam illam formam mutare, in diſtributione beneficiorum eccleſiaſticorum antiquitùs obſervatam.

5. Ab initio itàque Jeſus Chriſtus Dominus noſter, *Sacerdos in ęternum, ſecundùm ordinem Melchiſedec* (f), fundavit Eccleſiam, illamque rexit, ſempiterno præditus Sacerdotio (g). Ipſe fuit, per quemdam loquendi modum, primus Eccleſiæ beneficiarius, qui licet eſſet omnium Dominus, & cuncta ſub ſuę voluntatis arbitrio contineret: talis tandèm, *cui miniſtrabant Angeli; tamèn, ad informandam Eccleſiam ſuam, loculos habuiſſe legitur, & à fidelibus oblata conſervans, & ſuorum neceſſitatibus, aliiſque indigentibus tribuebat* (h). *Tunc primùm*, teſte Auguſtino, *eccleſiaſticæ pecunię forma eſt inſtituta* (i). Sed quià illo in Cœlum corporalitèr aſcenſuro, oportebat aliquem ſui Pontificatus Rectorem in terris, & viſibile ſuæ Eccleſię Caput relinqui, à quo hęc in unitate contineretur (l); Ipſe ſibi Simonem Petrum Vicarium deputavit, & ſuper ejus verticem Eccleſiam, quam fundaverat, elevavit (m), cui & Conſocios dedit undecim Apoſtolos, *non ſapientes, non divites, non nobiles, ſed piſcatores, & Publicanos; ne traduxiſſe prudentia,*

(a) *S. Auguſt. Epiſt. 5. ad Marcellin. Vid. hic infr. c. 21. à n. 19. & tom. 3. c. 6. n. 8.*

(b) *S. Bernar. de præcept. & diſpenſ. cap. 2. tom. 2.*

(c) *Idem S. Bernard. loc. citat.*

(d) *Fagnan in cap. tuę Fraternitati n. 18. de Sponſal. l. 4. & in cap. qui presbyterum n. 27. de pœnit. l. 5.*

(e) *Fagnan. in cap. quæris n. 2. de ætat. & qual. lib. 1.*

(f) *Pſalm. 109. n. 4.*

(g) *Hebræor, cap. 7. num. 24.*

(h) *Beda lib. 4. c. 54. in Lucæ. 22.*

(i) *S. Auguſt. de Opere Monachor. c. 29.*

(l) *Bellarm. de Rom. Pont. lib. 1. c. 9. § Quidquàm.*

(m) *Matth. cap. 16. num. 18.*

ti.i, ne redemiſſe divitiis, ne potentiæ, nobilitatiſque auctoritate traxiſſe aliquos ad ſuam gratiam videretur: at veritatis ratio, non diſputationis gratia prævaleret, ait Ambroſius (*a*). Hi omnes. Apoſtoli, an à Chriſto immediatè ordinati fuerint Epiſcopi, an verò mediatè, non levis eſt controverſia intèr Doctores, & licèt primæ ſententiæ inhęreant S. Auguſtinus (*b*): S. Cyrillus (*c*): S. Cyprianus (*d*), & ex Theologis Thomas Cajetanus (*e*): Joannes Major (*f*): Zacharias Boverius (*g*), & alii; tamèn probabilior cenſetur eſſe illorum opinio, qui docent, Chriſtum ex ſè immediatè ordinaſſe Summum Pontificem, & Epiſcoporum apicem, D. Petrum, cum ei dixit *Paſce oves meas* (*h*); A Petro verò poſteà cæteros Apoſtolos Epiſcopalem ordinem accepiſſe, cum eo tempore, quo Chriſtus poſt Reſurrectionem ſuam dixit Apoſtolis, *accipite Spiritum Sanctum &c.* (*i*) tùm S. Thomas non adfuerit, neque Matthias. Et S.Jacobum Minorem fuiſſe ordinatum Epiſcopum à D,Petro, & à Joanne, ac Jacobo Majore, habemus ex D, Hieronymo (*l*), & Anacleto Papa (*m*). Hanc ſententiam, quod ſolus Petrus fuerit à Chriſto immediatè ordinatus Epiſcopus, & à Petro alii Apoſtoli, tenent Joannes Turrecremata (*n*), Robertus Bellarminus (*o*), Dominicus Bannez (*p*), Joannes Salmeron (*q*), Philobertus Marchinus (*r*), Leander Granadus, & alii (*s*).

6. Utcumque autèm ſit, certum eſt, quod Apoſtoli conſtitituti ſunt pares Petro in officio Epiſcopali, ſed diſpares in auctoritate regiminis. Petro quippè Chriſtus per traditionem clavium (*t*) plenitudinem totius poteſtatis Pontificialis contulit, quam in terris, prò regimine ſuæ Eccleſiæ reliquit (*u*). Apoſtolis verò partem tantum ſollicitudinis paſtoralis eſt impertitus, quantam prò eorum munere utilitèr exequendo, congruam, & opportunam eſſe cognovit: ſed eis talitèr communicatam, ut ſub Petro, & deſpendentèr à Petro, ad confortandos ſuos fratres ſolemnitèr deputato (*x*), illam accepiſſe cognoſcerent, de quâ S. Leo, *Intèr beatiſſimos Apoſtolos, in ſimilitudine honoris, fuit quædam diſcretio poteſtatis, & cum omnium par eſſet electio, uni tamèn datum eſt, ut cæteris præmineret* (*y*). *Magnum, & mirabile huic viro conſortium potentiæ ſuæ tribuit divina dignatio; & ſi quid cum eo commune cæteris voluit eſſe Principibus, nunquàm niſi per ipſum dedit, quidquid aliis non negavit* (*z*). Conſentit S.Optatus, qui adverſus Parmenianum, ità proloquitur: *Bono unitatis B. Petrus, & præferri omnibus Apoſtolis meruit, & Claves Regni Cœlorum, communicandas cæteris, ſolus accepit* (*aa*). Alia vide infrà in Objectionibus Legalibus, quas tomo tertio diluemus.

7. Sed nè mors tandem Apoſtolorum Eccleſiam relinqueret Sacerdotibus denudatam, *alii plures facti ſunt Sacerdotes, idcircò quod morte prohiberentur permanere* (*bb*). Primus (poſt vocatos à Chriſto) qui hominum operâ ad Sacerdotium, & beneficium Apoſtolatus aſcendit, fuit S. Matthias, quem ſine dubio potuiſſet S.Petrus, tamquam Caput Eccleſiæ, ex ſe ipſo, & propriâ auctoritate, deligere: quippè una hæc erat ex pręcipuis ejus prærogativis, ut, juxtâ Joannem de Sylveira, *ſi aliquis ex reliquis Apoſtolis caderet, & ſuum locum deſereret, ad Petrum ſpectaret locum providere: & ideò deficiente proditore Judâ, de Matthiâ ſubſtituendo, ipſe egit. Actor.1. n.15.* (*cc*). Quod & diſertis verbis D.Joannes Chryſoſtomus eſt effatus: *Quid, an non licebat ipſi Petro eligere? Licebat, & quidem maximè. Verùm id non fecit, nè cui videretur gratificari* (*dd*): Nàm ſicut Chriſtus, licet omnia poſſet ſuo nutu perficere, tamèn ob modeſtiam, noluit quædam, niſi orationis ope, ab ęterno illius Patre impetrare: undè ait D. Ambroſius, *Et ſi omnia poſuerit Pater in poteſtate Filii: Filius tamèn ut hominis formam impleret, obſecrandum Patrem putat eſſe prò nobis* (*ee*). Ità D. Petrus, & proprię modeſtiæ conſulens, & toti Eccleſię ſecum congregatæ honorem dans, *& ſe ipſum liberans ab invidiâ, ſimultateque, quæ poterat à cæteris oboriri* (*ff*); Petrus, inquam, permiſit *turbæ hominum ſimùl ferè centum viginti* (*gg*), electionem Matthię, retento ſibi jure præſidendi Concilio illi, & ſuffectionem alicujus in Apoſtolatum Judæ faciendam, pontificialitèr promovendi. Ipſe verò Petrus, qui in provectione Matthiæ totam Ec-

(a) *S. Ambr. l. 5. comment. in Luc.6.*
(b) *S.Auguſt.quæſt. nov. & vet. Teſtam. l.22.*
(c) *S Cyril.in Joan. l 12 c.55.*
(d) *S. Cypri. lib. 3. epl.9.*
(e) *Cajetan de Auctor.Pap & Conc.c.3.*
(f) *Major in 4. diſt. 23.qu.3.*
(g) *Bover.in Cenſur. parenet. cont. Remp. Marc.Anton.de Dominis l.2.c.2.*
(h) *Joan. c.21.n.17.*
(i) *Joan. cap. 20.num. 22.*
(l) *S.Hier.de Script. Eccl. in Jacob.*
(m) *Cap porro diſt.76*
(n) *Turrecr. Sum. Eccl.l.2.c. 32.33.34.*
(o) *Bellarmin. de Pontif lib.1 cap.23.*
(p) *Banez.2.2.qu 1. art.10. in fuſior. comment. l.4.§. pro quo.*
(q) *Salmeron.to.12. in Act.Apoſt.tr.13.§. Verum.*
(r) *Marchin. de ſac. Ord tr.1. par.2.c.12.*
(s) *Leand de ſacr. to.2.tr 6.diſp.2.qu.33 Granad. in 3. part. controv. 9. tr. 1. diſp. 1.n.10.*
(t) *Matth. cap. 16. n 19.*
(u) *Bellarmin. de Pont lib.1.cap.9. in 2. Object & c.11.Object. ult.*
(x) *Luc. cap. 22. num.32.*
(y) *S. Leo epl.84.ad Anaſt.Theſſal c.9.*
(z) *S. Leo ſer. 3. in anniv. aſſump. ſuæ.*
(aa) *S.Optati cont. Parmen.lib 7.*
(bb) *Hebræ. cap. 7 num.23.*
(cc) *Sylveir. in Evang l.5. c. 5.qu.16.*
(dd) *S.Joan.Chriſoſt. tom.3. in Act. Apoſt.*
(ee) *S.Ambr. lib.5. comment. in Luc.6.*
(ff) *S.Joan Chriſoſt. loc.cit.*
(gg) *Actor.cap. 1. num 15.*

cleſiam ad ſecum ſuffragandum admiſit ; in deputatione poſteà Jacobi ad Sedem Hjeroſolymitanam , non totam Eccleſiam, ſed ſolum Joannem , & Jacobum alium adhibuit , uti notat Clemens Alexandrinus, apud Euſebium (*a*) . Undè patet , Petrum ſuam ſupremam auctoritatem in officiorum , & beneficiorum eccleſiaſticorum deſtributione , agnoviſſe , & illâ nùnc magìs , nùnc minus , prò ejus libito uſum eſſe .

8. Ità provectus eſt ad Apoſtolatum S. Matthias , quem licèt ex textu Græco D. Lucæ cenſeat Pagninus,quod fuerit omnium *ſimùl ſuffragiis electus*, vel omnium *ſuffragiis addictus* , uti vertit Vatablus : Aut , juxtà interpretationem Gagnei, fuerit *calculis omnium coaptatus* ; Tamèn rè verâ, non ab hominibus immediatè electus eſt , ſed à Deo . Nàm ut inſinuat Origenes , tota Eccleſia duos homines deſignavit , quos cæteris cenſuit magìs dignos , nempè Joſeph , qui vocabatur Juſtus, & Matthiam : nec diſtinguens in alterutro præeminentiam meritorum ; horum diſcretionem integram per ſortes Domino commiſit (*b*) . Quâ de rè S. Auguſtinus, *Electi ſunt duo judicio humano , & electus eſt de duobus unus judicio divino* (*c*) : Itàque primum officium , & pro modo illius temporis , etiàm beneficium Eccleſiaſticum, quod poſt Chriſti in Cœlos aſcenſionem diſtributum eſt , nempè Apoſtolatus Matthiæ ; per ſortes collatum eſt . Sed quænam fuerint hujuſmodi ſortes non eſt facile definire . Quamquàm etenim dicatur in Actibus Apoſtolorum , *& dederunt ſortes* (*d*) , adhùc tamèn res eſt in ambiguo ; quatenùs *dederunt ſortes* , tàm ſignificare poteſt , quod Eccleſia , non diſtinguens potioritatem meritorum Joſephi , & Matthiæ , rem ſortibus commiſit , nimirùm judicio divino reliquit , ut per ſignum aliquod potioritatem ipſam præfiniret ; quàm quod , vel alearum , aut teſſerarum jactu ; vel numerorum , aut tabellarum extractione , vel alio ſimili modo, ſortium fortuito ſucceſſui rem commiſerint . Et quidem prior intellectio videtur verior , auctoritate D. Dionyſii , loquentis , *mihi videtur ſcriptura ſortem appellare divinum illud munus , quo declarabatur choro hierarchico , quiſnam divino ſuffragio electus erat* (*e*) , Accedit congruentia : conveniebat enim , ut ſicut alii Apoſtoli ab ipſo Chriſto immediatè , & etiàm S. Paulus voce Domini , ſunt ad Apoſtolatum provecti ; ità & S. Matthias , non operâ hominum , ſed ſigno aliquo Cœleſti , ad eumdem gradum aſcenderet .

9. Porrò electio Clericorum ad officia , & beneficia ſacra per ſortes , exemplo electionis Matthię ſtipata , in ſe malum non continet ; ut enim benè docet S. Auguſtinus , *ſors non eſt aliquod mali , ſed res eſt , in dubitatione humanâ , divinam indicans voluntatem* (*f*) . Ità *in Scripturis* ex duobus hircis , quorum unus erat Deo immolandus , alter in ſolitudinem ablegandus ; ſortes diſcernebant (*g*) . Aaron , juſſu Dei , ſorte delectus eſt ad ſummum Sacerdotium accipiendum (*h*) . Divinâ præceptione Samuel Saulem per ſortes Regem Iſrael deputavit (*i*) . Terra promiſſionis ſorte eſt intèr filios Iſrael diſtributa (*l*) . Sacerdotalium munerum exercitium ſorte obtingebat (*m*) . *In Jure* quoque hæredes ſorti committunt apud quem ex ipſis remanſuræ ſint hæreditariæ cautiones (*n*) , Sortibus hæreditas dividitur , Aliæ res paritèr ſorti committuntur, de quibus in jure (*o*) . *In Conciliis* , Concilium Barcinonenſe mandat , ut ex candidatis , in eum benedictio conſecrationis Epiſcopalis aſcendat , *quem ſors , præeunte Epiſcoporum jejunio , Chriſto Domino terminante , monſtraverit* (*p*) . *Ex Patribus* S. Auguſtinus conſulit , ut ſorte deligantur Sacerdotes , qui perſecutionum tempore remaneant in Urbibus ad ſolatium fidelium (*q*) . Et generalitèr dicitur in proverbiis : *Sortes in ſinum mittuntur , & à Domino temperantur* (*r*) . *Contradictiones comprimit Sors , & intèr potentes dijudicat* (*s*) . His tamèn non obſtantibus , collatio beneficiorum , vel electio ad illa per ſortem , à ſacris Canonibus improbatur (*t*) .

10. Quemadmodùm autèm poterat Petrus , ſi voluiſſet , Apoſtolatum Matthiæ ex ſe ſolo conferre , ſic & potuiſſet omnes orbis Epiſcopatus , & inferiora Sacerdotia , prò ſuâ voluntate largiri ; & quod potuit Petrus , potuerunt , & poterunt

(a) *Euſeb. lib. 2. cap. 1.*
(b) *Origen. homil. 23 in Joſue.*
(c) *S. Auguſt. in Pſalm. 30 ſer. 2.*
(d) *Actor. cap. 1. n. 25.*
(e) *S. Dionyſ. Eccl. hierarch. c. 5. p. 3.*
(f) *S. Auguſt. loc. cit.*
(g) *Levit. II. cap. 16.*
(h) *Numerorum cap. 17.*
(i) *1. Regum cap. 10*
(l) *Numerorum cap. 25.*
(m) *1. Paralipomenon cap. 24.*
(n) *Leg. ſi quæ ſunt ff famil. erciſcund.*
(o) *Leg. ſed cum ambo ff. de judiciis leg. 2. Cod. quando, & quibus.*
(p) *Concil. Barcinon. cap. 3.*
(q) *S. Auguſt. epiſtol. 180.*
(r) *Proverbiorum cap. 16.*
(s) *Proverbiorum cap. 18.*
(t) *Cap. Eccleſia 3. de conſtitut.*

terunt ſemper omnes ejus Succeſſores Romani Pontifices, ad quos, inquit Clemens Papa VI. *omnium Eccleſiarum, perſonatuum, officiorum, & beneficiorum eccleſiaſticorum, plenaria diſpoſitio noſcitur pertinere* (*a*). Licèt autèm omnes Eccleſiæ dignitates uſque ab initio ſubeſſent Petro, *& omnia beneficia ſubſint Papæ, tamquàm ordinatori ſupremo*, ut ait Gerſonius (*b*), tamèn in ipſo Eccleſiæ principio, & furentibus adhuc perſecutionibus Paganorum in Chriſtianos, nec potuit Petrus ex ſe ipſo cuncta adimplere, fidem divulgare, Eccleſias erigere, & Rectores animarum ubilibet deputare; nec potuerunt antiquiores Romani Pontifices eorum ſollicitudinem, in quibuslibet rebus individualibus Eccleſiis totius orbis impendere, & cunctos univerſæ Chriſtianitatis Miniſtros eccleſiaſticos deſignare: Sed ſicut aliæ res, ad politicum, & ordinatum Eccleſiæ regimen pertinentes, non ſimùl omnes, nec primâ die determinatæ ſunt, ſed paulatìm, & ſucceſſu temporum, ac juxtà opportunitates, quæ emerſerunt: nec enim ipſe Chriſtus omnia circà regimèn Eccleſiæ ordinavit, ſed plura Apoſtolis, & Epiſcopis decernenda reliquit, uti probant Interpretes in epiſtolam Pauli ad Titum (*c*); Ità modus diſtribuendi eccleſiaſtica officia, & beneficia, paulatìm ordinatus eſt, directus, & conſtitutus.

11. Igitùr orbis converſione intèr Apoſtolos diſpertitâ, ſinguli eorum ad ſuam partem, fide imbuendam, profecti ſunt: Et quià ipſi non poterant, ubicumque pergebant, perſonalitèr remanere; in locis opportunioribus Epiſcopos conſtituerunt (*d*). Prævidentes quoque gloriam futuram dignitatis Epiſcopalis, & contentiones aliquandò excitandas prò hujuſmodi munere adipiſcendo; juſſionem dederunt, ut per ſubrogationem novorum Antiſtitum, defunctorum dignitas impleretur: Apoſtoli, inquit S. Clemens in epiſtolâ ad Corinthios, quæ genuina eſt, *per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum cognoverunt contentionem, de nomine Epiſcopatus futuram. Proptèr hanc itàque cauſam, perfectâ præſcientiâ præditi, conſtituerunt prædictos, Epiſcopos nimirùm, & deincèps formam dederunt, ut iis defunctis, probati alii viri in eorum Miniſterium ſuccederent, ab illis, vel deincèps ab aliis celebribus viris conſtituti, univerſâ Eccleſiâ ſibi gratum eſſe teſtante* (*e*). Igitur in unaquâque Eccleſiâ ad beneficia Epiſcopalia uſque ab initio incæperunt deſignari, deputari, conſtitui, Præſules, & Prelati, qui eis præeſſent, & paulatim Epiſcopatus per viam *electionis* diſtribui. Sed non idem neque ubilibet æqualis fuit mos electionum: quippè prò locorum, & temporum varietate, ipſæ quoque variatæ ſunt electiones.

12. Nàm primis Eccleſiæ Sæculis electio Antiſtitis interdùm à Præſule anteceſſore fiebat, quatenùs aliquandò Epiſcopi ante mortem, ſibi ſucceſſorem deſignabant; Prætèr enim id, quod dictum eſt de Apoſtolis, Alexander Epiſcopus Alexandrinus Athanaſium (*f*): Athanaſius Petrum ſibi ſucceſſorem nominarunt (*g*). Macharius Hieroſolymitanus, Maximum (*h*): Valerius Hipponenſis, Auguſtinum (*i*): & Auguſtinus, Eradium (*l*), ſibi ſucceſſores deſignarunt. Acholius Theſſalonicenſis, Aniſium (*m*). Eonius Arelatenſis Cæſarium (*n*): Avitus Arvernenſis Bonitum (*o*): Audoenus Rotomagenſis, Ansbertum (*p*), idem fecerunt. Quid plura? Ipſi Romani Pontifices aliquandò ſibi ſucceſſorem, vel deſignarunt, vel ut eligeretur egerunt, Gregorius VII. Victorem III. (*q*): Gelaſius II. Calixtum II. (*r*): & primus omnium D. Petrus Clementem I. ut ei ſuccederet deputavit (*s*). Sed quia Eccleſiæ incæpit obeſſe hujuſmodi ſucceſſorum deſignatio; ideò à ſacris Canonibus fuit diſtrictè interdicta (*t*), preſertim à Concilio Antiocheno, *Epiſcopo non licere prò ſe alterum ſucceſſorem ſibi conſtituere, licet ad exitum vitæ perveniat: quod ſi tale aliquid factum fuerit, irritum eſſe hujuſmodi eſt conſtitutum* (*u*), eâ præcipuè ratione, quod ut plurimum hujuſmodi ſucceſſiones ab humanis affectibus vitiabantur: Legitur enim in Canonibus Apoſtolorum, *non oportet Epiſcopum fratrem ſuum, vel filium, vel propinquum, in Epiſcopum ordinare. Heredes enim Epiſcopatus facere non juſtum eſt, nec humano affectu divina ſunt tractanda. Si fiat, non valeat ordinatio: ipſe verò excommunicatione punia-*

(a) *Odoric. Raynal. an. 1344. num. 58.*
(b) *Joan. Gerſon. to. 2. fol. 22.*
(c) *Cornel à Lap. in Tit. 1. 5. §. ſicut Bened. Juſtinian. in eod. loc. § demq.*
(d) *Cap. quorum vices 6. diſt. 63.*
(e) *Clem. I. epl. ad Corinth.*
(f) *S. Epiphan. hæreſ 68.*
(g) *Theodoret. lib. 4. cap. 18.*
(h) *Sozomen lib. 2. c. 18.*
(i) *Poſſid. vit. Aug. cap. 8.*
(l) *S. Aug. epl. 110.*
(m) *S. Ambroſ. epiſtola 59.*
(n) *Vit. S. Cæſar. ap. Surium 27. Aug. cap. 5.*
(o) *Duchеſne hiſtor. Franc. lib. 1.*
(p) *Vit. S. Audoen. c. 16. die 24 Aug.*
(q) *Card. Baron. an. 1087. num. 16.*
(r) *Falc. Benevent. in Chron ad an. 1118.*
(s) *Cap. ſi Petrus 8. qu. 1.*
(t) *Capit. 1. 3. 4. 7. cauſ. 8 quæſt. 1.*
(u) *Concil. Antioch. cap. 23.*

tur (*a*). Ubi tamen hujuſmodi Succeſſorum deſignationes ſunt actæ, taliter actæ ſunt, ut & Cleri conſenſus, & populi adhæſio concurrerent, ſicque communibus totius Eccleſiæ votis, ipſa fieret deſignatio (*b*). An autem de rigore, nùnc quoque poſſit Epiſcopus ex diſpenſatione Pontificis ſibi deſignare ſucceſſorem (*c*), & an idipſum de totâ plenitudine ſuæ poteſtatis valeat facere Summus Pontifex Succeſſorem ſibi conſtituendo, videantur Auctores (*d*).

13. Sanè ubi deſignationes præfatæ ab Anteceſſoribus non fiebant; Antiſtites per electionem liberam, & Canonicam deputati ſunt, quę via electionis quoàd omnes ſuas formalitates, quandonàm præciſè ubilibet, atque in ſingulis Eccleſiis fuerit introducta, difficile eſt divinare, quippè alicubi citiùs, alicubi ſeriùs, ut putamus emerſit, prout hic, vel ibi, magis, aut minùs crevit numerus fidelium Clericorum, & Laicorum; ex quibus, & à quibus fieret electio Præſulis præfuturi. In ipsâ verò electione, non tantum Clerus, ſed etiam Populus aliquo modo ſe immiſcuit: nec immeritò, quandoquidem *ab omnibus debet eligi, cui debet ab omnibus obediri* (*e*). Prò Clero intelligimus omnes, Clericalibus ordinibus inſignitos, ſive ſæculares, ſive regulares, tàm urbanos, quàm ruſticanos: *Electio*, inquit Hincmarus Remenſis, in epiſtolâ ad Hedebertum Silvanectenſem, *non tantum à Civitatis Clericis erit agenda*, verum *& de Monaſteriis ipſius parochiæ, & de ruſticanarum parochiarum occurrant Vicarii, commorantium ſecum concordia vota ferentes* (*f*). Et ità quando electus eſt Æneas Pariſienſis, Clerus illius Eccleſiæ, ac Monachi plurium Cœnobiorum ejuſdem Diœceſis, prò electione faciendâ ſuos calculos contulere (*g*). Prò populo autem intelligimus ſolos cives, & plebem urbanam: *Sola enim*, inquit Thomaſſinus *plebs Civitatis Epiſcopalis, non parochiarum ruris ferè conſulebatur* (*h*). Nec tota farrago minutę plebis, ſed qui in populo magis erant notabiles, qualificati, atque aliquâ ratione inter præcipuos computandi. Et ità Epiphanius Epiſcopus Conſtantinopolitanus faſſus eſt, ſe fuiſſe ad illam ſedem provectum, nedum Juſtini Principis electione, ſed etiam *eorum, quibus eſt bona converſatio, & qui Regiis honoribus ſunt ſublimiores, ſimul & Sacerdotum, & Monachorum, & fideliſſimę plebis conſenſus acceſſit* (*i*). Tamèn Sulpitius Severus in vitâ S. Martini clarè indigitat, quod ad ejus electionem, nedum laici Pictavienſes, ſed etiam convicinarum urbium concurrerunt: ait enim: *incredibilis multitudo, non ſolum ex illo Oppido Pictavienſi, ſed etiam ex vicinis urbibus ad ſuffragia ferenda convenerat* (*l*).

14 Porrò populum habuiſſe partem in electionibus Præſulum antiquo tempore certo certius eſt: & de tempore S. Cypriani, patet ex ejus epiſtolâ ad Antonianum, ubi de Cornelio Romano Pontifice dicit, *factus eſt Cornelius Epiſcopus, de Dei, & Chriſti ejus judicio, de Clericorum penè omnium teſtimonio, de plebis, quæ tunc affuit, ſuffragio, & de Sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum Collegio* (*m*), *cap. factus* 5.7.*qu*.1. conſonantque *cap. plebs* 11.*cap.noſſe* 12.*cap. Epiſcopos* 13. *cap. literas* 14.*diſt.*63.*cap.obitum* 16.*diſt.*61. *cap.nullus* 1.*diſt.*62.*cum aliis* (*n*). Notaque ſunt verba S. Cœleſtini Papæ 1.ad Epiſcopos Galliæ, *Cleri, plebis, & ordinis conſenſus, & deſiderium requiratur* (*o*), & S. Leonis ad Epiſcopos Provinciæ Vienenſis, *per pacem, & quietem Sacerdotes, qui præfuturi ſunt, poſtulentur: teneatur ſubſcriptio Clericorum, honoratorum teſtimonium, ordinis conſenſus, & plebis &c. Expectarentur certè vota civium, teſtimonia populorum, quæreretur honoratorum arbitrium, electio Clericorum, quę in Sacerdotum ſolent ordinationibus ab his, qui norunt regulas cuſtodiri* (*p*). Et longè anteà Origenes: *Requiritur in ordinando Sacerdote, & præſentia populi, ut ſciant omnes, & certi ſint, quia qui præſtantior eſt, ex omni populo, qui doctior, qui ſanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad Sacerdotium, & hoc adſtante populo, ne qua poſtmodùm retractatio, ne quis ſcrupulus reſideret* (*q*).

15. Hinc negari non poteſt, quod populus, primis illis Eccleſiæ Sæculis, in Epiſcoporum electione partem habuerit: Sed an laici jure præditi fuerint vota in ele-

(a) *Canon. Apoſt. c.* 76

(b) *Thomaſſin. Vet. & nov. Eccl. diſc. p.* 2. *l.* 2. *c.* 55. *n.* 1.

(c) *Cap. petiſti* 9 *qu.* 1. *Gloſ. in cap Epiſcopus* 8. *qu.* 1. *Diana par.* 10. *tr.* 5. *reſol.* 3.

(d) *Vide DD. hinc indè apud Dian par* 10 *tr.* 5. *reſol.* 1. 2. 3 4. *& eum Coordinat. tom.* 9. *tract.* 6

(e) *Hincmar. Remenſis epiſt. ad Hedebertum Silvanectenſis*

(f) *Hincmarus Remenſis loco mox citat. epl. ad Hedebertum.*

(g) *Thomaſſin Vet. & nov Eccl diſc. par.* 2. *l.* 2 *cap* 3. *n.* 3

(h) *Idem Thomaſſin. loco cit.*

(i) *Inter epiſtolas Hormiſdę Papę poſt epiſtolam* 70.

(l) *Severus Sulpitius in Vit. S. Martini apud Surium die* 11. *Nov.*

(m) *S. Cypr. l.* 4. *ep.* 2

(n) *Vide & Barboſ de off & pot. Epiſcopi tit.* 1. *c.* 3. 4 *&* 5. *Azor inſt mor. p.* 2. *l.* 3 *c.* 17. *quæſt.* 3.

(o) *S. Cæleſtin. PP. I. epiſt.* 2.

(p) *S. Leo epl.* 87. *&* 68. *in medio*

(q) *Origen. in cap.* 8. *Levitici homil.* 6. *in medio*

electum conferendi, an verò ſolum conſenſum adhibendi Clero ſuffragia conferenti, quæſtio eſt non parum perplexa, quam ità definit Hildebertus Turonenſis in epiſtolâ ad Electum Andegavenſem, *de electione quid loquar; in quâ populo minimè licet Clerum præcedere, ſed aſſenſu proſequi eligentem (a)*. Profectò ex verbis mox citatis Origenis, evidentiſſimè patet, quod populus non habebat ferre ſuffragium in electionibus, ſed tantummodò præſentiam. Et ità etiam D. Cyprianus ait: *Epiſcopus deligatur plebe præſente (b)*. Sanctus quoquè Athanaſius improbat electionem Gregorii Cappadocis, quod fuerit facta, *nec populis, & Clericis, qui poſcerent præſentibus (c)*. Et alibi ait, eligendum Epiſcopum, *præſentibus Clericis, & populis, qui illum poſtularent (d)*. Undè patet quod ab initio populus non ſuffragium ferebat, ſed ſolam præſentiam, aſſiſtentiam, & ad ſummum conſenſum, ac teſtificationem de merito viri, qui erat ad infulas promovendus. Quinimò & nec Clerus antiquitùs ſuffragium ferebat, ſed ſolam teſtificationem, & præſentiam, vel ad ſummum poſtulationem, quippè electio non niſi ab Epiſcopis Comprovincialibus agebatur, ut ex multis Conciliorum Decretis, alibi per nos relatis elucet (e). Tamèn progreſſu temporis Clerus incæpit vota in electione conferre, ut patet ex his, quæ Hincmarus Remenſis paulò ſuprà memoratus indigitat. Et Stephanus Papa I. Archiepiſcopo Ravennati ſcripſit: *Sacerdotum eſt electio, & fidelis populi conſenſus adhibendus eſt (f)*. Nihilominus de præfata queſtione, an populus quoque ſuffragia ferret in electione Antiſtitis, ità loquitur Michael Rouſſel in hiſtoriâ juriſdictionis Pontificię: *quidam diſtinguunt, ut electio eſſet Cleri, conſenſus Populi. Quo pertinere videtur, quod dixit D. Cyprianus, ut ordinationes fierent ab Epiſcopis, plebe præſente, quæ ſingulorum vitam pleniſſimè novit, & uniuſcujuſque actum de ejus converſatione perſpexit. Sic coram omni Synagogâ jubebatur Pontifex conſtitui. Et D. Paulus, præcipiens Timotheo, quos ordinare deberet Epiſcopos, oportet, inquit, & illos habere bonum teſtimonium ab his, qui foris ſunt, ideſt laicis. Quę videntur innuere, opus eſſe, ut approbet electum ſuo teſtimonio Populus. Quod Stephanus Papa confirmat dicens, Sacerdotum eſt electio, & fidelis populi conſenſus eſt adhibendus, quià docendus eſt populus non ſequendus. Et Gauſridus Abbas, ſolis Clericis licitum eſſe inquit eligere, & conſecrare Epiſcopos. Cæteris dumtàxat petere. Ac Sardicenſis Canon, ſi populi convenerint, & petant ſibi Rectorem, ſatisfaciendum eis eſſe, ait, ut veniant ex vicinâ provinciâ Epiſcopi, & ordinent Epiſcopum (g)*.

(a) *Hildebert. Turonenſ. epl. 12. ad Electũ Andegavenſ.*

(b) *S. Cypr. epl. 61.*

(c) *S. Athanaſius epl. ad Orthodoxos*

(d) *S. Athanaſ. epl. Encyclica ad Epiſc.*

(e) *Vide ſuprà to. 1. Sæcul. 4. cap. 5. à n. 4.*

(f) *Capit. noſſe 12. diſtinct. 63.*

(g) *Michael Rouſſel. hiſtor. juriſd. Põtif. lib. 2. cap. 2. num. 20.*

16. Proſequitur idem Auctor: *ſed profectò ubicumque adhibitus fuit ad electionem populus, pleniſſima ejus fuerunt de creatione Epiſcopi ſuffragia; adeò ut etiam prævaleret contrà Clerum. Quod liquet exemplo Siſinnii, quem populi vox Sedi Conſtantinopolitanæ præfecit, & obtinuit, ut præferretur Philippo, quem Clerus petebat. Et ſi aliquandò ea forma neglecta eſt, minus gratè accepti fuerunt Pontifices alitèr electi, vel prorsùs repudiati, atque etiam interfecti, cujuſmodi exemplum eſt in Hiſtoriâ Nicephori. Et Liberatus in Breviario refert in Eccleſiâ Alexandrinâ ſchiſma, ex eo quod Populus Grajanum vellet, Clerus verò, ſuaſu Theodoræ Auguſtæ Juſtiniani I. uxoris, Theodoſium: adeò ut etiam ſi Grajanus in exilium miſſus fuerit, eum tamèn Epiſcopum agnoverit Populus, & coactus fuerit Theodoſius Urbe cedere. Et antè hæc tempora D. Auguſtinus reſcripſit, sè operam dediſſe ſeditioni ſedandæ in Eccleſiâ Milevitanâ, ob id excitatæ, quod Prædeceſſor ſibi Succeſſorem deſignaverat, de Cleri ſolummodò ſententiâ, non advocatâ plebe, ac nè id contingeret in Hipponenſi Eccleſiâ, curavit, ut Clero, & populo probaretur Eradius, quem poſt ſe relinquebat. Denique tantoperè probata eſt ea eligendi ab univerſo populo, ideſt Clericis, & Laicis forma, ut pluribus Synodis provincialibus, atque etiam Romanis, ac decretis Summorum Pontificum, ſancita fuerit, cum clauſula etiam irritante, videlicèt ut præponeretur omnibus, quem Cleri, plebiſque conſenſus concorditèr poſtulaſſet, & nullus invitis, ac non petentibus ordinaretur, ſin alitèr, ordinatio eſſet irrita: Ne Civitas Epiſcopum non optatum aut contemneret, aut odiret (h)*.

(h) *Idem Michael Rouſſel loc. cit.*

17 Ean-

17. Eandem ſententiam tenet Natalis ab Alexandro, quam probat variis documentis, & præſertìm epiſtolâ S. Cypriani ad Clerum, & populum Aſturicenſem, dicentis, quod plebs *habet poteſtatem, vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recuſandi* (a). Paritèr epiſtolâ Syricii Papę ad Himerium Tarraconenſem, in quâ aſſerit, Diacono Epiſcopatum dari poſſe, *ſi eum Cleri, & plebis evocaverit electio* (b). Item decreto Concilii Remenſis, ſtatuentis, eum in Epiſcopum promovendum, *quem univerſale totius populi elegerit votum, ac Provincialium voluntas aſſenſerit* (c). Demùm canone Concilii IV. Toletani, præſcribentis, *ſed nec ille deincèps Sacerdos erit, quem nec Clerus, nec populus propriæ Civitatis elegerit &c.* (d). Hæc Natalis, poſtquàm ex electione ſeptem Diaconorum, de quâ in Actis Apoſtolorum (e), firmavit plebem Chriſtianam jus habuiſſe teſtimonii præbendi de vitâ, & meritis Miniſtrorum Eccleſiæ in ſacris Ordinationibus, & Electionibus (f). Concludit tamèn, quod ex eorumdem ſeptem Diaconorum electione, non probatur, electionem ſacrorum Miniſtrorum pertinere ad plebem jure Divino, ſed ſuffragationem populi in electionibus eorum, ſoli juri Eccleſiaſtico inniti. Quod jus putat Bellarminus populum ſibi uſurpaſſe (g). Vaſquez verò exiſtimat, id populo fuiſſe indultum, *ex conceſſione Romani Pontificis, & Eccleſiæ* (h).

(a) *S.Cypr. epi.68.*
(b) *Syric. epi. 1. cap.10.*
(c) *Concil. Remenſ. an 630 c 25.*
(d) *Concil. Tolet. 4. cap.19.*
(e) *Actor.cap 6.n.5*
(f) *Natal ab Alex. ſec.1.diſſert.8.Concl.1 2. & 3.*
(g) *Bellarm de Cleric l.1.§. tandem obtinuit.*
(h) *Vaſq. in 3. part. tom 3.diſp.244.cap.5. num.53.*

18. Aſt Andreas Duallius, contrà Simonem Vigorium, mordicùs aſſeverat, Populum nunquàm jure eligendi, & ſuffragia conferendi in electionibus Epiſcoporum præditum fuiſſe, ſed ſolum poſtulandi, & teſtimonium ferendi, ait enim: *proptèr pacem, & Deo placitam concordiam, conſonis omnium ſtudiis, qui Doctor pacis futurus eſt, ordinatur. Sed quod populus Miniſtros Eccleſiæ elegerit, aut jus aliquod Spiritale miniſtris contulerit, nuſquàm Calvinus, & Vigorius ex novo Teſtamento, aut uſu primitivæ Eccleſiæ probabunt. Actuum ſexto, ſeptem Diaconi à multitudine fidelium antè conſpectum Apoſtolorum ſtatuuntur, ideſt offeruntur, & populi Teſtimonio commendantur; nullum tamèn indè jus Spiritale ipſis Diaconis acceſſit, donec Apoſtoli illos acceptaſſent, elegiſſent, manuſque impoſuiſſent. Cum enim in Eccleſiæ Miniſtro tria deſiderentur, fidei integritas, doctrinæ ſufficientia, & vitæ probitas; ad hujus tertii certitudinem, populi Chriſtiani teſtimonia poſtulabantur, imò etiam ipſorum Infidelium; prioris enim ad Timotheum tertio, vult Apoſtolus, Epiſcopum teſtimonium habere bonum ab his, qui foris ſunt. Quod expreſſè in Concilio Carthaginenſi declaratur: Non fuit fruſtrà à Patribus inſtitutum, ut de electione eorum, qui ad regimen Altaris adhibendi ſunt, conſulatur & populus; quid de vitâ, & moribus Præſentandi, quod nonnunquàm ignoratur à pluribus, ſcitur à paucis. Cui conſentit Cyprian. l.1.ep.3. Ex divinâ auctoritate deſcendit, ut Sacerdos plebe præſente, ſub omnium oculis deligatur, & dignus, atque idoneus publico judicio comprobetur. Idque repetit epiſt.4. ejuſd. libri, ut plebe præſente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur. Leo epiſtol.87. Sacerdos Eccleſię præfuturus, non ſolùm atteſtatione fidelium, ſed etiam illorum, qui foris ſunt, teſtimoniis muniatur, neque ullius ſcandali relinquatur occaſio* (i).

(i) *Andr. Duallius de poteſt.Pontific.q.4.*

19. Pergit Duallius, & proſequitur: *Hic ergò viguit mos in antiquâ Eccleſiâ, ut ſcilicèt coram populo, teſtimonium de vitę probitate ferente, electio Miniſtrorum ab Epiſcopis fieret. Quod cum non diſtinxerit, vel diſtinguere voluerit Vigorius, impegit in ſcopulos Calvinianos, quibus tota Eccleſiæ Hierarchia ſubvertitur. Secundò poteſtas Epiſcoporum, & cæterorum Eccleſiæ Miniſtrorum eſt merè Spiritalis: populus autèm nullam habet poteſtatem ſpiritalem, ſed ſi quam haberet, tantùm eſt civilis, & humana: ergò non poteſt alicui talem poteſtatem conferre; nemo enim alteri, quod non habet, dare poteſt: ac proindè nullum Eccleſię Miniſtrum poterit eligere, cum electio canonica ſit Spiritalis collatio, quâ populus deſtituitur &c. Vel enim poteſtas Spiritalis conveniret populo, quatenùs eſt populus: vel quatenùs eſt fidelis: non prius, quià ſic Turcæ, & Infideles omnem poteſtatem Spiritalem haberent. Non poſterius, quià, etſi populus fidelis characterem Baptiſmi habeat, hic tamèn non ad eligendos, ſed inſtituendos Eccleſiæ Miniſtros refertur, ſed ut à pecca-*

to

Digitized by Google

to originali liberemur, Chriſto inſeramur, & aliorum Sacramentorum, atque ſuffragiorum Eccleſiæ capaces, & participes efficiamur: Tertiò ad electionem alicujus in officium aliquod grave, & arduum, quale eſt Eccleſiaſticum, maxima requiritur ſcientia, & prudentia; atqui populus demens eſt, & præcipitis admodùm judicii, belluaque, ut ajunt, multorum capitum; igitur de perſonæ eligendæ ſufficientiâ, idoneitate, & capacitate, judicare non poteſt: Quarè peſſimè cum Eccleſiâ actum fuiſſet, ſi poteſtas eligendi ſacros Miniſtros judicio, aut arbitrio populi relicta fuiſſet (a).

20. Eandem ſententiam tuentur Cællotius de Hierarchiâ (*b*). Zacharias Boverius contrà Rempublicam Marci Antonii de Dominis (*c*), Franciſcus Torenſis in Apologetico prò reſidentiâ Paſtorum, ſcribens, *dicere autem plebem aliquandò elegiſſe Epiſcopos, aut poſſe modò, ad hęreſim de inveſtiturâ eccleſiaſticâ à laicis acceptâ pertinere poteſt, quam Romana Synodus, Gregorio VII. Pontifice damnavit (d).* Mox citat Goffridum Vindocinenſem, cujus de hujuſmodi rè hęc, quæ ſequitur, eſt ſententia, *Tota ordinatio Epiſcopi non in ſuâ, ſed in aliorum electione conſiſtit, & conſecratione, ſi tamèn illam electio recta pręceſſit. Hæc autem priùs per ſemetipſum Chriſtus fecit, deindè verò Vicarii ejus &c. Sunt autem Vicarii Chriſti, Clerici in electione, Epiſcopi in conſecratione. Cæteri omnes petere quidem Epiſcopum poſſunt, eligere verò, vel conſecrare non poſſunt (e).* Hæc ſanè opinio ex ſacris Canonibus optimè comprobatur; Nàm in Concilio Laodicęno decernitur *Turbis non eſt permittendum electiones eorum, qui ſunt in Sacerdotio conſtituendi (f).* In Concilio Bracarenſi ſancitur, *non licet populo electionem eorum facere, qui ad Sacerdotium promoventur. Sed ſit judicium Epiſcoporum, ut ipſi eum, qui ordinandus eſt, probent, ſi in ſermone, & fide, & ſpiritali vitâ edoctus ſit (g).*

(a) *Andreas Duallius loco citato.*
(b) *Cęllotius lib. 4. cap. 17.*
(c) *Zach Bover. l. 3. cap. 3.*
(d) *Franc. Torenſis in Apolog. eſt in Bibliotb. Patrum.*
(e) *Goffrid. Vindocinens opuſc. 2. ad Petrum Leonis.*
(f) *Concilium Laodicænum cap. 13.*
(g) *Concilium Bracarenſ. 2. cap. 2.*

21. In Concilio quoquè Conſtantinopolitano IV. Generali VIII. definitur ſub pœnâ anathematis, *neminem laicorum principum, vel potentum ſemet inſerere electioni, vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitæ, aut cujuslibet Epiſcopi (h).* In Concilio Martini Papę pręcipitur idem, quod ſupra ex Concilio Bracarenſi relatum eſt (*i*). In Jure paritèr hoc cavetur, *Convocato Clero, & populo, talis ibi eligatur per Dei miſericordiam, cui ſacri non obvient Canones. Sacerdotum quippè eſt electio, & fidelis populi conſenſus adhibendus eſt, quià docendus eſt populus, non ſequendus (l).* Demum item in Jure ex S. Leone Magno hęc obſervanda in electionibus regula præficitur. *Vota civium, teſtimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio Clericorum in Ordinationibus Sacerdotum expectantur &c. Teneatur ſubſcriptio Clericorum, honoratorum teſtimonium, ordinis conſenſus, & plebis (m).* Ex quibus liquidò apparet, electionem Epiſcoporum ad ſolos Clericos pertinuiſſe, Laicoſque, & populum non niſi ad ſummum habuiſſe jus conſenſum preſtandi, & teſtimonium perhibendi moribus, & vitæ illius, qui eligendus erat, eo tempore, quò forma electionis vigebat, & non erat adhuc ad ſolos Canonicos Cathedralis reſtricta.

(h) *Conc. Conſpol. 4. cap. 22.*
(i) *Cap. non licet 8. diſt. 63.*
(l) *Cap. noſſe 12. ead. diſt.*
(m) *Cap. Vota 27. diſt. 63.*

22. Quanto tempore duraverit hujuſmodi Clericorum, & Laicorum, in Antiſtitum electione commixtio, aperit Pamelius his Verbis, *In Africâ illum obſervatum conſtat ex electione Eradii ſucceſſoris D. Auguſtini, de quo extat Epiſtola ejus 120. In Græciâ, ætate Chryſoſtomi ex lib. 3. de Sacerdotio. In Hiſpaniis, ex loco S. Cypriani Ep. 68. & ex Iſidoro lib. 2. de officiis. In Galliis ex Epiſtolâ Cæleſtini Papæ 2. Romæ, ex iis, quę ſuprà diximus epiſtolâ ad Antonianum. Ubique etiam alibi ex epiſtolâ Leonis 67. Et perduraſſe eam conſuetudinem ad Gregorium I. uſque, ex ejus epiſtolis, imò, & ad tempora uſque Caroli, & Ludovici Imperatorum, ex 1. lib. Capitulorum eórundem, ſatis conſtat. Verùm Plebi ſola ſuffragia conceſſa* (prò ſuffragiis hic intellige, non calculos, ſchedulas, fabas, tabellas, vel ſimilia, ſed ſolam teſtificationem, vel petionem, & conſenſum) *non electionem, quæ per ſubſcriptionem fieri ſolet, perſpicuum ſit in primis ex Concilio Laodicæno can. 12. & 13. ubi prohibetur electio Epiſcoporum per plebem fieri, & ex D. Hieronymo, qui epiſtolâ ad Evagrium dicit, Electionem Alexandrini Epiſcopi à Presbyteris fieri ſolere:*

dein-

deindè ex dictâ epiſtolâ Leonis, qui ſingulorum in electione propriâ diſtinguens officia, vota requirit civium, teſtimonia populorum, honoratorum arbitrium, electionem Clericorum, & denuò poſteà ſubſcriptionem Clericorum, Honoratorum teſtimonium, Ordinis, & Plebis conſenſum (a).

(a) *Pamelius annot. ad epiſt. 68. Sancti Cypriani num. 4.*

23. Proſequitur Pamelius: *Hoc enim potiſſimùm tùnc agebatur, ut invitæ plebi non daretur Epiſcopus. Non tamèn ſic, ut cogerentur Epiſcopi admittere quemcumque Plebs poſtulaſſet, uti ex can. 1. & 2. Græcarum Synod. à Martino Bracarenſi collectarum, & ex dictâ Cæleſtini epiſtolâ, & Stephani Papę decreto 68. diſt. cap. noſſe. Sed ſi quem petiiſſet contrà ſtatuta Canonum, denuò, & ſæpius convocari ſolitos Clerum & plebem, donec concordarent in idoneum quempiam colligere eſt ex epiſtolâ Gelaſii Papę ad Philippum, & Gerontium, citatâ à Gratiano diſt. 63. cap. plebes. Si qua autem contradictio quorundam oboriretur, diſcutiebantur primò perſonæ contradicentes, & tùm demùm, ſi vera non eſſent quæ obiicerentur, ordinabatur Epiſcopus, uti conſtat ex can. 40. Conc. Carth. 3. Si denique nec ita fieret concordia, interponebat ſuam auctoritatem Archiepiſcopus, & quem ille probaſſet, prò Epiſcopo habebatur. Neque verò hæc ſufficiebant, ſed accedere præterea debebat conſecratio, ſivè (quàm vocat Cyprianus) manus impoſitio, per Epiſcopos, qui convenerant, quos ut minimum duos eſſe oportebat, uti ex Canonibus ſatis ſuperque manifeſtum eſt.* Hæc Pamelius (*b*). Et licet in his agatur de ſolis beneficiis Epiſcopalibus, tamen per ea ſatis etiam de beneficiis inferioribus ſermo habetur, quatenus quod de primis dicitur, verificatur etiam proportionalitèr de ſecundis (*c*). Uti à Contradictoribus etiam admittitur. Et ideò fundato ratiocinio ſuper Epiſcopatuum largitione, reſultat indè ratio quoquè, in collatione beneficiorum inferioris ordinis obſervanda.

(b) *Idem Pamelius in præfata epiſt. S Cypriani.*

(c) *Vid. Concil. Turon. an. 1163. c. 1. Baron. to. 12. ad. an. f. 190. d.*

C A P U T XX.

In quo continuatur Materia Capituli præcedentis, de modo in diſtributione Beneficiorum, præſertim Epiſcopalium, obſervato, eo tempore, & ubi electio Canonica in uſu fuit.

S U M M A R I U M.

1 *Diverſimodi obſervati ſunt in provectione Epiſcoporum. Aliquandò Anteceſſor deſignabat ſucceſſorem. Interdùm Epiſcopi Comprovinciales eligebant; vel Clerus, & populus Promovendum deſignabant.*

2 *Aliquandò ſoli Epiſcopi Comprovinciales Epiſcopos eligebant, vel Clerus eligebat, populus petebat, & Comprovinciales approbabant.*

3 *Quandoque pratèr conſenſum, etiam præſentia Metropolitani, & Comprovincialium exigebatur. Ad conſecrationem Epiſcopi quos Epiſcopis opus eſſet, an exigerentur duo, vel tres, aut plures.*

4 *Nonnunquam ad electionem neceſſarius erat aſſenſus Primatis Regionis, vel Legati Apoſtolici, qualis erat Archiepiſcopus Theſſalonicenſis.*

5 *Interdùm opus erat aſſenſu Principis temporalis, ut ex pluribus Canonibus conſtat, & ex S. Gregorio, ac Stephano Papâ &c.*

6 *Aliquando ſolus Princeps temporalis Epiſcopos eligebat. Valentinianus I. noluit eligere Antiſtitem Mediolanenſem, tametſi deferentibus Coepiſcopis.*

7 *In*

Digitized by Google

7 In Hiſpaniâ Reges à Concilio Toletano XII. habuerunt, ut Epiſcopos deſignarent, conſentiente Pontifice, ut ſcribit Garſias Loayſa.

8 Sixtus IV. Hadrianus VI. atque Clemens VII. indultum nominandi Epiſcopos Regi Hiſpaniæ contulerunt.

9 In Galliâ tempore Pipini, & Ludovici Pii, Princeps Epiſcopos deligebat. Quod etiam dudum antea Reges, à Clodoveo deſcendentes faciebant.

10 Lupus Ferrarienſis refert Indulto Zachariæ Papæ, quod Reges Galliæ nominent Epiſcopos. An alii benè id refundant in ceſſionem factam ipſis Regibus à populo, cum aliundè aliud inferatur?

11 Ivo ſcribit non licere Regi, ſè in electione Antiſtitum immiſcere. Nunc vi Concordatorum Rex Galliæ nominat ad Epiſcopatus Gallicos.

12 In Luſitaniâ ſcribit Barboſa, Regem habere jus nominandi ad Epiſcopalia beneficia, ex privilegio Apoſtolico, dato Regi Alphonſo V.

13 In Poloniâ Reges olim ſe immiſcebant electionibus Epiſcoporum. Uſque ad tempus Martini Papæ V. non habebant jus nominandi, ſivè præſentandi.

14 In Hungariâ uſque ad Innocentium III. quid fieret? In Siciliâ Rex præſentat ad omnes Epiſcopatus. In Regno verò Neapolis ad ſolos 24.

15 In Angliâ varii Reges electionibus Antiſtitum ſè ingerebant. Paſchalis Papa II. & S. Anſelmus Cantuarienſis huic rei reſtiterunt, ut Præſulum libera eſſet electio.

16 Alii Reges ibi ſimulabant ſe velle Canonicam electionem in ſuâ libertate vigere: quorum opera S. Thomas Cantuarienſis, & Parlamentum improbant.

17 Eugenius PP. IV. monuit Henricum VI. Regem, ut liberam diſpoſitionem beneficiorum Papæ sineret. Martinus V. Epiſcopos in Angliâ deputabat.

18 In Scotiâ quoque aliquando Reges, vel eligendo, vel alitèr deputando Epiſcopos ſe eorum electionibus immergebant: undè interdùm jurgia emerſerunt.

19 In Sveciâ itidem Reges in provectione Antiſtitum, partem ſibi aſſumebant. An Sedes Apoſtolica de Sveciæ Epiſcopatibus liberè diſponeret?

20 In Hiberniâ paritèr Rex partem habebat in Epiſcoporum provectione. Quod & in Norvegiâ fiebat, ubi edita fuit concordia ſuper hac rè.

21 In Oriente Imperator deſignabat Præſules, & Epiſcopatus in Metropoles vertebat. Polieuctus abolere fecit legem, libertati electionis contrariam.

22 In Occidente Imperatores quomodo in hac rè ſe gererent? Carolus Magnus liberam voluit eſſe Antiſtitum provectionem, per electionem Canonicam.

23 Sub Lothario, & aliis manus Cæſaris multum prævaluit in Epiſcoporum provectione, uſque ad conferendam inveſtituram Epiſcopatuum.

24 Ubi deerat ſpeciale privilegium, vel jus patronatus, Principes illicitè ſe proviſionibus beneficiorum miſcuère: illiſque Eccleſia prò viribus reſtitit.

25 Reſtiterunt quoque Pontifices, & Eccleſia Inveſtituris Eccleſiarum, per Principes conceſſis: contrà quas varii canones editi ſunt.

26 Paſchalis II. PP. conſtantiâ carens, indultum Henrico IV. Cæſari de dandis inveſtituris conceſſit, quod ſubindè fuit abolitum ſub Calliſto Papâ II.

27 Nedùm Principibus, verùm etiàm cæteris laicis inferioris ordinis, Eccleſia interdixit ſe Præſulum electionibus immiſcere, ad Clerum ſpectantibus.

28 Clerus Cathedralis, & Urbis, ac Diœceſis, cui præfici debebat Antiſtes, eum olim eligebat, admiſſis ad id etiàm Monachis.

29 Subindè reſtricta eſt electio ad ſolum Capitulum Eccleſiæ, ut nunc fit in Germaniâ. Alibi forma electionis Canonicæ prorsùs elanguit.

30 Scelusò privilegio, Principes non ſè valent Antiſtitum electionibus immiſcere. Doctrina refertur Flori Magiſtri de hac rè.

1. SPECTAT ad rationem præſentis Operis calamo perſeverante tractare de methodo, in diſtributione beneficiorum, præſertim Epiſcopalium, antiquitùs obſervatâ, ut illa Contradictorum vox retundatur, quâ carpunt mutationem, ex tunc in Eccleſiâ introductam, & formam vellicant jam noſtrâ ętate vigentem, in eorundem diſpenſatione. Itàque multifariam, ut innuimus, multiſque modis, ab initio fidei uſque nunc eccleſiaſtica obſervantia in beneficiorum Epiſcopalium diſtributione ſe habuit. Nàm aliquandò Epiſcopi alios Epiſcopos deputabant, vel ſibi ſucceſſores deſignabant, uti dictum eſt Capitulo præcedente. Aliquandò Clerus ſimùl, ac populus Antiſtitem nominabant, & eligebant; ſivè Clerus per ſuffragia Promovendum eligebat, Populus verò electioni intererat, & Electum poſcebat, vel ei teſtimonium ferebat, & ut eligeretur conſenſum adhibebat. Quâ de rè, præter ſuperius dicta (*a*), S. Ambroſius laudat S. Acholium Theſſalonicenſem, *quod ad ſummum Sacerdotium, à Macedonicis obſecratus populis, electus à Sacerdotibus*, aſcendit (*b*), & S. Leo, in Epiſtolâ ad Ruſticum Narbonenſem, *nulla ratio ſinit, ut intèr Epiſcopos habeantur, qui nec à Clericis ſunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à provincialibus Epiſcopis cum Metropolitani judicio conſecrati* (*c*): Cum aliis, quæ ſuprà allegavimus (*d*). Notandum hìc eſt tamèn, quod ſicut interdùm vox hæc *ſuffragium*, ſivè ſuffragia, in electionibus frequentata, lato modo, & impropriè adhibebantur, extrà eorum germanam, & ſtrictam ſignificationem (*e*); Sic & interdùm vox *electio*, impropriè, ſivè lato modo reperitur adhibita, prout quando Concilium III. Pariſienſe decrevit, *ut nullus præficiatur Eccleſiæ, niſi quem populi, & Clericorum electio pleniſſimâ quæſierit voluntate* (*f*). Ubi terminus electionis æqualitèr prædicatur de populo, & Clero, cum tamèn electio propriè, & rigoroſè à ſolo Clero fieret: à populo vero ſola pręſentia, vel teſtificatio, aut conſenſus interponeretur, qui nonniſi lato modo, & impropriè dici poteſt electio.

(a) *Vide Capit. præcedent. à num. 13.*

(b) *S. Ambroſius epiſtola 59.*

(c) *S. Leo Papa I. epiſtola 90. alias 92.*

(d) *Vide Capitulo præcedent. numer. 17.*

(e) *Vide Capitul. præcedent. num. 22.*

(f) *Concil. III. Pariſienſ. an. 557. cap. 8.*

2. Aliquandò unà cum Clero, & populo, etiàm Epiſcopi Comprovinciales in electum ſuffragiis conſonis conveniebant. Hincque S. Julius Papa I. improbavit intruſionem Gregorii Cappadocis in Eccleſiâ Alexandrinâ, tamquàm *non poſtulati à presbyteris, neque ab Epiſcopis, neque à populo* (*g*). Quod jus in Hungariâ viguiſſe uſque ad tempora Innocentii Papæ III. indicio eſt querela Epiſcopi Quinqueccleſienſis, qui cum aliis conſociis lamentabatur, *aſſerentes, quod, eis contemptis, qui jus habebant eligendi*, cum Clero Strigonienſi, Archiepiſcopus illius Metropolis fuerat deſignatus (*h*). Aliquandò ſoli Epiſcopi Comprovinciales Epiſcopos eligebant, de quâ rè Concilium Laodicenum, *Epiſcopi judicio Metropolitanorum, & eorum Epiſcoporum, qui circumcircà ſunt, provehantur ad eccleſiaſticam poteſtatem* (*i*). Et Concilium Nicænum II. *Oportet eum, qui eſt promovendus ad Epiſcopatum, ab Epiſcopis eligi, quemadmodùm à S. Patribus Nicęæ decretum eſt* (*l*). Aliquandò à ſolo Clero, & populo fiebat electio, & reſpectivè poſtulatio futuri Præſulis, ſed reſervatâ Metropolitano, atque Epiſcopis Comprovincialibus Electi approbatione. Et ità in Concilio Antiocheno definitum eſt, *Epiſcopus non eſt ordinandus ſinè Concilio, & præſentiâ Metropolitani Epiſcopi, cui melius erit, ſi cum omni provinciâ congregentur Epiſcopi. Quod ſi fieri non poteſt, hi, qui adeſſe non poſſunt, propriis literis conſenſum ſuum de ipſo deſignent, & tunc demùm poſt plurimorum, ſivè per præſentiam, ſivè per literas, conſenſum, ſententiâ conſonâ ordinetur* (*m*). Quod & Concilium Romanum ſub Martino Papâ I. verbis penè totidem demandavit (*n*). Conſonantque alii Canones, hìc in margine recenſiti (*o*).

(g) *Jul. PP. I. apud S. Athanaſ. Apolog. 2.*

(h) *Cap. bonæ memorię 4 de poſtul.*

(i) *Concil. Laodicen. cap. 12.*

(l) *Concil. Nicæn. I. cap. 4. & Nicæn. 2. cap. 4.*

(m) *Concil. Antioch. cap. 19.*

(n) *Cap. non debet 3 diſt. 65.*

(o) *Cap. extrà 5. cap. quia 6. cap. illud 7. diſ. 64.*

3. Quandoquè prætèr conſenſum Metropolitani, & Comprovincialium Epiſcoporum ad electionem, omnium eorumdem quoque Antiſtitum præſentia requirebatur prò novi Epiſcopi conſecratione, in quo etiam varia methodus eſt ſervata. Nàm ab initio unus Epiſcopus ordinabat alios Epiſcopos, uti docent Bellarminus (*p*). Dominicus Soto (*q*). Hallier de ſacrâ Ordinatione (*r*), & alii: temporeque Con-

(p) *Bellarm. de notis Eccleſiæ l. 4. c. 8. tom. 2.*

(q) *Soto de juſt. & jur. l. 10. qu. 1. art. 3.*

(r) *Hallier. de ſacr. ordin. part. 2.*

Digitized by Google

Concilii Antiocheni refert Theodoretus, miſſum fuiſſe à Synodo S. Euſebium Samoſatenum, ut viſitaret Eccleſias, & in eis Epiſcopos Catholicos deputaret, prout & fecit, ſub militaris tegminis ſpecie, provincias ſibi aſſignatas excurrens, & Acacium Berææ, Theodorum Hierapoli, Chalcedone Euſebium, Iſidorum Cyri, alibique alios conſecrans Epiſcopos (*a*). Sed prohibitum tandèm fuit, decreto Siricii Papæ, *ne unus Epiſcopus Epiſcopum ordinare præſumat, propter arrogantiam, ne furtivum beneficium præſtitum videatur* (*b*). Aliquandò juſſum eſt, ut ad conſecrationem Epiſcopi, duorum Coëpiſcoporum numerus eſſet ſatis, ut ex Canonibus Apoſtolorum clarè niteſcit (*c*), ſed deindè Concilium Arauſicanum puſillum hunc numerum improbavit, ſtatuens, *ſicubi contigerit duos Epiſcopos tertium ordinare, & ipſe, & auctores damnabuntur* (*d*). Tandèm decretum eſt ut Conſecrationi Epiſcopi ſaltem tres Epiſcopi adeſſet,& ex tunc trium numerus ſatis fuit, juxtà canonem Nicænum, ſancientem *Epiſcopum convenit maximè quidèm ab omnibus, qui ſunt in provinciâ, Epiſcopis ordinari. Si autèm hoc difficile fuerit, aut proptèr inſtantem neceſſitatem, aut proptèr itineris longitudinem; tribus tamen omninò in idipſum convenientibus, & Abſentibus quoque parimodo decernentibus, & per ſcripta conſentientibus, tunc ordinatio celebretur* (*e*). Ità tamèn trium Epiſcoporum numerus eſt approbatus, ut totius conſecrationis poteſtas in omni provinciâ principalitèr ad Metropolitanum Epiſcopum pertineret (*f*): Nec intèr Epiſcopos computaretur is, qui prætèr ſententiam ejuſdem Metropolitani, fuiſſet ad Epiſcopatum promotus (*g*).

4. Nonnunquàm ultrà Metropolitani, & Comprovincialium Epiſcoporum, in electione novi Antiſtitis, aſſenſum, exigebatur etiam auctoritas Primatis Regionis, de quâ rè in Concilio Carthaginenſi II. *inconſulto Primate cujuslibet provinciæ, tam facilè nemo præſumat, licet cum multis Epiſcopis, in quocunque loco, ſine ejus præcepto Epiſcopum ordinare* (*h*). Aliquandò opus erat etiam auctoritate Legati Apoſtolici, ut innuitur in epiſtolâ S. Leonis Papæ ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem. *Dè perſonâ autem conſecrandi Epiſcopi, & de Cleri, plebiſque conſenſu, Metropolitanus Epiſcopus ad fraternitatem tuam referat, quodque in provinciâ benè placuit, ſcire te faciat, ut ordinationem ritè celebrandam, tua quoque confirmet auctoritas* (*i*). Hunc Anaſtaſium fuiſſe Primatem indicat Hincmarus (*l*), & cum eo gloſ. in verb. Metropolitanus cap. de Conciliis 2. diſt. 18. Sed rè verâ erat Legatus Apoſtolicus, ut oſtendit Joannes Fileſacus de ſacrâ Epiſcoporum Auctoritate (*m*). Neque Legationem hanc aquiſiſſe cenſendum eſt perſonalitèr, uti opinatur Ivo Carnotenſis (*n*), ſed ex privilegio Sedi Theſſalonicenſi nativo: Antiſtes enim illius Eccleſiæ, Legatus natus eſſe ſolebat, ſeù Vicarius Sedis Apoſtolicæ, uti fuſiùs probatum eſt in Concilio Romano, habito ſub Bonifacio Papâ III. (*o*), ubi adverſus Patriarcham Conſtantinopolitanum, uſurpantem ſibi jura in Eccleſiam Theſſalonicenſem, cum toto Illyrico, doctum eſt, uſque à tempore Siricii Papæ, ac Damaſi, eâdem Legatione functos eſſe Acholium, & Anyſium Epiſcopos Theſſalonicenſes: Tempore Bonifacii Papæ I. Rufum: Tempore Leonis item I. Anaſtaſium &c. In Siciliâ debuiſſe interponi electionibus auctoritatem Legati Apoſtolici, uſque ad tempora S. Gregorii VII. patet ex ejus epiſtolâ ad Rogerium Boſſum Comitem Siciliæ, ubi ait: *De cætero quia Trainenſem Electum à nobis conſecrari poſtulas, licet electioni ejus hoc defuerit, quod Legatus Apoſtolicæ Sedis, & conſenſus noſter non adfuit, tamèn monentes nè de futuro id fiat, tuæ dilectioni &c. ad præſens annuimus &c.* (*p*).

5. Interdùm cum Clero, & Populo, Promovendum eligentibus, & reſpectivè petentibus, ac cum Coepiſcopis aſſentientibus, conſenſus quoque deſiderabatur Principis Sæcularis, & hoc eſt, quod ſignificat S. Gregorius, in epiſtolâ ad Joannem Epiſcopum primæ Juſtinianæ, ſcribens, *ad locum vos Sacerdotii totius Concilii unito conſenſu, & Sereniſſimi Principis voluntate &c.* (*q*). Et Stephanus Papa Guidoni Comiti: *Lectis ſagacitatis veſtræ apicibus, qui defuncto Eccleſiæ Reatinæ*

(a) *Theodoret. in hiſt. Sanct. Patr. Baron. an. 378 à num 48.*

(b) *Siricius PP. epiſtola 4.*

(c) *Canon. Apoſtolor. cap. 1.*

(d) *Concil. Arauſican. I. cap. 3.*

(e) *Concil. Nicæn. I. cap. 4.*

(f) *Cap. Epiſcopum 7. diſt. 64.*

(g) *Concil. Nicæn. I. cap. 6.*

(h) *Concil. Chart. II cap. 13.*

(i) *S. Leo epl. 82. al. 56.*

(l) *Hincm. Remenſ. Opuſc. 55 c. 37.*

(m) *Joan. Fileſac. c. 10 §. 2.*

(n) *Ivo Carnot. epl. 59.*

(o) *Vid. Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſcipl. p. 1. l. 3. c. 18. n. 7.*

(p) *S. Greg. 7 l. 9. epl. 24. Binius tom. 3. Concil. p. 2. f. 1272.*

(q) *S. Greg. I. lib. 4. epiſtola 35.*

Antiſtite, Clerum, & plebem ejuſdem Eccleſiæ elegiſſe ſibi futurum Antiſtitem; nobiſque conſecrandum veſtro ſtudio directum eſſe, nè ipſa Eccleſia diù ſinè proprio conſtet paſtore, fatebantur, nos de obitu prioris dolentes, nùnc ipſum electum unanimitate, & canonicâ ipſius Eccleſiæ electione, ut mandaſtis, tàm citiſſimè ordinare omiſſimus, quod Imperialem nobis, ut mos eſt abſolutionis minimè detulit Epiſtolam (*a*). Alluduntque alii Canones Juris Corpori inſerti (*b*). Et Concilium Aurelianenſe V. decernens: *Nullum Epiſcopatum præmiis, aut comparatione liceat adipiſci, ſed eum voluntate Regis, juxtà electionem Cleri, & plebis, ſicut in antiquis Canonibus continetur* (*c*). Quâ de rè Hincmarus: *Conſenſu Principis terræ, qui res eccleſiaſticas divino judicio tuendas, & defendendas ſuſcepit, electione Cleri, ac plebis, quiſque ad eccleſiaſticum regimen abſque ullâ venalitate provehi debet* (*d*).

6. Aliquandò ſolus Princeps temporalis Epiſcopos deſignabat, quemadmodùm nùnc in pluribus locis eos præſentat, vel prò illis ſupplicat. Et quidem quod Conſtantius I. Auguſtus, & alii ejus ſucceſſores, antè tempora Valentiniani I. Epiſcopos darent Eccleſiis, probat Petrus Gregorius in tit. de election. ex Nicephoro, Euſebio, Socrate, & Theodoreto (*e*). Sed ſi hoc ſinè aſſenſu Eccleſiæ peregerunt, non niſi audactèr, & uſurpativè fecerunt. Eccleſiam enim aliquandò hanc poteſtatem Principibus laicis detuliſſe legitur in Hiſtoriâ Tripartitâ, ubi ſermo eſt de ſuaſione, quâ idem Valentinianus Epiſcopos commonuit, ut dignum Antiſtitem Eccleſiæ Mediolanenſi præficerent, quæ *cum dixiſſet Imperator, petiit Synodus, ut magìs ipſe decerneret, ſapiens, & pius exiſtens. At ille: ſuper vos eſt, inquit, talis electio. Vos enim, gratiâ divinâ potiti, & illo ſplendore fulgentes, meliùs poteritis eligere* (*f*). Poſſent ad hoc allegari cap. Hadrianus 22. & cap. In Synodo 23. diſt. 64. in quorum primo dicitur Hadrianum Papam cum Concilio Epiſcoporum dediſſe Carolo Magno poteſtatem eligendi Romanum Pontificem, & Epiſcopos per provincias deputandi. In ſecundo verò idem jus à Leone Papâ delatum eſſe Othoni Imperatori narratur; ſed cum uterque canon commentititius ſit, & à Sigeberto Schiſmatico confictus, ut affirmat Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſticis (*g*); Nihil in eis fundamenti fieri poteſt. Ad meliora ergò documenta recurrendum eſt.

7. Et quidem quoàd *Hiſpaniam*, Concilium Toletanum XII. ità decrevit, *Placuit omnibus Pontificibus Hiſpaniæ, atque Galliciç, ut, ſalvo privilegio uniuſcujuſque provinciæ, licitum maneat deinceps Toletano Pontifici quoſcumque Regalis poteſtas elegerit, & jam dicti Toletani Epiſcopi judicium dignos eſſe probaverit, in quibuslibet provinciis, & in præcedentium Sedibus præficere Præſules, & decedentibus Epiſcopis eligere ſucceſſores* (*h*). Hinc nominatione Regia Fælix Hiſpalenſis Epiſcopus ad Toletanam Metropolim dicitur translatus (*i*). Braulio Cæſarauguſtanus ſcripſit Iſidoro Hiſpalenſi, *ſuggero, ut quià Euſebius noſter Metropolitanus deceſſit, habeas miſericordiæ curam, & hoc filio tuo noſtro Domino Regi ſuggeras, ut utilem illi loco pręficiat* (*l*). Quàm poteſtatem ab Hiſpaniæ Regibus in Epiſcoporum electione, ſeu præſentatione poſſeſſam, non niſi à ſummorum Pontificum conceſſione profectam eſſe cenſet Garſias Loayſius Archiepiſcopus Toletanus, dicens, *ſtudium, & labor eligendi viros Epiſcopatibus præficiendos, penès Reges tempore Gothorum erat, quod uſque Romanorum Pontificum indulgentiâ ad noſtra tempora penès Hiſpaniæ Reges reſedit &c. Undè conſtat ad Regiam curam pertinere nominare Epiſcopos, quod fiebat hoc pacto: Rex de eâ rè nominationem referebat ad Concilium; Concilium verò inquirebat, nominatus dignus eſſet eo munere, ut ad Epiſcopatum eveheretur: quod ſi inventus eſſet moribus, & doctrinâ ornatus, ſtatìm à Concilio confirmabatur. Omnia autèm hæc fiebant conceſſione Romanæ, & Apoſtolicæ Sedis, cujus auctoritatem Eccleſia Hiſpaniæ ſemper majorem in modum coluit, & obſervavit* (*m*).

8. Reges poſtmodum Hiſpaniæ, hoc jus, qualecumque eſſet à ſè abdicaſſe,

& in

(a) *Cap. lectis 18. diſt. 53.*
(b) *Cap. principalis 35. diſt. 63. cap. quod ſicut cap. cum terra de elect.*
(c) *Concil. Aurel. 5. cap. 2.*
(d) *Hincm. Remenſ. epi. 4. c. 41.*
(e) *Petr. Gregor. in decretal. tract. de elect. c. 3 n. 5.*
(f) *Hiſt. Tripart. l. 7. cap. 12.*
(g) *Bellarm. de Scriptur. Eccleſ. in Gratiano.*
(h) *Conc. Tolet. 12. cap 6.*
(i) *Fileſac. de ſacr. Epiſcopor. poteſtate cap. 7. § 6.*
(l) *Idem Fileſac. loc. cit.*
(m) *Garſ. Loayſ. in not. ad Conc. Tolet. 12. 6.*

& in Eccleſiarum Capitula tranſtuliſſe, refert Barboſa (*a*). Et id conſonè de Regibus Aragoniæ tradit Zurita (*b*), quod ſi ita eſt, id cum aſſenſu Apoſtolico opotuit accidiſſe. Ex tuncque ipſa Capitula proprium ſibi Antiſtitem eligere perrexerunt, donec Romani Pontifices per Regulas reſervatorias, proviſionem Epiſcopatuum ad ſe liberam avocarunt. Undè inter Pontifices, & Reges crebræ ortæ ſunt controverſiæ, Regibus poteſtatem nominandi Epiſcopos repetentibus; Romanis verò Pontificibus jus ipſum repellentibus, & de viduis Eccleſiis liberè diſponentibus. Audiatur Mariana: *Erat eâ tempeſtate moribus uſurpatum, nè Epiſcopi Eccleſiis Hiſpaniæ darentur, niſi quos Reges poſtularent, nominarentque. Quâ occaſione paulò poſt nova contentio de Tiraſonenſi Eccleſiâ orta eſt, cui, Andreâ Ferricio Cardinali defuncto, Pontifex Andream Martinum Epiſcopum dedit. Reſtitit Rex Ferdinandus &c. Controverſia finem accepit cum Raphaele Galeotto, quarto poſt anno, Conchenſi Eccleſiæ tunc vacuæ, à Sixto Pontifice propinquo, prefecto; effecit Rex, eo amoto, Alphonſum Burgenſem, Regię Conſcientię Procuratorem, è Dominicano ordine, Cordubenſem Epiſcopum, Rectorem Conchenſibus dari, Regibus Caſtellæ in perpetuum, ut quos ipſi expetiſſent, ii Epiſcapi preficerentur, addita prærogativa* (*c*). Poſt præfatum indultum à Sixto Papâ IV. collatum, vi cujus agebant apud Papam Reges Hiſpaniæ, ut is Epiſcopatu donaretur, quem ipſi expetabant; novo indulto Hadrianus Papa VI. indè Clemens VII. conceſſit Carolo V. Imperatori, uti Regi Hiſpaniarum, ejuſque Succeſſoribus, jus preſentandi Epiſcopos Hiſpaniæ, uti narrant dictus Mariana (*d*), Davila (*e*), Garcia, & alii (*f*).

9. In Galliâ tempore Concilii III. Pariſienſis Reges nullam poteſtatem habebant in Antiſtitum provectione; quippè Synodus ipſa decrevit, ne quis ad Epiſcopale munus perveniret, *niſi quem populi, & Clericorum electia pleniſſimâ quæſierit voluntate, non Principis imperio, neque per quamlibet conditionem, contrà Metropolis voluntatem, vel Epiſcoporum Comprovincialium ingeratur. Quod ſi per ordinationem Regiam honoris iſtius culmen pervadere aliquis nimiâ temeritate præſumpſerit, à Comprovincialibus loci ipſius Epiſcopis recipi nullatenus mereatur, quem indebitè ordinatum agnoſcunt* (*g*). Tamen uſque à tempore Pipini brevis, dùm adhùc ſub Childerico III. inerte Rege, Ducis Francorum munere fungeretur; poteſtas deligendi Epiſcopos ad Regem convolaverat, cujus ipſe tenens locum, in Concilio Sueſſionenſi eſt ità locutus: *Conſtituimus per conſilium Sacerdotum, & Optimatum meorum, & ordinavimus per Civitates legitimos Epiſcopos* (*h*). Et licèt Carolus Magnus, Pipini filius, hujuſmodi faultatem à ſe videatur ſtirpitùs evulſiſſe, cum in ſuis Capitularibus eniteſcat, ab ipſo datam Clericis, & Monachis libertatem ſibi Abbatem, & Epiſcopum prò ſuo libitu præficiendi; Tamèn certum eſt ſub Ludovico Pio plures Epiſcopos eſſe Regiâ auctoritate delectos: illum quippè ſic Concilium Pariſienſe commonuit, *Magnitudini veſtræ ſuppliciter ſuggerimus, ut deinceps in bonis Paſtoribus, Rectoribuſque in Eccleſiis Dei conſtituendis, magnum ſtudium, atque ſolertiſſimam adhibeatis curam* (*i*). Sed dudùm antè hanc ætatem Reges Gallię Epiſcopos nominabant. Plurimos ex his memorat S. Gregorius Turonenſis, inter quos Apollinarem Arvernenſibus à Theodorico Rege, filio magni Clodovei, præfectum: Et Apollinari Quintinianum: Quintiano Gallum, ab eodem Rege ſuffectos. Narrat quoque Catonem ab eiſdem Avernenſibus canonicè electum, fuiſſe à Rege Theodualdo rejectum, qui in eâ Sede Cantinum Archidiaconum collocavit, ipſo Catone ad Tornacenſem Catthedram deſtinato; quàm quià recuſavit accipere; illam adeptus eſt Euphronius, ab eodem Principe nominatus. Refert itidem quod Rex Clodomirus Ommatium Turonenſi Sedi præfecit: Rex Gunteramnus Sulpitium dedit Eccleſiæ Bituricenſi, & alii Reges alios Epiſcopos in aliis Sedibus collocarunt (*l*).

10. Quomodò, & quandò hujuſmodi facultas ad Galliæ Reges pervenerit non eſt facilè definire. Aliqui cenſent indè profluere, quod Zacharias Papa Regi Pipino permiſit nominationes Epiſcopales, & hoc prò ratione adduxit Lupus Ferrarien-

ſis

(a) *Barboſ. Jur. Eccleſ. Univerſ. l. 1. c. 8. n. 77.*

(b) *Zurit. in Annal. Aragon.*

(c) *Marian. rer. Hiſpan. l. 24. c. 16.*

(d) *Idem Mariana lib. 25. c. 5.*

(e) *Gonzales Davila hiſt. de Salamanca l. 3. c. 18.*

(f) *Nicol. Garcia de benef. p. 6. c. 1. n. 218. Roc. Pir. Sicil. Sacr. to. 1. in Append.*

(g) *Concil. Pariſienſ. 3. anno 557. cap. 8. Ivo Carnot. part. 5. c. 123.*

(h) *Concilium Sueſſionenſ. ann. 744.*

(i) *Concil. Pariſ. l. 3. cap. 22.*

(l) *S. Greg. Turon. l. 3. c. 2. & l. 4. c. 4. 15. & lib. 6. c. 39. & lib. 8. c. 22.*

ſis (*a*), cum Carolum Calvum in Epiſcoporum nominatione defendit, ſed rè verâ hoc non niſi proviſionale indultum fuiſſe cenſentur, quod ad poſteros non tranſiverit (*b*). Natalis ab Alexandro iſtâ de rè ità loquitur: *Porrò jus plebis in Reges Chriſtianiſſimos, Eccleſiæ Gallicanæ libertatibus, & antiquo more ab Eccleſiâ tacitè ſaltèm approbato, transfuſum eſt, licèt de illo jure aliquantò remiſerint pliſſimi Principes, permittentes ut electiones canonico fierent ordine, ſolo ſibi jure aſſenſus ſervato* (*c*). Sed hæc locutio qualitèr, & quantùm veritati cohæreat fides ſit apud Auctorem. Certè conqueſtiones, quibus Patres Concilii Valentini aures Lotharii Cæſaris pupugerunt, dolentes, quod peccatis hominum agentibus, indiſcuſſi, & inexaminati, literarumque penè ignari, minùſque Apoſtolicæ præceptioni appropinquantes, Epiſcopi creabantur; roganteſque Principem, ut Eccleſiis liberam fineret electionem (*d*), oſtendunt Eccleſiam Gallicanam non niſi invitam huic poteſtati Regum eſſe aſſentitam. Et Ivonis Carnotenſis ætate, quæ in Seculum Chriſti Undecimum cadit, oportet, Reges Gallos nullum jus in Antiſtitum electione habuiſſe, dùm etiàm Rege invito, Epiſcopos promoveri docuit in facto Galonis, ad Epiſcopatum Bellovacenſem provecti (*e*).

11. Clariùſque adhùc res emicat ex iis, quæ ipſe Ivo ad Archiepiſcopum Remenſem, ſub his terminis ſcripſit. *Non enim licet Regi, ſicut ſanxit octava Synodus, quam Romana Eccleſia commendat, & veneratur; electionibus Epiſcoporum ſe immiſcere, vel aliquâ eas ratione impedire. Francorum enim Reges Carolus, & Ludovicus, electiones Epiſcoporum Eccleſiis conceſſerunt, quod & in ſuis Capitularibus ſcriptum reliquerunt, & in Conciliis Epiſcoporum provincialibus ſanciri permiſerunt. Habeat ergò Deus in Eccleſiâ ſuâ principalitèr quod ſuum eſt: Habeat Rex, poſterior in ordine poſt Deum, quod ſibi à Deo conceſſum eſt* (*f*). Et ne per antiquiora documenta vagemur, cum poſt Concordata Gallicana, non exigua, fuerit aliquorum ex Clero illius Regni reclamatio, ob electiones Canonicas à ſe optatas, ſed in illâ Concordiâ prorsùs obliteratas, de quibus fuſiùs alibi ſermo habitus eſt; nil aliud cogitandum videtur, niſi, quod parum ſtabilis eſſet anteà hæc poteſtas in Regibus, quando hi ſic perſtrepentes adeo ægrè ferebant, electionem Epiſcoporum eſſe inpoſterum à Regibus faciendam: in quibus proptereà legitimum hoc jus tunc ſolùm ſolidè ſtabilitum eſt, cum illud eſt à Leone Papâ X. Franciſco I. Galliarum Regi, ejuſque Succeſſoribus, conceſſum, ait Renatus Choppinus his verbis: *Ego ſentio talem nominationem ad ſacras Præfecturas, quam Reges noſtri exequuntur, novo jure, & pactitio introductam anno 1516. anteà quippè ſacrati ordinis ſuffragiis cooptabantur præfecti Cathedralium Eccleſiarum, ac Cænobiorum, ſalvo eo, quod novi Antiſtitis electio identidem nuntiabatur Principi, qui eum laudabat, & approbabat, vel expreſſo Regio aſſenſu ibatur in Comitia ſacrarum electionum, ac petitâ decentèr à Rege eligendi veniâ honorariâ, in Præſulis ſui electionem deſcendebant tum Canonici, tum Cuculati Sacerdotes* (*g*).

12. Quoàd *Luſitaniam*, ſcribit Barboſa, quod Rex nominat Epiſcopos, hocque ex conceſſione Pontificis: Reges, inquit, noſtri Luſitaniæ *habent jus præſentandi, & nominandi ad Archiepiſcopatus, & Epiſcopatus illius Regni, ut tradunt Navarrus in cap. novit notab. 3. n. 165. de judic. Cabed. de Patronat. Regiæ Coronæ cap. 37. num. 1. quod jus præſentandi cæpit à tempore Regis Alphonſi V. ſicut ait Cald. Percira de manu Regiâ tom. 1. pag. 234. num. 76. ad fin. quem refert Illuſtriſs. D. meus Rodericus à Cunha in Comment. ad cap. 2. n. 8. diſt. 24. & ad cap. cum longè n. 1.* (*h*). Et alibi idem Barboſa, poſtquàm aſſeruit Reges Hiſpaniæ, & Luſitaniæ eruiſſe de manibus Maurorum Eccleſias, ut meminit gloſſ. penul. in cap. Hadrianus diſt. 63. ſic loquitur, *Non ſolum ex ſingulari privilegio Romani Pontificis, ſed etiàm ex generali Juris communis conceſſione, quâ conſtituentibus, aut dotantibus, Eccleſias conceditur poteſtas preſentandi ad eaſdem, videtur hoc jus Pincipibus Hiſpaniæ, & Luſitaniæ competere, ut voluit Achidiac. in cap. electio 12. diſt. & c. & de Eccleſiis Cathedralibus noſtræ Luſitaniæ Cabed. de Patron. Regiæ Coron. cap. 37. n. 2. & per*

(a) *Lupus Ferrarienſ. epl. 81.*

(b) *Thomaſſin. Vet. & nov. Eccl. diſcipl p. 2. l. 2. c. 20. n. 6.*

(c) *Natal. ab Alex. Sec. 1. diſſert. 8 Concil. 2. in fine.*

(d) *Concil Valentin. cap. 7.*

(e) *Ivo Carnot. epl. 49. ad Paſchal. II.*

(f) *Idem Ivo Carnotenſ. epiſt. 47.*

(g) *Renat. Choppin. de deman. Franc. lib. 2. tit. 10 & de Sacra politia n. 1 tit. 7. & n. 22.*

(h) *Barboſ Jur. Eccl. Univ l. 1. c. 8 num 82. & de Off. & poteſt. Epiſc. tr. 1 c. 3 n. 13.*

& per totum (*a*). De hoc privilegio nihil nobis notum eſt, quippè illud non legimus. Tamèn ſi eſt, cenſemus illud alicui alteri Regi poſteriori fuiſſe conceſſum, quam Alphonſo V. cui datum fuiſſe ſcribit idem Barboſa (*b*), ſiquidem ipſius Alphonſi tempore Eugenius PP. IV. Epiſcopatum Veſevenſem cuidam prò ſuo libito contulit,& dolenti de hoc Regi reſcripſit,uſque ad illud tempus Sedem Apoſtolicam de Epiſcopatibus omnium Regnorum libere diſpoſuiſſe, nec ullum jus Regibus ineſſe, niſi ſupplicandi Pontifici prò aliquo Promovendo, Papâ preces eorum vel exaudiante, vel prò ſuo libito refutante. *Supplicant*, inquit, *nobis Reges Francię, Anglię, & Hiſpaniæ, cęterique, prò Prælatorum promotionibus, nobiſque commendant quos utiles, & idoneos credunt; Nos exaudimus, quantùm cum Deo poſſumus, & honore noſtro, preces eorum. Ubi autèm alitèr videtur nobis prò commodo, & bono regimine Eccleſiarum, Reges, & Principes acquieſcunt* (*c*). Paulus quoque PP. II. ſcribit Regi, ſe deſignaſſe conferre primam Sedem Epiſcopalem, quæ vacaret in ejus Regno, Alvaro Gundiſalui; monetque ipſum Regem, ut ſi prò aliquo ſupplicare vellet Sedi Apoſtolicæ; ſupplicaret pro eodem Alvaro (*d*). Demùm, & cum tempore Innocentii Papæ VIII. quo regnabat in Portugaliâ Joannes II. Alphonſi V. filius, ortâ quæſtione, Pontifex doleret, quod Rex ſuas preces, vi, & minis armatas, interponeret, in electionibus, ut viri tantùm, à ſe propoſiti eligerentur, Procurator Regis reſpondit, non niſi nudas preces interpoſitas prò Clericis dignis, undè infert Pereira, *In hoc Regno ſupponitur, quod Epiſcoporum electio ſpectabat ad Capitulum* (*e*), quarè oportet, quod ſi dicto privilegio Rex Luſitanię potitur, pręſentandi Epiſcopos, illud ſit tempore Alphonſi V. poſterius, ſalvo meliori judicio.

13. In *Poloniâ* Reges paritèr ſe electionibus Epiſcoporum immiſcuerunt, nàm Boleslaus III. Rex, nedùm Epiſcopos eligere aggreſſus eſt, ſed etiam de unâ ad aliam Eccleſiam transferre; legitur enim epiſtola Paſchalis Papę II. ad Archiepiſcopum Polonienſem, quâ Regem improbat, quia talia tentaret (*f*), ſed & uſque ad Sæculum Chriſti Undecimum Polonię Epiſcopatus non niſi Clericis Italis conſueverunt à Summis Pontificibus diſpenſari. *Auctor eſt Longinus* (ait Ludovicus Thomaſſinus) *anno demum 1062. Joannem Uratislavienſis Eccleſiæ clavum adminiſtrare cæpiſſe, gentis Poloniæ primum, cum hactenùs Epiſcopalem illam ſedem Itali ſemper occupaſſent. Primus ex Polonis, abrogatis Italis, Pontificale pedum in Uratislavienſi Eccleſiâ geſſit. Texuit Longinus perpetuam ferè ſeriem Epiſcoporum Poloniæ omnium, nec ad hunc uſquè annum propèmodùm niſi Italos nominavit. Nec ſecùs penè contigit annis ſequentibus &c. Cum Pontifex Romanus Epiſcopos omnes ejus gentis confirmaret, teſte eodem Longino, in hiſtoriæ ſuæ contextu &c.* (*g*). Cumque Rex Uladislaus ſuo edicto liberam Epiſcopatuum collationem Martino Papæ V. præripere aggreſſus eſſet, ſcripſit ei *Pontifex, nunquam ità repugnaſſe Poloniam Pontificiis juſſionibus. Poloniæ Epiſcopatus à ſe quandòque datos Regum ipſorum precibus, & votis, quæ non ſemper tamèn à Sede Apoſtolicâ exaudirentur* (*h*). Sed audiantur verba Martini, *ſupplicant ſæpè Reges, & Principes, & nos eis interdùm complacemus, interdùm alitèr diſponimus, quàm Reges, & Prlncipes ſupplicant. Nupèr ſiquidem quinque proviſiones in Regno Anglię fecimus, alio modo, quàm ipſe Rex ſcripſerat &c. Hoc ſimilitèr alias fecimus in Regno Caſtellæ, & novitèr in Regno Franciæ in duabus Eccleſiis; fueruntque proviſiones noſtræ reverentèr, ut dignum erat, à Regibus acceptatæ. Nec Aragonum Rex, licet ſuâ culpâ alienatus à nobis extiterit, unquam adverſatus eſt proviſionibus Eccleſiarum, quas arbitrio noſtro in Regno ſuo fecimus* (*i*). Poſt hæc autem tempora, quod facultas tandèm Regibus ſit indulta ad Epiſcopatus Polonicos Viros idoneos præſeutandi, memorat præfatus Barboſa (*l*): quâ de rè aliam notitiam nos non habemus.

14. Reges *Hungarię* uſque ad tempora Innocentii Papę III. non ſè Epiſcoporum deputationibus miſcuiſſe, patet ex *cap. bonæ memorię 4. de tranſlationibus Prælatorum*, ibi enim dicitur, Archiepiſcopum Strigonienſem per electionem Canonicam fuiſſe deſignatum, ad quam nedùm Canonici Strigonienſes, verùm etiam Epiſcopi

ſcopi

(a) *Idem Barboſ. de poteſt. Epiſcopi tr. 1. c. 3. n. 29*

(b) *Idem ubi ſuprà jur. Eccleſ. Univ. lib. 1 c. 8. n. 82*

(c) *Odoric. Raynald. an. 1440. n. 2*

(d) *Paulus Papa II. apud Jacob. Card. Papienſem epiſt. 177*

(e) *Pereir. de Manu Regia p. 1. Concordat. 28. n. 76*

(f) *Bernard. Papienſ. Collect. 1. Decret. lib. 1. tit. 4. de elect. c. 21 Joã. Fileſac. cap. 7. § 7 f. 80*

(g) *Thomaſ. Vet. in nov. Eccl. diſc. p. 2. l. 1. c. 103. n. 13*

(h) *Idem Thomaſſin. p. 2. l. 1. c. 45. n. 3*

(i) *Odoric. Raynald. an. 1429. n. 14*

(l) *Barboſ jur. Eccl. Univ lib. 1. c. 8. n. 84*

Digitized by Google

ſcopi Comprovinciales, ſuffragii jus habere contendebant. Ex tùnc adeptos eſſe jus nominandi ad Epiſcopatus illius Regni, innuit idem Barboſa (*a*), nec dubitandum eſt id eis indultum ex Apoſtolico privilegio, quod à quonam Pontifice illis conceſſum fuerit ignoramus. Reges *Neapoli*, & *Siciliæ* electionibus Epiſcoporum ullibi olim ſe miſcere non debebant; adeò ut cum Honorius Papa III. exprobratoriis literis Fridericum II. utriuſque Siciliæ Regem, ac ſimul Cæſarem, acritèr increpavit, quod contrarium tentaſſet; Rex factum negavit, & ſe nè id unquam cogitaſſe reſpondit (*b*). Nùnc Reges Siciliæ ultrà Pharum ad Epiſcopatus ſui Regni nominant Promovendos. Et Reges Neapolitani in quibuſdam tantum ſui Regni Eccleſiis idipſum faciunt, de quibus Anaſtaſius Germonius hæc pronuntiat, *Lambertinus in ſuo de jure patronatus tractatu, ſcribit, Pontificum beneficio Reges Neapolitanos nominandi Epiſcopos facultatem habuiſſe in quadraginta primariis Eccleſiis, quas Cathedrales appellamus* (*c*). Sed verè minor eſt numerus earum, ut videre eſt apud Joannem de Ponte, qui ad 24. Cathedrales tantum Regem nominare ſignificat (*d*): quâ de rè infrà ſermo redibit.

15. In *Angliâ* Reges, propriâ potentiâ freti, Epiſcopos, prò eorum libito, aggreſſi ſunt nominare, nàm Vuillelmus Nothus paſſim Clericos ſibi benè viſos Epiſcopatibus præficiebat, de quo Scriptor ejus vitæ hæc commemorat, *cum Paſtor quilibet, completo vitæ ſuæ termino, de mundo migraret, ſollicitus Princeps, Præſules, & Abbates, alioſque ſapientes Conſiliarios convocabat, & eorum conſilio, quis melior, & utilior, tàm in divinis rebus, quàm in ſæcularibus, ad regendam Dei domum, videretur, ſummoperè indagabat. Denique illum, quem prò vitæ merito, & ſapientiæ doctrinâ proviſio ſapientum eligebat, benevolus Rex diſpenſatorem, & rectorem Epiſcopatus, vel Abbatiæ conſtituebat* (*e*). Villelmus Rufus, Nothi filius, & in Regno ſucceſſor, partem paritèr in Epiſcoporum deſignationibus ſibi ſumpſit, qui & ut reditus Eccleſiarum vacantium ad ſe traheret *Paſtores Eccleſiis imponere differebat* (*f*). Invaluit res tempore Henrici I. reclamante licet Clero illius Regni. Et præſertim S. Anſelmo Cantuarienſe, de quo Petrus Toloſanus hæc habet, & *circitèr hæc tempora Principes ubique gentium cæperunt illud ſibi jus declarandorum Epiſcoporum vindicare, quod & hodiè mordicùs tenent. Hos tamèn Anſelmus Religionis Antiſtes, tamquàm abortivos Religionis filios, conſecrare recuſabat, ſed parum profecit, donec Paſchalis II. Summus Pontifex conſultus, Regem à ſententiâ abire coëgit* (*g*).

16. Henricus II. eandem ſemitam tenuit, & hujuſmodi modo, intèr alios, S. Thomam Belzettum ad Eccleſiam Cantuarienſem promovit: qui aliquandò reſignans Papæ Cathedram, eſt profeſſus, *aſcendi in ovile Chriſti, ſed non per oſtium, velut quem non Canonica vocavit electio, ſed terror publicæ poteſtatis intruſit* (*h*). Morte D. Thomæ perculſus Henricus, agentibus Legatis Apoſtolicis, liberas in Angliâ electiones inpoſterùm futuras eſſe decrevit. Sed ab hoc poſteà decreto appellavit ad Sedem Apoſtolicam Henricus III. ejus ſucceſſor, & ità fictitiè procedebatur, dùm ſub juſtitiæ ſpecie, rè verâ injuſtitia tenebatur, levaque manus deſtruebat, quod dextera ædificabat. Itàque diù intèr Reges, & Pontifices eſt ſuper hujuſmodi negotio decertatum. Nàm aliquandò Pontifices Anglicas Eccleſias ſuæ diſpoſitioni reſervabant, & ità Clemens V. electionem Archiepiſcopi Cantuarienſis, à Monachis illius Eccleſiæ factam, irritam declaravit, atque Epiſcopum Vigornienſem, Eduardi II. Regis Cancellarium, illius infulis adornavit (*i*). Eduardus poſteà III. laxiùs cœpit Epiſcopos deſignare: egens nàmque pecuniis ad bellum Gallicum promovendum, multos nummos habuit à viris ambitioſis, qui conſuetâ electionis viâ ad infulas non perveniſſent: prò his egit apud Papam, ut quos vellet Epiſcopos in ſuo Regno, haberet: atque ità illos fecit tæniis Pontificalibus adornari (*l*). Detecta citò eſt ars Regis, & à Sede Apoſtolicâ impenſiùs improbata: à quâ etiam ægrè ferebatur, quod decimas ab Eccleſiis exigeret, undè à Gregorio Papâ XI. meruit ſuper his reprehendi. Rex proptera à ſimulato conſilio, declaravit ſe velle liber-

(a) *Auguſt. Barboſ. loco citato*

(b) *Honor. 3 lib. 3. epiſtol. 527. 531. 572. Abraham. Bzovius de Pontif. c. 38.*

(c) *Germon. de ſacror. immun. l. 3. c. 12. n. 30.*

(d) *Jean. de Ponte dec. 12. n. 14.*

(e) *Odoric. Vital. hiſt. Eccl. l. 4 f. 516.*

(f) *Idem Odoric. Vital. fol. 679*

(g) *Petrus Toloſan. in Syntagm. jur. univ. l. 15. c. 12. n. 32*

(h) *Card. Baron. an. 1164. n. 36.*

(i) *Thomas Vualſing. an. 1312*

(l) *Polydor. Virgil. lib. 9.*

bertatem Canonicæ electionis in Eccleſiis ſui Regni vigere, Papamque Gregorium interpellavit, *ut ſuper reſervatione beneficiorum de cæterò in Angliâ ſuperſederet, ut etiam Clerici ad Epiſcopales dignitates ſuis electionibus pleno jure gauderent, & ut à ſuis Metropolitanis, prout antiquitùs fieri conſueverat iidem Clerici confirmari valerent* (*a*). Parlamentum itidem Angliæ tunc Regem interpellavit, ne ſe electionibus immiſceret, *ſed tamen hoc ſtatutum in nullo profecit*, inquit Vualſingamus (*b*). Rex quippè dùm hæc ſimulatoriè promovebat, ſe arbitrariâ Epiſcopatuum nominatione ſpoliare nolebat.

(a) *Vualſing. hiſtor. an.* 1373.

(b) *Idem Vualſingā loco citato*

17. Referunt Hiſtoriæ, ab Eugenio Papâ IV. monitum fuiſſe Henricum VI. Anglorum Regem, *ut impleret ipſe aliquandò tandèm quod ſpoponderat, & quod morte occupatus exequi non potuerat Pater ipſius, nempè ut liberam Romano Pontifici permitteret omnium Angliæ beneficiorum diſpoſitionem* (*e*). Et Martinus PP. V. Regem Poloniæ, uti paulò ſuperius indicavimus, adhortando, nè Sedem Apoſtolicam impediret in liberâ Epiſcopatuum collatione; inter cætera hoc adducit, non multò antè, à ſe quinque in Angliâ collatos Epiſcopatus, duos in Galliâ, & alibi alios, iiſque præfeciſſe viros etiam à Regibus non petitos; ipſos autèm Reges ſuis proviſionibus acquieviſſe. Verumtamèn aliquandò & hi Reges obtinuerunt, ut ad Epiſcopatus ſuæ ditionis viros ſibi benè viſos, dummodò idoneos, præſentarent (*d*).

(c) *Thomaſſ. Vet. & nov. Eccl. diſc. p. 2. l. 1. c. 45. n. 3. 9. ambigere.*

(d) *Barboſ. jur. Eccl. Univ. l. 1. c. 8. n. 84*

18. In *Scotiâ* cum Henricus II. Angliæ Rex coegiſſet Guillelmum Scotiæ Regem ad hominium ſibi præſtandum, id etiam pactus eſt, ut Epiſcopatus Scotici, Angli Regis conſenſu, & auctoritate darentur (*e*). Idem Guillelmus obſtitit Canonicis Sanctandreenſibus, Canonicâ electione Joannem ſibi Archiepiſcopum præficientibus, & Hugonem Capellanum ſuum in eâ Sede locavit, undè ingentes contentiones ortæ ſunt, ob quas diù intèr sè Regnum illud, & Sedes Apoſtolica conflictarunt (*f*). Sed preſſiùs ſub Jacobo III. Scotorum Rege inceperunt Sacerdotia majora, non niſi Rege offerente, & intercedente, à Papâ obtineri. Hocque ſit ſatis, ut appareat ibi Reges, non minus quàm alibi, in Epiſcoporum deputationibus ſe immiſiſſe, vel eligendo, vel alitèr deputando Epiſcopos, vel eorum Electores ſuo aſſenſui ſubigendo, prout uſque à tempore Alexandri Scotiæ Regis fuiſſe factum, narrat Eadmerus, cum Clerus, & populus Metropolis Sanctandreæ Monachum Cantuarienſem ſibi in Archipræſulem elegerunt, concedente Rege (*g*).

(e) *Robert. de Monte an.* 1178

(f) *Baron. an.* 1180. 4 *tom.* 12. *an.* 1182. 1. 2. 3 1186. 13. & 1188. 20

(g) *Eadmerus hiſt. nov. l.* 5.

19. In *Sueciâ* quantoperè ſe Reges in Antiſtitum electionibus immiſcerent, patet ex eo, quod Alexander Papa III. Lincomenſem Epiſcopum confirmans, eum dicit de Regis aſſenſu à Clero, & Populo electum (*h*). Sed hic Regius aſſenſus talitèr ſucceſſivè degeneravit, ut *per potentiam Regis, & Baronum ad clamorem tumultuantis populi* fierent electiones, quas improbavit Innocentius Papa IV., & Apoſtolicâ auctoritate damnavit (*i*). Qui etiam Pontifex, in epiſtolâ ad Epiſcopum Scarenſem, invenitur ſcripſiſſe, quod cum electus eſſet in Epiſcopum Hamarenſem Theodorus, illius Eccleſiæ Canonicus, quam ſibi Pontifex ſervaverat, & de alio Paſtore providerat; ſua mens erat, ut Theodoro præfato, loco Hamarenſis, daretur Eccleſia S. Michaëlis de Noko, diù vacans, ità ut ejus proviſio eſſet ad Sedem Apoſtolicam devoluta (*l*). Sic & Gregorius Papa XI. poſtquam Eccleſiæ vacanti Upſalenſi deſtinaverat Sacherum Præpoſitum Eccleſiæ Lundenſis, qui delatam Sedem renuerat acceptare; illam contulit Fulconi Archidiacono ipſiuſmet Metropolis Upſalenſis (*m*). Ex quibus patet, quanta eſſet poteſtas Pontificis in proviſionibus Eccleſiarum, in Sueciæ Regno poſitarum.

(h) *Odoricus Reynald. an.* 1250. *n.* 40

(i) *Jo. Vaſton. Vitis Aquilonia f.* 178

(l) *Idem Vaſtonius loco citato*

(m) *Idem Vaſtonius fol.* 186

20. Quid actum ſit *in Hiberniâ* neſcimus: ponderantes tamèn inſtantiam, quam Rex, Epiſcopi, Clerus, & Populus Hiberni S. Anſelmo Cantuarienſi Archiepiſcopo direxerunt, tamquàm Primati, ut in Epiſcopum Vaterfodienſem illum ordinaret, quem ipſi delegerant (*n*), ritè infertur, Reges etiam inibi ſe electionibus Antiſtitum ingeſſiſſe. Quoàd *Norvegiam* id nobis notandum occurrit, quod tempore Gregorii Papæ X. contendente Rege, Regnum ſuum eſſe hæreditarium, opponente verò Archiepiſcopo Nidroſienſi, Regnum eſſe electivum; compoſita eſt

(n) *Eadmer. hiſt. novę lib.* 2.

lis hoc modo, ut Archiepiſcopus jus eligendi Regis à ſe abdicaret, & Rex in electionibus Epiſcoporum, & Abbatum provinciæ Nidroſienſis, nullam auctoritatem, vel potentiam interponeret (*a*). Sicque ſatis eniteſcit, quantam partem Reges antecedentèr ſibi in præfatis electionibus appropriaverint.

21. Ab *Imperatoribus Orientis* Epiſcopos fuiſſe liberè deputatos, nulli dubium eſt. Nàm Conſtantius I. rejectis Paulo, & Macedonio, per Conſtantinopolitanos, diviſis votis, electis; Euſebium Nicomedienſem in illâ Sede locavit, ut narrat Socrates (*b*). Theodoſius II. Neſtorium Germanicienſem, monachum Antiochenum, eidem Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ præfecit (*c*). Nicephorum Phocam idipſum exercuiſſe legitur apud Zonaram (*d*), & alios Imperatores idem feciſſe habetur ab Euſebio, Theodoreto, Socrate, Nicephoro, & aliis (*e*). Nedumquè Epiſcopos prò eorum libito deputabant, ſed etiam Epiſcopatus è minori honore ad majorem elevabant, Eccleſias nempè Epiſcopales in Metropolitanas vertebant, uti refert Demetrius Chomaterus (*f*). Quâ poteſtate eos fuiſſe præditos, (vel meliùs, eam ſibi uſurpaſſe) narrat paritèr Balſamon in Conciliis Carthaginenſi I. Chalcedonenſi, ac Trullano (*g*). Et de facto Juſtinianus I. Imperator Epiſcopum primæ Juſtinianæ Archiepiſcopali titulo decoravit, eique Eccleſias jure Metropolitico ſubjugavit (*h*). Urbem quoquè Muciſſum ad ordinem Metropoleon exaltavit, ut expoſuit in quintâ Synodo Euphrantus Tyanenſis (*i*). Marcianus itidem Imperator Chalcedonenſem ſedem Metropoliticis honoribus inſignivit (*l*). Alii demùm Cæſares idem alibi peregerunt. Silemus de Nectario, nutu Theodoſii (*m*), de Chryſoſtomo, nutu Arcadii (*n*), de Stephano, nutu Leonis Cæſarum, ad Epiſcopatus clavum provectis (*o*). Necnon de lege impii Nicephori Imperatoris, quam ſic memorat Cedrenus, *legem tulit &c. nè abſque Imperatoris ſententiâ, ac permiſſu, Epiſcopus vel eligeretur, vel ordinaretur* (*p*). Lex iniqua, & eccleſiaſticæ libertati injurioſa: quam donec Joannes Zemiſces, Nicephori ſucceſſor abrogavit; Polieuctus Patriarcha eum ornare Imperatoriis inſigniis recuſavit (*q*). Negari tamèn non poteſt, Synodum Epheſinam, depoſito Neſtorio Conſtantinopolitano; & Concilium Chalcedonenſe, depoſito Dioſcoro Alexandrino, Patriarchis, ſatis innuiſſe, novos Patriarchas eſſe nutu Imperatorum conſtituendos (*r*): Ut hinc appareat, Cæſares, in Epiſcoporum electionibus partem habuiſſe, non autem legitimè, niſi quatenùs eis ab Eccleſiâ indulgebatur.

22. *Imperatores Occidentis*, non ſecùs ac Orientales, magnam ſibi partem in Epiſcoporum electionibus aſſumebant. Dè Imperatoribus tamèn Romanis, qui Cæſari in Occiduis Regionibus ſucceſſerunt, potiùs patet oppoſitum, ex facto Valentiniani, qui electioni D. Ambroſii ſe immergere recuſavit (*s*). Sed de Romano-Germanicis Imperatoribus, nulli dubium eſt, ſe in his notabilitèr implicaſſe. Nàm quamvìs Carolus Magnus libertate electionum Eccleſias gaudere decreverit, celebri illo decreto: *Sacrorum Canonum non ignari, ut in Dei nomine S. Eccleſia ſuo liberiùs potiretur honore, adſenſum ordini eccleſiaſtico præbuimus, ut ſcilicet Epiſcopi per electionem Cleri, & populi, ſecundum ſtatuta canonum, de propriâ diœceſi, eligantur* (*t*); tamèn & ipſum aliquandò Epiſcopos prò ſuo libito nominaſſe, apud aliquos eſt in confeſſo (*u*). Sed multò magis id ad praxim redegit Ludovicus Pius, quem nemo ignorat quantam partem habuerit in promotione Drogonis ad Epiſcopatum Metenſem (*x*), Aldrici ad Cenomanenſem (*y*), Ebbonis ad Remenſem (*z*): ſub eoque, uti conqueritur Theganus, *illa peſſima conſuetudo erat, ut ex viliſſimis ſervis Summi Pontifices fierent, & hoc non prohibuit* (*aa*). Sub Carolo Calvo magis adhùc invaluit potens illius manus in Epiſcoporum deputatione, quod jus Lupus Ferrarienſis à Pipino ejus Abavo, per Zachariam Papam conceſſum, in eum deſcendiſſe autumat, ſcribens: *nam Pipinus, à quo per maximum Carolum, & religioſiſſimum Ludovicum Imperatorem ducit Rex noſter originem, expoſitâ neceſſitate hujus Regni Zachariæ Romano Papæ in Synodo, cui Martyr Bonifacius interfuit, ejus accepit conſenſum, ut acerbitati temporis induſtria ſibi probatiſ-*

(a) *Odoric. Raynal. an.1273. num.20.*

(b) *Socrat. hiſtoriæ lib.2 cap.5.*

(c) *Vincent. Lerinens Commonit.1.*

(d) *Zonar. hiſtor.to. 3.an.961.*

(e) *Petrus Gregor. ad Decretal. tract. de elect. c.5.num.5.*

(f) *Juris Græco Romani lib.5.*

(g) *Balſam.in Conc.I. Carth.c.16.& in Conc. Chalced. cap.15. & in Conc.Trull c.38.*

(h) *Juſtinian. Novell.11.*

(i) *Concil. Conſtantinopol.II Collat.5.*

(l) *Thomaſſin vet.& nov. Eccl. diſcipl.p.1. l.2.c.39.num.9.*

(m) *Sozom hiſtor.lib. 6.cap.7.*

(n) *Pallad. in vit. S.Jo.Chryſoſt.*

(o) *Thomaſſin. p. 2. l.2.c.26 num 4.*

(p) *Cedren hiſtor.fol. 658.*

(q) *Idem Cedrenus f.665.*

(r) *Concil. Epheſ. Act. 1. Conc. Chalc. Act.3.*

(s) *Theodoret. hiſt. lib.4.cap.6.*

(t) *Capitular.Carol. m l.1.c.84.*

(u) *Thomaſſin. ubi ſupr.p.2.l.2 c.20.n.6*

(x) *Eginbard.ad an. 823.Thegan c.24.*

(y) *Stephanus Baluzius Miſcellan. tom.3. p.5.*

(z) *Thegan. cap. 44.*

(aa) *Thegan. hiſtor. cap.20.*

Digitized by Google

batiſſimorum, decedentibus Epiſcopis mederetur (a). Quod tamèn Pipini privilegium ſi fuit, videtur perſonale fuiſſe. Verumetiàm Calvus, vel indulto, vel permiſſione Apoſtolicâ, ſuum jus habuit roboratum dandi aſſenſum electionibus, cum Joannes Papa VIII. Archiepiſcopum Ebredunenſem corripuerit, eo quod in Epiſcopum Vicenſem, quendam conſecraverat, quem non *piæ memoriæ Carolus Imperator ſuo conſenſu firmarat* (b).

23. Lotharius Cæſar idipſum fecit, talitèrque res ſub ſuo Imperio prævaluit, ut Patres Concilii Valentini neceſſarium duxerint eum interpellare, pro libertate electionis Canonicæ adipiſcendâ, ità tamèn, ut ſi quem è ſuis Aulicis Lotharius ipſe Epiſcopum nominaret, is præficeretur Eccleſiæ, modò idoneus. Quod ſi immeritus eſſet, tunc *Metropolitanus clementiam Imperialem ipſe cum Coepiſcopis, quibus valuerit modis adeat, ut Eccleſiam Dei glorioſus Imperator digno honoret Miniſtro* (c). Quid plura: nec tuta fuit eo tempore libertas Eccleſiarum Italiæ, ipſiuſque Romani Pontificis ſuprema poteſtas, cum Leo PP. IV. non ſit aggreſſus ſinè licentiâ Lotharii, & Ludovici ejus filii, Colonum quendam in Epiſcopum Reatinum conſecrare, quem quatenùs Auguſti excluderent ab illâ Eccleſiâ, popoſcit, ut eum ſaltèm Eccleſiæ Tuſculanæ, tunc Epiſcopo carenti, concederent (d). Othonem magnum auctoritatem nominandi ad Epiſcopatus exercuiſſe, auctor ex Zonaras (e). Et Ditmarus plurimis in locis memorat Epiſcopatus, & Abbatias ab hoc Imperatore conceſſas, præſertìm Boſoni Monacho S. Emmeranni Ratiſponenſis, optione illi datâ ut Miſnenſem, Cicenſem, vel Merſeburgenſem Epiſcopatus, quem mallet, acciperet (f). Otho II. Uvarino Eccleſiam Colonienſem, & Villigiſo Cancellario ſuo Moguntinam conceſſit (g). Otho III. Erponem, & Raconem Capellanos ſuos bino Epiſcopatu donavit (h). Henricus quoquè I. idem operatus eſt, nàm & Guibertum in Merſeburgenſi, & Eberardum in Bambergenſi (i), & Meinuercum in Sede Paterbornenſi locavit, quamquàm hæc Eccleſia primò à Carolo Calvo, & mox ab Othone II. & III. privilegium nacta eſſet libertatis Canonicæ, ut ſemper aliquis poſſet Epiſcopatum, ex illius gremio adipiſci (l). Eandem diſciplinam tenuerunt alii Imperatores, in electione aliorum Antiſtitum ſe immiſcentes: imò eouſquè progredientes, ut pleno jure per annuli, & virgæ traditionem Epiſcopos creare, ſeu eccleſiaſticos viros auſi ſint Epiſcopatibus inveſtire, uti fuſiùs memorat Guillelmus Tyrius (m); Joannes Fileſacus (n); Cardinalis Baronius (o), & alii.

24. Jure, an injuriâ in electione Epiſcoporum ſe ab initio Principes immiſcuerint, quibus ſpecialis privilegii, vel patronatus ratio non favebat, facile eſt definire, ex eo quod laicis, quantumcumque piis, potentibus, & religioſis, nullum ineſt jus de negotiis, & rebus eccleſiaſticis diſponendi. *Laicis*, inquit Eulalius Epiſcopus Syracuſanus in Concilio Romano, tempore Symachi Papæ, *Laicis quamvis religioſis, nulla de eccleſiaſticis facultatibus aliquid diſponendi legitur unquàm attributa facultas* (p). Et ſanè ipſis, in Epiſcoporum deputatione ſe ingerentibus, reſtitit prò viribus Eccleſia, uſque à tempore Concilii Gangrenſis, ſtatuens in eo, *Si quis dat, vel accipis fructus oblatos, prætèr Epiſcopum, vel eum, qui eſt conſtitutus ad beneficentiæ diſpenſationem; & qui dat, & qui accipit ſit anathema* (q). Et pridem in Canonibus Apoſtolorum definivit *Si quis Epiſcopus, Sæcularibus poteſtatibus uſus, Eccleſiam per ipſos obtineat, deponatur* (r). Item in Concilio Pariſienſi, habito anno Chriſti 557. ità decrevit, *quod ſi per ordinationem Regiam honoris iſtius culmen pervadere aliquis nimiâ temeritate præſumpſerit, à Comprovincialibus loci illius Epiſcopis recipi nullatenùs mereatur* (s). Et clariùs adhùc in Concilio Nicæno II. Generali VII. *omnem electionem, quæ fit à Magiſtratibus, Epiſcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi, irritam manere, ex canone, dicente, ſi quis Epiſcopus Magiſtratibus Sæcularibus uſus, per eos Eccleſiam obtinuerit, deponatur &c. Oportet enim eum, qui eſt promovendus ad Epiſcopatum, ab Epiſcopis eligi, quemadmodùm à Sanctis Patribus Nicææ decretum eſt Can. 4.* (t). Demùm in Con-

(a) *Lupus Ferrarienſ. epi. 82.*
(b) *Joannes Papa VIII. epi. 80.*
(c) *Concil. Valentin. an. 855. c. 7.*
(d) *Cap. Reatina 16. diſt. 63.*
(e) *Zonar. hiſtor. to. 3 f. 961.*
(f) *Ditmar. hiſtor. lib. 2.*
(g) *Idem Ditmarus lib 3.*
(h) *Ditmar. loc. cit. lib. 4.*
(i) *Idem Ditmarus lib. 6.*
(l) *Vita S. Mainver. ap. Surium die 5. Junii cap. 7.*
(m) *Tyrius de Bel. Sacr. l. 1. c. 13.*
(n) *Joan Filajac. de Sacr. Epiſcop. auctor. c. 7. §. 5. & 7.*
(o) *Baron. an. 1077. 59 1078. 26. 1080 3. 1087. 13 1090 4 1095 26. 1098 4. 1100. 12. 1101. 2 3 1102. 11. 12. 1106. 33 1108. 2 1112 2. 3. 1116. 2. 1119. 10. 1122. 5 6 1129 5.*
(p) *Cap. bone 1. §. Eulalius diſt 96.*
(q) *Conc. Gangrens c. 7. & 8.*
(r) *Canon. Apoſt. 31.*
(s) *Conc. Pariſ. 3. an. 557. c. 8.*
(t) *Conc. Nicæn. 2. cap. 3.*

Concilio Conſtantinopolitano IV. Generali VIII. ſancitum fuit, *neminem laicorum Principum, vel Potentum ſemet inſerere electioni, vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitæ, aut cujuslibet Epiſcopi: nè videlicet inordinata hinc, & incongrua fiat confuſio, vel contentio, præſertìm cum nullam in talibus poteſtatem quemquam poteſtativorum, vel cæterorum laicorum habere conveniat, ſed potiùs ſilere, ac attendere ſibi uſquequo regularitèr à Collegio Eccleſiæ ſuſcipiat finem electio futuri Pontificis* (*a*).

(a) *Conc. Conſpol. 4. cap. 22.*

25. Reticemus Eccleſiæ querelas, & reſiſtentiam Pontificum Romanorum adversùs Inveſtituras Epiſcopatuum, per Imperatores uſurpatas, quià nimiùm notæ ſunt (*b*). Innocens fortè principium ipſę habuerunt, ex Antiſtitum humanitate. Nam cum Archiepiſcopi Conſecrantis eſſet baculum paſtoralem Conſecrato Præſuli porrigere, & eo actu illum de Epiſcopatu inveſtire, ſi præſens aderat Imperator, Archiepiſcopus pedum ſuum Paſtorale Cæſari ex urbanitate conferebat, novo Antiſtiti porrigendum, uti fecit Landramnus Turonenſis Ludovico Pio Imperatori, dum conſecraretur Aldricus Cenomanenſis (*c*). Sed hæc humanitas, ab aliquo Imperatorum ſucceſſivè in debitum traducta, & paulatim in proprietatem actus Imperialis pertracta, dedit aditum uſurpationi Inveſtiturarum, de quibus loquimur. Invicto animo eas impugnavit Gregorius Papa VII. atque illas hac ſanctione Conciliari damnavit: *quoniam inveſtituras Eccleſiarum contrà ſtatuta Sanctorum Patrum à laicis perſonis in multis partibus cognovimus fieri, & ex eo plurimas perturbationes in Eccleſiâ oriri, ex quibus Chriſtiana religio conculcatur; decernimus, ut nullus Clericorum Inveſtituram Epiſcopatus, vel Abbatiæ, vel Eccleſiæ, de manu Imperatoris, vel Regis, vel alicujus laicæ perſonæ, viri, vel feminę, ſuſcipiat. Quod ſi præſumpſerit, recognoſcat inveſtituram illam Apoſtolicâ auctoritate irritam, & id uſque ad condignam ſatisfactionem excommunicationi ſubjacere* (*d*). Huc pertinet etiam Decretum, quod in ſuâ rapſodiâ Gratianus, ſub his vocibus interſervit: *Si quis deinceps Epiſcopatum, vel Abbatiam de manu alicujus laicæ perſonæ ſuſceperit, nullatenus intèr Epiſcopos, vel Abbates habeatur &c. Similitèr etiam de inferioribus eccleſiaſticis dignitatibus conſtituimus. Si quis Imperatorum, Regum, Ducum, Marchionum, Comitum, vel quilibet ſęcularium poteſtatum, aut perſonarum inveſtituram Epiſcopatuum, vel alicujus eccleſiaſticę dignitatis dare pręſumpſerit, ejuſdem ſententiæ vinculo ſe eſſe ſciat obſtrictum* (*e*).

(b) *Stephan. Baluſius Miſcell. to. 3. p. 5.*

(c) *Vide Card. Baron. locis citatis.*

(d) *Leo Oſtienſ. Chr. Caſſin. l. 3. c. 41. & Baron. an. 1078. n. 21.*

(e) *Cap. ſi quis deinceps 16. qu. 7.*

26. Conſtantiâ Gregorii VII. carens Paſchalis Papa II. armis Henrici IV. Imperatoris in Baſilicâ Vaticanâ circumſeptus, & Româ ſubductus, Indultum concedendarum Inveſtiturarum Cæſari largitus eſt, id minis inſaniſſimis poſtulanti: quod factum, à bonis omnibus deteſtatum (*f*); Ipſe quoquè Paſchalis poſteà execratus eſt, & tandèm Apoſtolicâ auctoritate reſcidit (*g*): inſuperque ſic decrevit, *Conſtitutiones Sanctorum Canonum ſequentes, ſtatuimus, ut quicumque Clericorum ab hac horâ in anteà inveſtituram Eccleſię, vel eccleſiaſticę dignitatis de manu laicâ acceperit, & ipſe, & qui ei manum impoſuerit, gradus ſui periculo ſubjaceat, & communione privetur* (*h*). Super quà re diù intèr Sacerdotium, & Regnum diſputatum eſt, demumque Imperator, tempore Calliſti Papæ II. dicto indulto in manu Lamberti Cardinalis Oſtienſis, Vuormaciæ in Concilio, ſub hac formulâ renuntiavit, quam Conradus Abbas Urſpergenſis memoriæ conſignavit: *Ego Henricus Dei gratiâ Romanorum Imperator Auguſtus, prò amore Dei, & S. Romanę Eccleſiæ, & Domini Papæ Calliſti, & remedio animæ meæ, dimitto Deo, & Sanctis ejus Apoſtolis Petro, & Paulo, & Sanctæ Catholicæ Eccleſiæ, omnem Inveſtituram per annulum, & baculum, & concedo in omnibus Eccleſiis fieri electionem, & liberam conſecrationem. Poſſeſſiones, & Regalia B. Petri, quę à principio hujus diſcordiæ, uſque ad hodiernum diem, ſivè tempore Patris mei, ſivè etiam meo, ablata ſunt, quæ habeo, etiam S. Romanę Eccleſiæ reſtituo; quæ autem non habeo, ut reſtituantur fidelitèr adjuvabo. Et dò veram pacem Calliſto, S. Romanę Eccleſiæ, & omnibus, qui in parte ipſius ſunt, vel fuerunt, & in quibus S. Romana Eccleſia*

(f) *Card. Baron. an 1111. n. 26.*

(g) *Idem ann. 1112. num. 2. 3 7. & an. 1111 num. 33 34.*

(h) *Capit. Conſtitutiones 16. qu. 7.*

Digitized by Google

cleſia auxilium poſtulaverit fideliter juvabo (*a*). Subſignarunt Prælati, & Principes Imperii, uti notat Andreas Sauſay (*b*), utrique namque Romam miſerant Epiſcopum Spirenſem, & Abbatem Fuldenſem, ut eorum, ac Cęſaris nomine, ceſſionem Inveſtiturarum Papæ ſponderent (*c*).

27. Ità & Eccleſia, & Concilia, & Sedes Apoſtolica, ingenti fortitudine Principibus laicis reſtitit, ne quidquam auctoritatis ſibi in diſpenſatione beneficiorum, & in electione Antiſtitum arrogarent: & ſucceſſivis etiam temporibus, tùm alia decrevit, tùm alia operata eſt adversùs Principes, talia audentes: quorum quoniam nimium prolixum eſſet catalogum hìc conſiſcere; ſufficiat aliquos eorum hucuſque in pręſenti capitulo memoraſſe. Pari ardore intruſioni inferiorum laicorum in electionibus Epiſcopalibus Eccleſia reſtitit. Nàm uſque à tempore Concilii Laodiceni, Patres in illo congregati ſanxerunt, *Non eſt permittendum turbis, electionem eorum facere, qui ſunt ad Sacerdotium promovendi* (*d*). Item in Concilio Romano ſub Martino I. Papâ decretum fuit: *Non licet populo electionem facere eorum, qui ad Sacerdotium promoventur; ſed in judicio Epiſcoporum ſit* (*e*). Conſonant & alii Canones, & Eccleſiaſticę leges (*f*), quibus in manu forti, & brachio extento Eccleſia, prò tuendâ ſuâ libertate conſtantiſſimè depugnavit: nec à pugnâ quievit, nec à Concertatione ceſſavit, donec jus Epiſcopos eligendi eſt à manu Laicorum avulſum, & ſoli Clero relictum, reſervatâ populo facultate prębendi teſtimonium vitę, & moribus Promovendi, donèc abutentibus laicis hujuſmodi jure, conceſſione; atque à facultate conſilium adhibendi, ac teſtimonium Candidato præbendi ad porrigendum etiam ſuffragium proruentibus; Eccleſia ipſa eos tùm à ſuffragio, tùm à conſilio quoque conferendo prorsus abjecit, & poteſtatem electionis totam, ac totalem Clero reliquit. Qua de rè S. Gregorius Nazianzenus: *Perſpicuum eſt, cùm aliis omnibus, tùm ſelectiſſimæ præſertim, ac puriſſimæ Populi parti, hoc eſt iis, qui Altare circumſtant, & noſtri temporis Nazaræis, quibus ſolis, vel certè potiſſimum, electiones hujuſmodi committi oportebat, ſic enim nunquàm Eccleſiis malè eſſet, ac non iis, qui opibus, ac potentiâ pollent, aut plebis impetui, & temeritati, atque etiam plebejorum viliſſimo, & contemptiſſimo cuique* (*g*), ex quo patet quàm longè antè Innocentii Papę III. tempora Laicis incępit abſcindi poteſtas, ſe Pręſulum Electionibus ingerendi, contrà opinionem Contradictorum.

28. Clero, inquam, tùm Cathedralis, tùm Urbis, ac Dioeceſis, atque ipſis etiam Monachis, & Religioſis, uti habet textus in Jure, ſic loquens: *Obeuntibus ſanè Epiſcopis, quoniam ultrà tres menſes vacare Eccleſiam Sanctorum Patrum prohibent Sanctiones, ſub anathematis vinculo interdicimus, ne Canonici de Sede Epiſcopali ab electione Epiſcoporum excludant religioſiſſimos Viros, ſed eorum conſilio, honeſta, & idonea perſona in Epiſcopum eligatur* (*h*): Et certè toto tempore, quo Clerus, & illo etiam quo cum Clero populus, quà ſuffragiis, quà reſpectivè conſilio, vel teſtificatione, & conſenſu, ad electionem Antiſtitis concurrerunt; nomine Cleri, tota Clericorum, & Monachorum, tùm Urbanorum, tùm Ruralium collectio ſignabatur (*i*), quod eluceſcit ex epiſtolâ Hincmari Remenſis ad Carolum Calvum, petentis Eccleſię Silvanectenſi viduæ libertatem, Canonicâ electione ſucceſſorem Antiſtitem deſignandi: ibi namque dicit, *quæ electio non tantùm à Civitatis Clericis agenda, verùm & de omnibus Monaſteriis ipſius Parochiæ, & de ruſticanarum parochiarum Presbyteris, occurrant Vicarii commorantium ſecum concordia vota ferentes* (*l*). A Laicis ergò avulſa poteſtas ſe in electionibus immiſcendi, ad ſolum Clerum devoluta eſt: & ſucceſſivè à toto Clero ad ſolos Canonicos Cathedralis eſt reſtricta, prò electionibus Epiſcoporum, & ad ſolos Monachos Conventuales, prò electione Abbatum (*m*).

29. Apud Capitula itaquè Cathedralium, & Monaſteriorum tandèm reſidebat univerſalitèr facultas Pręſulem eligendi, apud quę tandiù duravit, quandiù ob magnas diſcordias, quæ in hujuſmodi electionibus oriebantur, & ſimonias, quæ in iis committebantur, incæperunt Romani Pontifices reſervare ſibi diſpoſitionem Cathe-

(a) *Conrad. Abb. Urſpergenſis.*
(b) *Andr. Sauſai Panopl. Epiſcop. lib. 2. Digres de Inveſtit.*
(c) *Card. Baron. an. 1122. n. 3.*
(d) *Concil. Laodicen. cap. 13.*
(e) *Concil. Rom ſub. Martin. 1 c. 1.*
(f) *Cap. Hadrianus ibique gloſs in Verb. laicorum diſt 63. cap. bene novit. 1. diſt 96. cap. ſi quis 12. cap ſi quis Clericus 16 cap. per laicos 20. cauſ. 16. qu. 7.*
(g) *S. Gregor. Nazianz. orat. 19.*
(h) *Cap. obeuntibus 35. diſt. 63.*
(i) *Vide ſuprà capitul. præced. num. 13.*
(l) *Hincm. Remenſ. epl. ad Carol. Calvum.*
(m) *Barboſ de offic. & poteſt. Epiſcopi tit. 1. c. 3. à n. 11. & Jur. Eccleſ. Univ. l. 1. c. 8. n. 68.*

Digitized by Google

Cathedralium, certis modis vacantium, & ſucceſſivè cunctas eas univerſim, atque Abbatias, & alia beneficia, de quibus in *Regulis Cancellariæ* ſermo eſt (*a*). Et ità forma electionis Canonicę paulatìm elanguit, ſub Bonifacio Papâ VIII. valdè declinavit, ſub Clemente V. & ſub Joanne XXII. totalitèr extincta eſt, uti ex toto titulo de electione in 6. & ex Clementinis, ac Extravagantibus patet. Jamque nùnc ipſa electionis forma in *ſolâ Germaniâ* remanet, ubi Epiſcopi, & Abbates per electionem Canonicam deputantur (*b*): quam etiam fulciunt Concordata Germanica, intèr Nicolaum Papam V. & Fridericum III. Cæſarem ſtipulata (*c*). Apud Maronitas quoque, nationem Catholicam Syrię, ſeu Phæniciæ in Monte Libano, cujus verba faciunt, Jacobus de Vitriaco, VVillelmus Tyrius, & alii, Antiſtites Eccleſiis, ut audivimus, per viam electionis canonicæ præficiuntur, Coepiſcopis cum Patriarchâ, reſidente in Monaſterio Canobin, eligentibus, Primoribus verò de Natione ſuggerentibus, quiſnam, ſeu ex quibuſnam fieri poſſet electio. In aliis verò Regionibus Epiſcopatus, & Abbatię, non Regulares, vel à ſolo Papâ liberè conferuntur, vel ad nominationem Regum, & Principum ab eodem Papa traduntur, vel ſi ad Ordinarium ſpectent ab eo diſpenſantur. *In Galliâ* Rex nominat Epiſcopos, & Papa eos approbat, vi Concordatorum, quę inter Leonem Papam X. & Franciſcum I. Regem ſunt inita (*d*). *In Hiſpaniâ* Rex nominat Epiſcopos, ac offert Pontifici Romano, ut eos in Eccleſiis inſtituat, vi indultorum, dę quibus ſuprà in hoc Capitulo num. 7. & 8. ac latiùs Barboſa, Lopez, Garcia, Germonius, Solorzanus, Azorius, & alii. *In Luſitaniâ*, quod Rex paritèr nominat, ac præſentat Epiſcopos, ex privilegio Pontificio, dicunt *Navarrus in cap. novit. notab. 3. num. 165. de Judiciis, Cabed. de Patronat. Regiæ Coronæ cap. 37. num. 1.* & alii: diximuſque fuſiùs hic ſup. num. 12. *In Poloniâ* Rex ſimilitèr nominat Epiſcopos, quod & facit Rex *Hungariæ*, uti docet *Barboſa Jur. Eccleſ. univerſ. lib. 1. cap. 8. n. 73. & 84.* noſque fuſius oſtendimus in hoc Capitulo num. 13. & 14.

30. Sed præciſo privilegio Apoſtolico, Principes nullibi prędītos eſſe facultate ſe in Epiſcoporum electionibus immiſcendi; & multò minùs eoſdem prò ſuo libito nominandi, probat Joannes Fileſacus auctoritate Flori Magiſtri, Monachi Sancti Trudonis Leodienſis (*e*), qui ſub Ludovico Pio vixit, vel ſecundùm alios ſub Carolo Calvo, de eoque agunt Trithemius (*f*), Sigebertus (*g*), & alii: Florus, inquam, apud ipſum Fileſacum hac de rè ità diſſerit: *Ut primùm oſtendam per annos ferè quadringentos omnes Eccleſiarum Dei Antiſtites abſque ullo conſultu mundanæ poteſtatis à temporibus Apoſtolorum inſtitutos fuiſſe. Ex quo autem Chriſtiani Principes eſſe cęperunt, eandem Epiſcoporum ordinationibus eccleſiaſticam libertatem ex parte maximâ permanſiſſe, manifeſta ratio declarat. Quod verò in quibuſdam Regnis poſteà conſuetudo obtinuit, ut conſultu Principis ordinatio fieret Epiſcopalis, valet utique ad cumulum fraternitatis, propter pacem, & concordiam humanæ poteſtatis, non tamèn ad complendam veritatem, vel auctoritatem ſacræ ordinationis, quæ nequaquàm Regio potentatu, ſed ſolo Dei nutu, & Eccleſiæ Dei conſenſu, cuique conferri poteſt: quoniàm Epiſcopatus non eſt munus humanum, ſed Sancti Spiritus donum &c. Quæ omnia non ideò dicimus, quaſi poteſtatem Principum in aliquo minuendam putemus, vel contrà religioſum morem Regni aliquid ſentiendum perſuadeamus, ſed ut clariſſimè demonſtretur, in rè hujuſmodi, Divinam gratiam ſufficere, humanam verò potentiam, niſi illi conſonet, nihil valere. Quapropter in ſacris Canonibus Patrum, ubi plurimæ cauſæ commemorantur, ſine quibus Epiſcopalis ordinatio irrita habenda eſt, de hac rè nihil invenitur inſertum* (*h*). Et hæc ſufficiant de electionibus Epiſcoporum, ac de poteſtate Principum in eiſdem. Ex formâ autem in Eccleſiarum proviſione ſervatâ, ſub congruâ proportione, ritè deduci poteſt quid ſit de inferioribus beneficiis eloquendum.

(a) *Vid. Regulas Cancel. Barboſ. de off. Epiſcopi loc. cit. n. 27. & Jur. Eccl. Univ. item loc. citat. n. 71. & 72.*

(b) *Azor. Inſt. mor. p. 2. l. 6. c. 24 qu. 5. Barboſ. loc. cit.*

(c) *Nicol. PP. V. Conſt. 1.*

(d) *Leo PP. X. Conſtit. 10.*

(e) *Andreas Sauſai in Apparat. ad Martyrol. Gallic. to. 1. f. 35.*

(f) *Trithem. de Vir. Illuſt. Ord. S. Bened. cap. 44.*

(g) *Sigebert. de Vir. Illus. c. 23.*

(h) *Joan. Fileſac. de Sacr. Epiſc. Auctor. cap. 7. §. 7. in fin.*

C A-

CAPUT XXI.

In quo ex propoſito diſceptatur, an Papa leges Eccleſiaſticas mutare poſſit. Et an adfuerit juſta Cauſa ſuprimendi formam electionis Canonicæ, aliamque methodum introducendi, in conferendis Eccleſiaſticis Beneficiis, obſervandam.

SUMMARIUM.

1 *Sicut Chriſtus nullam formam præfixit prò beneficiorum diſpenſatione: ità nec etiam Petrus id fecit; ſed auctoritati Eccleſiæ, hanc rem reliquit.*

2 *Potuit ſemper Pontifex omnia orbis beneficia conferre. Sed antiquitùs extrà Romanæ Urbis Diœceſim poſita non ſibi reſervabat.*

3 *Forma electionis ab initio non fuit ubilibet uniformis. Innuuntur varii modi, qui diverſis in locis in electione obſervabantur.*

4 *Interdùm electio fiebat per inſpirationem, ſive per Cæleſtia ſigna. Nonnunquam fiebat per acclamationem: quarum exempla notantur.*

5 *Aliquandò electio fiebat per compromiſſum, ut fuerunt illæ Neapolitanorum, & Panormitanorum, tempore S. Gregorii.*

6 *Electio à Sanctis Patribus dicitur de traditione Divinâ, vel Apoſtolicâ, non præceptivè, ſed exemplaritèr. Sicut idem dicitur de jejunio Quadrageſimæ.*

7 *Non ad populum, neque ad clerum electio Antiſtitis de jure divino ſpectat, vel de Apoſtolicâ traditione, ſed ad Petrum, ejuſque Succeſſores.*

8 *Tota igitur origo, ſive approbatio formæ electionis, à Sede Apoſtolicâ dimanavit, ergò & ab eâ potuit alterari, ac expungi.*

9 *Papa mutare poteſt leges pro totâ Eccleſiâ, ſicuti poteſt Rex pro toto Regno, & Imperator prò toto Imperio. Forma electionis jàm à 500. annis ceſſavit.*

10 *Leges in qualibet Republicâ ſunt mutabiles; nec obligant, niſi uſquequè ſuperior vult, ut obligent. Doctrina Sexti Cæcilii ſuper hac rè.*

11 *Infinitæ leges olim viguerunt apud Romanos, quæ nùnc abolitę ſunt. Legum opportunitates pro temporum varietate mutantur.*

12 *Leges Æmilia, Cæcilia, & aliæ uſque ad numerum* 184. *quæ Romæ priſcis temporibus viguerunt, jàm ſunt ſublatę.*

13 *Joannes Limneus ex libris Biblicis oſtendit, leges mutabilitati eſſe obnoxias, quemadmodum Davidis, & Salomonis geſta demonſtrant.*

14 *Antonius Auguſtinus, in ſuo Tractatu de Legibus, egregiè oſtendit, omnes humanas leges eſſe mutabilitati ſubjectas.*

15 *B. Petrus Cluniacenſis probat, leges, pro temporum, & cauſarum diverſitate mutari, & quod idem ſpiritus inſtuit in poſteriores, ac in priores.*

16 *Quædam ſunt leges, quas mutare non licet, ut eſt dilectio Dei, & proximi, non fornicari, non furari, non occidere, & ſimilia mandata.*

17 18 *Plura ſunt in Canonibus, quę ſicut, quando non erant, prò Eccleſiæ utilitate introducta fuerunt, ſic ob eandem cauſam mutationi ſubſunt.*

19 *Theologi, & Juriſconſulti, ac ipſa Jura mutabilitatem legum admittunt; quomodò ergò poteſtas hæc negari poteſt Papę, Capiti Eccleſię?*

20 *Cla-*

Digitized by Google

20 *Clamabat Henricus II. Angliæ Rex, in diſſidio, quod habuit cum S. Thomâ Cantuarienſe, leges eccleſiaſticas mutabilitati ſubeſſe.*

21 *Poteſtas Pontificis eſt Monarchica, non Ariſtocratica, ideòque poteſt, etiam independentèr ab Eccleſiâ, leges mutare, prout opus eſt.*

22 *Eccleſia ſinè Pontifice non poteſt leges condere, omnem Chriſtianitatem obligantes, & cur? Leges Conciliorum obligant, ſi Papa eas approbet.*

23 *E contrà verò Papa poteſt ſine Eccleſiâ leges ſancire, ac mutare, non ſecus ac Imperator in Imperio, & Rex in ſuo Regno.*

24 *Si qui contrarium ſentiunt, non ſinceritati, ſed opportunitati ſuæ cauſæ ſerviunt, at malè ſentiunt de veritate, qui & convincuntur à praxi.*

25 *Hæc poteſtas multoties ad effectum perducta eſt. Idem ſpiritus dirigit Pontifices mutantes leges, qui Antiquis eas condentibus aſſiſtebat.*

26 *Si aliqui Papę profeſſi ſunt, ſe nil poſſe contrà canones, locuti ſunt de canonibus, ſpectantibus ad fidem, non ad eccleſiaſticam diſciplinam.*

27 *Interdùm ubi dicitur* neceſſe eſt, *intelligitur expediens eſt: ubi*, non poſſumus, *intelligitur, nolumus. Superior non debet omnia facere, quæ poteſt.*

28 *Quod Papæ profiteantur, sè non poſſe canones violare, intelligitur de congruo, aut quoad res fidei: in reliquis canones temperare poſſunt.*

29 *Negare Papę hanc poteſtatem eſt toti Chriſtianę Reipublicę contraire. Ipſe Deus, licet ſit immutabilis, tamen novum Teſtamentum Veteri ſubrogaverit.*

30 *Ad exuberantiam probata eſt poteſtas Papæ, in mutandis legibus: quę illi non eſt neganda in rebus eccleſiaſticis, ſicut datur Principi in rebus politicis.*

1. DIvus Petrus, Apoſtolorum Princeps, Caput univerſalis Eccleſię, & ſupremus illius Hierarcha, à Chriſto Domino conſtitutus (*a*), ità potuit cunctos Eccleſiæ Miniſtros, prò ſuo arbitrio deputare, quemadmodùm, ut oſtendimus, potuit ex ſe ipſo S. Matthiam, primum, qui poſt Chriſti Aſcenſionem, officium, & beneficium eccleſiaſticum ſit adeptus, eligere (*b*). Sed non fecit, quià vaſtitas Orbis, ingenſque Paganorum Principum furor, non permittebant, ut poſſet ipſe unus, & ſolus perſonalitèr, & ex ſe ipſo, cuncta totius Mundi beneficia miniſtrare, & alia minutiora curare, *cum id vires humanas unius excedat*, uti benè advertit Navarrus (*e*). Conſcius ergò Petrus, quod Chriſtus nullum præfixit modum invariabilem, & præciſum, pro beneficiis eccleſiaſticis diſponendis, & beneficiariis deſignandis, ſed iſtud auctoritati Eccleſiæ reliquit, ut hæc, de tempore in tempus, & de loco ad locum, formam, quę in his tenenda eſſet, ſtatueret; ità nec ipſe ullam formam fixam, & imprævaricabilem prętaxavit, ſemper, & ubilibet univerſalitèr obſervandam; ſed liberam reliquit, tàm Apoſtolis, quàm eorum Succeſſoribus in officio Epiſcopali, ut in Eccleſiis, quas curabant, illam methodum pręfinirent, in Beneficiorum, & Officiorum ſacrorum diſpenſatione obſervandam, quam ipſi magis accommodam judicarent locis, temporibus, & perſonis (*d*). Petri veſtigiis inhærentes Romani Pontifices primorum ſęculorum, illius in Vicariali Chriſti munere Succeſſores, liberum & ipſi reliquerunt cunctis Eccleſiis modum, quem in Sacerdotiorum diſtributione, & in Sacerdotum præconizatione ſervarent; ratum habentes quidquid in hoc ſingulæ Eccleſiæ in sè laudabilis moris haberent, *cum nulli dubium ſit, quod non ſolùm Pontificalis cauſatio, ſed omnis Sanctæ Religionis relatio ad Sedem Apoſtolicam, quaſi ad Caput Eccleſiarum debeat referri*, inquit Gregorius Papa IV. (*e*).

(a) *Matth.* 16. 18. & 19. *Joann.* 21. 15.

(b) *Vid. ſupr. c.* 19. *n.* 7. & 8.

(c) *Navar. to.* 1. *de Spol. Cleric.* §. 11. *n.* 4.

(d) *Vid. hic ſupr. c.* 19. *n.* 7. 10. 11. &c.

(e) *Cap. præceptis diſt.* 12.

2. De hac Romani Pontificis poteſtate, & in agendo regulâ, ità Anaſtaſius Germonius, Archiepiſcopus Tarantaſienſis, eſt aliquandò locutus: *licèt omnis auctoritas, omniſque poteſtas conferendi beneficia, jàm ab initio naſcentis Eccleſiæ penès ſanctiſſimum ejuſdem univerſalem Rectorem exiſteret, duretque, ac duratura*

ſit

ſic in perpetuum, ut ea, quæ divina prorsùs eſt, nèc humanas extimeſcit viciſſitudines, aut accidentia. Veruntamèn quià veteres Pontifices Maximi contenti fuerunt collatione eorum beneficiorum, quæ Urbis ambitu claudebantur, & permiſerunt Epiſcopis, ut omnia beneficia, quibus vellent, conferrent: demùm ob cauſas ſuperiùs adductas non nulla ſibi reſervarunt &c. (*a*). Nedùm ab initio beneficia ecclesiaſtica inferioris ordinis à localibus Epiſcopis, prò eorum libito, & ſub formâ illis benè visâ diſpenſabantur, ſed etiàm beneficia Epiſcopalia eorum arbitrio tradebantur, in quantum Deceſsores interdùm, ut innuimus, deſignabant Antiſtitem, quem optabant ſibi ſuccedere, ſed hoc more, non diù poſt ſua initia, ſublato, tamquàm pleno diſcriminum, & ſucceſſionem hęreditariam redolente, communitèr invaluit uſus, ut Antiſtites per electionem deputarentur, & idem alicubi fieret aliquando, etiàm de aliis Eccleſię Miniſtris, præſertim parochis, eſtque viſus valdè rationabilis iſte mos, quià, ut ait Hincmarus Remenſis, *ab omnibus debet eligi, cui debet ab omnibus obediri* (*b*): *& neceſſe eſt, ut faciliùs ei quis obedientiam exhibeat ordinato, cui aſſenſum præbuerit ordinando* (*c*). Ideò methodus procedendi per viam electionis, præcipuè in Præſulum deſignatione, fuit universalitèr introductus. Sed ipſa methodus nec ſemper, nec ubicumque fuit æqualis. Nàm alicubi ſoli Epiſcopi Comprovinciales: alicubi ſolus Clerus: alicubi Clerus cum populo: alicubi alii, ſivè ſuffragando, ſivè alitèr conſentiendo electioni ejus, qui promovendus erat ad beneficium Epiſcopale, operam impendebant, uti prolixiùs oſtendimus Capitulis præcedentibus (*d*).

(a) *Germon. de Indult. Cardin. §. per quę n. 87.*

(b) *Hincm. Remenſ. epi ad Hildeber. Sylvanectenſ.*

(c) *Pontific. Roman. de ordin. Presbyteri.*

(d) *Vid. hic. ſuprà c. 19. & 20.*

3. Præthereà electio alicubi ſic fiebat, ut Epiſcopi Comprovinciales tres proponerent Candidatos, ex quibus Clerus, & populus unum ſibi magis gratum ſeligerent: hancque formam electionis fovit Concilium II. Arelatenſe, decernens, *Placuit in ordinatione Epiſcopi hunc ordinem cuſtodiri, ut primo loco venalitate, & ambitione ſubmotâ, tres ab Epiſcopis nominentur, de quibus Clerici, vel Cives ergà unum eligendi habeant poteſtatem* (*e*). Et ſub hoc themate, vel ſaltèm non multùm diſſimili, etiàm Nectarius Epiſcopus Conſtantinopolitanus electus eſt, referente Sozomeno, quod Magnus Theodoſius Imperator mandavit Epiſcopis, ut elenchum eorum ſibi præberent, quos tanto faſtigio idoneos reputarent, *cum ſibi ipſi unius ex illis electionem reſervaſſet* (*f*). Alicubi è contrà factum eſt: Clerus, & populus tres proponebant, & Metropolitanus unum ex eis prò ſuo libito deligebat. Sanxit hoc Juſtinianus in unâ ex ſuis Novellis, edicens, *ſancimus quotiès opus fuerit Epiſcopum ordinari, Clericos, & Primates Civitatis: cujus futurus eſt Epiſcopus, mox in tribus perſonis decreta facere &c. Ut ex tribus perſonis, prò quibus talia decreta facta ſunt, melior ordinetur, electione, & periculo Ordinantis* (*g*). Quod non ſolùm in Oriente, ſed etiàm in Occidente locum habuiſſe ſignificat Concilium Barcinonenſe hoc pręcavens, *ità tamèn, ut duobus, aut tribus, quos antè conſenſus Cleri, aut plebis elegerit, Metropolitani judicio, ejuſque Coepiſcopis præſentatis, quem ſors præeunte Epiſcoporum jejunio, Chriſto Domino terminante, monſtraverit, benedictio conſecrationis accumulet* (*h*). Et ità temporę Balſamonis, vi pręfatę Conſtitutionis Imperialis, tres proponebantur Archiepiſcopo, beneficii Epiſcopalis capaces, & ex eis unum ipſe Archiepiſcopus ſeligebat (*i*).

(e) *Concil. Arelat. 2. ann. 452. n. 54.*

(f) *Sozom. hiſtor. lib. 6. c. 7.*

(g) *Juſtinian. Novel. 123. c. 1.*

(h) *Concil. Barcinon. cap. 3.*

(i) *Balſamon. in Nomocan tit. 1. c. 23.*

4. Aliquandò electio fiebat per *Inſpirationem*, ſivè per Cœleſtia ſigna, quę Promovendum denotarent, à Deo infulis deſtinatum, quemadmodùm S. Timotheus ab Apoſtolo dicitur ad Sacerdotale officium aſumptus, ſecundùm *præcedentes prophetias* (*l*). Et ità S. Fabianus Papa Cęleſtis Columbæ indicio, ſuper ejus verticem volitantis, electus eſt in Summum Pontificem (*m*), quod & duodecim primis Epiſcopis Ravennantibus accidiſſe, monumenta illius Eccleſiæ recenſent (*n*). Imò & per totam Eccleſiam non infrequentèr hoc modo per aliquod Cœleſte ſignum, & ſupernalem inſpirationem, fuiſſe ſuis temporibus electos Antiſtites, memorat D. Hieronymus (*o*). Aliquandò electio per *Acclamationem* fiebat: & ità S. Ambroſius, non adhùc ſacro tinctus baptiſmate, *de repente puero Ambroſium*

(l) *1. Timoth. cap. 1. n. 18.*

(m) *Card. Baron. an. 238. n. 6.*

(n) *Breviar. Eccl. Raven. S. Petr. Dam. ſer. de S. Severo. Hier. Fabri memor. di Ravenna par. 1. Rubeus in hiſtor. Ravennate.*

(o) *S. Hier. Comment. in Aggæ. Proph.*

Epiſcopum exclamante; univerſi populi vox erupit, Ambroſium Epiſcopum depoſcentis (*a*). De S. Auguſtino pariter narrat Poſſidius, ejus vitæ ſcriptor, quod Hipponenſes, *manu injectâ eum tenuerunt, & ut in talibus conſuetum eſt, Epiſcopo ordinandum intulerunt, omnibus uno conſenſu, & deſiderio fieri, perficique petentibus, magnoque ſtudio, & clamore flagitantibus, ubertìm eo flente &c.* (*b*). Cui conſimilis fuit electio ad ordines S. Paulini, de ſe ad Alipium ſcribentis; *Nam ego etſi à Delphino Burdigalæ baptizatus, à Lampio apud Barcinonam in Hiſpaniâ per vim inflamatæ ſubito plebis, ſacratus ſum* (*c*).

5. Demum aliquando electio fiebat per *Compromiſſum*, & ità licitè fieri potuiſſe, & poſſe, ubi adhùc electionis forma conſiſtit, in pluribus Canonibus definitur (*d*). Cujus rei peregregium exemplum eſt apud D. Gregorium, prò Neapolitano Epiſcopo deligendo, taliter Petrum Campaniæ Subdiaconum ſuis literis commonentem, *Experientia tua Clerum Eccleſiæ Neapolitanæ conveniat, quatenùs duos, vel tres de ſuis eligere, & hùc ad eligendum Epiſcopum tranſmittere non omittant. Sed & ſuâ nobis relatione inſinuent, quoniàm hi, quos miſerint omnium in hac electione vice fungantur, ut Eccleſiæ illi, Deo auctore, ſuus Antiſtes valeat ordinari. Nàm ampliùs eam ſinè proprio non patimur eſſe rectore &c. Illos autèm, qui cunctorum vice hùc venerint ad eligendum Epiſcopum, admone, ut veſtiarium omne Epiſcopi ſui ſciant deferendum, & quantum prævìderint, ſecum argentum adducant, quod in uſu ſuo habere poſſit, qui fuerit Epiſcopus ordinatus. Hæc verò omnia vivaciter, diſtrictèque implere feſtina, & ſua omni hùc celeritate electos, ſicut diximus, de Clero tranſmitte, ut quia diverſi hic nobiles Civitatis Neapolitanæ præſentes ſunt, unà cum eis de Epiſcopali ordinatione & tractare, & adjutore Domino, deliberare poſſimus* (*e*). Et in epiſtolâ ad Venantium Patricium Panormitanum, *hortandus eſt Clerus, & populus, ut eis, qui ad nos venerint ſuâ debeant vice mandare, quatenùs hic habeant eligendi licentiam, nobiſque hocipſum apicibus ſuis, roboratis propriis ſubſcriptionibus innoteſcant, ut ſi vel hic inveniri poterit, ſinè difficultate aliquâ, Chriſti cooperante gratiâ, conſecretur* (*f*). Hæc evidenter patet fuiſſe duo compromiſſa, vel ſpecies eorum, prò Eccleſiis Neapolis, & Panormi, Antiſtite providendis.

6. Ità eo tempore, quo proviſio beneficiorum ubilibet per viam electionis fiebat, multiformibus, & differentibus modis, electio ipſa celebrabatur, remanens tamèn ſemper electio; tanti meriti tunc cenſita, quando, & ubi in ſuâ puritate vigebat; necnon talitèr à Sanctis Patribus commendata; ut à D. Cypriano *de traditione divinâ* vocata ſit (*g*), & à D. Athanaſio *de Apoſtolicâ traditione* (*h*). Non quod ullum mandatum, vel traditio præceptiva ſuper hoc à Chriſto fuerit, vel ab Apoſtolis præfinita; ſed quod exemplariter ad id, quod legitur in divinâ Scripturâ, ſivè relativè ad methodum ab Apoſtolis obſervatam, in ordinatione ſeptèm Diaconorum, perſpiciat: eo modo, quo etiam Jejunium quadrageſimale à Sanctis Patribus, modo *de divinâ ordinatione*, modo *de traditione Apoſtolicâ* nuncupatur, quemadmodùm illud appellant SS. Hieronymus (*i*): Ambroſius (*l*): Leo magnus (*m*): Petrus Chryſologus (*n*); Iſidorus Hiſpalenſis (*o*): Gregorius Nazianzenus (*p*): Baſilius Cæſarienſis (*q*), & alii: cum tamèn ipſum Jejunium vim præcepti eccleſiaſtici non excedat. Et ità quamvìs Clerici ad beneficia Epiſcopalia, vel alia inferioris ordinis, olim per viam electionis Canonicæ promoverentur, & alicubi etiam nùnc, ut in Germaniâ, & apud Maronitas provehi pergant; id nonniſi ab eccleſiaſticâ ordinatione pependit, nec niſi ad poſitivi Juris ſpectat rationem, quâ de rè Thomaſſinus, expendens verba Privilegii per Carlomannum Regem Galliæ Eccleſiæ Aurelianenſi conceſſum, ut liberè poſſet electiones Canonicas celebrare, ait, *quod hic dicitur privilegium, non eſt tamèn niſi Juris Canonici beneficium* (*r*). Quare citrà controverſiam, jus præficiendi Eccleſiis Beneficiarios per viam electionis, nonniſi merè à Juris Communis diſpoſitione profluxit, adeòque ab auctoritate Romanæ Sedis, quæ totius Eccleſiæ Caput eſt, & Juris Communis

appro-

(a) Breviar. Rom. die 7. Decembris.

(b) Poſſidius in vit. S. Aug. c. 53.

(c) S. Paulin. epl. ad Alip. 35. int. epiſtolas S. Auguſt.

(d) Cap. cauſam cap. cauſis de electione.

(e) S. Gregor. lib. 3. indict. 1. epl. 35.

(f) S. Gregor. lib. 13. epl. 24.

(g) S. Cyprian. lib. 1. epl. 4.

(h) S. Athanaſ. eph ad Solitarios.

(i) S. Hieron. epl. ad Marcellam.

(l) S. Ambroſ. in Luc. lib. 4.

(m) S. Leo ſerm 6 & 9 de Quadr.

(n) S. Petr. Chryſol. ſer. 11. & 166.

(o) S. Iſid. Orig. lib. 6. cap. 19.

(p) S. Gregor. Nazianz. in Carmin.

(q) S. Baſil. ſerm 2. de jejun.

(r) Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſcipl. p. 2. l. 2. c. 23. n. 5 §. duo.

approbatrix; quippè Jus Commune eccleſiaſticum, & Canones in eo contenti, in tantùm rationem legis habent, inquantùm hanc auctoritatem, & robur Romana Sedes eis impertit.

7. Itàque cum electio Epiſcoporum, neque de jure Divino, neque de Apoſtolorum juſſione, ad Clerum, & populum unquàm pertinuerit, ſed ad Petrum, ejuſque ſucceſſores Romanos Pontifices, ut vel ipſi eos deputarent, vel modum prò eorum deputatione ſervandum, præfinirent, ratumve haberent, uti ſentiunt ex Theologis Bellarminus (*a*), & ex Juriſconſultis Garcias (*b*); ſequitur quod forma providendi beneficia per viam electionis Canonicæ, non aliud initium habuit, neque aliud fundamentum adepta eſt, niſi vel inſtitutionem, vel ratihabitionem Sedis Apoſtolicæ; Et quod illa ex ſolâ ipſius S. Sedis auctoritate, & approbatione vires habuit: neque debitum obſervantiæ conſecuta eſt, niſi quatenus Romanus Pontifex eam voluit obſervari. Quod adeò certum eſſe cenſemus, ut nonniſi delirando valeat hoc in dubium revocari. Nàm ſi forma electionis non eſt à jure divino, neque ab Apoſtolicâ inſtitutione (nullibi enim legitur in Scripturis, vel alibi, quod Chriſtus, vel Apoſtoli expreſsè decreverint, Epiſcopos eſſe per viam electionis Canonicæ deputandos); à quo ergò vim formæ, legitimè obſervandæ, & per tot ſæcula ubilibet generalitèr obſervatæ, haberi potuit, niſi à Romanis Pontificibus, formam ipſam, vel exemplis, vel decretis in Eccleſiâ introducentibus, vel introductam, auctoritate Apoſtolicâ ratam habentibus, & roborantibus? Si enim auctoritas Romani Pontificis, uti Eccleſiæ Capitis, electionis methodo defuiſſet; quis dixiſſet, quis certum feciſſet, quod ſola forma electionis, & non alia, eſſet forma in deputatione Antiſtitis obſervanda? Cur potiùs forma electionis, factæ per Clerum, & populum, & non deputatio facta per ſupremum Principem, vel per decuriones Urbis, vel per Archiepiſcopum, vel per Epiſcopum viciniorem, vel alitèr, conſtituiſſet Epiſcopum? Vides quod adeò neceſſarium eſt definire, formam electionis habuiſſe originem, vel approbationem à Romanâ Sede, ut hac de medio ſublatâ, ſtatim corruat certitudo, quod ipſa forma electionis eſſet forma legitima, in deputandis Epiſcopis obſervanda!

8. Quemadmodùm autem tota origo, ſivè approbatio formæ deſignationis promovendorum ad Epiſcopalia beneficia, per viam electionis Canonicæ, à Sede Apoſtolicâ ſubſtantialitèr dimanavit; ità & ab eâdem alterari potuit, paulatim imminui, & tandèm prorsùs expungi; quod in ſe pluſquàm certum eſt, nec ulli in dubium venire poteſt, niſi qui non ad ſequendam doctrinalitèr veritatem, ſed ad eam impugnandam, inſanâ garrulitate loquatur. Enimverò omnium Theologorum, omnium Juriſprudentum conſenſu, is tollere legem poteſt, qui eandem valet procudere (*c*). *Res per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur*, inquit textus in jure (*d*). *Poſterior Principis conſtitutio derogat priori*, clamant unâ voce Doctores(*e*). Nullus eſt Princeps, nullum eſt Reipublicæ Caput, quod leges, ad ſui ſtatus regimen opportunas, ſancire, renovare, alterare, moderari non valeat, & univerſalitèr immutare. Quilibet Rex in proprio Regno, Princeps in proprio Principatu, Comes in proprio Comitatu: quilibet Epiſcopus in ſuâ Diœceſi, Abbas in ſuo Monaſterio &c. poteſt leges condere, conditas reparare, reparatas imminuere, imminutas tandèm totalitèr abrogare. Quarè? Quia, ut ait Beccanus, *habent poteſtatem regendi, & puniendi ſubditos, & ſubditi tenentur illis obedire. Ergò habent poteſtatem condendi leges, ſecundùm quas poſſint regere, & punire ſubditos, & in quibus ſubditi teneantur illis obedire* (*f*).

9. Si igitùr omnes Eccleſiarum Prælati, omnes Principes, & Monarchę jure præditi ſunt condendi, mutandi, renovandi, & abrogandi leges, prout bono regimini eorum, quibus præſunt, in Domino cogitant expedire; quid eſt quod ſolus Romanus Pontifex, juxtà prætenſionem Contradictorum, hoc jure careat, reſpectu totius Eccleſiæ, cujus Caput eſt, quæ tota ejus regimini commiſſa eſt, quam totam derigendam ſuſcepit auctoritate Monarchicâ (*g*)? Contradictores enim, ut leno-

(a) *Bellarmin. tom. 1 Controverſ. 5. lib. 1. c. 8*
(b) *Nicol. Garcia de benef. p. 5. c. 4. n. 7.*
(c) *Suarez de Leg. l. 6. c. 27. Azor. p. 1. l. 5. c. 20. & 21. Layman. l. 1. tr. 4. c. 21. n. 1. 2. Bonac. de Leg. diſp. 1. qu. 1. pun. ult. ſ. 1. n. 1. 10. 2.*
(d) *Cap. 1. de regul. jur. in 6.*
(e) *Sylveſt. V. Lex. qu. 26. Laym. & alii ſupr. citat.*
(f) *Becan. Opuſc. de Repub. Eccleſ. privil. 5. num. 43.*
(g) *Matthæi cap. 16. num. 19.*

lenocinentur propriæ opinioni, excluſivæ extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis, contendunt, quod quia olim beneficia diſpenſabantur per viam Canonicæ electionis, dabantur Clericis de gremio, & conſequenter indigenis; ergò, inquiunt, idipſum faciendum eſt etiam modò, nec potuit Papa legem, ſivè formam electionis Canonicæ de medio tollere. Sed proh quam craſſâ Minervâ errant! Certè cum Summus Pontifex *ſit Caput Eccleſiæ, ſicut Rex eſt Caput Regni, & Imperator Imperii, non minùs poteſt ſancire leges prò totâ Eccleſiâ, quam Rex prò toto Regno, aut Imperator, prò toto Imperio* (*a*). Hocque eſt verum, nedùm theoricè ex hiſce rationibus; ſed etiam practicè: quippè Romani Pontifices jàm per mille, & ſeptingentos annos, infinitas leges ad regimen Eccleſiæ, vel ex ſe ipſis ſanxerunt, vel à Conciliis conditas approbarunt: in hacque poſſeſſione ſunt, conſtanti, ſundatâ, & totiùs Eccleſiæ conſenſione roboratâ. Neſcimus ergò videre, quâ verâ fiduciâ ipſi Contradictores autument, quod ſemèl introducta in Eccleſiâ Dei, forma providendi Eccleſias per viam electionis Canonicæ, non potuerit ampliùs immutari: & quod ipſa forma, jàm à quingentis annis abrogata, debeat nunc à mortuis revocari; atque diſputari, an tunc potuerit abrogari, nec nè: præſertim, cum jàm ab eo tempore uſque ad noſtram ætatem, in totâ Europâ Catholicâ (ſi Germaniam excipias) ipſa electionis abrogatio plenarium effectum ſortita ſit: nec ipſius abrogandæ poteſtas poſſit Summo Pontifici denegari, quin impetantur, & omnimodè evacuentur, Jura Regum, ad quos jàm facultas præſentandi Promovendos (qui priùs per electionem deſignabantur) transgreſſa eſt. *O tempora, ò mores!* Non poteſt Papa immutare legem, quam ipſe procudit? Non poteſt leges abrogare, qui per mille, & ſeptingentos annos, centies id fecit? Non potuit forma electionis Canonicæ ſupprimi, quæ jàm à quingentis annis ſuppreſſa eſt: & à totidem ipſa ſuppreſſio eſt ad effectum perducta? *O tempora, ò mores!*

10. Retulimus Capitulis præcedentibus: Doctrinam Patrum, & alia inferiùs referemus, quæ apertè ſignificant, quod leges eccleſiaſticæ mutationi omnimodè ſubſunt (*b*): Nùnc alia documenta ſuperaddamus, idem comprobantia, ut pateat, quam inutilem, ac deſertam Provinciam ſuſceperint Contradictores, negando Eccleſiæ, ſive Pontifici, illius Capiti, poteſtatem mutandi formam diſpenſandi eccleſiaſtica beneficia, per viam electionis Canonicæ. Leges in nullâ humanâ Republicâ ſunt perennes, ſed temporaneæ: & quamvis ex ſe dicantur æternæ; æternitas tamen illa à Legiſlatorum voluntate dependet: nec earum æternitas ultrà progreditur, quàm uſquequò legitimâ auctoritate tollantur (*c*). Vel æternæ dicuntur, quia inſtitutæ ſunt, ut longo tempore durent, *ſinè certo termino in ipſâ legis promulgatione definito: ſtatuta enim, & præcepta, quæ ità feruntur, ſolent vocari perpetua in communi uſu loquendi; eodem ſenſu quo leges dicuntur eſſe perpetuæ* (*d*). Hæcque veritas prò certâ, & infallibili conſtituenda eſt, quod poſterior voluntas Legiſlatoris, ſive illius in officio Succeſſoris, derogat priori: & quod lex non obligat, niſi in quantùm, & uſquequò ſuperior intendit, ut ipſa vim habeat obligandi (*e*). Egregiè hac de rè Sextus Cæcilius Juriſconſultus in diſceptatione cum Phavorino Philoſopho, de legibus XII. tabularum ait, -- Longa ætas verba, atque mores veteres obliteravit, quibus verbis, moribuſque ſententia legum comprehenſa eſt. Trecenteſimo namque anno poſt Romam conditam, tabulæ compoſitę, ſcriptæque ſunt. A quo tempore ad hunc diem, anni eſſe non longè minùs ſeptingenti videntur. Durè autem ſcriptum eſſe in iſtis legibus, quid exiſtimari poteſt? Niſi duram eſſe legem putas, quę judicem arbitrumve jure datum, qui ob rem dicendam pecuniam accepiſſe convictus eſt, capite punit: aut, quæ furem manifeſtum ei, cui furtum factum eſt, in ſervitutem tradit: nocturnum autèm furem jus occidendi tribuit. Dic enim quæsò, dic vir ſapientię ſtudioſiſſimè: an tù, aut Judicis illius perfidiam contrà omnia jura divina, atque humana jusjurandum ſuum pecunia vendentis, aut furis manifeſti intollerandam audaciam, aùt nocturni graſſatoris inſidioſam violentiam, non dignam eſſe capitis pæna exiſtimes (*f*)? Huculquè Sextus Cæcilius.

(a) *Martinus Becanus loc. cit. n. 40*

(b) *Vid hic ſuprà c. 19 n 3. & 4. & infrà tom. 3. c. 6. n. 8.*

(c) *Layman de Legibus diſp. 1. qu. 1. punct. ultim §. 1. n. 1.*

(d) *Gonet. Clypeus Theolog. tom. 3. diſput. 11. art. 4 num. 52*

(e) *Bonac tom 2. diſput 1 qu. 1 pun. ult. §. 1 numer. 1.*

(f) *Aulus Gellius lib. 20. cap. 1.*

11. Pro-

11. Profectò infinitæ leges, quæ olim apud Romanos obſervantiâ integrâ viguerunt, nùnc abrogatæ, diſpunctæ, obliteratæ, in oblivione hominum deliteſcunt, de quibus, ut verbis Livii proloquamur, quis non videt, quod *quæ in pace latæ ſunt leges, plerumque bellum abrogat; quæ in bello, pax: ut in navis adminiſtratione, alia in ſecundâ, alia in adverſâ tempeſtate uſui ſunt* (*a*). Nèc ideò parvipendenda eſt eorum recordatio, ſed non ſecùs ac fit de antiquitatis veſtigiis, earum memoria retinenda eſt ad ornatum, ad eruditionem, ad pompam, ad decorem tandèm illum, quem præſeferunt inſignia vetuſtatis -- Nec ideò contemnas, inquit Gellius, Legum iſtarum antiquitates, quod pleriſque ipſis jàm Populus Romanus deſiverit. Non enim profectò ignoras legum opportunitates, & medelas prò temporum moribus, & prò rerum publicarum generibus, ac prò utilitatum præſentium rationibus, pròque vitiorum, quibus medendum eſt, fervoribus mutari, atque flecti: neque uno ſtatu conſiſtere, quin ut facies Cœli, & Maris, ità rerum, atque fortunę temporibus varietur. Quid ſalubrius viſum eſt rogatione illâ Stolonis, de jugerum numero præfinito? Quid utilius plebiſcito Voconio, de coercendis mulierum hæreditatibus? Quid tàm neceſſarium exiſtimatum eſt propulſandæ Civium luxuriæ, quam lex Licinia, Fannia, aliæque item leges ſumptuariæ? Omnia tamen hæc obliterata, & operta ſunt Civitatis opulentiâ, quaſi quibuſdam fluctibus æſtuantis (*b*). (b) *Aulus Gellius lib.20.cap.1.* (a) *Livius lib. 34.*

12. Leges, Æmilia de Cenſoribus, Apuleja de Majeſtate, Atilia de Tutoribus, Cęcilia de Fullonibus, Calphurnia de Ambitu, Caninia de Manumiſſionibus, Caſſia de Damnatis, Cincia de Muneribus, Claudia de Sociis, Clodia de Collegiis, Domitia de Sacerdotiis, Fabia de Plagiariis, Gabinia de Magiſtratibus, Julia de Legationibus, Tarpeja de Multis, & aliæ perplures, quæ binis, vel ternis ab hinc Sæculorum decadibus efflorebant; & quarum uſque ad numerum centum octoginta quatuor alicubi recenſentur (*c*), ubinam ſunt modo? Ubi ſunt, ſi fortè fragmen (c) *Anton. Auguſtin. de legib. à fol.32.*
aliquod quarumdam ex illis juris civilis corpori non reperitur inſertum? Certè vix earum memoria, niſi ad eruditionem habetur, & ad pompam notitiæ antiquitatis commemorantur. Nomen aliquarum ex ipſis innoteſcit, ſed res per nomen ſignificata diſperiit. Riſumque nùnc moveret, ac velut inſanus eleboro indigeret; non ſaperet, neque juſtitiam imploraret, qui obſoletas haſce leges obſervandas eſſe contenderet, rejectis aliis, quæ in loco illarum ſucceſſivè fuerunt à legitimis Legiſlatoribus promulgatæ.

13. Audivimus Ethnicos, de legum mutabilitate loquentes, nùnc audiamus Limneum Hæreticum, eandem ex libris Biblicis deducentem. -- Mutato, inquit, Reipublicæ ſtatu, Regibus ipſis, qui totius Reipublicę Principatum habebant, in præceptis judicialibus multa licebat permutare, & leges aliquas condere, etiam diverſas ab his, quas intèr judiciales, ac politicas Deus, ut inſtituor, & Princeps, ac Imperator Iſraelitici exercitus, in conſtituendâ Republicâ Iſraeliticâ præſcripſerat &c. Ne iſta omninò ex capite excogitaſſe videamur, unum, vel alterum ex ſacris libris afferamus exemplum, à Deuteronomii libro exordium ſumentes, in quo cap.17.prò futuro in populo Rege lex à Deo traditur, per hęc verba: non habebit Uxores plurimas, quæ alliciant animam ejus. Contra quam legem Davidem virum Sanctiſſimum cum regnaret in Hebron c.3.l.1.Paralip.ſex habuiſſe uxores legimus, & poſtmodum cum Regnum totius Iſraelitici populi fuiſſet adeptus lib.2. Regum, plures alias Uxores duxiſſe fertur. Salomonem quoque exceſſiſſe numerum Uxorum, ac Concubinarum, liquidò conſtat. Eodem quoque loco Deuter. de Rege, moderatâque ejus Curiâ, lex in hęc verba fertur; cumque fuerit Rex conſtitutus, non multiplicabit ſibi equos. Cum tamen 3. Reg.4. ſub Salomone dicat Sacer textus, & habebat Salomon quadraginta millia præſepia Equorum Currilium, & duodecim millia Equeſtrium. Et ſub Davide legitur c.18.lib.1. Paralip. cæpit ergò David mille quadrigas ejus, & ſeptem millia equitum, & viginti millia virorum peditum, ſubenervavitque omnes equos Curruum, exceptis centum quadrigis, quas re-

(a) *Limnæus ad Auream Bullam Caroli IV. c. 29. §. 4.*

reſervavit ſibi (*a*). Sed intermittamus Hæreticos.

14. Audiendus eſt Sacer vir Antonius Auguſtinus, Archiepiſcopus Tarraconenſis, qui in ſuo Tractatu de Legibus, non modo ſtrenuè de mutabilitate legum, verum etiàm eruditè pertractat. Nam poſt producta per modum obiiciendi varia motiva, mutabilitatem legum excludentia, ſubjungit -- At verò non minus multa ſunt, quę nos abrogare, ac derogare legibus ſuadeant, & ut Androcles dicebat, ut marinos piſces ſale, oleas oleo; ità leges legibus condiendas. Ariſtoteles quidem optimum eſſe ait in omnibus diſciplinis melioribus inſtitutionibus uti: neque dubium eſſe legum ferendarum, ac Reipublicę inſtituendæ, atque adminiſtrandę, diſciplinam quandam eſſe. Tùm veterum leges ſimplices, duræ, ac barbaræ fuerunt, quas niſi mutare liceret, multum ab humanitate diſcederemus. Jàm verò nihil ità accuratè ſcribitur, quin multa deſint, multa minus rectè tradantur, in legibus præſertim, quæ adeo, quę frequentèr, & facilè, non perraro accidunt, conſcribuntur. Platonis verò ſententia mihi omnium optima viſa eſt: ut legibus caveatur, ne juniorum quiſquam querere audeat, rectè nè, an contrà, leges conſtitutę ſint, Sed omnium una vox ſit, optimas eſſe, à Diis emanaſſe, illis eſſe obtemperandum. Seniores ſi quid excogitaverint, Magiſtratibus indicent: deque his rebus cum inter ſe verba faciant, adoleſcens interſit nemo. Hoc temperamento multis malis medebimur, quę anteà recenſebamus, tàm his, quę à malis legibus, quam his, quę temporum vitio, atque ex malâ conſuetudine mutandi, & non obtemperandi manarent (*b*).

(b) *Anton. Auguſtin. de legib. c. 17.*

15. Sed nemo magis doctè, magis piè, magiſque providè, ac prudentèr de hâc rè loquitur, quam B. Petrus Cluniacenſis, ità B. Bernardo Claravallenſi reſpondens -- Reducere ad mentem charitas veſtra debet, quod Divina Mandata, partim mobilia, partim immobilia. Divina verò mandata diximus, non ſolum ea, quæ per ſeipſam in Carne Divinitas apparens hominibus tradidit, aut ea, quæ per Apoſtolos teneri conſtituit, ſivè illa, quæ antè ſuſceptam carnem per Patriarchas, vel Prophetas mandavit; ſed etiam illa, quæ poſt Apoſtolos Apoſtolici Viri, Apoſtolica veſtigia ſecuti, unanimi multorum Catholicorum conſenſu ſervari præceperunt. Idem enim divinus ſpiritus, qui priorum Patrum cordibus ſe infundens, humanæ saluti congruentia per eos dedit præcepta; per hos quoque, qui recentiores videntur, hominum ſalutem operari, ſalubria jubendo, non deſtitit. Per diverſos igitur pręcones Domini verba ędita veneramur, in diverſis organis ejuſdem ſpiritus flatum agnoſcimus. Horum ergò pręceptorum, ut diximus, quędam prò ratione cauſarum, & temporum mutantur; quędam ſe mutari nullâ ratione permittunt (*c*).

(c) *Petr. Cluniac. l. 1. epl. 28. §. Hoc tamen.*
(d) *S. Thomas 1. 2. quæſt. 96. & alias ſequent. Gonet. Clyp. Theolog. tom. 3. diſp. 11. per tot. de leg. Divin.*

16. Vides quod leges nullę ſunt invariabiles, quando ipſamet Divina lex aliquam accepit varietatem, de quâ Thologi (*d*). Nèc deficit virtus legum recentiorum, quando conſtat, non minorem fuiſſe poteſtatem in conditoribus earum, quam fuerit in legiſlatoribus antiquarum. Proſequitur B. Petrus Cluniacenſis, & ait -- Et ut ea, quę ultima dividendo fecimus, quià digniora ſunt, exponendo prima faciamus: de immobilium numero dicimus eſſe (nàm cuncta non vacat colligere) illud maximum, & primum dilectionis Dei mandatum, ſecundum quoque huic ſimile, de proximi dilectione: ſed & humilitatis, caſtitatis, & veritatis pręcepta, quibus licet ſimilia multa ſint alia, hęc tamen ad elucidandum quod volumus, nobis ſufficere credimus. Ità namque nullâ inveniuntur ratione, nullâ unquam diſpenſatione immutata. Quis enim Catholicorum Patrum, ne Deus ex toto Corde, ex totâ animâ, & totâ mente diligeretur, præcepit: vel parum quid mandato huic detraxit? Quis proximum non ut ſeipſum à ſe diligendum eſſe negavit? Quis vel in modico ſuperbire indulſit? Quis fornicari, quis mentiri, quis furari, quis rem proximi concupiſcere unquam permiſit? Patet ergò, hæc, & multa talia eſſe prorſus immobilia. En leges, & præcepta, immobilia, invariabilia, & inalterabilia: Mandata nempè Decalogi, & præcepta *moralia*, eiſdem ſuperaddita, quæ nunquam

quam

quàm interierunt, neque deficiunt (*a*). Cætera verò Judicialia, vel Cæremonialia, moveri, alterari, minui, & augeri poſſunt, quæmadmodum de præceptis Judicialibus Antiquæ Legis, quæ data eſt Judæis per Moyſen factum eſt. *Judicialia* namque præcepta, prout à Lege veteri præſcripta, defecerunt, niſi quatenus à Regibus, & Legiſlatoribus aliqua illorum aſſumpta ſunt ad publicam utilitatem. *Cæremonialia* quoque præcepta legis Moſaicæ interierunt, & quantum ad eorum ſignificationem abrogata ſunt, nec niſi quoad rem ſignificatam in eis, nempe quoad Chriſtum, & religionem Chriſtianam, perſeverare dicuntur (*b*).

17. Porrò præcepta cæremenialia veteris legis, uti notat ex Burgenſi Genebrardus, & ex eo alii, ad uſque numerum 613. aſcenderunt; ex quibus 248. erant affirmativa, tot nempè, quot ſecundum obſervationes Medicas, & Chirurgicas, ſunt in homine membra, & oſſa: reliqua vero 365. erant negativa; tot quot ſunt dies in anno (*c*). Quæ ſi omnia interire potuerunt, & de facto interierunt; quis ſanâ mente contendat, ſemel conditas leges mutationi non ampliùs ſubjacere? Pergit deindè B. Petrus Cluniacenſis, & ait -- Intèr illa verò, quæ moveri diſpenſativè poſſunt, Patrum auctoritatem ſequentes, ea eſſe dicimus, quorum pleraque in Eccleſiaſticis Canonibus invenimus, quæ ſicut prò communi totius, vel propriâ alicujus Eccleſiæ utilitate, cum non exiſterent, inventa ſunt; ſic rurſus prò communi totius, vel propriâ alicujus aut gentis, aut Eccleſiæ ſalute, præviâ in omnibus charitate mutata ſunt. Et quià nec iſta omnia facilè numerari poſſunt, ſufficiant illa, quæ in ſuperiori hujus opuſculi parte poſuimus. Quę quoniam jam ſcripſimus, iterum ſcribere recuſamus. Nam qui noſſe voluerit, ibi ſcripta reperiet. Ita idem Petrus.

18. Et quià Claravallenſes improbabant, quod Cluniacenſes aliqua mutaſſent, nec Monaſtico inſtituto ſine alteratione operam darent; concludit ipſe B. Petrus Cluniacenſis -- Ad hoc autèm nos iſta ponere legentes noverint, ut oſtendamus ea regulę decreta, quę nos prevaricari dicitis, inter iſta, quę mobilia vocamus, ponenda; atque ideò cum charitas pręcipit, cui in omnibus obediendum eſt, abſque illius pręvaricationis timore movenda. Quid enim coegit regulam de non transferendis Epiſcopis, à pręcedentibus Patribus datam, immutari, niſi melius providens Eccleſiis charitas? Quid Hęreticos, & Criminoſos poſt condignam de criminibus pœnitentiam, quod primi Patres prohibuerant, Eccleſiis Dei pręfecit, niſi multorum ſaluti conſulens charitas? Quid presbyterorum filios epiſcopari, contrà Sanctorum Apoſtolorum antiqua decreta aliquando juſſit, niſi earumdem perſonarum utilitatem, Eccleſię utilem eſſe judicans charitas? Quid Anglis conjugia indulſit, à quibus cęteros inhibuit, niſi novellę eorum fidei timens charitas? Quid multa in hunc modum vetuſta pręcepta mutavit, quid nova inſtituit, quid nunc iſta, nunc illa mandavit; niſi prò moribus, temporibus, locis, nunc generalitèr, nunc ſpecialitèr, ſemper tamèn humanę ſaluti ſollicite inſerviens charitas (*d*)?

19. Silemus Theologos, tàm Scholaſticos, quàm Morales, & Juriſtas, tùm Civiles, tùm Canonicos, unâ voce, concordi eloquio, unanimi ſenſu affirmantes, quod leges humanę ſubjacent mutabilitati, adeoque ſive Canonicę ſint, ſive Civiles; Imperatorię, vel Pontificię; Conciliares, vel quomodocumque aliter factę; dummodò ſint humanę, ac poſitivæ; omnes mutari poſſunt, & mutabilitatem admittunt. Ex Theologis Scholaſticis S. Thomas (*e*), & Suarez (*f*). Et Moraliſtis, Azorius (*g*), & Layman (*h*). Ex Canoniſtis Barboſa (*i*), & Fagnanus (*l*). Ex Civiliſtis Bartolus (*m*), & Tiraquellus (*n*): quibus infiniti alii adjungi poſſent. Unde hanc ſententiam impugnare eſt, non veritati, ſed errori ſervire, ac contra communem ſenſum Doctorum omnium ire. Sed quid Auctoribus allegandis immoramur, quando ipſa jura, tàm Canonicum (*o*), quàm Civile (*p*), diſertiſſime mutabilitatem legum admittunt? Si ergo Gentilium placitis, ſi Hęreticorum verbis, ſi Patrum, ſi Legum, & Canonum documentis; ſi Doctorum demùm omnium communi ſenſu, cunctas humanas leges alterari, mutari, renovari, & abrogari poſſe probatur; eccur hæc eadem poteſtas Eccleſię denegabitur, ejuſque Vertici, ac Hierarchę, Romano Pontifici?

(a) *S. Thomas 1. 2. quæſt. 100. Vid. Gabriel. Vaſquez opuſc. de beneſic. cap. 2. dub. 1. n. 2.*

(b) *Gonet. loc. cit. art. 3. n. 48. & art. 4 § 1. n. 52. Vaſquez ubi ſupr.*

(c) *Genebrard. in Chronic. ſub fin Gonet. loc. cit. art. 3. n. 46.*

(d) *B. Petrus Cluniacenſ loc. cit.*

(e) *S. Thom. 1. 2. qu. 96. ar. 5. ad 3. & qu. 97 art. 1. & qu. 104. art. 3. ad 2.*

(f) *Suarez de legib. l. 6. c. 27.*

(g) *Azor. p. 1. l. 5. c. 20 & 21.*

(h) *Layman. l. 1. tr. 4. c. 21.*

(i) *Barboſ. in c. non debet 8. n. 2 de conſanguin. & in Repertor. V. lex.*

(l) *Fagnan. in c. non debet 8. n. 5. de conſang. lib. 4. Covar. in c. alma mater part. 2. in princ. n. 2.*

(m) *Bart in l. ſi conſtante ff. ſolut. matr. 39. & in l. Cæſar. ff. de publ. vect.*

(n) *Tiraquel. de retract tit. 1. § 9. gloſ. 2. n. 53.*

(o) *Cap. non debet 8. & ibi DD & gloſſ. de conjang. c. 1. de conſt. in 6. c. alma mater de ſent. excom. in 6.*

(p) *L. ſed & poſteriores ff. de legibus.*

20. Altis

20. Altis ejulatis clamitabat olim Henricus II. Angliæ Rex (in illo celebri diſſidio, quod habuit, cum S. Thomâ Cantuarienſe, impugnante pravas conſuetudines, quas ſibi Rex indefatigabilitèr arrogabat) quod leges Eccleſiaſticæ uſu, & conſuetudine deſolantur, & idcircò licèt conſuetudines ipſæ contrà canones eſſent, tamèn hoc nihil obſtabat, quippè ipſimet canones reputabantur, per eaſdem conſuetudines abrogati — Nihil novi, inquietat Regius Procurator, à Rege antiqua tantum poſtulari. Si conſuetudines illæ, quarum obſervantia ab Epiſcopis peteretur, iniquæ dici poſſent, tunc dici debuiſſe, cum primùm inductę ſunt: nunc verò, beneficio temporis, tollerantiâ Pontificum, vitium, ſi quod habebant, exuiſſe, in morem, uſumque receptas. Quis neſciat, leges ab Eccleſiâ conditas uſu, & conſuetudine obliterari? Quis crẹdat tot in Angliâ Antiſtites, doctrinâ, & pietate eximios, in eas conſuetudines fuiſſe conſenſuros, ſi iniquas credidiſſent? Nùm ergò oculos eis, ut abuſum viderent, defuiſſe, aut conſcientiam, ut probarent? Eorum igitùr exempla meritò Cantuarienſem imitari poſſe, recens ab aulâ in Eccleſiam translatum. Juveni, rerumque inexperto, imitanda ſenum exempla eſſe, non corrigenda: tutiùs per aliena veſtigia, tritaſque vias, incedi, quàm per novas; occultoſque excuſari errores poſſe, veniamque mereri auctoritate majorem nixos. Omnium ab Eccleſiâ conditarum legum, quietem Reipublicæ, & pacem prò ſcopo eſſe: quiete ergò periclitante, meritò leges aboleri, veluti fini ſuo inutiles, noxiaſque, nàm & remedia ceſſare, cum incipiunt ſanitatem conficere. Inſtare Regem, juventâ, victoriis, beneficiis in Alexandrum Pontificem, ipſumque Archiepiſcopum, & denique omnium penè votis ferocem: ingentem Epiſcopis, Eccleſiiſque, imo Regno toti tempeſtạtem imminere: dandum aliquid tempori eſſe; nàm & Eccleſiæ leges multò ex levioribus cauſis ſolvi poſſe, imò ſolere. Regem ut impotentis iræ, ità brevis eſſe, nec obſtinatæ; hæc ubi reſederit, illum poſſe, & melioribus imbui, quæ modo non admittat, obſtrepente irâ; ſic Petrum Apoſtolorum Principem mitigandis Judæis eorum ſacra, rituſque prętuliſse. Paulum verò Timotheo circumciſo, votiſque ex Nazarẹorum more conceptis, Judæis Judæum, factum eſse, ut Judẹos lucrifaceret. Deum ipſum, qui tamen artificiis non egeat, libello repudii duritiam Judæorum mederi voluiſse; quid ergò dubitaret Archiepiſcopus Canonum ſeveritatem laxare, & Apoſtolorum, Deique exemplis niti, tot urgentibus malis, & indulgentiam inclamantibus? Quid Angliam, quid Orbem totum dicturum eſse, ſi unius duritiâ tot malis Angliam inundari, tot lacrymis, exiliis, & cędibus viderit? Ipſum Alexandrum Pontificem, ſi Anglię adeſset, mitiora ſuaſurum, & tempori conducentia, more videlicèt prudentis Imperatoris, deditionem ſuadentis, hoſte jàm irrumpente, & incendia, prędamque minante. Totam ergò Angliam unius Archiepiſcopi arbitrio, nutuque ſtare, ſervari obſequio poſse, inclementiâ perituram (*a*).

(a) *Gallia Vindicat. diſſert. 1. §. 3. n. 4.*

21. Verùm ad hæc repetent Contradictores: non negamus Eccleſiæ poteſtatem mutandi Leges, ſed Pontifici, eaſdem ſinè Eccleſiâ ſancienti: nàm ſi ipſe cùm Eccleſiâ conveniat, & ibi mixtis conſiliis, charitas, quæ in unum omnes conjungit, omnibus eundem ingerat ſenſum, dictantem, expedire, ut aliqua lex aboleatur, vel immutetur; tunc cunctorum accedente conſenſu, & auctoritate Pontificis ſe illis adglobante, optimè lex mutatur. O' egregium loquendi modum! O' excellens oraculum, tantundèm in eccleſiaſticis rebus ſignificans, quantum ſi in laicalibus diceretur: Imperator, Rex, Dux, & Princeps, leges mutare poteſt, non ex ſe ipſo, ſed collectis ſecum ad Comitia Decurionibus ſuarum Urbium, conſenſum legis mutationi prębentium: ſeù, quod in idem recidit, poteſt legem mutare, dummodò tamen ex Monarchâ ſuorum Subditorum, fiat eorum verna, & ſubjectus. Hæ ſunt nęniæ, quas in ſęcularibus nemo audet effutire, quin ejus Caput ſub manus Apparitoris valdè periclitetur: ſunt nænię, quibus in ſpiritualibus centiès Theologi reſponderunt, oſtendentes regimen Eccleſiaſticum Summi Pontificis eſse, non Ariſtocraticum, neque Democraticum, ſed Monarchicum (*b*). Ideòque poteſtatem

(b) *Bellarm. de Roman. Pont. l. 1. c. 5. 6. & 9.*

tem condendi, mutandi, abrogandi, renovandi, ſtatuendi tandèm leges, ad Romanum Pontificem pertinere (a), non dependentèr ab Eccleſiâ, ſed independentèr ab eâ. Quâ de rè jàm inutile eſt ſpecialem tractatum edere, & hic etiam Capitulum peculiare conſcire, cum res ſit extrà aleam, nec ſapientèr valeat ab Orthodoxis in dubium revocari.

22. Porrò Eccleſia ſinè Pontifice leges ferre non poteſt, omnes Chriſticolas obligantes, quià non ſingulis Epiſcopis, neque omnibus ſimul junctis, neque Apoſtolis collectivè, Chriſtus commiſit ovile ſuum, paſcendum, regendum, ligandum, ſolvendum, & confirmandum, ſed Petro. In eo, & ſuper ejus fidem, fundavit Eccleſiam, ità conſtantèr, & inmobilitèr ſtabilitam, ut adversùs illam portæ inferi nunquam valeant prevalere. Quod ſi aliquæ leges, in Conciliis generalibus editæ, prevaluerunt ad obligandos Chriſtifideles; hoc fuit, quià Romanus Pontifex ſuâ approbatione illis legis generalis robur infudit, quæ ſi defuiſſet, Canones illi evanuiſſent in vocibus ſuis (b). Undè benè Socrates, de Epiſcopis Concilii Antiocheni, inſcio Julio Papâ, Leges eccleſiaſticas decernentibus, pronuntiavit, eas nullius eſſe ponderis, & momenti, quoniam *nec Julius Romæ Epiſcopus in Concilio adſuit, neque quemquam, qui ejus locum ſuppleret, eo miſit, cum utique eccleſiaſticus Canon jubeat, non oportere abſque Romani Pontificis ſententiâ Decreta Eccleſiis ſancire* (c). Paritèr D. Auguſtinus, cum aliis Epiſcopis Concilii Carthaginenſis, hæc Innocentio I. Papæ perſcripſit: *Hoc itàque geſtum, Domine frater ſancte, charitati tuæ intimandum duximus, ut Statutis noſtræ mediocritatis etiam Apoſtolicæ Sedis adhibeatur auctoritas, prò tuendâ ſalute multorum, & quorundam perverſitate etiam corrigendâ* (d). Et ſexcenti Patres Concilii Generalis Chalcedonenſis, in relatione, illorum, quæ Synodalitèr definierant, ad S. Leonem I. Papam directâ, ſic ſunt effati: *Hæc ſunt, quæ tecum, qui Spiritu præſens eras, effecimus. Indicamus verò, quià & alia quædam prò rerum ipſarum ordinatâ quiete, & propter eccleſiaſticorum Statutorum firmitatem definimus, ſcientes quià & veſtra ſanctitas eadem probatura, & confirmatura eſt &c. Rogamus igitur, & tuis Decretis noſtrum honora judicium: & ſicut nos Capiti in nobis adiecimus conſonantiam; ſic & ſummitas tua filiis, quod decet, adimpleat* (e). Vides quomodò Eccleſia ſinè Pontifice leges ferre non poteſt, cunctos Chriſtifideles univerſalitèr obligantes.

23. E contrà verò Summus Pontifex poteſt, potuitque ſemper, ac ſemper poterit, leges ſinè Eccleſiâ ſancire, atque mutare, prout ad paſcendum ovile Chriſti (f), ad confirmandos fratres ſuos (g), ad regendam tandem fidelium Univerſitatem, in Domino compererit expedire: non ſecùs ac Imperator in ſuo Imperio, & Rex in ſuo Regno, Monarchali auctoritate, leges ipſas indicens (h). Hinc Urbanus Papa I. ſub primis Chriſti Sæculis, ità de ſuâ auctoritate ſe expreſſit, *Sunt quidam dicentes, Romano Pontifici ſemper licuiſſe novas condere leges. Quod & nos non ſolùm non negamus, ſed etiàm valdè affirmamus. Sciendum verò ſummoperè eſt, quià indè novas leges condere poteſt, undè Evangeliſtæ aliquid, & Prophetæ nequaquàm dixerunt* (i). Medio tempore Innocentius Papa III. in Concilio Lateranenſi IV. hæc, quæ ſequuntur, decrevit, *Non debet reprehenſibile judicari, ſi ſecundùm varietatem temporum, ſtatuta quoquè varientur humana, præſertìm cum urgens neceſſitas, vel evidens utilitas id expoſcit, quoniam ipſe Deus ex his, quæ in veteri teſtamento ſtatuerat, nonnulla mutavit in novo* (l). Et Sæculo eodem, ad finem declinante, Bonifacius Papa VIII. ità ſancivit, *Alma Mater Eccleſia plerumque nonnulla rationabilitèr ordinat, & conſultè; quæ ſuadente ſubjectorum utilitate, poſtmodùm conſultius, ac rationabilius revocat, in meliuſque commutat* (m). Recentiorum Pontificum documenta non allegamus, quippe nedùm dicta, ſed de illis ipſa facta loquuntur, cum jàm ad plures tomos eorum Bullæ pervenerint, quæ ſunt totidem leges, ad Eccleſiæ regimen ordinatæ.

24. Hanc Summi Pontificis poteſtatem agnoverunt antiqui Patres, & prætèr eos, de quibus numero præcedenti (n); S. Cæſarius Arelatenſis aliquandò Papam Sym-

(a) *Idem loco citato l. 4. c. 15. Becan. opuſc. de Repub. Eccl. privil. 5. n. 40. Charlaſ. de libert. Eccl. Gallic. l. 3. c. 2. n. 11.*

(b) *Cap. Concilia 6 diſt. 17.*

(c) *Socrat. hiſtor. lib. 2. cap. 5.*

(d) *S. Auguſt. epiſt. 92. ad Innoc.*

(e) *Concil. Chalced. Act. 16.*

(f) *Joannis cap. 21. num. 15*

(g) *Lucæ cap. 22 n. 32*

(h) *Becan. opuſc. de Repub. Eccl. privil. 5. num. 40.*

(i) *Cap. ſunt quidam 25. qu. 1.*

(l) *Conc. Lateran. 4. cap. 50.*

(m) *Cap. Alma Mater 24. de ſent. excom. in 6.*

(n) *Vide hic ſuprà num. 22.*

Symmachum hiſce literis eſt effatus, *Sicut à perſonâ B. Petri Apoſtoli Epiſcopatus ſumit initium, ità neceſſe eſt, ut diſciplinis competentibus Sanctitas veſtra ſingulis Eccleſiis quid obſervare debeant, evidentèr oſtendant* (a). Hanc eandem in Pontifice poteſtatem quotidiana praxis Eccleſiæ confitetur, & agnoſcit, quæ ſanctionibus Pontificiis obſequioſo animo defert. Vixque invenies virum pium, & Catholicum, ac veri amantem, qui alitèr de illâ ſentiat. Quod ſi aliqui eam impugnant; attende quod, vel erunt Hæretici, vel Pſeudodoxi, aut Vaniloqui, malè de veritate ſentientes, de sè nimium pręſumentes, & ſcribentes non ſinceritati, ſed odio, atque ità opportunitati ſuæ cauſæ ſervientes, ut modò affirment, modò negent, prout Spiritus vertiginis illis dictat, vel ſpes, aut pondus munerum illos trahit. Sed eorum garrulitas, deſtituta rationum pondere, quidquam non prȩvalet, *& quià de Scripturis auctoritatem non habet, eâdem facultate contemnitur, quâ probatur* (b). Qualis etenim ſit eorum auctoritas, quibus nec ſuffragatur ratio, nec Scripturæ, nec Patres, neque leges, niſi fortè in ſenſu ab illis diſtorto? Quibuſque tota antiquitas reſiſtit, prò Pontificiâ auctoritate perorans, dum de veritate dicendâ ſinceriùs pertentatur?

(a) *S. Cæſar. in princ. libell. oblat. Symmacho*

(b) *S. Hieron. in c. 23 Matthęi.*

25. Et quatenùs etiam unquàm de poteſtate Pontificis, in condendis, vel mutandis legibus, totam Eccleſiam conſtringentibus, ambigi potuiſſet; tùnc illa diſcuti, tùnc in dubium debuit revocari, cum eam incæperunt Pontifices explicare, non nunc, cum jam per multas annorum centurias agnita, exercita, & ad effectum deducta eſt, atque radicibus inconvulſibilibus ſtabilita. Certè quis credat cunctos Orbis Antiſtites, doctrinâ, pietate, ac rerum experientiâ, percelebres, quot habuit Eccleſia uſque nùnc, huic Papali juriſdictioni cæcis oculis conſenſiſſe, irrumpentem tuliſſe, invaleſcentem ſuſtinuiſſe, totam Eccleſiam innundantem, approbaſſe; ſi falſam, ſi erroneam agnoviſſent? Nunquid deerat omnibus Chriſtianitatis Epiſcopis, omnibus Regibus, & Imperatoribus; omnibus Clericis, & Laicis; Theologis, & Doctoribus; nunquid illis judicium deerat, vel conſcientia, ut non cognoſcerent, an hæc auctoritas verè Romanæ Sedi competeret, nec nè, anque hæc poteſtas à Deo accepta eſſet, vel uſurpata: & prò uſurpatâ habentes, eam permitterent, talitèr, & tàm quotidiano uſu exerceri? Quis credat hoc niſi inſaniat, vel de inſanientibus eloquatur? Ergò fateri oportet, quod juriſdictio Pontificis in condendis, & mutandis legibus, totam Eccleſiam univerſalitèr obligantibus, jam uſquè ab antiquis Sæculis agnita, exercita, & conſiſtens, eſt licita, legitima, atque juſta: quodque Papa Canones temperare poteſt (c), quod novas leges facere, & antiquas valet totalitèr abrogare (d). Nec dubitandum eſt quin eidem, novas leges ſancienti, idem Divinus Spiritus director aſſiſtat, qui antiquis Pontificibus, vetuſtiores leges cudentibus, præſto fuit (e).

(c) *Natal ab Alex. ſæc. 15 & 16. differt. 4 in prol. n. 1.*

(d) *Cap. non debet 8. de Conſtit. c. alma 24. de ſent. & com. in 6. & ibi DD.*

(e) *Bail. Sum. Conc. Appar. de tripl. Verb. Dei qu. 3 B. Petr. Clun. lib 1. epl. 28 §. Hoc tamen.*

26. Hinc nihil prorsùs obſiſtit, quod in oppoſitum decantatur ex epiſtolâ Agapeti Papę ad Cæſarium Arelatenſem, profitentis, *divini conſideratione judicii, neceſſe nobis eſt quidquid Sancta Synodalis decrevit auctoritas, inviolabilitèr cuſtodire* (f): & ex literis Martini I. Papæ, *Canones enim eccleſiaſticos ſolvere non poſſumus, qui defenſores, & cuſtodes Canonum ſumus, non tranſgreſſores* (g): Quaſi per ly *neceſſe*, & per ly *non poſſumus*, ità ſubjugetur poteſtas Pontificia, ut nedum Canones ex sè condere non poſſit; ſed etiam ex neceſſitate cogatur ſubeſſe Canonibus per Eccleſiam conſtitutis. Larvæ ſunt hæ, ac Spectra, parum apparentiæ, nihil in sè ſubſtantiæ continentia. Nàm uterque Pontifex, & ſi qui alii ſunt Papæ, ſimilia proferentes, id ſignificant, quod in iis, quę ſpectant ad fidem, nulla ineſt Sedi Apoſtolicæ facultas à ſacris Canonibus deviandi: Et ità S. Urbanus Papa declaravit, quod Romanus Pontifex, *inde novas leges condere poteſt, undè Evangeliſtæ aliquid, & Prophetæ nequaquàm dixerunt. Ubi verò Dominus, vel ejus Apoſtoli, & eos ſequentes Sancti Patres, ſententialitèr aliquid definierunt, ibi non novam legem Romanus Pontifex dare, ſed potiùs quod prędicatum eſt, uſque ad animam, & ſanguinem confirmare debet* (h). Cæterùm quoàd ea, quę ad eccleſiaſticam diſciplinam,

(f) *Agapet. PP. I. epl. 8.*

(g) *Martin. PP. I. epl. 9. ad Pantal.*

(h) *Cap. Sunt quidam 6. cauſ. 25. qu. 1.*

nam, & regimen Eccleſię politicum ſpectant, pleniſſima eſt facultas Papæ in ſacris legibus condendis, Canonibuſque temperandis, & prò exigentiâ temporum abrogandis (*a*).

27. Quod ſi Agapetum,&Martinum pręfatos,& alios fortè Papas,conſimilia loquentes, volumus non de ſpectantibus ad fidem, ſed de iis, quę pertinent ad morum diſciplinam ſermonem habuiſſe; attendatur, quod non cortici verborum inhærendum eſt, ſed eorum intimæ ſignificationi. *Non enim ſonum literarum, ac ſyllabarum* (inquit Auguſtinus) *ſed quod ſonus ipſe ſignificat, ac quod eo ſono rectè, ac veracitèr intelligitur, hoc accipiendum eſt* (*b*). Et ita ubi Papa Agapetus fatetur sè *neceſſe* habere, Canones cuſtodire, & Martinus sè *non poſſe* Canones ſolvere, per ly *neceſſe*, & per ly *non poſſe*, non intelligitur obligatio, ſed congruentia: non defectus poteſtatis, ſed obſervantia honeſtatis: ità ut illud *neceſſe eſt* ibi nihil aliud ſignificet, niſi operę pretium eſt, expediens eſt, conveniens eſt (*c*). Similiterquè *non poſſumus*, ibi in idem recidit, ac non debemus, nolumus, expediens non cenſemus. Certum eſt enim, quod non omnia, quæ facere poteſt Pontifex, debet executioni mandare, præſertìm crebrò, quippè nec etiam Apoſtolus totâ hac facultate utendum eſſe dictavit, dùm ait, *omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt: omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant* (*d*). Hoc & Reges, & Principes faciunt in politicis, hoc Epiſcopi, & Pontifices in rebus eccleſiaſticis, qui ordinariè non utuntur totâ ſui muneris facultate, ac ſæpiùs interpellati ad aliquid gratiosè agendum, reſpondent,sè non poſſe: non quod rè verâ id ad effectum perducere non valeant, ſed quod nolunt, vel non id judicant expedire. Et ſicùt hoc quotidiano rerum uſu fit, ſic non eſt mirum, quod & Martinus, & Agapetus Papæ ſcripſerint *neceſſe eſt* prò eſt conveniens, & *non poſſumus* prò nolumus, vel non expediens judicamus. Nec novum eſt, nec inſolitum, quod in ſcriptis Patrum, & Pontificum verbum prò verbo, & dictio debiti prò termino congruentiæ ponatur; quippè id eis familiare eſt, ità loquentibus, vel ad euphoniam periodi ſuſtinendam, vel quià eorum tempore non adeò minuta fiebat verborum atomizatio, ut non unum poſſet prò alio, bonâ fide, & oratoriâ arte adhiberi.

(*a*) *Vide ſupra in hoc capit.num.23.*

(b) *S. Auguſtin.tract.103.in Joan.*

(c) *Fagnan. in cap. tuæ fraternitati n. 18. de Sponſal. l.4. & in cap. qui presbyterum n.27.de pœnit. l.5.*

(d) 1. *Corinth.c.10. num.33.*

28. Eâdem ſanâ interpretatione expeditur id, quod Damaſus Papa in cap. violatores (*e*) Zoſimus in cap. contrà Statuta (*f*), Gelaſius I. in cap. confidimus (*g*), profitentur, ſe non poſſe Canones violare, nec quidquam contrà eos condere, vel mutare: hæc inquam intelliguntur de congruo, non de rigorę: directivè, non coactivè: de Fidei decretis, non de Sanctionibus diſciplinæ: vel ad ſummùm de punctis diſciplinę, quorum abrogatio magnum pareret in Eccleſiâ ſcandalum, & confuſionem. In reliquis quoàd omnia, quę juris poſitivi ſunt, Pontificalis poteſtas viget, ut leges novas condat, antiquas abroget, vel immutet, ac in eis, prout ratio cauſę poſcit, diſpenſet (*h*). Audiamus doctum Auctorem libri de Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ, ità hac de materiâ ſcribentem, *Hincmarus, antiquæ diſciplinæ acerrimus propugnator &c. etſi abſque neceſſitate mutari non debere, quæ ſemèl in Conciliis ſtatuta, vel judicata ſunt, opuſculo ſic inſcripto, contendat; diffiteri tamen non poteſt, quin, occurrente neceſſitate, mutatione opus ſit, quod quamplurimorum Summorum Pontificum teſtimoniis ibidem confirmat. Intèr alia refert ex epiſtola 95. Leonis I. quæ eſt ad Ruſticum, verba ſequentia. Sicus quædam ſunt, quæ nulla poſſunt ratione convelli, ità multa ſunt, quæ aut prò conſideratione ætatum, aut prò neceſſitate rerum, oporteat temperari. Egregiè admodùm explicat Summi Pontificis in temperandis Canonibus auctoritatem Gelaſius I. in eâ epiſtolâ, quæ eſt ad Epiſcopos per Lucaniam, & Brutios, & Siciliam conſtitutos cap.1. Neceſſariâ rerum diſpenſatione conſtringimur, & Apoſtolicæ Sedis moderamine convenimur, ſic Canonum paternorum decreta librare, & retrò Præſulum, Deceſſorumque noſtrorum præcepta metiri, ut quæ præſentium neceſſitas temporum, reſtaurandis Eccleſiis, relaxanda depoſcit, adhibita conſideratione diligenti, quantum poteſt fieri, temperemus: quo nec in totum formam veterem videamur excedere regularum, &* re-

(e) *Cap. violatores 5. cauſ.25. qu 1.*

(f) *Cap. contrà 7. eod. cauſ. & quæſt.*

(g) *Cap. confidimus 1. ibidem.*

(h) *Cap innotuit. de elect. cap. per venerabilem. Qui filii ſint legit. c. propoſuit. de conceſ. prævend.*

& reparandis militię Clericalis officiis conſulamus. Et cap.2. Priſcis igitur prò ſui revèrentiâ manentibus Conſtitutis, quæ ubi nulla, vel rerum, vel temporum perurget anguſtia, regularitèr convenit cuſtodiri, eatenùs Eccleſiis, quæ vel cunctis ſunt privatæ Miniſtris, vel ſufficientibus uſque adeò diſpoliatæ ſervitiis, ut plebibus ad ſe pertinentibus Divina munera ſupplere non valeant, tàm inſtituendi, quàm promovendi Clericalis obſequii ſic ſpatia diſpenſanda concedimus, ut ſi quis &c. &c. (a).

(a) *Anton. Charlaſ. de Libert. Eccl. Gallic. l.3.c.3.n.3.4.5.6.*

29. Pergit idem Auctor in inſtituto ſermone, & ait: *Quocircà cum omnia, quę in condendis antecedentibus legibus interceſſerunt, ad ſubſtituendas novas conſentiant; ſcilicèt auctoritas Conditoris, utilitas ſubditi, facultas parendi, aliæque conditiones; cùr robore carebit, quod de novo præcipietur? Quicumque igitur Decreta omnia, quæ nova ſunt, ſolius novitatis obtentu repudiaret; non ſolum iniquus eſſet, ſed & deſipere videretur. Sanè qui Eccleſiam non eandem hodiè credit eſſe, quæ Apoſtolorum temporibus extitit, aut eâdem auctoritate præditam negat, vel eodem Spiritu gubernatam, cum Luthero, & Calvino intèr hæreticos cenſendus eſt. Nunquid enim poteſtas à Chriſto Eccleſiæ collata, certis temporum ſpatiis definita eſt? Nunquid sè cum Eccleſiâ uſquè ad conſummationem ſęculi futurum non pollicitus eſt? Nunquid hominum mores, quibus, ut diximus accomodandę ſunt leges, variis mutationibus non ſubjacent? Nunquid quod hominibus certo modo affectis prodeſt; illis non obeſt, contrario modo diſpoſitis? Itàque qui manus Eccleſiæ ligare contenderet, ne medicamentis contrariis contrarios filiorum ſuorum morbos; novis legibus, novos abuſus curaret; is tamquàm Reipublicę Chriſtianę hoſtis habendus eſſet. Nec inconſtantiæ accuſanda eſt Eccleſia, cum proptèr evidentem neceſſitatem, aut maximam utilitatem, abrogatis prioribus Canonibus, novos condit: hęc enim mutatio non in Eccleſiâ fit, ſed in hominibus Eccleſię ſubditis. Nam & Deus ipſe, à quo Eccleſia omni tempore regitur, licèt immutabilis ſit, leges mutavit, novumque teſtamentum veteri ſubſtituit. Idem ſemper eſt finis, ſed media non ſemper eadem, quià homines non in eodem ſemper ſtatu permanent* (b).

(b) *Idem Antonius Charlas loc. cit.*

30. Et en uſque ad exuberantiam probata poteſtas Summi Pontificis, mutandi leges Canonicas, & antiquioribus novas; recentes veteribus ſubrogandi; ut ſit mirum, quomodò rem adeò certam, & inconcuſſam Contradictores non metuant in dubium revocare. Quamquàm nos verè de hac rè illos altercare cenſeamus, non in eorum verò ſenſu, ſed ad opportunitatem ſuæ cauſæ, ut prò eâ fucandâ, pigmentandâ, colorandâ, congerant quidquid ei, non veritatem, ſed vel veritatis umbram aliquam, aut ſpeciem qualemcumque, tametſi confuſiſſimam, poteſt obtendere: rati fortè, defenſorem cauſæ injuſtę debere multa conſerere, nec valdè curandum, *utrum veris, aut falſis illudat*, ut quidam inquiebat (c). Verùm ſinceri rerum Æſtimatores, ac docti Lectores, incorrupti Judices erunt eorum, quę typis evulgata ſunt, ut veritas à falſitate, citò, ac facillimè dignoſcatur: pręſertim cum ipſi Contradictores præfecturas, & miniſteria exerceant in Urbe, cujus Princeps leges & condit, & mutat; & alterat, & expungit, tametſi ſubalternus. Quarè contrà conſcientiam locuti eſſe videntur, cum revocare in dubium auſi ſunt Summi Eccleſiæ Pontificis poteſtatem in rebus Canonicis, quàm in Civilibus Principi ſuo dant, & dandam eſſe, non tàm dictis, quàm factis, evidentèr oſtendunt; nec ſanè auderent illam, ſine periculo proprii capitis impugnare.

(c) *A' Kempis de Imit. Chriſti l.3.c.30. num.3.*

C A-

CAPUT XXII.

In quo demonſtratur, adfuiſſe juſtas cauſas ſupprimendi formam electionis Canonicæ, & introducendi novam methodum, in beneficiorum diſpenſatione obſervandam, quæ jàm nùnc viget.

SUMMARIUM.

1 *Probatâ poteſtate Papæ mutandi leges eccleſiaſticas, videndum eſt an adfuerit cauſa tollendi electionem Canonicam.*

2 *Plurimæ cauſæ adfuerunt hanc mutationem faciendi. Nàm vigente formâ electionis, viri indigni beneficia malis artibus affectabant.*

3 *Quo impelleret malos homines ambitio, appetentes Epiſcopatum, ex Patribus, Conciliis, & Hiſtoricis enuntiatur.*

4 *Hiſce malis artibus jugebantur ſimoniæ, quas etiàm S. Athanaſius commemorat. Canones Apoſtolici quàm antiqui ſint.*

5 *Alia exempla ſuggerit S. Iſidorus Peluſiota, de ſimilibus ſimoniis, quas ut evelleret Joannes PP. XXII. Eccleſias ſibi reſervabat.*

6 *Multi Canones jàm editi fuerant adversùs ſimoniacas electiones, quibus parum proficientibus, opus fuit electiones ipſas tollere.*

7 *Crebrò non digniores, ſed gratiore, eligebantur; nec tàm bonum, quàm ſibi ſimilem eligentes quærebant, vel ſibi, non Eccleſiæ utilem.*

8 *Frequentes quoquè diſſenſiones in electionibus emergebant. Ad quas eliminandas profuit electionis formam ſupprimere.*

9 *Aliquando in electionibus cædes fiebant, & ſcandala: undè ab illis excluſi fuerunt Laici: & introducti Præſides, qui diſſidia comprimerent.*

10 *Ità S. Ambroſius Laicus accitus eſt, ut diſcordias compeſceret, quando factus eſt Epiſcopus. Præſidum admiſſio evaſit remedium, ipſo malo deterius.*

11 *Mauricii Imperatoris tempore, Præſules deſignabat Cæſar, & jam laici electionem Antiſtitum in ſuam redegerant poteſtatem.*

12 *Nedùm Principes Catbolici, ſed etiàm Hæretici ſe beneficiorum Epiſcopalium electionibus immiſcebant, cujus rei dantur exempla.*

13 *Principes nactâ poteſtate Præſules deputandi, non niſi ex gratiâ libertatem electionis Eccleſiis reddidere. Exempla Regum Angliæ.*

14 *Etiàm Reges Hiſpaniæ, Norvegiæ, Germaniæ, Galliæ, libertatem electionis Canonicæ Eccleſiis conceſſiſſe viſi ſunt ex gratiâ.*

15 *Oppreſſâ, vel alitèr expunctâ libertate electionis, invaluerunt intruſiones, factæ à Principibus, vel ab eorum Miniſtris.*

16 *Plura Concilia interdicunt, ne quis accipiat Eccleſias, & beneficia per potentiam, vel de manu laicorum.*

17 *Non obſtantibus Pontificum, & Synodorum decretis, adhùc perrexerunt Principes aliqui deferre beneficia pro ſuo libito Clericis, & interdùm etiam Laicis.*

18 *Quod etiam Laici beneficia poſſiderent, memorat S. Fulbertus, & Gerbertus Remenſis. Concilia plura huic abuſioni reſtiterunt.*

19 *Quandò nutu Principum Eccleſiæ diſpenſabantur, ſæpè laicis obtingebant, ex Aulâ ſumptis. Qua de rè SS. Athanaſius, Gregorius Nazianzenus, & alii. Plura Concilia, & D. Gregorius Magnus id vetuere.*

20 *Invaluerat hæc abuſio in Angliâ, de quâ Ordericus Vitalis: & in Galliâ, de quâ Hincmarus Remenſis.*

21 22 *Deplorabilis ſtatus rerum Eccleſiæ, quoad electiones canonicas, exprimitur à Durando Mimatenſi in Concilio Viennenſi.*

23 *Forma electionis canonicę tot vitiis deturpata, meruit aboleri, aliâ in ejus locum ſubrogatâ, quæ proficua eſt Eccleſię.*

24 *Ex Concilio Bituricenſi, innoteſcit miſerabilis ſtatus rerum Eccleſię, quoàd electiones canonicas illâ ætate.*

25 *Vitia illa, quę antè ſuppreſſionem electionis Canonicæ vigebant, nunc vix unquàm eveniunt, propter diligentias, quæ adhibentur.*

26 *Quod ſi adhùc interdùm mala aliqua irrepunt, humanitati imputandum eſt: omnes enim decipere poſſunt, & decipi.*

27 *Plerumque de malâ proviſione alicujus beneficii blaterantes, neſciunt merita, vel demerita promovendorum.*

28 *Juſtę igitur adfuerunt cauſæ ſupprimendi formam electionis Canonicæ, & aliam introducendi; quæ nunc obſervatur.*

1. EX jàm ſuperiùs allegatis Capitulo præcedente abundantèr elucet, quod Summo Pontifici Romanæ Eccleſiæ, uti Chriſti Vicario, & Petri ſucceſſori, ineſt facultas leges eccleſiaſticas alterandi, molliendi, renovandi, abrogandi, mutandi, tàm ubi charitas id expoſcit, quam ubi neceſſitas, vel juſtitia, vel utilitas Eccleſiæ prærequirit. Leges inquam humanas, nil continentes, quod ſit de jure divino, vel naturali, impræuaricabili, & eterno. Hujuſmodi, autem eſt electio Canonica, quæ nec eſt, nec unquàm fuit de jure naturali, neque divino, ſed merè de jure poſitivo, & ex merâ indulgentiâ Pontificum (*a*), uti fuſiùs probat Bellarminus, & alii (*b*). Hocque themate retento, & applicatâ hujuſmodi doctrinâ congruo modo quæſtioni, de quâ eſt ſermo, abrogationis antiquæ illius formæ, quâ Clerici olim præficiebantur eccleſiaſticis beneficiis, præſertim Epiſcopalibus, per viam electionis Canonicæ; tota difficultas reducitur ad hoc, nempè ad videndum, an adfuerit juſta cauſa Juſtitiæ, vel Charitatis; Neceſſitatis, vel Utilitatis Eccleſiæ, quæ popoſcerit, ut ipſa forma provectionis Clericorum ad eccleſiaſtica beneficia per viam electionis Canonicæ abrogaretur, & alia forma ſubintroduceretur collationis beneficiorum, vel liberè, & pleno jure, factæ à Superiore, vel ad præſentationem patronorum, quæ à tempore dictæ abrogationis uſquè ad noſtram ætatem, per totum orbem in uſu eſt, exceptis Germaniæ, ac Montis Libani Regionibus, quæ adhùc formam illam priorem electionis retinent, & conſervant, quoàd beneficia Epiſcopalia, & Abbatialia. Si enim adfuit juſta cauſa hujuſmodi mutationis faciendæ, & in Summo Pontifice non defuit facultas legem priſtinam immutandi, & aliam legitimè ſubrogandi; non eſt cur de hujuſmodi mutatione Contradictores conquerantur, eamque ut injuſtam carpant, ac indè ratiunculas geſtiant expiſcare, dictantes beneficia eccleſiaſtica eſſe ſolis indigenis conferenda, eo quod quandò diſpenſabantur per viam electionis, quę non potuerit abrogari, præbenda erant ſolis Clericis de gremio Eccleſię vacantis.

(a) *Fagnan in cap. nullus n. 13 de election.*
(b) *Bellarmin. tom. 1 Contr. 5. l. 1. c. 8. & to. 1. Contr. 2. lib. 1. c. 8. vid. Cajet. de poteſt. Pap & Concil. cap. 13 Rebuffus tit. de elect. derog. in princ.*

2. Et certè, quod quandò adeſt juſta cauſa, tolli poſſit adminiſtratio rerum publici juris illi, qui eas erat ſolitus adminiſtrare; clarè docet S. Auguſtinus his verbis: *Si populus benè moderatus ſit, communiſque utilitatis diligentiſſimus cuſtos, in quo unuſquiſque minoris rem privatam, quam publicam pendat; nonnè rectè lex fertur, quâ tali populo liceat creare ſibi Magiſtratus, per quos Reſpublica admini-*

ſtre-

ſtretur? Porrò ſi paulatìm depravatus idem populus rem privatam publicæ rei præferat, atque habeat venale ſuffragium, corruptuſque ab eis, qui honores amant, regimen in ſè flagitioſis conſceleratiſque committat, nonnè idem rectè, ſi quis tunc extiterit vir bonus, qui plurimum poſſit, adimat huic populo poteſtatem dandi honores, & in paucorum bonorum, vel etiam unius redigat arbitrium (a)? Adfuiſſe autem cauſas mutationis faciendę modi in beneficiorum diſpenſatione faciendi, nedùm ſufficientes, ſed etiàm exuberantes, nedùm Charitatis, ſed etiam Juſtitiæ, & reſpectivè neceſſitatis, & utilitatis Eccleſię, adeò certum eſt, ut non poſſit, niſi à nolentibus fateri veritatem, improvidè denegari. Nàm vix introductâ in Eccleſiam Dei formâ pręficiendi Clericos eccleſiaſticis beneficiis, per viam electionis Canonicę, ſtatim incęperunt indigni ſe beneficiis inſerere, & animos electorum, vel donis, vel artificiis promoveri. S. Cyprianus, qui ſub primordio temporis floruit, quo pręfata electionis forma invaleſcere cępit, memorat Martialem, & Baſilidem, criminibus, & infidelitate fędatos aſpiraſſe ad Epiſcopalia beneficia, qui nonniſi malis artibus potuerunt culmen tanti gradus affectare: quippè de iiſdem ad Felicem presbyterum, & Paulum Diaconum ſcribit: *Ordinari nonnunquam indignos, non ſecundùm Dei voluntatem, ſed ſecundùm humanam præſumptionem, & hæc Deo diſplicere, quæ non veniant ex legitimâ, & juſtâ ordinatione, Deus ipſe manifeſtat, per Oſeam Prophetam, dicens; ſibimet ipſi Regem conſtituerunt, & non per mè &c. Quapropter cum ſicut ſcripſiſtis, fratres dilectiſſimi &c. Baſilides, & Martialis nefando Idolatrię libello contaminati ſint; Baſilides inſuper adhùc pretèr libelli maculam, cum in infirmitate decumberet, in Deum blaſphemaverit, & ſe blaſphemaſſe confeſſus ſit &c. Martialis quoque, pretèr Gentilium turpia, & lutulenta convivia, in Collegio diù frequentata, & filias in eadem Collegio, exterarum gentium more, apud profana ſepulchra depoſitos, & alienigenis conſepultos, actis publicè habitis apud Procuratorem Ducenarium obtemperaſſe Idolatriæ, & Chriſtum negaſſe conteſtatus ſit; cumque alia multa ſint, & gravia delicta, quibus Baſilides, & Martialis implicati tenentur; fruſtrà tales Epiſcopatum ſibi uſurpare conantur, cum manifeſtum ſit, ejuſmodi homines, nec Eccleſiæ Chriſti poſſe præeſſe, nec Deo ſacrificia offerre debere (b).*

(a) *S. Auguſt l.1. de libero arbitrio c.6.*

(b) *S. Cypr. l.1. epl.4. aliàs epl.68*

3. Ambitionem, & malas artes eorum, qui poſt Siſinnium, & Nectarium, ad Conſtantinopolitanas infulas aſpirabant, deſcribunt Socrates, & Palladius, dignas certè, non minus admiratione, quam improbatione. De primis ait ipſe Socrates, *poſt mortem Siſinnii viſum eſt Imperatori, proptèr homines inanium rerum appetentes, neminem ex illâ Eccleſiâ, licet multi Philippum, quamplures Proclum, deſignatum cuperent, ad Epiſcopatum illum eligere, ſed advenam Antiochiâ acceerſere conſtituit, & ob eam cauſam, tamquàm ad docendum populum admodùm accommodatus, Neſtorius de illorum ſententiâ arceſſitur (c).* De ſecundis hęc reliquit ſcripta Palladius: *Viri Sacerdotalis quidèm ordinis, ſed nihil habentes dignum Sacerdotio, dùm meritis diffidunt ſuis, Pontificis ſolium electione fidelium adipiſci deſperantes, partim Palatii obſident fores, alii munera potentibus tribuunt, alii populis genu poſito ſupplicant. Ad hęc plebs fidelis indignans, Regem piâ intentione ſollicitat, paſtorem peritum ſibi darì ſupplicitèr poſtulans (d).* Tuncque electus eſt Magnus Joannes Chryſoſtomus, ex Antiochenâ Eccleſiâ ſuſceptus. Flebilibus quoque vocibus deſcribit ſui temporis Pręſules quoſdam S. Gregorius Nazianzenus, dicens: *nunc periculum eſt, nè ordo omnium ſanctiſſimus, omnium maximè ſit ridiculus: non enim virtute magis, quam ſcelere, & maleficio Sacerdotium paratur (e).* Concilium Arvernenſe vetuit: *Sacrum quis Pontificii honorem, non votis quærat, ſed meritis: nec divinum videatur munus comparare rebus, ſed moribus &c. non patrocinia potentum adhibeat, non calliditate ſubdolâ ad conſcribendum Decretum, alias hortetur præmiis, alios timore compellat (f).* Quid S. Bonifacius Moguntinus Zacharię Papę ſcripſerit, audiat quilibet, atque horreſcat: *modo maximâ ex parte per Civitates, Epiſcopales Sedes traditę ſunt laicis cupidis ad poſſidendum, vel adulteratis*

(c) *Socrat. hiſtor. lib 7. c.29.*

(d) *Palladius in vitâ S. Joan. Chryſoſtomi.*

(e) *S. Gregorius Nazianzen. Orat. 20.*

(f) *Concil. Arvern. an. 541. cap. 2.*

terutis Clericis, ſcortatoribus: & publicanis ſęculariter ad perfruendum (a).

4. Hiſce malis artibus frequentes erant, & ferè ſemper indiviſibiles Simoniæ, quas cum ipsâ penè electionum formâ fuiſſe in Eccleſiâ ſubintruſas, & citò latiùs invaluiſſe, argumentum eſt ex Canone Apoſtolorum, ab ipſis primis Chriſti Sæculis, hujuſmodi contagioni tali occurrens antidoto, *ſi quis Epiſcopus, aut presbyter, aut Diaconus, per pecunias hanc obtinuit dignitatem, deiiciatur & ipſe, & ordinator ejus, & à communione modis omnibus abſcindatur, ſicut Simon Magus à Petro* (b). Quod ſi fortè his Canonibus detrahatur, tamquàm non Apoſtolorum tempore, vel eorum auctoritate procuſis (c), hoc nihil refert, quià eos aliquantò magìs, vel minùs eſſe antiquiores, nihil, vel parum, proficit ad intentum noſtrum, & ideò modò provinciam non aſſumimus Apoſtolicorum Canonum originem perſcrutandi: ſuprà de illis habitus eſt, & adhùc infrà de iiſdem redibit ſermo; conſulatque Lector, ſi vult, Franciſcum Turrianum, de illis egregiè diſſerentem (d): Prò nunc enim ſufficit nobis, quod Canon iſte, quo hic utimur, ſit genuinus, & quod omnes præfati Canones Apoſtòlici, faltem ſub fine quinti, aut ſub initio Sæculi ſexti, Eccleſiæ toti, tùm Orientali, tùm Occidentali, illuxerant (e). Et ideò ſi de abſcindendis Simoniis, occurrentibus in electionibus Canonicis ſtatuerunt; ſignum eſt, quod per illa tempora peſtis Simoniaca Eccleſiam contaminaverat. Cujus quoquè rei alia antiquiſſima non deficiunt documenta. Nàm S. Athanaſius querulis lamentationibus deploravit, quod apud Arrianos, Epiſcopatus eſſent venales (f). Ingemuit quoque inundantes apud Conſtantium Cęſarem Simonias, cum ſinè his non poſſent Clerici Epiſcopale beneficium adipiſci, ad quod obtinendum, nedùm aurum profundere, ſed & Arianam amplecti perfidiam non timebant, *quiſquis famâ opulentiæ notus erat ad ſpem Epiſcopatus prò Chriſtianâ religione profitebatur &c. Nec quæſitum, ſi quis eſſet irreprehenſibilis, ſed ſi quis plus pecuniæ offerret, nomine Epiſcopi honorabatur* (g).

5. Exclamabat S. Iſidorus Peluſiota adversùs quemdam Martinianum, nupèr Alexandriam profectum, ut ibi Epiſcopale poſſet conſequi beneficium, quod cum primâ vice non eſſet ibidem adeptus; jàm iterum illùc redierat, auro ad commercandam dignitatem præmiſſo: monebatque propterea Iſidorus S. Cyrillum Alexandrinum, ut veteratori hujuſmodi fortiſſimè reſiſteret (h). Improbat quoque S. Gregorius Turonenſis Apollinarem, qui defuncto Euphraſio Arvernenſi, *abiens ad Regem, oblatis multis muneribus, in Epiſcopatu ſucceſſit* (i). Innumera alia documenta his ſucceſſivè poſſent adnecti, ſi in re tàm cunctis notâ, ulterioribus adhùc probationibus opus eſſet. Legat qui ea vult apud Auctores: nobis ſufficiat ſuperaddere, quod de priſcis temporibus gemebundus retulit præfatus D. Gregorius Turonenſis, in vitâ S. Galli Claromontani: *Jàm tunc germen illud iniquum cæperat pullulare, ut Sacerdotium, aut venderetur à Regibus, aut compararetur à Clericis* (l). In Concilio Romano ſub Nicolao II. (m), & in alio ſub Alexandro PP. II. (n), tractatum eſt de Simoniâ, cujus multi inventi ſunt rei in conſecutione beneficiorum ſuorum, undè liquet, quod vitium hoc tunc Eccleſiam immaniſſimè contaminabat: quod profectò exitiale germen vix unquàm prorſus potuit ab Eccleſiâ divelli, donèc forma electionis Canonicę perduravit: & ità de Sęculo in Sęculum invaluit, ut Bonifacii Papę VIII. Clementis V. ac Joannis XXII. tempore ad intolerabilitatis culmen jàm Simoniæ aſcendiſſent, undè ipſi Papę ad eas de medio tollendas, & Eccleſiam ab hâc tabificâ contagione purgandam, electiones Canonicas univerſaliori modo ſupprimere deliberaverunt (o). Sed quid? *ſi cohibendo tàm exitiali malo*, inquit Bail, *plenus erat in ſacro jure de Simoniâ titulus ex antiquorum Patrum, veterum Conciliorum, & Summorum Pontificum, ſententiis, Canonibus, Decretis confectus, quibus Eccleſia tàm horrendæ peſtilitatis contagium hactenùs continuo conata eſt ſtudio amoliri* (p).

6. Verùm quia non ſemper, nec ubilibet ipſi Canones proficiebant, nec ſatis pręvalebant ad Simonias è ſacris electionibus ablegandas; prò miraculo ponit,

ſivè

(a) S. Bonif. Mogunt. epiſt. 1.

(b) Canon. Apoſtol. 30.

(c) Petrus Annati Apparat. ad Theolog. lib. 6. art. 7.

(d) Franciſc. Turrian. de Canon. Apoſtol.

(e) Natal. ab Alex. h. e. Sec. 1. diſſert. 17. Concluſ. 1. & 2.

(f) S. Athanaſ. epiſt. ad ſolitar.

(g) Idem S. Athanaſ. Apolog. ad Conſtantiu.

(h) S. Iſidor. Peluſ. lib. 2. epiſt. 127.

(i) S. Gregor. Turon. lib. 3. hiſt. cap. 2.

(l) S. Gregor. Turon. vit. Patr. c. 6.

(m) Concil. Roman. ſub Nicolao II. anno 1050.

(n) Concil. Roman. ſub Alexandro II. anno 1063.

(o) Joan. Villan. hiſt. lib. 11. in Joan. XXII. Barboſ. jur. Eccl. Univerſ. l. 1. c. 8. n. 71.

(p) Bail. tom. 1. ſum. Concil. in Conc. Later. 5. de Concordat.

ſivè prò rè inſolitâ Petrus Cellenſis, quod in electione Joannis Sariſberienſis Angli ad Epiſcopatum Carnotenſem in Galliâ, Simoniæ vitium defuiſſet, ideoque Villelmo Senonenſi Metropolitano ſcribit: *In inſigni electione Carnotenſi de Magiſtro Joanne, Stellam Matutinam produxit Deus de Theſauris ſuis &c. Hoc opus de raritate admirabile, de ſingularitate incomparabile, de puritate commendabile, de bonitate ſpeciali omnibus immitabile. Quandò, & ubi ſimile factum eſt in Regno Franciæ, ut remotis omnibus Simoniæ ſpeciebus, nullis munerum ſuffragiis incumbentibus, nullis Clientum vellicationibus pruritum aurium excitantibus; ſolus Dei honor, & populi ſalus in Epiſcopali electione quæreretur. Certè hoc in rationali, & ſuper humerali tuo pater amantiſſimè ſtylo ferreo, unque adamantino, ſcribetur, quod in Vicariis Petri eligendis, nulla te movet humana gratia, nullus favor, nullus carnalis affectus, nulla pecuniæ avaritia &c.* (*a*). Quod ſi adeò rarum fuit, & commendabile in Villelmo Senonenſi; ſatis oſtendit, quod univerſalitèr ſacri Canones, jàm tunc adversùs Simoniæ contagium editi, parum profecerant, adeòque neceſſe fuit, ut tandèm formâ electionis totalitèr abrogatâ, nova methodus introduceretur, Simonias ipſas diſpeſcens.

7. Ubi autem Simoniæ deerat vitium, propriæ utilitatis Eligentium ratio ſubintrabat, qui depravatâ intentione, quæ ſua erant ſequentes, non quæ Domini Jeſu Chriſti, ſuffragia quidem liberè conferebant, aſt non dignioribus opitulabantur, ſed iis, qui ſibi gratiores, vel utiliores erant, aut eiſdem vitiis ſcatebant, quæ in ſe ipſis poterant adnotari. Eloquentiſſimè hoc malum deſcripſit S. Hieronymus, brevitèr, ſed ſenſatè ſatis, pronuntians, *nonnunquam errat plebs, vulgique judicium, & in Sacerdotibus comprobandis, unuſquiſque moribus ſuis favet, ut non tàm bonum, quàm ſibi ſimilem quærat præpoſitum* (*b*). Legere eſt apud Patres Eccleſiæ monita ſalutaria, quę ipſi prò dirigendis eligentium ſuffragiis in Clericos digniores, dum agebatur de celebrandâ Electione Canonicâ, ſuggerebant: & præſertim S, Gregorius totus in hoc fuit, prout in ſuis epiſtolis eſt videre (*c*). Verùm vacuo conſilio, interdùm Patrum monita laborabant: quippè crebrò uti de Judęis ait Baſilius, *non eum eligebant, qui eſſet electione dignus, ſed domeſticum, & familiarem, neque qui ſalutaris eſſe poſſet Reipublicæ, ſed qui in ſuâ gente, & familiâ vi facultatum præpolleret* (*d*). A veroſimili non diſcedemus, ſi putabimus, majorem Eligentium partem, ut plurimum, nihil minùs in eo, qui deligendus erat proſpexiſſe, quam id, quod primo loco erat attendendum; nempè virtutes animi, & dotes, eccleſiaſtico viro dignas. Deſcribit D. Chryſoſtomus eleganti hypotypoſi defectum hunc, quem in electoribus, & electionibus ſui temporis obſervabat: *id unum non ſpectans, quod ſolum ſpectandum fuerat, nempè animi virtutem, ſed aliæ ſunt cauſæ, quibus honores conciliantur: verbi gratia, hic quod claro genere natus ſit, in Epiſcopatus ordinem cooptetur: ille quod opibus abundet, neque indigeat alimentis, ex proventibus Eccleſię quæſitis: alius quod ab adverſariis ad nos transfugerit: alius ſibi genere propinquum, ac neceſſarium, alius adulatorem cæteris anteponere mavult* (*e*). Hæc ſuccedebant, & utinàm non frequentèr in electionibus.

8. Nec minoris erant præjudicii magna diſſidia, quę intèr Coelectores admodùm crebrò excitabantur, diviſis hinc indè animis, & in contraria vota diſtractis, ut non Spiritum Dei, ſed Spiritum diſcordiæ ad electionem celebrandam eos cenſeas congregaſſe. Frequentiſſimè in humanis accidit, quod *quot ſunt homines, tot ſunt ſententiæ: quot ſunt ſententiæ, tot ſunt opiniones* (*f*), hoc autèm tàm familiaritèr eveniebat in electionibus, quandò eorum forma univerſalitèr ſubſiſtebat, ut prò miraculo reputari poſſet, ſi aliqua ſinè diſſenſionibus compleretur, undè Stephanus Papa ſcripſit Romano Archiepiſcopo Ravennati: in electione Antiſtitis *populi diviſionem proveniſſe audivimus, quod ſæpè contingere ſolet, quærentibus ſingulis, quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti* (*g*). Has diſſenſiones, & incommoda, inde profluentia, ut à propriâ Eccleſiâ longius protelarent Canonici Ultrajectenſes, jus eligendi Antiſtitem in Carolum V. Cæſarem tranſtulerunt, ſequenti decreto. *Prępoſiti,*

(a) *Petrus Cellenſis lib. 7. epl. 8*

(b) *S. Hieron. lib. contr. Jovinianum*

(c) *S. Gregor. l. 2. ind. 11. ep. 29. & lib. 4. epl. 23. 47. & c.*

(d) *S. Baſilius in c. 3 Iſaiæ in med. tom. 1. f. 907.*

(e) *S. Joan. Chryſoſt. de Sacerd. lib. 3. c. 7*

(f) *Gloſ. in cap. nec nonum 17. Verb. Nec 8 quæſt. 1.*

(g) *Cap. noſſe 12. diſt. 63.*

Decani, & Capitulum planè conſiderantes id, quod multis experimentis didicerant, propter electiones Epiſcoporum, in diſcordiâ factas, cum alii alio traherent, & ſuis quiſque factionibus iuhæreret; Civitatem, univerſumque populum, atque etiam ipſoſmet in tot ærumnis, & calamitatibus frequentèr incidiſſe: ne quid tale ex tùnc deinceps eveniret, ultrò, ac ſpontè eidem Carolo Regi, tamquàm Duci Brabantię, & Comiti Hollendiæ conceſſerunt, ut quoties contingeret Eccleſiam Trajectenſem carere paſtore; nullius in eorum Epiſcopum eligendi jus, vel poteſtatem haberet, præterquam illius, quem dictus Carolus &c. inſinuandum, nominandumve duceret. Quę ſanè ratio diſcordiæ, ſi fuit cauſa ſufficiens, obquam Canonici poſſent à ſe abdicare jus eligendi, & illud in Principem laicum transferre; multò magis fuit cauſa ſufficiens, propterquàm poſſet Papa electionem ipſam abolere, & vel ſibi reſervare, vel Regi concedere poteſtatem nominandi.

9. Verùm eo tempore, quo forma electionis canonicæ in viridi obſervantiâ erat, laudabile, ac reſpectivè tolerabile fuiſſet, dividi eligentium animos, & hinc indè vota ſolo pietatis, ac probitatis zelo diſcindi, ut illius, qui eſſet magis idoneus dumtàxat electio prævaleret; ſed grave erat, quod in hujuſmodi cauſis, non ex judicio, ſed ex ſolo favore, vel odio diviſio profluebat (*a*). Graviùs erat inſupèr, quod plerumque res non intrà terminos verbalis tantùm diſcordiæ, ac diviſionis ſimplicis conſiſtebat; ſed interdum adeò in præceps abibat, ut turbæ cierentur, quę ad arma proruebant, & uſque ad effuſionem ſanguinis igneſcebant. Indeflexam contentionem partium, quæ in electione Archiepiſcopi Sanctandreani in Scotiâ ſucceſſit, & Regnum totum magnis altercationibus conturbavit, refert Rogerius (*b*). Sanguinem effuſum in electione cujuſdam Præſulis, ità deſcribit Auctor vitæ S. Leodegarii Epiſcopi Auguſtodunenſis, *nupèr intèr duos contentio de eodem Epiſcopo exorta fuerat, & uſque ad ſanguinis effuſionem certatum. Cumque unus ibidem occubuiſſet in morte, & alter prò perpetrato ſcelere datus fuiſſet in exilii truſionem &c. ſic adventu* Leodegarij, *territi ſunt omnes Eccleſiæ, vel Urbis illius adverſarii, necnon & hi, qui intèr ſe odiis, & homicidiis inceſſantèr certabant* (*c*). In Concilio Romano ſub Symmacho lectum eſt Odoacris Regis edictum, cavens, *ut proptèr illum ſtrepitum, & venerabilis Eccleſię detrimentum, ſi* Papam *de hac luce migrare contigerit, non ſinè noſtrâ conſultatione cujuslibet celebretur electio* (*d*). Indoluit Concilium Bituricenſe de *multitudine populi, per iniquitatis filios concitatâ, in electores impetum faciente*, ità ut *electiones ipſæ in nonnullis Eccleſiis impedirentur totalitèr* (*e*); undè probabile eſt originem habuiſſe tùm excluſionem laicorum, & multitudinis ab electionibus celebrandis, juxtà Canones in præcedenti Capitulo recenſitos (*f*), tùm admiſſionem Principum, & Præſidium Provinciæ, ſive Judicum Sæcularium, ut vel ipſi promovendos prò ſuo libito nominarent, vel electioni perſonalitèr intereſſent, ac diſſidia comprimerent, ſeditiones arcerent, & ſchiſmata, atque cędes, & turbulentias, accidere ſolitas, protelarent.

(a) *Cap. nec novum* *91.qu.1*

(b) *Rogerius Ovveden. ad annum 1180*

(c) *Duchesne tom. 1 fol. 597.*

(d) *Concil. Roman. 3. ſub Symmacho an. 502*

(e) *Conc. Bituricenſ. an. 1276*

(f) *Vide ſupr. hic cap. 20. n. 27*

10. Et ità, mortuo Auxentio Epiſcopo Mediolanenſe; S. Ambroſius, tametſi adhoc Catechumenus, ad Eccleſiam properavit, ut tamquàm Præſes Provincię, diſcordias, quę prępvidebantur futuræ in electione Antiſtitis, ſuâ præſentiâ refrenaret (*g*). Eâdem de causâ, & occaſione in *Italiâ* auctoritas Valentiniani Imperatoris interpellata eſt, ut ipſe ſubrogandum Mediolanenſi Eccleſiæ Antiſtitem deſignaret (*h*). In *Oriente* Arcadii Imperatoris eſt brachium invocatum, ut mortuo Nectario Conſtantinopolitano, electionis futura jurgia diſpungeret, ipſe Promovendum deſignando (*i*). In *Angliâ* arbitrio Guillelmi Regis commiſſum eſt, ut Cantuarienſem Præſulem pretaxaret, quandò provectus eſt D. Anſelmus Abbas Beccenſis (*l*). In *Galliâ* prudentiæ Caroli Calvi Regis injunctum eſt, ut Sedi Lingonicæ Paſtorem præficeret, quandò Ulfado dejecto, qui contrà Canones illi ſeſè intruſerat Sedi, Iſaac eſt ſuffectus (*m*). Nec aliundè profluxiſſe remur decretum, quo in *Hiſpaniâ* in manu Regis poſitum eſt, ut ipſe promovendos in Eccleſiarum Præſules nominaret (*n*). Ità oportuit, ut ad remedium diſcordiis, cædibus, & confuſionibus, in electionum,

(g) *Paulin. in Vit. S. Ambroſii*

(h) *Cap. Valentinian. diſt. 63.*

(i) *Palladius in Vit. S. Joan. Chryſ.*

(l) *Willelm. Malmeſbur. de Geſt. Pontific. Angliæ l. 1.*

(m) *Flodoard. hiſt. lib. 3. cap. 24.*

(n) *Conc. Toletan. 12 cap. 6.*

actu

actu ſuccedentibus, adhibendum, auctoritas Principum acciretur, & laica poteſtas eum eccleſiaſticâ ſe miſceret: undè poſteà ex iſto remedio malum aliud effluxit, priori morbo deterius: quippè ſenſim ſinè ſenſu Principes talem ſibi partem ſumpſerunt in electionibus Antiſtitum, ut jàm ipſi, vel ſoli, vel ad ſummum cum voto Cleri, & Populi, prò formâ potius, quam prò neceſſitate audito, Eccleſiis Antiſtites deſtinarint.

11. Sublato è vivis Joanne Jejunatore, ſubrogatus eſt in Sede Conſtantinopolitanâ Cyriacus, operâ Mauritii Imperatoris, diù ſupèr hoc cunctabundi: de quo S. Gregorius: *aptum valdè exiſtere in paſtorali regimine Fratrem, & Conſacerdotem meum Cyriacum exiſtimo, quem ad eundem ordinem pietatis veſtræ conſilia longa genuerunt* (a). Deturbato per Concilium generale VI. Machario ex Antiocheno Solio, propter hæreſim Monothelitarum, Epiſcopi, & Clerici Antiochiæ Civitati ſubjecti, accedentes ad Judices, dixerunt, *petimus veſtram gloriam ſuggerere piiſſimo Imperatori, alterum prò Machario ad Pontificalem Sedem Antiochiæ providere* (b). Ità Imperatores Conſtantinopolitani ſe miſcebant Eccleſiis Præſules præficiendis, quod & ab aliis Regibus ſucceſſivè factum eſſe, nemo ignorat, qui antiquitates Eccleſiaſticas ventilavit, & nos etiam ſuprà docuimus (c); lugente, ut remur Eccleſiâ, amiſſionem ſuę libertatis, gemitibus, quos in Concilio Romano dedit olim Epiſcopus Tudertinus, *perpendat Synodus, ut prætermiſſis perſonis religioſis &c. electionem Laici in ſuam redegerint poteſtatem* (d).

(a) *S. Gregor. libr. 6. epi. 6*

(b) *Conc. Conſtantinopol. 3. Action. 12*

(c) *Vid. ſupr. hic cap. 10. à n. 6. ad 13.*

(d) *Conc. Roman. ſub Symmacho loc. cit.*

12. Duo hic notari ſedulò promerentur. Unum eſt, quod nedùm Principes Catholici, ſed etiam Infideles, & Hæretici, partem in his ſibi plurimam arrogabant, De Conſtantio Imperatore, Arrianę dementiæ protectore, beneficiarios Eccleſiis ingerente, paulò ſuperiùs documenta produximus, è D. Athanaſii ſcriptis excerpta (e). De Odoacre Rege Herulorum, eâdem contagione tabefacto, conante Summum Pontificem Romanæ Eccleſiæ præficere; Romana Synodus verba facit (f). Joanni Papæ defuncto, non Clerus, & populus, ſed Theodoricus Gothorum Rex, & ipſe Arrianus, Succeſſorem dedit Felicem IV. de quo Athalaricus, eidem Regi ſuffectus, Romanis ſcripſit: *Gratiſſimum noſtro profitemur animo, qui glorioſi Domini Avi noſtri reſpondiſtis in Epiſcopatus electione judicio. Oportebat enim arbitrio boni Principis obediri, qui ſapienti deliberatione pertractans, quamvis in alienâ religione, talem viſus eſt Pontificem delegiſſe, ut nulli meritò debeat diſplicere, ut agnoſcatis illum hoc optaſſe pręcipuè, quatenùs bonis Sacerdotibus Eccleſiarum omnium Religio pullularet* (g). Silemus de Imperatoribus Orientalibus, qui poſt Hæreſum varia monſtra, & Schiſmatis perfidiam in Palatio admiſſam, Eccleſiis prò eorum libito dare Antiſtites perrexerunt. Silemus de Regibus Vandalis, Longobardis, alibique, in Chriſtianitate dominantibus, nec tamen fidem Catholicam profitentibus, qui vel prò nutu, prò voto, beneficia Epiſcopalia diſpenſarunt, vel non niſi viris à ſè deſignatis ea diſtribui permiſerunt.

(e) *S. Athanaſ. epiſt. ad Orthodox. Apolog. ac Conſtantium*

(f) *Concil. Roman. loco citato.*

(g) *Apud Caſſiodorum Variar. lib. 8. ep. 15*

13. Alterum notatu dignum eſt, quod Principes, tametſi Catholici, & Orthodoxi, oppreſsâ ſemel libertate electionis, vel aliter ad ſè tractâ poteſtate Antiſtites deputandi, non niſi ex gratiâ ſpeciali, & tamquàm ex indulto gratioſo, eandem libertatem interdùm Eccleſiis poſtulantibus reddidère. Dè Regibus *Anglię* hoc menti occurrit, quod Eduardus III. profeſſus eſt, libertatem electionis Canonicæ ſui Regni Eccleſiis fuiſſe à Regibus prędeceſſoribus attributam, & à Sede Apoſtolicâ confirmatam, ut ex literis Innocentii Papæ VI. ad eundem Regem datis, apparet (h). Et Henricus II. pollicitus eſt Papę cunctarum Regni ſui Eccleſiarum ordinationem, ſi Thomam Cantuarienſem exauthoraret, *concedens*, ait Joannes Sariſberienſis, *ut tàm in Eccleſiâ Cantuarienſi, quàm in aliis vacantibus in Angliâ, paſtores ordinaret ad libitum* (i): Quod adimplere Pontifex recuſavit, quamquàm Thomas dignitati cedere peroptaverit, reddens Papæ annulum Epiſcopalem, ſub hoc formâ verborum, *accipe inſignia funeſtæ dignitatis: reddo à quo accepi &c. In tuas manus depono; tuum erit Cantuarienſi Eccleſiæ Sponſum alium eligere; mè di-*

(h) *Oderic. Raynald. an. 1344. n. 55. in fin.*

(i) *Joan. Sariſberienſ. epiſt. 171*

gniorem, & utinàm feliciorem (a). Porrò ſi Principes, beneficiorum diſpenſationi sè immiſcentes, poterant progreſſu temporis legitimè ad sè trahere poteſtatem de iiſdem diſponendi, electionis Canonicæ jure compreſſo, & de Cleri manu ſublato; eccur non potuit etiam Summus Pontifex formam electionis expungere, ac jus deputandi Preſules, vel alitèr de beneficiis eccleſiaſticis diſponendi, ad ſe trahere, aut aliis ſub novâ formâ concedere?

(a) *Galliâ Vindic. diſſert. 2. §. 3. n. 7.*

14. Quod innuimus de Angliâ, etiam alibi locum habuit. Nàm quoad Hiſpanos Reges, inquit Garſias Loayſius, quod etiam tùnc, quando Viſigothi regnabant in Hiſpaniâ, poteſtas eligendi Antiſtites apud eos reſidebat (b), quam poſteà, ut dicit, ex pietatis titulo à ſe abdicarunt, & Papę reddiderunt, ac reſpective in Eccleſiarum Capitula tranſtulerunt. Et de Rege *Aragoniæ* expreſsè tradit Zurita, *el Rey cedió al Papa el derecho, que tenia del patronazgo de todas las Igleſias de ſu Reino, y lo concedio a los Prelados, y Capitulos, que pudieſen elegir libremente ſin ſu conſentimento, loque antes no ſe ſolia permittir* (c). Reges *Daniæ*, ſive *Norvegiæ* libertatem electionum Eccleſiis reddidère, hoc onere, ut & Archiepiſcopus Nidroſienſis cederet juri, quod ſibi competere contendebat, deſignandi Principem inibi regnaturum (d). In *Germaniâ*, & *Galliâ* libertatem celebrandi electiones Canonicas, religionis intuitu, permiſère Carolus Magnus, in ſuis Capitularibus decernens: *Sacrorum Canonum non ignari, ut in Dei nomine Sancta Eccleſia ſuo liberius potiretur honore adſenſum ordini eccleſiaſtico præbuimus, ut ſcilicèt Epiſcopi per electionem Cleri, & Populi, ſecundum Statuta Canonum eligantur &c.* (e). Demùm in formulis Marculfi una eſt, cui titulus, *Conceſſio Civium prò Epiſcopatu*, ubi hi Regi ſupplicant, ut dignetur aliquem à sè optatum Eccleſiæ viduatæ præficere (f). Ex quibus patet, quod electiones talitèr ad Principum poteſtatem pervenerant, ut earum libertas non niſi ex gratiâ Clero, & Populo, ſive alias Eccleſiis permitteretur.

(b) *Garſias Loayſius in notis ad Conc. Tolet. 12. cap. 22.*
(c) *Zurita in Annal. Aragoniæ*
(d) *Odoric. Raynald. an. 1373. n. 20.*
(e) *Capitular. Carol. M. & Ludov. c. 84. c. ſacrorum diſt. 63.*
(f) *Marculf. libr. 1. formul. 7.*

15. Oppreſsâ igitur per Magnatum præpotentiam, vel alitèr alio titulo expunctâ libertate Canonicæ electionis, nec per Principes, niſi nominetenùs permiſsâ, vel talitèr indultâ, ut nullius electio fieret ut plurimum, niſi ejus, quem Princeps eligi peroptaret (g), invaluerant intruſiones, vel operâ minùs religioſorum Principum factæ, vel ab eorum Officialibus, aut aliis, in Aulâ præpollentibus ad effectum perductæ quarum exemplis plenæ ſunt hiſtoriæ eccleſiaſticę. Intonuit ad hæc Arvernenſe Conciliū, decernens, ne quis opera Potentum ad Epiſcopatus beneficium aſpiraret: *Pontificii honorem non votis quærat, ſed meritis, atque eminentiſſimę dignitatis apicem omnium conſcendat electione, non paucorum favore &c. non patrocinia potentum adhibeat, non calliditate ſubdolâ ad conſcribendum Decretum, alios hortetur præmiis, alios timore compellat &c.* (h). Perſtrepuerant pridèm Canones Apoſtolici, *ſi quis Epiſcopus, ſæcularibus poteſtatibus uſus, Eccleſiam per ipſos obtineat, deponatur* (i). Clamavit D. Gregorius in pluribus epiſtolis (l). Clamarunt alii Pontifices, ne quis, laicorum favore, ad illorumve preces, adipiſcendis Eccleſiis ſe immiſceret.

(g) *Hincmar. Remenſ. tom. 2. fol. 189.*
(h) *Conc. Arvernenſ. an. 545. c. 2.*
(i) *Canon. Apoſtolorum. 31.*
(l) *S. Gregor. l. 7. epl. 26. & lib. 11. epl. 19.*

16. Interdixit tandèm ſeverè Concilium Conſtantinopolitanum IV. generale VIII. *ſi quis Epiſcopus, per verſutiam, vel tyrannidem Principum, dignitatis conſecrationem ſuſceperit, deponatur*: & infrà prohibuit ſub pœna anathematis, ne auderet quiſquam *Principum, vel potentum ſemet inſerere electioni, vel promotioni Patriarchę, vel Metropolitæ, aut cujuſlibet Epiſcopi, ne videlicet inordinata hinc, & incongrua fiat confuſio, vel contentio, præſertim cum nullam in talibus poteſtatem quamquàm poteſtativorum, vel cęterorum laicorum quemquam habere conveniat, ſed potius ſilere, & attendere ſibi, uſquequò regularitèr à Collegio Eccleſię ſuſcipiat finem electio futuri Pontificis* (m). Inhibuerunt tandèm Concilium Melfitanum ſub Urbano II. (n), Romanum ſub eodem Pontifice (o), & alia, nè quiſquam Eccleſias, Principum, & Magnatum auctoritate ſuſciperet. Quodque in Epiſcopatibus eveniebat, idem in aliis beneficiis accidiſſe oportet, cum infiniti propemodum editi ſint Canones, interdicentes, ne quis præbendas, & beneficia eccleſiaſtica,

(m) *Conc. Conſtantinopol. 4. c. 12. & 22.*
(n) *Conc Melfitanum ann. 1089.*
(o) *Conc. Romanum anno 1099.*

ſtica, de manu laicali ſuſciperet. Ità Concilium Cabilonenſe anno 813. (*a*). Moguntinum anno 843.(*b*). Vvormacienſe anno 948.(*c*).Romanum annis 904. & 907. Engelheimenſe anno 948. (*d*). Auguſtanum anno 952. (*e*). Saleguſtadienſe anno 1022. (*f*). Melfitanum anno 1090. (*g*), & alia.

17. Sed hæc Pontifices, hæc Synodi decernentes, ſurdis inutilitèr cecinère: non enim ideò abſterriti ſunt, beneficia hujuſmodi ambientes, ab illis favore Principum accupandis: nec Principes illorum temporum deſtiterunt ab eis audactèr prò nutu proprio deferendis, nedum Clericis, ſed etiam interdùm Laicis. Legat periſſimus Anagnoſtes intèr formulas præfatas Marculfi, illam cui titulus, *Præceptum de Epiſcopatu*, & videbit, quod Reges plenâ auctoritate de beneficiis Epiſcopalibus diſponere ſibi aſſumebant (*h*). In Hiſtoriis paſſim reperitur, Epiſcopatus fuiſſe conceſſos *Regiâ auctoritate*, vel *Juſſu*, aut *Præceptione*, ſive *Nutu*, aut *Voto*, vel *Decreto* Regis (*i*): ut non dubium ſit, Epiſcopalia beneficia tùnc fuiſſe Regum arbitrio diſtributa. Audiat paritèr lector S. Bonifacium, Germaniæ Apoſtolum, quandò, & quibus beneficia, etiam Epiſcopalia, ſuo tempore reperirentur conceſſa; ſcribit enim, ut ſuprà innuimus, Zachariæ Papæ: *Notum ſit Paternitati veſtrę, quod &c. Franci, ut ſeniores dicunt, pluſquàm per tempus 80. annorum, Synodum non fecerunt, nec Archiepiſcopum habuerunt, nec Eccleſiæ canonica jura fundabant, vel renovabant; modo autèm maximâ ex parte per Civitates, Epiſcopales Sedes traditę unt laicis cupidis ad poſſidendum, vel adulteratis Clericis, ſcortatoribus, & pub licanis, ſęcularitèr ad perfruendum* (*l*). Et nedum Reges, ſed etiam Principes inferiores, hanc ſibi prævaricationem Canonum arrogabant: legitur enim ſic apud S. Fulbertum, *Menegardus Monachus &c. ad Theobaldum Comitem, qui Bletis tùnc morabatur, Abbatię petendę gratia properavit. Comes illum poſtridiè remiſit ad nos cum legatis, qui denunciarent, recipiendum magnificè ſicut Abbatem Monachis, & Canonicis* (*m*).

(a) *Concil. Cabilon. an.*813.*c.*42.
(b) *Concil. Moguntin an* 843 *c.*12.
(c) *Concil. Vuormacienſ. an.*948. *c.*55.57.
(d) *Cōcil. Engelheim. ann.*948. *c* 4.
(e) *Concil. Auguſtan an.*952. *cap* 9
(f) *Concil. Saleguſtad. an* 1022. *c.*13.
(g) *Concil. Melfitan. an.*1090. *c.*8
(h) *Marculf. lib.* 1. *form* 5.
(i) *Concilium Meldenſ. an.*845 *&c.*
(l) *S. Bonifac. epl.* 132. *ad Zachariam Papam.*
(m) *S. Fulbert. Carnotenſ. epl.*21.

18. Et quoàd laicos, beneficia eccleſiaſtica retinentes, illorum memoriam non ſemel idem Sanctus Fulbertus Carnotenſis inſinuat (*n*). Gerbertus Remenſis, de Hugone quodam loquens, eum vocat Abbicomitem (*o*), nempe quod cum eſſet laicus, & Comes, ſeu Princeps temporalis, Abbatias quoquè eccleſiaſticas nihilominus poſſidebat. Hujuſmodi abuſioni pro poſſe obſtitit Eccleſia & cenſuris vibratis, & execrationibus, & declamationibus, & quibus potuit modis: quâ de rè in Conciliis Theodonvillenſi anno 844. (*p*), Cariſiacenſi anno 858. (*q*), Remenſi anno 1049. (*r*), Toloſano anno 1056. (*s*), & alibi: ſed non ſemper, nec ubique, nec niſi lentè profecit. Sub Carolo Calvo Imperatore beneficia eccleſiaſtica fuiſſe paſsìm laicis diſtributa, ingemiſcit Concilium Meldenſe: & ut hæc intolerabilis eccleſiaſticę libertatis oppreſſio, divinæque Legis prævaricatio eliminetur, diſpreſſis ulnis implorat (*t*). Sed perperam illius votum fuit: quippè, uti refert Flodoardus, Principes Regni, quibus res Eccleſię in beneficium obtigerant, nè illas reddere cogerentur, ſollicitarunt Principem, ut Canones præfatæ Synodi non reciperet (*u*). Et ità irrita Conſilii fuit ſolertia Patrum illius Synodi, beneficiaque eccleſiaſtica, laicis, ut anteà, diſtribui perrexerunt, adeout in Concilio Claromontano opus fuerit iterum definire, ne laici poſſent Eccleſias retinere (*x*): & in Concilio Biterrenſi diſtrictè inhibere, ne ipſimet quoquo modo poſſent ad Eccleſias acceptandas admitti (*y*).

(n) *Idem S. Fulbertus epl.*20.*&* 58.
(o) *Gerbertus Remenſis epl.*17.
(p) *Concil. ad Theodonvill. ann.*844. *c.*4.
(q) *Concilium Cariſiacenſ. an.*858 *cap.*8.
(r) *Concil. Remenſe ann.* 1049.
(s) *Concil. Toloſanū an.*1056
(t) *Concil. Meldenſe cap.* 9.10.75.
(u) *Flodoard. hiſt. Remenſ. l.*3.*c.*40.
(x) *Concil. Claromontan. ann.* 1095 *c.*20.
(y) *Concil. Biterrenſe ann.*1246. *tit. de non admit. laic.*

19. Ubi autem prò minimo peccabatur, quando tunc ſolo nutu Principum Prę laturæ beneficiales diſpenſabantur, hoc erat, ut plerumque, vel Clerici aulæ ſervientes, vel Laici ex Aulâ ſumpti, & in ictu oculi clericandi, ad regendas Eccleſias tranſmitterentur, ignavi, indiſcuſſi, rerum Eccleſiaſticarum imperiti, & contentionibus potiùs, quàm ſacris pertractandis idonei. Expoſtulabat Conſtantium Imperatorem S. Athanaſius, quod primò Gregorium Cappadocem, deindè Georgium Aulicos ſuos, Sedi Alexandrinæ intruſiſſet, ſub obtentu òbſervantię Sacrorum Canonum, *cur*, inquit, *cum tè Eccleſiaſticum Canonem curæ habere prætexit,*

omnia

omnia contrà Canonem facit? Ubi enim ille Canon, ut è Palatio mittatur is, qui Epiſcopus futurus eſt (*a*)? Ridebat D. Gregorius Nazianzenus, vel meliùs, flendo dolebat, quod ſuâ ætate Aulici, Cauſidici, laici fierent Eccleſiarum Antiſtites, de quibus ait: *alios ante purgant, quàm ipſi purgati fuerint: heri ſacrilegi, hodie Sacerdotes: heri profani, hodie ſacrorum Antiſtites: veteres vitio, pietate rudes, ac recentes* (*b*). S. Hugo Lincolnienſis adverſus Henricum Angliæ Regem clamabat: *Non Aulicis, ſed potius eccleſiaſticis perſonis eccleſiaſtica ſunt conferenda beneficia* (*c*). Ne ex laico quiſquam promoveretur, inhibuit S. Gregorius Magnus (*d*): quod & Concilium Aurelianenſe V. prohibuit (*e*), Nec non Romanum (*f*), Bracarenſe I. in Hiſpaniâ (*g*), & Conſtantinopolitanum IV. Generale VIII. in Oriente (*h*). Pariter Joannes Papa VIII. (*i*), Hadrianus I. (*l*), & Nicolaus itidem I. (*m*). Quià uti benè ſyllozizzat D. Gregorius, in epiſtolâ ad Brunichildem, *qualis Magiſter erit, qui diſcipulus non fuit? aut quemadmodum Ducatum gregi Dominico præbeat, qui diſciplinæ paſtoris ſubditus ante non fuit* (*n*). Hoc tamen verum eſt, niſi aliud Eccleſiæ utilitas, vel neceſſitas in caſibus individualibus poſtularet (*o*).

20. Porrò magna quoàd laiços, involuerat abuſio in Aulâ Anglicanâ, tempore Guillelmi Rufi Regis, cujus arbitrio Clerici, & Laici, familiares, & amici ſui beneficia eccleſiaſtica percipiebant, tales, qui ab Orderico Vitali hiſce coloribus depinguntur: *plerùmque leves, & indocti eliguntur, ad regimen Eccleſiæ tenendum &c. Capellani Regis, & amici, præſulatus Angliæ adepti ſunt, & nonnulli ex his præpoſituras ad opprimendos inopes, ſibique augendas opes, nihilominùs tenuerunt* (*p*). Quæ paritèr abuſio cum in Aulâ Carlomanni, & Ludovici Franciæ Regum, in dies ampliùs invaleſceret; excanduit adversùs eam Hincmarus Remenſis apud Flodoardum, inculcans *Sacrorum Canonum promulgatas ſuper electione canonicâ auctoritates, & oſtendens, quod non Epiſcopi de Palatio præcipiantur eligi, ſed de propriâ quâlibet Eccleſiâ: & quod de ordinando Epiſcopo non Regis, vel Palatinorum debet eſſe commendatio, ſed Cleri, & Plebis electio, & Metropolitarum in electione dijudicatio, & deindè terreni Prineipis conſenſio, & ſic fieri Epiſcoporum manus impoſitio* (*q*). Eratque jam adeo familiaris hujuſmodi abuſio, ut ſi per Imperatorum, & Regum illius temporis Aulas detur per tranſennam intuitus, facile eſſet diſcernere innumeros, repentino rerum ſucceſſu infulis adornatos qui mirâ metempticoſi, ex Laicis in Præſules, & ex Aulicis ſunt in Antiſtites tranſmutati, non ſinè magno Eccleſiaſticæ diſciplinæ detrimento, niſi quod Dominus, qui poteſt de lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ (*r*), aliquot eorum, nacto miniſterio, fecit idoneè reſpondere (*s*).

21. Tandèm de ſtatu Eccleſiæ eo tempore, quo forma electionis abrogata eſt, vel cœpit univerſaliùs abrogari, nempè tempore Joannis XXII. Clementis V. & Bonifacii VIII. (*t*); En votum Durandi Epiſcopi Mimatenſis, qui occaſione celebrandi Concilium Viennenſe in Galliâ, ſub eodem Clemente V. illud edidit, aitque: *Proh dolor, in tali ſtatu ſunt Eccleſiæ conſtitutæ, quod in eis vacantibus vix reperiuntur perſonæ eligibiles: & ſi quandoque, quod raro nùnc accidit, bona perſona, & idonea in eiſdem reperiatur, latens ſicut lilium intèr ſpinas; tantùm excedit numerus malarum, & inutilium perſonarum, quod non permitterent perſonam bonam ad Prælationem aſſumi, ſed ſimiles ſimilibus applaudentes, eligunt ſibi virum juxtà cor ſuum, ad deſtructionem Eccleſiæ, & plebium ſubjectarum. Olìm enim, quandò plures erant boni, quàm mali in Eccleſiâ, tùnc electio, quæ fiebat ſecundùm pluralitatem punctorum, bona erat, & Canonica: plures enim erant, qui eligebant Deo, illis, qui eligebant Diabulo, ſed modò fit à contrario, quià plures ſunt mali, quàm boni regularitèr, & ſic frequentius electio eſt diabolica, non celebrata per ſancti Spiritus inſpirationem, ſed per doloſam, & machinoſam conſpirationem. Multi enim hodiè introducuntur in Eccleſiâ inſidiosè, & dolosè; alii per impreſſionem, & importunitatem potentiæ Sæcularis; alii per ambitionem, & fictionem hypocriticæ ſimulationis: alii affectione ſanguinis, & cognationis, contrà Hieron. di-*

een-

(a) *S. Athanaſ. epl. ad Orthodoxos.*

(b) *S. Gregor. Nazianz. Orat. 20.*

(c) *Card. Baron. ann. 1186. n. 18.*

(d) *S. Gregor. l. 2. ind. 10. epl. 19. l. 3. epl. 39. l. 7. epl. 112. 115. 116. l. 11 epl. 16. 18. 19.*

(e) *Concil. Aurelian. 5. c. 9.*

(f) *Concil Romanum ann. 1059. c. 12.*

(g) *Concil. Bracar. 1 ann. 563. c 38.*

(h) *Concil. Conſpol. 4 cap. 5.*

(i) *Joan. PP. VIII. epl. 199.*

(l) *Hadrian. I. epl. ad Taraſ. Conſpol.*

(m) *Nicol. PP. I. epl. 2 5. 6.*

(n) *S. Gregor. lib. 9. epl. 5.*

(o) *S. Gregor. lib. 10. epl. 13. Concil. Sardic. c. 13. Cedren. hiſt an. 4. Niceph. imper f. 392.*

(p) *Oderic. Vital. l. 10. hiſt. Eccleſiaſt. an. 1098. f. 764.*

(q) *Flodoard. hiſt. Remenſ. l. 3. c. 24.*

(r) *Matth. cap. 3. n. 9 Lucæ cap. 3. n. 8.*

(s) *Cedren. loco cit. Odericus Vitalis ubi ſupra.*

(t) *Barboſ. Jur. Eccleſ. Univ. lib. 1. c. 8. num. 73.*

centem: Principatum in populos non ſanguini deferendum eſſe, ſed virtuti: hinc autem ſequitur, quod nùnc cernimus plurimos his beneficia conferre, non ut quærant eos in Eccleſiâ Columnas erigere, quos plùs cognoſcunt Eccleſiæ prodeſſe, ſed quos, vel ipſi amant, vel quorum ſunt obſequiis deliniti, vel prò quibus majorum quiſpiam rogaverit.

22. Sequitur, *qui talitèr intenſi vix, aut unquàm in Prælatione bonum faciunt, non ædificant, ſed deſtruunt; non perficiunt, ſed corrumpunt. Difficile eſt enim, ut bono peragantur exitu, quæ malo inchoata ſunt principio. Tales ambitioſi meritò ſunt repellendi, quià ſecundùm Gregorium, ſicut locus regiminis deſiderantibus eſt negandus, ità fugientibus eſt offerendus. Et rursùs: Sicut qui invitatus renuit, quæſitus refugit, ſacris eſt altaribus admovendus: ſic qui ultrò ambit, vel importunè ſe ingerit, eſt proculdubiò repellendus: Hodiè autèm juxtà parabolam, quæ habetur Judicum undecimo, oliva, ficus, & vinea, primatum refugiunt, ſecundum illud Joannis Chryſoſtomi: quicumque deſideravit primatum in terrâ, inveniet confuſionem in Cælo. Rhamnus verò (qui ſecundum Magiſtrum in hiſtoriis eſt genus rubi aſperrimi, nimis aculeatum ſicut ſentes: & ſecundùm Joſephum, ad nutum venti de ſe naturalitèr ignem producit) primatum non refugit: ſed deſiderat, & ambit, dicens, ſi verè mè regem conſtituitis, venite, & ſub umbrâ meâ quieſcite &c. quæ ibidem continentur. Utinàm eligentes, vel confirmantes indignos ad Prælationem, punirentur pœnâ canonicâ, etiam cum augmento, ut pœnâ docente, cognoſcerent, quantum crimen ſit, quibuſque, & longè extrà Sacerdotale meritum conſtitutis, paſtorale faſtigium, & gubernationem Eccleſiæ credere: quià non eſt hoc conſulere populo, ſed nocere, non parare regimen, ſed augere diſcrimen* (*a*). (a) *Apud* Bail. *ſum. Concil. to. 1. in Concil. Viennenſ. f. 460.*

23. Nimirùm ergò deviante à rectitudinis tramite formâ electionis Canonicæ, & jàm tot vitiis illam deturpantibus, ſimoniis, diſcordiis, intruſionibus per vim laicæ poteſtatis, & zelo Divini honoris ab eâ ferè prorsùs abacto; neceſſarium proculdubiò fuit ei congruum adhibere remedium: hocque fuit factum, circà finem decimitertii, & initium quartodecimi ſæculi, ſupprimendo ipſam formam, & alium modum illius loco introducendo, collationis factæ pleno jure beneficiorum, & præſertim Epiſcopalium, quâ beneficia ipſa modeſtiùs, & ſanctiùs diſpenſarentur. De hac novâ formâ, & recentiore modo, tamquàm de utiliore, ac magis proficuo, ità ſentit Ludovicus Bail, appoſitè ad Concordata Gallicana proloquens, *utilitatem non modicam per hæc Eccleſiæ &c. mihi non abs rè perſuadeo: Primò quidèm, quod tametſi electiones, cùm canonicè agebantur, multum Eccleſiæ ſolatii, decoris, & utilitatis afferrent; tamèn quià ut plurimùm fiebant, non ex Canonum præſcripto, ſed & motu, & ambitu privato Clericorum, ad ſacras dignitates anhelantium, quibus populi in varias plerumque diſtracti partes, impetus potiùs, quàm legitimus aſſenſus interveniebat, hincque tumultus paſſim oriebantur, ſchiſmata naſcebantur, potentior quàm benemeritus prævalebat; per Concordatorum viam* (quibus forma electionis ſuppreſſa eſt) *à Papâ, & Rege occurſum eſt, quorum maximè intererat Reipublicæ labantis meliori ſtatui proſpicere* (*b*). (b) *Ludov.* Bail. *loc. cit. to. 1. in Conc. Later. 5. de Conſtit. Concordat f. 617.*

24. Ex Concilio quoquè Bituricenſi, celebrato paucis annis antè ſuppreſſionem electionis Canonicæ, audiatur, in quo miſerabili ſtatu eſſent per ea tempora res Eccleſiæ, quoad beneficia diſpenſanda, & eligendos Clericos, eiſdem præficiendos. Textus ipſius Concilii dignus eſt lectorum intuitu, ideò partem illius hìc inſerimus, ſic ſonantem; *noſtris auribus clamor horrendus inſonuit, ad nos per diverſos Prælatos, aliaſque quamplures perſonas Eccleſiaſticas, non ſinè gravi lamentatione delatus, & toti Concilio querelosis inſinuationibus patefactus. Aſſerebant ſiquidem, quod in Regno Franciæ, in quo Eccleſiarum libertas, & honor eiſdem debitus ſervari, retroactis temporibus, præ cæteris Regnis, atque Provinciis conſuevit: his diebus in electionibus celebrandis, in quibus potiſſimè libertatis puritas eſt ſervanda, prò libertate datur impreſſio: Et quaſi prò auro plumbum, prò argento ſcoria; honores in contumelias convertuntur, adeò quod quandò in certis locis ele-*

electiones Paſtorum imminent celebrandæ, multitudine populi per iniquitatis filios concitatâ, in electores impetum faciente, electiones ipſæ in nonnullis Eccleſiis, aut ad tempus impediuntur totalitèr, aut in locis hactenùs conſuetis nequeunt celebrari, prout in Lugdunenſi, Burdigalenſi, & Carnotenſi Eccleſiis nupèr dignoſcitur eſſe factum. In quâ ſiquidem Burdigalenſi Eccleſiâ, occaſione impreſſibilis, dùm immineret electio celebranda, homicidium de Sacriſtâ, nobili membro præfatæ Eccleſię inhumanitèr extitit perpetratum. Quoniàm igitùr novis morbis nova convenit antidota pręparari, ne morbus cum perniciosiùs obrepat, & ſui contagione trahatur à poſteris in exemplum; ſacri proviſione Concilii, duximus ſtatuendum, quod quicumque de cętero, per ſeditioſam conſpirationem, vel conventionem, habitam simùl cum aliis, quâcumque firmitate vallatam, impedimentum latens, vel patens, prętiterit, quominùs Eccleſiis ſęcularibus, vel regularibus, dignitatibus, perſonatibus, aut adminiſtrationibus quibuslibet per illos, quos locorum ipſorum, vel dignitatum, ſeù adminiſtrationum per viam electionis, ſeù poſtulationis ſpectat proviſio; eiſdem locis, dignitatibus, perſonatibus, adminiſtrationibus, de perſonis idoneis undecumque extiterint oriundæ, & alias liberè per electionem Canonicam valeat provideri; incurrant excommunicationis ſententiam, quam in ipſos proferimus ipſo facto (a).

(a) *Concil. Bituricenſ. ann. 1276. tit. de Electione.*

25. Nec dicatur quod etiàm nunc, cum forma electionis canonicæ ſuppreſſa eſt,& nova methodus introducta,in beneficiorum diſtributione ſervanda pro collatione illorum, vel pleno jure, vel ad nominationem aliorum, interdùm ſuccedunt ſimoniæ, ambitiones, indignorum pręlationes, & ex privatis affectionibus proviſiones, quæ paritèr tempore electionis canonicæ ſuccedebant. Nàm ſi res ſincero animo perpendantur, invenietur, quod hæc mala de facto, vel nunquàm, vel vix unquàm eveniunt; ſiquidèm ſi beneficia conferuntur ad Principum, vel privatorum nominationem, pręter diligentias, quas ipſi adhibent, ne zelo honoris Dei, & proprii honoris debito, deſint; intrat vigilantia Papæ, & Ordinariorum, ad quos ſpectat Clericos ipſos præſentatos inſtituere: qui ſædulâ attentatione præfatis malis obſiſtunt, vitam, mores, doctinam, capacitatem cujuslibet Pręſentati diſcutiunt: juramentum aliquandò exigunt à Nominatore, quod in tali nominatione nulla fraus, nullum pactum ſimoniacum intervenerit; & ſi quid detegunt fuiſſe in hiſce peccatum, vel præſentatis benemerentiam deeſſe; illos reijciunt, etiàm ſi à magnis Principibus nominatos. Si autèm beneficia pleno jure conferuntur, vel à Papâ, vel ab Epiſcopis, & Ordinariis locorum; quis neſcit quantas diligentias adhibent, & perſcrutationes publicas, ac privatas faciunt, atque informationes ſuſcipiunt, examinaque interponunt, ut promovendorum vitam, & converſationem agnoſcant, doctrinam, pietatem, idoneitatem, benemerentiam, illorum tandem qualitates perſpectas habeant, & certi ſint, ac rationabilitèr, ſecundum humanæ prudentiæ diligentias, perſuadere ſibi poſſint, promovendos ipſos beneficiis, quæ illis conferunt, eſſe dignos?

26. Quod ſi adhùc non obſtantibus his Collatorum, ac Nominatorum diligentiis, vel illorum culpâ, vel inertiâ, ex præfatis malis aliqua furtim irrepunt; *humanitati imputandum eſt*, inquit Æneas Sylvius, *quæ nunquàm candida reperitur* (b). Ecquis enim humanus agens omnia inappunctabilitèr operatur? quis operans, non errori, aut deceptioni ſubjectus eſt? Ubinam eſt illa Regio, in quâ omnes homines ità cuncta, quæ peragunt, ſinè culpâ, ſinè vitio, ſinè errore diſponunt; ut nullus ex eis ſit, qui à bono declinet? Duces in militiâ, Judices in foro, Artifices in tabernis, & quicumque ex hominibus aliquid agunt, decipere poſſunt, & decipi: Nec de expugnandis è mundo cunctis malis quiſquam prudens debet eſſe ſollicitus, ſed de illis minorandis. Porrò Eccleſia electiones Canonicas, abrogans, & collationes beneficiorum, vel pleno jure, ac liberè, vel ad pręſentationem patronorum factas, introducens; in mente non habuit, ut putamus, cuncta inconvenientia, in beneficiorum largitione contigibilia inevitabilitèr extirpare,

(b) *Æneas Sylvius Opuſc. de Moribus Germanor.*

cum

cum hoc vires homanas excedat, ſed prò poſſe minuere, ac rarefacere. Sifficitque quod infrequentiùs, ac rarius inconvenientia ipſa ſuccedant, ſub hac novâ formâ, quàm ſub antiquâ, & quod ut in pluribus nùnc non eveniant mala, quæ tùnc familiariſſimè contingebant. Leges etenim, & ſtatuta, tàm in ſenſu Theologorum (*a*), quàm in ſententiâ Juriſprudentum (*b*), fiunt ſecundùm quod res ſolent ut in pluribus evenire.

27. Et certè prò uno beneficio, in cujus largitione nunc aliqualitèr à rectl tramite declinetur, mille, vel meliùs centum millia reperias, quæ rectiſſime conferuntur. Et plerumque cum gens otioſa defectum rectitudinis, & benemerentiæ, vel in promovente accuſat, vel in promoto; ejulat, non quià res ità ſit, ſed quià hinc libentèr de alienis geſtis immurmurat, indè neſcit merita, & motiva, proptèr quæ Collator Collatarium ad tale beneficium provexit; nec etenim beneficia eccleſiaſtica danda ſunt magis ſanctis, neque magis doctis, ſed magis idoneis; taleſque interdum ſunt, qui minùs vel de doctrinâ, ſivè de ſanctitate participant (*c*). Quo fit, ut aliquando gregarii homines, & rerum parum periti, blaterare audiantur de nominationibus ad beneficia, vel de illorum collationibus, tamquam irrationabilitèr factis, poſtpoſito aliquo, quem cenſent ipſi meliorem, cum rè verâ talis non ſit, & minùs eſſe idoneum conſtet ſuperiori, qui vitium fortè, vel imprudentiam, vel aliam illius ineptitudinem notam habet, eique propterea beneficium non committit; clauſos nihilominùs retinens in corde ſuo defectus ipſius viri: quos nec tenetur, nec debet Antiſtes per plateas, & compita publicare, ut ſciat univerſus orbis, cur hunc prætulit, illum autem in beneficii diſtributione poſtpoſuit.

(*a*) *S. Thom. qu. 1. 2. 96. art. 1. ad 3. & qu. 102 art 6 ad 4.*
(*b*) *Rubeus Annot ad Rotam p 4 tom. 2. rec. decis. 431. n. 43.*
(*c*) *S. Thom. 22 qu. 63. art. 2. in Corp.*

28. Juſtas ergò adfuiſſe cauſas expungendi Canonicas electiones, in beneficiorum diſtributione, jàm uberrimè patet: quod ex abundanti probavimus, ad retundenda dicteria Contradictorum, cum alioquin rationem reddere nunc non teneamur, rei antè quadringentos annos peractæ, prò quâ ſi omnis titulus juſtitiæ deeſſet, ipſe longiſſimus temporis curſus, quatuor ſæcula excedens, ſtat pro ratione, quâ nulla major dari poteſt. Nèc niſi delirantis eſt ſuſtinere velle, quod adhuc vigeat, & ſubſiſtat in Eccleſiâ Dei forma electionis Canonicæ, jàm à tot ſæculis abrogata, per cuncta loca, præterquàm in Germaniâ, & apud Maronitas in Monte Libano. Perperàm proindè Contradictores, populum à jure eligendi non decidiſſe contendunt: primò, quià, uti diximus, forma electionis Canonicæ per legitimam Superioris auctoritatem ſuppreſſa eſt. Secundò, quià de facto populus nunquàm habuit poteſtatem eligendi beneficiarios, uti toto Capitulo præcedente eſt probatum. Tertiò, quià ſi quod jus in ipſis electionibus habebat ab illo decidit, ſivè illud ammittere incæpit, uſque à mille, & quadringentis annis, nempè à tempore S. Gregorii Nazianzeni (*d*), vel ſaltem (ut ipſi fatentur Contradictores) quingentis jàm ab annis, nempè uſque à tempore Innocentii Papæ III. quando populus ab electionibus totalitèr eſt excluſus; ridiculum autèm eſt, quod nunc, in ictu oculi, in noviſſimâ turbâ, populus ipſe recuperaverit jus, quod nunquàm habuit, vel ad minùs jàm à quingentis annis totalitèr intermiſit. Et quatenùs etiàm adhùc populus in hoc jure ſubſiſteret, vigeretque forma electionis Canonicæ, ſivè vigere deberet; non concluditur intentum Contradictorum, quod promovendi ad beneficia eccleſiaſtica debeant eſſe de gremio Eccleſiæ vacantis, & conſequentèr indigenæ, quià etiam ſub formâ electionis præfatæ patebat, & patet extraneis aditus ad eccleſiaſtica beneficia. Sed de his inferiùs, ubi objectiones Legales afferemus, erit ſermo: ſufficit nunc oſtendiſse, quod juſtæ adfuerunt cauſæ, & rationabilia motiva, proptèr quæ Summi Pontifices potuerunt electiones Canonicas abrogare, & novam formam introducere, conferendi eccleſiaſtica beneficia, vel liberè, & pleno jure, vel ad præſentationem patronorum, quæ eſt forma nùnc, præter Germaniam, & & Montem Libanum, in totâ Eccleſiâ Catholicâ univerſalitèr obſervata.

(*d*) *S. Gregor. Nazian Orat. 19. Vid ſuprà c. 20. n. 27.*

CAPUT XXIII.

In quo agitur de Supremâ Papę Poteſtate in omnium Beneficiorum diſpenſatione. Et ad quos pertineat eadem beneficia largiri, poſtquam forma electionis Canonicę ſuppreſſa eſt. Fitque ſermo etiàm de Mandatis Apoſtolicis.

SUMMARIUM.

1 *Omnia beneficia ad Papam pertinent. Qui vel ea confert, vel aliis Collatoribus diſpenſanda relinquit.*

2 *Penè nullus in Sacrâ Scripturâ eſt liber, quem aliqui non impugnaverint. Referuntur ſingulorum librorum impugnatores.*

3 *Plurium Pontificum decreta innuuntur, quę de plenâ Summi Pontificis poteſtate loquuntur, in diſpenſatione beneficiorum.*

4 *Clemens PP. VI. ad Regem Angliæ, & Eugenius IV. ad Regem Portugalliæ ſcribentes, idem ſuſtinuerunt, eorumque ſucceſſores tali poteſtate uſi ſunt.*

5 *Afferuntur exempla Pontificum, qui beneficia majoris, vel minoris ordinis, in Patriarchatibus Antiocheno, & Hieroſolymitano contulerunt.*

6 *Quid faceret S. Gregorius? Quid fieret tempore S. Bernardi? Ad Sedem Apoſtolicam pertinet de beneficiis totius Eccleſię diſponere.*

7 *Bona Eccleſiæ in ſenſu Patrum, Scripturalium, Theologorum, & Canoniſtarum, ſunt bona Chriſti, & Vicarii ejus adminiſtrationi ſubjecta.*

8 *Collatio beneficiorum eſt actus juriſdictionis, quæ ubilibet exerceri poteſt à Papâ, eo quod Orbis totus eſt ejus territorium.*

9 *Variis titulis, uti Patris Patrum, Sacerdotis Sacerdotum, Epiſcopi Epiſcoporum &c. Summus Pontifex à Regibus, Patribuſque afficitur.*

10 *Poteſtas Papæ conferendi beneficia locum habet, quando vult eâ uti, per* Mandata Apoſtolica, *vel per* Regulas Cancellariæ.

11 *Epiſcopus habet fundatam intentionem prò collatione omnium beneficiorum ſuæ Diœceſis. Excipitur tamèn ſemper Papæ auctoritas.*

12 *Quomodò Papæ ſuam olim auctoritatem explicarent in alienis Diœceſibus, ac de quibus beneficiis diſponerent.*

13 *Inceperunt Papę dirigere Ordinariis Mandata Apoſtolica, quorum exempla, & veſtigia dantur, ex antiquis Pontificibus.*

14 *Invaluerunt ſubindè magis Mandata Apoſtolica, preces reſonantia: quamquàm preces Potentum vim juſſionis habent.*

15 *Doluit Innocentius III. quod Mandatum Apoſtolicum non obtineret effectum apud Canonicos Pictavienſes, quibus præceptivè iteràm ſcribit.*

16 *Cum quidam reſiſteret Mandato Apoſtolico Alexandri Papæ III. Joannes Sariſberienſis illum conſcium rei ipſius fecit, ut ſuæ auctoritati conſuleret.*

17 *Interdùm Reges interpellabant Pontifices, ut Mandata Apoſtolica prò aliquo Clerico, ſibi magis grato, dirigerent, ut hic acciperet beneficium.*

18 *Non deerant qui Mandata hæc parvipenderent: ideò Papæ addiderunt præcepta. Nomenojus objurgatus à Concilio, quod Papę literas contemneret.*

19 *A bonis incitati, & à malis provocati, cæperunt Papæ precatoriis, & præceptoriis ſuis literis, etiàm clauſulas executorias adjungere.*

20 *Nèc mirum eſt, quod Papæ Mandata hęc darent, quippè etiàm Imperatores, & Reges mandata prò beneficiis ad Præſules, & Eccleſias dirigebant.*

21 *Ità fiebat in Galliâ, & in Angliâ, ut ex Hildeberto Turnenſi, & Hugone Lincolnenſi, quod ſi agebant Principes, cur & Papa idipſum non poſſet facere?*

22 *Poſt Mandata Apoſtolica, inçæperunt introduci* Reſervationes Apoſtolicæ. *Omnes Eccleſias inſtituit Romana Sedes.*

23 *Reſervatio, ſivè Reſervationis ſpecies habetur ex epiſtolis SS. Gregorii, & Nicolai PP. I. circà Epiſcopatus Salonæ, Coloniæ, & Treveris.*

24 *Quintuplici jure conſert Papa beneficia, nempè* Concurſus: Devolutionis: Præventionis: Reſervationis: *& ſimplicis* viæ juris.

25 *Papa, & Imperator concurrunt in Juriſdictione cum ſuis Subditis. Jus* Concùrſus *Papæ procedit à plenitudine poteſtatis, quæ arctari non poteſt.*

26 *Licèt poteſtas Papæ per Regulas Cancellariæ, & Concordata cum quibuſdam Nationibus fuerit limitata, de ſè tamèn eſt irreſtringibilis.*

27 *Jus* Pręventionis *in Papâ eſt ejus dignitati coævum. Jàmque locum habet in cunctis Chriſtianitatis Regionibus.*

28 *Doctrina Feureti faciens prò Præventionibus Pontificiis innuitur. Dum Papa prævenit Ordinarios in collatione beneficiorum, utitur jure ſuo.*

29 *Poteſtas diſpoſitiva beneficiorum in Ordinariis, non eſt abſoluta, ſed participata à Papâ, qui ſemper majorem apud ſè retinet facultatem.*

30 *Non eſt Pontificis Epiſcopos omni jure beneficiorum collativo nudare: tamèn poteſt eos in conferendo pręvenire. Honorandi ſunt Epiſcopi à Papâ.*

31 *Jure* Devolutionis *Papa conſert beneficia, & quando? Antiqua exempla devolutionum indicantur, uſque à tempore S. Gregorii Magni.*

32 *Recenſentur alia antiqua documenta juris devolutionis. In Conciliis Lateranenſibus III. & IV. præfinitur tempus ad conferenda beneficia.*

33 *Devolutio fit de cunctis beneficiis, dummodò is, ad quem ſpectat beneficia diſpenſare, non ſit impotens, vel impeditus ad id faciendum.*

1. IUSTITIAM, quâ ſuppreſſa fuit forma electionis Canonicæ, ac nimias fæditates, & incommoda, quæ formam ipſam deformaverant, jàm intuiti ſumus (*a*). Juſtè ergò ſublatâ formâ electionis; largitionem beneficiorum ad ſuum principium refluere opus fuit, nimirùm ad Papam, à quo omnis ratio diſpenſativa ipſorum beneficiorum fuerat excitata (*b*). Papa verò, parte tantùm eorum ſibi retentâ, cætera beneficia, partìm Epiſcopis liberè, & pleno jure conferenda, partìm Clericis, & Laicis reliquit, patronatus titulo diſpenſanda. Jamquè nùnc cuncta orbis beneficia eccleſiaſtica conferuntur, vel à Summo Pontifice, vel ab Epiſcopis, & Ordinariis locorum, aut ab aliis Clericis liberè, & pleno jure: vel diſtribuuntur per præſentationem, & nominationem, factam à Clericis, vel à Laicis, Principibus, vel privatis, jure patronatus, vel alio titulo. Et quidèm quod omnia totius univerſalis Eccleſię beneficia ad Summi Pontificis auctoritatem principalitèr pertineant, tamquàm ad primarium, & ſupremum rerum Eccleſiæ Adminiſtratorem, atquè diſpenſatorem (*c*), docent apertis, ac repetitis vocibus ſacri Canones, quibus & Conditorum poteſtas, & ipſa temporis antiquitas intulit reverentiam. Et cum jàm ſint corpori Juris inſerti, faciantque legem communem, in totâ Eccleſiâ univerſalitèr obſervatam; non eſt quid rationabilitèr eis poſſit opponi: niſi quod viris contentioſis, & dicacibus, nunquàm deficit ratio diſquirendi nodum in ſcirpo; quia nunquàm eis deeſt procacia, quâ etiam res quaſcumque certiſſimas, & inconcuſſas, audeant in dubium revocare.

(a) *Vide Capitul. pręcedent ab initio.*

(b) *Gonzal. ad Regul. 8. Cancel. §. 1. Proem. à n. 1. ad 8. Anaſtaſ. Germonius de Indult. Cardinal. §. Perque n. 87.*

(c) *S. Thom. 2. 2. qu. 100 art. 1. ad 7.*

2. Non mirum tamèn eſt, quod dè auctoritate Canonum, per Pontifices editorum, à viris contentionum amantibus, diſputetur; cum nullus ſit penè liber Sacræ Scripturę, ipſius Dei eloquio ſuggeſtę (a), quem aliqui perfidiſſimi homines non impugnaverint. *Pſalmos* Davidis, Gnoſtici apud S. Philaſtrium, prò apocryphis reputarunt (b). *Danielis* librum, Porphyrius apud S. Hieronymum, prò illegitimo dedit (c). *S. Joannis* Evangelium, & *Apocalypſim*, Alogiani apud Euſebium (d). Totum *vetus Teſtamentum*, Cerdon apud S. Auguſtinum (e). Omnia *Evangelia*, præter Lucam, Marcion apud S. Irenæum (f). Cunctas *Pauli epiſtolas*, Ebionitæ apud S. Epiphanium (g). Epiſtolas ad *Titum*, & *Timotheum*, Petrobruſiani apud B. Petrum Cluniacenſem (h). Pariter *Acta Apoſtolorum* Tatianus impugnavit, apud Euſebium (i). Manichæi apud S. Auguſtinum (l). Cerdon, apud Tertullianum (m); & Cherintus apud S. Philaſtrium (n). *Job* librum Thalmudiſtæ prò ſpurio actitant (o). Epiſtolam *Jacobi*, *Machabæorum* libros, & *Eccleſiaſten*, Lutherus condemnat (p). Epiſtolam ad *Philemonem* alii: alii *Cantica Canticorum*: alii tandèm alios libros impugnant: & ità vix erit verſiculus in Scripturis, dè cujus veritate non poſſit ambigi, ſi malorum hominum ſit dicteriis attendendum.

3. Porrò, quoàd rem noſtram, Nicolaus Papa II. in epiſtolâ ad Mediolanenſes, dictatu D. Petri Damiani datâ, diſertè eſt profeſſus, quod *omnes, ſivè Patriarchii cujuslibet apices, ſivè Metropoleon primatus, aut Epiſcopatuum cathedras, vel Eccleſiarum cujuslibet ordinis dignitates, inſtituit Romana Eccleſia* (q). Bonifacius Papa VIII. de privilegiis Eccleſiarum agens, aſſeruit, quod *Jure communi omnes Eccleſiæ per orbem diffuſæ ad Romanam Eccleſiam pertinent* (r). Clemens Papa III. pariter ità decrevit: *Eccleſiarum, perſonatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum eccleſiaſticorum diſpoſitio ad Romanum Pontificem noſcitur pertinere* (s): Quod & totidem penè verbis ratificavit Clemens Papa V. in Concilio Generali Viennæ, diſponens, *ſalvâ &c. Romani Pontificis poteſtate, ad quem Eccleſiarum, perſonatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum eccleſiaſticorum plena, & libera diſpoſitio, ex ſuæ poteſtatis plenitudine, noſcitur pertinere* (t). Hi quatuor Canones ſunt corpori juris inſerti, legem publicam, atque univerſalem facientes, qui adeò perſpicuè de poteſtate Romani Pontificis ſuper omnia totius Eccleſiæ beneficia decernunt, ut nihil clariùs, nihil omninò poſſit eſſe diſertiùs. Tamen & alia documenta Pontificum ſubjungamus, hoc idem corroborantia. Bonifacius ipſe VIII. Joannem Cardinalem in Franciam miſit, ad denuntiandum Regi, *quod in quibuſcumque eccleſiaſticis beneficiis conferendis, vacantibus in Curiâ, vel extrà Curiam, Romanus Pontifex legitimam, & potiorem obtinet poteſtatem, & poſt collationem cujuſvis beneficii collati, in ipſis, vel eorum aliquo, non poteſt alicui jus acquiri, ſinè auctoritate, vel conſenſu Apoſtolicæ Sedis, tacitis, vel expreſſis* (u).

4. Paritèr Clemens Papa VI. in epiſtolâ ad Eduardum III. Angliæ Regem, de beneficiorum diſpenſatione ſcripſit. *Illud verbum, per quod conſtitutum eſt Cælum, & Terra: per quod deniquè conſtituta ſunt omnia elementa, Romanam fundavit Eccleſiam, quę quidem omnes Patriarchales, Metropolitanas, & Cathedrales Eccleſias, & ipſarum cujuslibet ordinis dignitatem inſtituit: ad cujus Paſtorem, & Rectorem Eccleſiæ, videlicèt Romanum Pontificem, omnium Eccleſiarum, dignitatum, perſonatuum, officiorum, & beneficiorum eccleſiaſticorum plenaria diſpoſitio noſcitur pertinere* (x). Eugenius Papa IV. Alphonſo Regi Portugalliæ perſcribens, in propoſito Continii, Epiſcopatu Viſenſi, independentèr ab Aſſenſu Regio, per Sedem Apoſtolicam inſigniti, ait, *jura tribuunt Sedi Apoſtolicæ, & Petri ſucceſſoribus, liberam Eccleſiarum omnium diſpoſitionem, ad quarum regimen eligit, & præficit ſecundùm Eccleſiarum utilitatem &c.* (y). Alia recentiora ſilemus: ſed non omittimus adnotare, quod hi Pontifices, variis, & interpolatis Sęculis, Sedi Apoſtolicæ præſidentes, non in angulo Palatii Vaticani, non in receſſu aliquo Urbis Romę, non cum Aulicis, & Curialibus, ſibi famulantibus; ſed Clemens V. in Con-

(a) *Petrus Annati Appar. ad Theolog. l. 2. art. 6.*
(b) *Philaſtrius Hęreſ. c. 24.*
(c) *S. Hieron. præfat. comment. in Daniel.*
(d) *Euſeb. hiſtor. Eccleſ. lib. 7.*
(e) *S. Auguſtin. lib. de hæreſibus cap. 11.*
(f) *S. Irenæus l. 1. adverſ. hæreſ.*
(g) *Epiphanius hæreſ. 30.*
(h) *B. Petrus Cluniacenſ. ep. 1. adv. Henrician.*
(i) *Euſebius hiſt. lib. 4. c. 29.*
(l) *S. Auguſtin lib. de utilit. creden. c. 3.*
(m) *Tertullian. de præſcrip.*
(n) *Philaſtrius de hæreſ. c. 36.*
(o) *Thalmud. ord. 4. tr. 3.*
(p) *Alphonſ. à Caſtr. de hæreſ. l. 13. hæreſ. 2. Bellarm. to. 1. de Verb. Dei l. 1. c. 5.*
(q) *Cap. omnes 1. diſt. 22.*
(r) *Cap. ſi Papa X. de privil. in 6.*
(s) *Cap. licet 2. de præbend. in 6.*
(t) *Clementin. 2. Ut lis pendent.*
(u) *Odoric. Raynald. an. 1303. n. 34.*
(x) *Idem Oderic. Raynald. an. 1344. n. 58.*
(y) *Raynald. an. 1440. num. 3.*

Concilio Generali Viennenſe, trecentorum Patrum: Bonifacius VIII. coram Philippo IV. Galliæ Rege: Clemens VI. in facie Eduardi III. Regis Angliæ: Eugenius IV. in conſpectu Alphonſi V. Regis Portugalliæ; ſuſtinuerunt, poteſtatem diſponendi de cunctis orbis eccleſiaſticis beneficiis ad Sedem Apoſtolicam pertinere: & quod verbis ſuſtituerunt, effectibus etiàm adimpleverunt, adhucque Romani Pontifices, eorum ſucceſſores, illâ utuntur poteſtate, quâ ſe potiri præfati Pontifices inclamarunt. Quid autèm impudentiùs hâc rè, quid audaciùs, quid potuiſſent pervicaciùs attentare Papæ prefati, ſi cognoviſſent, sè non vera dicere, ſed inſubſiſtentia effutire! Et Patres, & Principes illi, & eorum Theologi, Juriſprudentes, & Statiſtę; credimus nè, quod quieto animo hanc propoſitionem audiſſent, ſi erroneam reputaſſent? Credimus nè quod permiſiſſent redigi ad praxim hanc poteſtatem, de quâ ambigendum eſſe ſenſiſſent?

5. Jure autèm, & omninò rationabilitèr, hanc ſibi facultatem aſſeruerunt memorati Pontifices, quia Chriſtus ſuper Petrum Apoſtolum Eccleſiam à ſe conditam ſtabilivit (*a*), nec niſi Petro porrexit Claves, plenitudinem poteſtatis ſuper rebus eccleſiaſticis ſignificantes (*b*). Et hac freti poteſtate Romani Pontifices, non recentiorum tantùm, ſed etiam temporum antiquiorum, de beneficiis eccleſiaſticis, etiàm Epiſcopalibus, & Patriarchalibus, prò ſuo libito diſpoſuerunt. Et nè quidquam dicamus de parte, quam habuit D. Leo Papa I. in promotione Anatolii ad Sedem Conſtantinopolitanam, de quâ Martiano Cęſari ſcripſit, *ſatis ſit, quod veſtræ pietatis auxilio, & mei favoris aſſenſu, Epiſcopatum tantæ Urbis obtinuit* (*c*); Notum eſt, quod Agapitus Papa, depoſito Anthimo Conſtantinopolitanę Urbis Antiſtite, ejuſdem Sedem, Pontificali jure, Mennę Alexandrino conceſſit (*d*). Liberius Papa, ſivè Lucifer Calaritanus ejus Legatus, Paulinum Beneficio Patriarchali Antiochenę Eccleſię decoravit (*e*). Conon Papa eidem Antiochenę Eccleſię Conſtantinum Diaconum Syracuſanum prępecit (*f*). Martinus Papa I. Joannem Epiſcopum Philadelphię Vicarium ſuum deputavit, ut Eccleſiis, in Patriarchatibus Antiocheno, & Hieroſolymitano, ſitis, ac per Monothelitas hęreſi infectis (à quibus operâ Stephani Dorenſis, paritèr Vicarii ſui, fecerat exauthorare Paſtores) novos Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos deputaret, ſeù beneficia conferret, eorum ordini reſpondentia (*g*): Cui Joanni hoc dedit in mandatis: *ea, quæ deſunt corrigas, & conſtituas per omnium Civitatum Eccleſias, quæ ſedi, tàm Hieroſolymitanæ, quàm Antiochenæ ſubſunt, Epiſcopos, & Presbyteros, & Diaconos. Hoc tibi omni modo facere præcipientibus nobis ex auctoritate Apoſtolicâ, quæ data eſt nobis a Domino, per Petrum ſanctiſſimum, & Principem Apoſtolorum* (*h*).

6. S. Gregorium Magnum novimus, quod quandò Viſitatores Eccleſiis vacantibus tranſmittebat, interdùm facultatem etiàm beneficia inibi vacantia conferendi ipſis Viſitatoribus delegabat (*i*). S. Bernardi tempore, imò & ex eo tunc, quo Ciſtercienſis ordinis Regulę ſunt procuſę, patet quod Romani Pontifices beneficia Epiſcopalia prò eorum libito conferebant, dùm Cęnobitis illis datur poſſe provideri de Epiſcopatibus, quos Sedes Apoſtolica conferebat (*l*). Sed nimium longum eſſet omnia remotioris antiquitatis Cartophilacia perſcrutari, ad exempla congerenda facultatis, per Papas exercitæ, in conferendo eccleſiaſtica beneficia, per totum Chriſtianitatis circuitum: Ea, quæ produximus, ſatis ſint: Nàm ſi Romani Pontifices allegati, vel immediatè, vel per ſuos Delegatos, beneficia Patriarchalia, Epiſcopalia, Presbyteralia, Diaconalia contulere, in præcipuis orbis partibus, in primariis Chriſtianitatis Eccleſiis, certè factis adeò notabilibus, & conſtantibus edocemur, Pontifices illos potuiſſe facere, quod fecerunt, & ad Sedem Apoſtolicam ſupremo jure pertinere de beneficiis eccleſiaſticis, ubicumque terrarum ſitis, diſponere; dùm de facto etiàm antiqui Romani Pontifices de iiſdem prò eorum libito diſpoſuere, modò hìc, modò ibi: modò magìs, modò minus. *Omnia beneficia*, inquit Joannes Gerſonius, *ſubſunt Papæ, tamquàm ordinatori ſupremo,*

non

(a) *Matthæi cap. 16 num. 18.*

(b) *Matthæi cap. 16 n. 19. Bellarm. to. 1. de Pontif. lib. 1. cap. 12. 13*

(c) *S. Leo epiſtola 54*

(d) *Liberatus Breviar. cap. 20. 22.*

(e) *Ruffinus hiſtor. lib. 1. c. 27.*

(f) *Card. Baron. an. 686 n. 5 Anaſtaſ. Bibliotè. in Conone.*

(g) *Idem Baron. an. 649. n. 14. & 59.*

(h) *Martin. PP. I. epiſtola 5.*

(i) *Thomaſſin. vet. & nov. Eccleſię diſcipl. p. 3. l. 2. c. 53. n. 2.*

(l) *Idem p. 1. l. 2. cap. 60. n. 10. in fine.*

Digitized by Google

non tamquàm domino, & poſſeſſori, imò nèc tamquàm immediato diſpenſatori regulariter, & univerſaliter, niſi Prælatorum inferiorum iniquitas, aut manifeſta Eccleſiæ utilitas caſibus certis iſtud exigeret (*a*). Et antè illum D. Thomas, *Res Eccleſiæ ſunt Papæ, ut principalis diſpenſatoris, non tamèn ſunt ejus, ut domini, & poſſeſſoris* (*b*). Quod adeo verùm eſſe cenſent communitèr Canoniſtæ, ut ex eis Ludovicus Eugel Germanus, illud tamquàm certum ſopponat, & ideò ſic effatur, *præſupponendum quod Summus Pontifex poteſtatem habeas de jure omnia totius mundi beneficia conferendi* (*c*): Similia habet Hieronymus Gonzalez Hiſpanus (*d*). Anaſtaſius Germonius Pedemontanus (*e*), & alii paſſim Canoniſtæ.

7. Ad quod etiam ſane ſuadendum, prætèr Jura, & praxim Eccleſiæ, concurrunt aliæ rationes, in sè multum ponderis continentes. Et *prima* eſt ea, quæ ſumitur ex dominio bonorum eccleſiaſticorum, hæc etenim bona eo ipſo, quod Deo oblata ſunt, Divinæ, & Chriſti poteſtati facta ſunt quodam ſpeciali modo ſubjecta, uti docent ex Patribus D. Auguſtinus (*f*), & Julianus Pomerius (*g*). Ex Scripturalibus Alphonſus Toſtatus (*h*), ex Theologis Navarrus (*i*), & Bonacina (*l*). Ex Hiſtoricis Natalis ab Alexandro (*m*). Ex Canoniſtis, & Juris conſultis Auguſtinus Barboſa (*n*), Julianus Vivianus (*o*), Doctor Marta (*p*), Melchior Lotterius (*q*), & alii. Adeoque ipſa bona eccleſiaſtica, etiam in Sacris Canonibus, patrimonium Chriſti communiter nuncupantur (*r*). Uti autèm Chriſti bona, ab eo debent miniſtrari, qui locum Chriſti tenet in terris, nempè à Petro, cui dixit Chriſtus, *paſce oves meas, paſce agnos meos* (*s*), *quem conſtituit Dominus supèr familiam ſuam, ut det illis cibum in tempore* (*t*). A Petro, inquam, & ejus in officio ſucceſſoribus Romanis Pontificibus (*u*), in quibus viget Vicarialis Chriſti poteſtas, à Chriſto in Petrum, & à Petro in Succeſſores traducta (*x*). Si autèm bona eccleſiaſtica bona ſunt Chriſti, & uti bona Chriſti; ejus Vicarii in terris ſunt adminiſtrationi commiſſa; ubicumque reperiantur, in quacumque orbis parte conſiſtant; Chriſti ſunt, & Vicarii ejus adminiſtrationi ſubſiſtunt; ideò negari non poteſt, quod Romano Pontifici jus competat omnia beneficia (quæ non ſunt niſi bona eccleſiaſtica) ubicumque erecta ſint, diſpenſandi (*y*). Ex quo fit, quod Rota Romana non dubitaverit affirmare, ex conſilio Gabrielis (*z*), *quod in primitivo tempore tota collatio fuit Papæ, quàm poſteà communicavit Epiſcopis* (*aa*). Nèc doctrina Rotæ ſuſpecta eſſe debet, cum ejus deciſio ſit edita coram Remboldo Germano, cui & Engel ejus Connationalis conſentit, dicens, *primitùs omnia beneficia ſolus Papa conferebat, poſteà verò dilatatâ Eccleſiâ, in partem ſollicitudinis vocavit Epiſcopos, iiſque poteſtatem conferendi beneficia ſuarum Diœceſium communicavit* (*bb*). Quod & Generalez Hiſpanus penè totidem verbis expreſſit (*cc*), & Germouius Pedemontanus paulò ſuprà citatus.

8. Alia ratio deſumitur ex juriſdictione Pontificis, quæ uſque adeò ſe diffundit, quouſque territorium, ei obtemperans dilatatur: juriſdictio etenim inhæret territorio (*dd*), & juxtà phraſim Legiſtarum, juriſdictio territorio ſupereminet, eo modo, quo ſtat nebula ſupèr paludem (*ee*). Collatio autèm beneficiorum ſinè dubio eſt actus Juriſdictionis, non quidèm contentioſæ, ſed voluntariæ (*ff*), ergò Summo Pontifici competit juriſdictionem hanc, collativam beneficiorum, per totum Orbem exercere, quià totius Orbis terrarum ejus territorium eſt, ejus Diœceſis, ejus ditio juriſdictionis; eſt ergò tandèm & locus, ejus ſupremo regimini, Divino Chriſti ore, commiſſus. Et quod rè verâ totus Orbis ſit Territorium Pontificis, non affirmant Romani, Aulici, vel Curiales, quorum Calamus ſuſpicari poſſit, vel auro, vel honoribus comparatus; ſed id ſuſtinent Doctores primæ notæ, Germani, Galli, Hiſpani, Mediolaneuſes, Luſitani, Neapolitani, & alii, prout in margine denotantur (*gg*). Et sì hoc parum eſt, id aſſerunt etiam Sancti Eccleſiæ Patres, Doctrinâ eminentiſſimi, pietate celeberrimi, innumeris encomiis digni, & omni tandèm exceptione majores. Nàm S. Proſper Aquitanus nil aliud ſenſit, dùm dè Romanâ Sede ſic cecinit: *Sedes Roma Petri, quæ Paſtoralis honoris facta caput mundo, quidquid non poſſidet Armis, religione tenet* (*hh*). S. Petrus Damiani de Pontifice ſic effatur, *quià ter-*

(a) *Joan. Gerſon. to. 2 fol. 22.*
(b) *S. Thom. 2. 2. qu. 100 ar. 1. ad 7.*
(c) *Engel. Colleg. juris p. 2. l. 3. tit. 15. §. 2. n. 7*
(d) *Gonzal. ad reg. 8. Cancel. §. 1. Proœm. à n. 1. ad 8*
(e) *Germon. de Indult. Card §. Per quæ nu 87*
(f) *S. Aug tom 3. de oper. Monachor. c. 25*
(g) *Julian. Pomer. de vit. contempl. l. 2. c. 16.*
(h) *Alphonſ. Toſtat. in 1. Paralip. 26 qu. 36*
(i) *Navar. to. 1 de Spol. Cleric § 9. n. 4 & alibi*
(l) *Bonac. to 1. diſp. 4. de oblig. benef pu 2. n. 2*
(m) *Natal. ab Alex. hiſt ſæc. 5. p 2. f. 60*
(n) *Barboſ. in c. 16 de præbend. n. 3. tom. 2*
(o) *Vivian. de Jure-patr p. 1. l. 1. c. 3. n. 42*
(p) *Marta de juriſd. p. 2. c. 6 n. 13*
(q) *Lotter. de rè benef. l 1. qu. 4. n. 57*
(r) *Cap. nulli 3. conſ. 12. qu 2.*
(s) *Matth. cap. 24. n. 45*
(t) *Lucæ cap. 12. n. 42*
(u) *Martinus Navar. loco citato*
(x) *Borel ſum Decis to. 1. tit. 4. n. 2.*
(y) *Idem tom 1. titul. 15. num 7*
(z) *Gabriel Conſil. 397 num 3. lib 1*
(aa) *Rota tom. 2. p. 4. rec. dec. 172. n. 38*
(bb) *Engel. Colleg. jur. p. 2 l. 3 tit. 15. §. 2. n. 7*
(cc) *Gonzal. ad reg. 8 Canc. § 1. proœm. à n. 1*
(dd) *Borel. ſum. Dec. tom 1 tit 41. n 155*
(ee) *Baldus in cap. 1 n. 7 de allodiis Marian. Socin. Conſ. 74. col. 1. vol. 2.*
(ff) *Calderin. de elect. conſ. 2. Lotter. de rè benef lib. 2 qu 49 n. 81*
(gg) *Thomaſſin Vet & nov. Eccl. diſcipl p. 3. lib. 1. c. 6. n. 15. & alibi Engel. loc. cit. n. 7. Garcia de benef. p. 5. c. 1. n. 8. Borel loc. cit. tit 4. n. 10 13. Monet. de commut. ult. vol. c. 5. nu. 85. 142. Gonzal. loc. cit. §. 2 n. 44. Barboſ. Jur Eccl. univ l. 1. c. 2. n. 13. Lotter l 2. qu 22. n. 5*
(hh) *S. Proſp. in Carmin. cont. ingrat. c. 2*

terreni Principes Regni ſui quique limitibus includuntur, cauſa non eſt cur per alienas mundi provincias eorum obitus diffundatur. Papa verò, quià ſolus eſt omnium Eccleſiarum univerſalis Epiſcopus, cum luce privatur, mors ejus per ampla terrarum regna diffunditur &c. (*a*). S. Bernardus in hujuſmodi propoſito ad Eugenium ſic eloquitur, *Sunt & alii gregum paſtores &c. habent illi ſibi aſſignatos greges, ſinguli ſingulos, tibi univerſi crediti, uni unus, non modo ovium, ſed & Paſtorum, tù unus omnium Pater. Paſce oves meas, inquit. Quas? illius, vel illius populos Civitatis, aut Regionis, aut certè Regni? cui non planum eſt, non deſignaſſe aliquas, ſed aſſignaſſe omnes? nihil excipitur, ubi diſtinguitur nihil* (*b*). B. Petrus Cluniacenſis in epiſtolâ ad Cœleſtinum, ità perorat, *ipſum Chriſtum in vobis ſolo sè habere gloriabitur Orbis terrarum* (*c*). Demùm Monachi Carthuſienſes in literis ad Innocentium II Papam directis, & in Concilio Remenſi à Gaufrido Carnotenſi perlectis, hæc ſpecificant, *Veſtræ Majeſtatis pedibus advoluti &c. prò univerſo Mundo præces offerimus; non enim pars una, ſed totus potius Orbis eſt veſtra Diœceſis* (*d*).

9. Et hoc idem reſonant elogia Principum, quibus Romanos Pontifices affecère. Nàm à Ferdinando Rege Hiſpaniç, Papa, *totius Dominici Gregis Paſtor* eſt dictus. Ab Alexandro Rege Poloniç, *totius Mundi moderator*. Ab Antonio Rege Navarræ, *Communis totius Eccleſiæ Chriſtianæ Paſtor*. A Philippo II. tunc Brittanniæ, ac Neapolis Rege, *totum genus humanum gubernans*. Ab Henrico IV. Rege Galliarum, *non Urbis, ſed Orbis, & Eccleſiç univerſæ Epiſcopus* (*e*). Quibus paritèr eſt conſentaneus titulus *Epiſcopi Epiſcoporum*, quo Tertullianus Papam affecit (*f*), & *Ordinarii Ordinariorum*, quo communitèr à Doctoribus appellatur (*g*). Titulus, & veritati conſonans, & Pontificiæ juriſdictioni reſpondens, & aliis appellationibus coęqualis, quibus à Patribus Eccleſiæ, Romanus Pontifex fuit uſque ab antiquis temporibus decoratus. Sic etenim Epiſcopi Orientales, in libello, quem Agapeto Papæ porrexerunt, adversùs Anthimum Conſtantinopolitanum, & Severum Antiochenum Hęreticos, ipſum Agapetum *Patris Patrum* nomine nuncuparunt (*h*). Paritèr Archimandritę, Presbyteri, & Monachi Græci, in libello Romam adversùs Monothelitas, ac Typum Conſtantis Imperatoris, tranſmiſſo, Martinum Papam *Sacerdotem Sacerdotum*, ac *Patrem Patrum* intitularunt (*i*). Sic & *Patrem Patrum* Gregorium X. in Concilio Lugdunenſi I. Michael Palęologus Imperator, & Joannes Vecchus Patriarcha Conſtantinopolitanus, cum totâ Eccleſiâ Græcâ, uniſonâ conclamatione vocarunt (*l*). Si ergò Summus Pontifex eſt Ordinarius Ordinarium, Pater Patrum, Sacerdos Sacerdotum, totius Eccleſię Paſtor, & univerſum Orbem habens prò ſui regiminis territorio; oportet quod ad illum primariò, eminentèr, ac ſupremo jure, pertineat, & totam Eccleſiam regere, & cuncta Eccleſię bona, in quâcumque Orbis parte ſita ſint, miniſtrare (*m*).

10. Verùm, tametſi hæc vera ſint generali ratiocinio, & in abſtracto conſiderata; prò certoque habendum ſit, quod cuncta omnium Eccleſiarum beneficia, debent ad miniſtrationem, atque diſpenſationem Romani Pontificis pertinere (*n*): attamèn in concreto, hæc ipſa locum non habent, niſi ubi, quandò, & prò quanto, Papa hac ſuâ facultate uti vult, vel per *Mandata* Apoſtolica, quę dirigit ad Collatores, ut tale beneficium tali à ſe conferant nominato: vel per *Regulas Cancellariæ*, quibus ſuę diſpoſitioni reſervat talia, vel talia beneficia, majora, vel minora, proùt congruo Eccleſiæ regimini, in Domino cogitat expedire. Extrà hos caſus beneficiorum largitio ad Ordinarios locorum ſpectat (*o*), ex Canonibus Apoſtolicis, Gangrenſibus, & Antiochenis (*p*), ex aliiſque plurimis eccleſiaſticis ſanctionibus, quæ dant Epiſcopo locali adminiſtrationem cunctorum bonorum ſuæ Diœceſis (*q*). Non eſt otium hìc cunctos Canones, talia decernentes, conſerere: aliquos tamèn delibabimus, qui & noſtro, & docti lectoris genio brevitèr ſatisfaciant. Ex Conciliis, Synodus Pictavienſis, ità decrevit, *Epiſcopus à ſuo Metropolitano: Abbas, Presbyter, & cæteræ inferiores perſonæ à proprio Epiſcopo, donum Epiſcopatus, vel Abbatiæ, vel Eccleſiæ, vel aliquarum eccleſiaſticarum rerum*

acci-

(a) *S. Petrus Damian. tom. 2. opuſc. 22.*
(b) *S. Bern. de Conſid. ad Eugen. lib. 2*
(c) *B. Petr. Cluniac. lib. 24 epiſ. 18*
(d) *Conc. Remenſe ann. 1131*
(e) *Abraham Bzovius de Pontif. cap 6.*
(f) *Tertull. de Pudicit. â in princip.*
(g) *Barboſ. Jur. Eccl. Univ. l. 1. c. 2 n. 14 Engel p. 2. l. 3. tit. 35. n. 7. Monet de commut. ult. vol c. 5. n. 85. Garcia de benef. p. 5. c. p. n. 8 Lotter. l. 1. qu. 9 n. 18*
(h) *Card. Baron. an. 536. n. 32*
(i) *Idem Baronius an. 649. n. 14*
(l) *Bzovius de Rom. Pontif. cap 6*
(m) *S. Thom. 2. 2. qu. 100. ar. 1. ad 7*
(n) *Lotter. de rè benef. l. 2. qu. 22. n. 44. Joan. Paul. Monet. de commut. ult. vol. c. 12. num. 72*
(o) *Vide Thomaſſin. Vet. & nov. Eccl. diſc. p. 2. l. 1. c. 36. & p. 3. l. 2 cap. 2*
(p) *Canon. Apoſtol. 41 Conc. Antioch. c. 25 Conc. Gangr. c. 78*
(q) *Cap. pervenit 1. 6. qu. 7. cap præcipiunt c. Epiſcopus cap. vobis 22. qu. 1 Conc. Clarom. an. 1095. c. 16.*

(a) *Concilium Pictavienſ. ann. 1075.*

accipiat (*a*). Ex Summis Pontificibus Urbanus II. paritèr ità ſanxit, *Epiſcopus omnia ſui Epiſcopatus membra, videlicèt Archidiaconatus, Archipresbyteratus, Decanias, vel aliquas Præpoſituras Eccleſiæ ſuæ Canonicas, abſque omni venalitate diſtribuat* (*b*). Ex Patribus, Hildebertus Turonenſis ità eſt ad hæc accommodè prolocutus, *Eccleſiaſticos gradus, ad minimum uſque Clericum, prò Epiſcoporum deliberatione ſubſtituendos, & diſtribuendos, Canonica cenſent, & prædicant inſtituta* (*c*).

(b) *Urbanus PP. II. epiſt. 15. 17.*

(c) *Hildebert. Turon. epiſt. 55.*

11. Sanè jàm communitèr in ore omnium Doctorum currit hoc generale proloquium, ſive Juris axioma, quod Epiſcopus habet fundatam intentionem, quoàd collationem omnium beneficiorum, in ſuâ Diœceſi conſtitutorum (*d*), undè ſi quis alius, prætèr Epiſcopum Diœceſanum, ſibi jus competere contendit beneficia eccleſiaſtica conferendi, debet hoc non utcumque, ſed documentis concludentibus comprobare. Ab hac tamèn generali lege, ſivè generali Juris axiomate, excepta ſemper fuit auctoritas Romani Pontificis, de quo Barboſa, *de jure communi antiquo beneficia eccleſiaſtica, quomodocùmque vacantia, ad Ordinarii diſpoſitionem, & collationem pertinebant, in cujus Diœceſi conſiſtebant. Gloſ. & Doctores in cap. fin. dè ſuppl. neglig. Prælat. niſi ad alium ex ſpeciali ſtatuto, vel conſuetudine pertinerent. Excepta tamèn fuit ſemper auctoritas Romani Pontificis, qui tamquàm totius Eccleſiæ Ordinarius, in multis caſibus ſemper beneficia quæcumque ad libitum contulit, cap. ſi à Sede, de præbend. lib. 6. Clem. 1. ut lite pend. habet enim ubique liberam beneficiorum diſpenſationem, cap. 2. ubi Gloſ. & Doct. de præbend. lib. 6. Clem. 1. Sæpiùs autèm idem Romanus Pontifex conſuevit Ordinariis mandare, ut alicui dè beneficio vacaturo providerent, ac prætereà beneneficiorum conferendorum ſibi reſervationes generales, & ſpeciales fecit, ut oſtendemus,*

(d) *Seraphin. deciſ. 799. 1 Borel ſum deciſ. tom 2. tit. 20. n. 35 & Garcia de benef. p. 5 c. 4 n. 4 Barboſ. Jur. Eccleſ. Un. v. l. 3. c. 13 n. 15. & 16.*

12. Proſequitur Barboſa: *Eſt enim ſciendum, quod ceperunt primùm Romani Pontifices gratias beneficiales concedere, monendo quidem Ordinarios, cap. capitulum, cum ſeqq. dè reſcript. poſteà per reſcriptum mandando, & quandoque Executores conſtituendo, idem facere conſueverunt; cap. conſtitutus, cap. ex inſinuatione, eod. tit. cap. prò illorum de præbend. Clem. 1. de conceſſ. præbend. Illud tamèn obſervantes, ut prò uno tantùm Ordinarium gravarent: proptereà enim in mandatis dè providendo, clauſulam apponebant, ſi prò alio non ſcripſerimus. Cap. mandatum, cum ſeqq. de reſcript. Temporibus autèm Innocentii IV. prout refert in c. 1. de conceſſ. præbend. l. 6. dabatur facultas beneficium acceptandi, ut ſcillcèt is, prò quo Romanus Pontifex reſcribebat, poſſet beneficium vacaturum obtinere, quod ſibi videretur acceptandum. Clemens verò V. in d. Clem. 1. dè conceſſ. præbend. eandem gratiam intrà menſem tantummodò à die vacationis concedere voluit. Reſervationes verò beneficiorum à Romanis Pontificibus non fiebant, quamvis tempore Innocentii III. nonnullæ reſervationes ſpeciales ſuper primo vacaturo, & prò certâ perſonâ, factæ invenirentur, ex cap. cum dilectus de jure patron.; atque illud deinceps fuit uſu introductum, ut ea beneficia, quæ apud Sedem Apoſtolicam vacare contigiſſet, Summi Pontifici collationi reſervata intelligerentur, quam conſuetudinem Clemens IV. conſtitutione latâ firmavit, de qua in cap. 2. de præbend. lib. 6. eamque Bonifacius VIII. in c. præſenti eodem tit. ad vacantia intrà duas dietas extrà Curiam extendit* (*e*).

(e) *Barboſ. Jur. Eccl. univ. l. 3. c. 13. n. 15. & 16.*

13. Primò igitur Romani Pontifices inceperunt de beneficiis in variis Orbis Regionibus conſtitutis, diſponere per *Mandata Apoſtolica*, quæ priſcis temporibus, Epiſcopis dirigebant, & nùnc etiàm præſertìm Epiſcopis Gallicanis, vi Concordatorum dirigunt, injungentes eis, ut tale beneficium Clerico à sè deſignato largiantur (*f*). In quorum mandatorum nullum antiquiùs veſtigium exiguitas noſtræ ſtudioſitatis impegit, illo, quod Hormiſda Papa, Eccleſiæ præſidens anno 514. direxit Clericis Eccleſiæ Alexandrinæ vacantis (Juſtino Imperator ſedis illius proviſioni ſedulitatem præcipuam impendente) favore Dioſcori, ejuſdem Eccleſiæ Diaconi, cui Pontifex interpellatus, haſce literas dedit, *ſequenti tempore ſcribere domno, & filio noſtro Imperatori diſponimus, ut tè Alexandrinum Epiſcopum debeat*

(f) *Vid. infr. in hoc tom. c. 24 n. 4.*

beat ordinare (*a*). Poſt hunc occurrit S. Gregorius I., qui Epiſcopo Importuno, mandatis, à ſe datis, commiſit, ut Eccleſiam, in ſuâ Diœceſi conſtitutam, cuidam Dominico, illùc à ſè tranſmiſſo conferret: *quià*, inquit, *Eccleſiam S. Mariæ quandam Campſonis, in tuâ Parochiâ vacare cognovimus, præſentium portitorem Dominicum Presbyterum in eâdem Eccleſiâ, ut præeſſe debeat, nos ſcito deputaſſe. Ideoque fraternitas tua ei emolumenta ejuſdem Eccleſię faciat ſinè cunctatione præſtari, & decimæ fructus indictionis, qui jàm percepti ſunt, prædicto viro fac ſine morâ reſtitui, quatenùs ejuſdem Eccleſiæ utilitates, cujus emolumenta conſequitur, Deo auditore, ſollicitè valeat procurare* (*b*). Mandaſſe quoque invenitur Fortunato Epiſcopo Neapolitano, ut quemdam illuc directum in Abbatem cujuſdam Monaſterii præficeret (*c*), Paulus Papa I. Juſſionem Vvulchario Senonenſi direxit, ut Marinum Presbyterum in aliquâ Eccleſiarum Franciæ, quę quamprimùm vacaret, Epiſcopum conſecraret (*d*), Vitalianus Papa Mandatum dedit S. Theodoro Tarſenſi Archiepiſcopo Cantuarienſi, ut Abbatiam in Angliâ conferret Hadriano Africano, prius Abbati Monaſterii Niridani propè Neapolim (*e*). *Mandatum* quoquè fuit, ſivè mandati Apoſtolici ſpeciem præſetulit, juſſio Hadriani II. Papę, quâ Epiſcopis Gallię commiſit, ut Actardum Nannetenſem, à Normannis ſuâ Cathedrâ deturbatum, alteri Eccleſiæ incardinarent, quam citò contingeret viduari, profeſſus, sè in eo majorum ſuorum veſtigiis, & maximè S. Gregorii Magni exemplis inhærere: ideòque pręcepit, *decernimus, hunc Eccleſiæ, quę ſuo fortè fuerit viduata Paſtore, penitùs incardinari* (*f*): prout de facto fecerunt, & in Concilio Duziaceno illi Cathedram Turonenſem aſſignarunt, hocque sè feciſſe ſcripſerunt Papæ, *ſecundùm Apoſtolicas veſtras literas* (*g*). Mandati tamèn rigor in hoc non prorſus limpidus fuiſſe videtur.

14. Invaluerunt ſucceſſivis temporibus *Mandata ipſa Apoſtolica*, quæ ab initio fortè videntur magis commendationum, quam juſſionum ſpeciem tenuiſſe, quamquàm, & præceptionem in sè continuiſſe non eſt negandum, tùm ex vi verborum, tùm etiàm ex eo quod Principum commendationes rationem habent juſſionis (*h*). Et ità de Cæſare, promovendos ad Romanę Reipublicę dignitates, Quiritibus commendante, refert Suetonius, quod *edebat per libellos circum Tribus miſſos ſcriptura brevi: Cæſar dictator illi tribui. Commendo vobis illum, ut veſtro ſuffragio ſuam dignitatem teneat* (*i*). Et Ivo Carnotenſis non dubitavit aſſerere, quod *Regiæ preces idem valent, ſecundùm vulgare proverbium, quod minę* (*l*). Ac individuè de mandatis Apoſtolicis Joannes Sarisberienſis, *Summi Pontificis voluntas decretum eſt* (*m*). De facto patet ex epiſtolâ D. Gregorii ad Epiſcopum Syracuſanum, quod ejus mandata beneficialia, pręceptionis in sè terminos continebant; injungens enim ei, ut ſtipendia, ſivè beneficium Diaconale cuidam Felici, illùc à sè miſſo, conferret, his utitur elementis: *In tuâ Eccleſiâ Syracuſanâ cum prævidimus cardinandum &c. Quod hortamur, ut tua fraternitas implere feſtinet &c. nè noſtræ commendationis inveniaris tramitem neglexiſſe* (*n*). Porrò Hadrianus Papa IV. ſub quo mandata ipſa uberiùs dicitur excurriſſe, Epiſcopo Pariſienſi ſub formulâ deprecatoriâ, prò Cancellario ejuſdem loci, literas dedit, inquiens, *Cancellarius Regis Franciæ Romanę Eccleſię, & nobis, quantùm devotus ſit, & fidelis, prudentiam tuam non credimus ignorare. Indè eſt quod illum fraternitati tuâ duximus plurimùm commendandum, rogantes attentiùs quatenùs prò B. Petri, & noſtrarum reverentiâ literarum, primùm perſonatum, vel honorem, qui in tua vacabit Eccleſiâ, ei concedas* (*o*). Sed quià, vel Epiſcopo Pariſienſi defuncto, vel non contingente ejus tempore vacatione, Cancellarius voti compos factus non fuerat, Hadrianus ipſe rurſus Capitulo Pariſienſi, non deprecativè, ſed impetrativè perſcripſit, *Univerſitati veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, & mandando præcipimus, quatenùs Præpoſitura, quæ in Pariſienſi Eccleſiâ, & domos, quę in clauſtro ejuſdem Eccleſię de hinc primùm vacuerint, ei concordatis* (*p*).

15. Doluit Innocentius Papa III. quod mandatum Apoſtolicum à Cęleſtino III.

Braſch. de libert. Eccl. Tom. II. Oo præ-

(a) *Hormiſd. Pap. epl.* 34.
(b) *Gregor. PP. II. lib. 2. epiſt.* 10.
(c) *S Gregor. lib* 7. *epiſt* 92.
(d) *S Paulus PP. I. epiſt.* 39. *in Cod Carolin. apud Ducheſne tom* 3 *f.* 716
(e) *Beda Hiſtor. Angl. l.* 4 *cap.* 1. *tom.* 3.
(f) *Hadrian.* 2. *epl.* 2. *ad Epiſcopos Synod. Sueſſion. in to* 3. *Conc. Galliæ f.* 365.
(g) *Concil. Duziacen. Cellotius f.* 300.
(h) *Barboſ. vot. dec. l.* 2 *vot.* 33. *n.* 23. *cum aliis ibi.*
(i) *Sueton. in Jul. Cæſar cap.* 41.
(l) *Ivo Carnot. epiſt.* 67 & 126.
(m) *Joannes Sariſberienſ. epiſt.* 23.
(n) *S. Gregor. lib.* 3. *epiſt.* 14.
(o) *Hadrian. IV. epl.* 11. 12.
(p) *Idem Hadrianus PP. IV. epiſt.* 24.

prædeceſſore ſuo, Vvillelmo de Marcheio conceſſum, ut in Canonicum Eccleſiæ Pictavienſis reciperetur; deluſione quadam irritum fieret: ideòque Decano, & Cantori Eccleſiæ Santonenſis hoc ſcripſit, *nobis, nec immeritò ad cumulum indignationis accedit, quod multi Apoſtolicę Sedis reverentiam minimè attendentes, in tantę rebellionis aculeum eriguntur, quę ad receptionem eorum etiam, quos noſtris ſervitiis inſiſtere, nobiſque familiariter adhęrere non dubitant, difficiles ſè oſtendunt, graviterque repugnant, ut Mandata Apoſtolica eludantur: quod tanto nobis cedit ad dedecus, tantòque acriùs nos commovet contrà eos; quantò ignominiosùs videretur, ſi propter remiſſionem, ac tepiditatem noſtram, eorum infecta negocia remanerent; quibus non ſolum ad ſimplices preces noſtras, verùm etiàm, nobis tacentibus, deberet liberaliter provideri. Sanè, ſicut ex literis venerabilis fratris noſtri N. Epiſcopi, & dilecti filii N. Archidiaconi Engoliſmen. accepimus, eum ipſi à bonę memorię Cœleſtino Papâ prædeceſſore noſtro Mandatum Apoſtolicum recepiſſent, ut dilectum filium Magiſtrum Vvillelmum de Marcheio ſcriptorem noſtrum, Canonicum inſtituerent in Eccleſiâ Pictaven. Contradictores excommunicationis ſententiâ percellentes; iidem mandatum illud ſuerunt (prout decuit) executi. Nos autèm quod ab eis rationabiliter factum eſt approbantes, venerabili fratri noſtro N. Pictaven. Epiſcopo, tunc apud Sedem Apoſtolicam exiſtenti, vivâ voce injunximus, ut ipſum Scriptorem, illius Canonicę plenâ, & pacificâ faceret poſſeſſione gaudere. Ipſe verò (quod grave gerimus plurimum, & moleſtum) propter contradictionem quorundam Canonic. ſuorum, eum nullum velit in ſuę novitatis exordio moleſtare, id exequi prætermiſit: licèt de ipſius Scriptoris (ut aſſeruit) promotione lætetur. Nolentes igitur, ut prò quorumlibet contradictione, quod Apoſtolicâ fuit auctoritate ſtatutum, citrà perfectionis terminos relinquatur, ſed potiùs celeri compleatur effectu; per Apoſt. vobis ſcripta mandamus, & diſtrictè pręcipimus, quatenùs prędictum Scriptorem noſtrum Canonicam ipſam, quam auctoritate Apoſtolicâ eſt adeptus, faciatis auctoritate noſtrâ, ſublato contradictionis, occaſionis, & appellationis obſtaculo, plenè, & pacificè poſſidere: quoſcumque Contradictores, vel rebelles inveneritis, per diſtrictionem eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſitâ, compeſcentes* (a).

(a) *Innoc. III to. 1. epiſt. ad Decan. & Cantor. Sanctonenſ.*

16. Alexandro Papæ III. ſuggeſſit Joannes Sariſberienſis, nomine Archiepiſcopi Cantuarienſis, ſe paruiſſe mandato ipſius, de quadam præbendâ, ejus nutibus diſpenſandâ: ſed nè res complementum haberet, Londinenſem Epiſcopum reſtitare. Papæ ergò eſſe, ut prò auctoritate, quà pollebat, ſuę conſuleret dignitati, *Vos honorem veſtrum ſervabitis* (b). Eaſdem difficultates obvias aliquandò habuerunt alii Pontifices, conquerentes, ſibi per hęc injuriam irrogari; cum vice verſâ, Papæ, non gravamen, ſed honorem Epiſcopis exhiberent, eis mandata dirigendo, prò beneficiis, quę Sedes Apoſtolica, ex ſeipsâ, de ſuæ plenitudine poteſtatis, poſſet liberrimè diſpenſare. Et ità Innocentius Papa III. Archiepiſcopo, & Capitulo Beneventanis, hęc ſuis literis intimavit. *In admirationem inducimur vehementem, quod Apoſtolica mandata contemnitis, cum prò eorum receptione preces vobis ab eo, qui poteſtatis plenitudinem obtinet, diriguntur: ex quibus non minùs honoris Eccleſiæ veſtrę accederet, quam ex hoc utilitatis ipſis, & commodi proveniret* (c). Et quod re verâ, etiàm Epiſcopi honoris loco haberent, mandatis interdum Apoſtolicis viſitari; indicium ſumatur ex eo, quod ipſi quandòque ad hoc præbendas aliquas deſtinabant, ut ſuper eis mandata reciperent Pontificia. Quâ de rè idem Innocentius Epiſcopo Pariſienſi: *præbendam vacantem reſervaſti, cuicumque vellemus conferendam* (d).

(b) *Joannes Sariſberienſ. epiſt. 36.*

(c) *Innoc. III. tom 1. epiſt. ad Archiep. & Capit. Benevent.*

(d) *Innocent. III. Regeſt. 13. epiſt. 130.*

17. Ex cujus pariter Innocentii literis eruitur, quod aliquandò etiam Concilia Provincialia Mandata Pontificia muniebant, ut ſinè contradictone, ſuum plenè conſequerentur effectum: non quod juſſiones Apoſtolicæ ullo indigerent Concilii cujuslibet adjutorio; ſed quod & ipſa Concilia evidenter agnoſcerent, juſſiones ipſas eſſe juſtas, honorandas, ac ſine cunctatione exequendas, & ità in epiſtolâ ad Silvanectenſem Epiſcopum hoc diſtinguitur, quod Clemens III. ei *duplex mandatum*

datum

datum dedit, Turonenſis *Concilii auctoritate munitum (a)*. Quid plura: etiam Reges interdùm interpellabant Pontifices, ut mandata favore alicujus, ſibi magis grati, dirigeret: uti patet ex eo, quod Alexander Papa III. inſtante Ludovico VII. Rege Galliæ, ad Pariſienſis Capituli Clericos expedivit, ut præbendam Nepoti Meldenſis Epiſcopi largirentur, *precibus*, inquit, *Illuſtris Francorum Regis, Reginæ quoque, & aliarum magnarum perſonarum inducti, univerſitatem veſtram per Apoſtolica ſcripta monemus, mandamus, atque præcipimus &c. (b)*.

(a) *Innoc. III. tom. 1. epiſt. ad Silvanec. Epiſcopum.*

18. Non deerant tamen, qui duriore animo mandatis hiſce Pontificiis obſiſterent, cavè negligerent, ac technis interpoſitis irrita facerent, & eluderent, ſed cum & Reges, & Reginæ, & Magnates, & Concilia, & Epiſcopi, eiſdem uterentur, vel reſpectivè illorum executioni operam interponerent; proculdubiò ipſa eſſe juſta, & legitima conſuerunt: nec ex hujuſmodi contradictionibus (quibus nihil ſanctum, & vel rectiſſimum unquam caruit) aliud emolumentum emerſit, niſi quod, ubi Papæ priùs commendatitiis, & precatoriis phraſibus, mandata ipſa Apoſtolica conſiſcebant; præceptorias addiderunt: ut quod jubebant, ſinè ambiguitate perficeretur. Legere eſt hoc in epiſtolâ Innocentii III. ad Epiſcopum, & Capitulum Lemovicenſe, prò Petro Chalboino, Clerico Rotomagenſe, ſcribentis: *prò ipſo literas vobis duximus Apoſtolicas deſtinare, rogantes, monentes, & exhortantes in Domino, ac per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenùs &c. eum in fratrem, & Canonicum veſtrum, ob reverentiam Apoſtolicæ Sedis, & noſtram, liberalitèr admittatis &c. primitias precum noſtrarum taliter audituri, quod proptèr hoc vobis denuò ſcribere non cogamur: ſcituri, quod ſicut noſtræ intentionis exiſtit, nihil præcipere inhoneſtum: ſic non relinquemus quod mandaverimus imperfectum, nec contemptum noſtrum tolerabimus patientèr (c)*. Turpè ipſis Epiſcopis videbatur, quod mandata Apoſtolica, eluderentur, rati in eis totam Eccleſiam contemni, cum Caput ejus irrito Conſilio, cernebant juſſiones Apoſtolicas expedire: in totius enim Eccleſiæ vilipendium redundare contemptum literarum Apoſtolicarum, patet ex clamore valido, quo Epiſcopi quartæ Synodi Turonenſis infremuerunt adversùs Ducem Britanniæ, talia perpetrantem: *omnem*, inquientes, *læſiſti Chriſtianitatem, dùm Vicarium B. Petri Apoſtolicum, cui dedit Dominus Primatum in omni orbe terrarum, ſprevìſti &c. Nè literas quidem ipſius recepiſti. In eo igitùr læſiſti Apoſtolos, quorum eſt Princeps Petrus: læſiſti Epiſcopos, qui jàm cum Deo regnant in Cælis, & miraculis corruſcant in terris: læſiſti & nos, qui etſi non habemus eorum meritum, idem tamen Divinâ gratiâ poſſidemus officium (d)*.

(b) *Thomaſſ. vet. & nova Eccl. diſcipl. p. 2. l. 1. c. 43. n. 3.*

(c) *Innoc. III. to. 1. epiſt. ad Epiſcopum & Capitul. Lemovicenſ.*

(d) *Patres Conc. Turon. apud Lupum Ferrarienſ. epiſt. 54. & ſatis*

19. Et in individuo contemptus Mandatorum Apoſtolicorum, prò beneficiis eccleſiaſticis editorum, notiſſimus eſt zelus, quo Stephanus Tornacenſis adversùs Canonicos S. Aniani Aurelianenſis inſurrexit, ob deluſa mandata Alexandri III. & Lucii III. Pontificum, eidem Lucio hæc ſcripta tranſmittens, *Scripſit Alexander, ſcripſiſtis & vos, primò, & ſecundò. Sed nequè preces, nequè præceptum veſtrum, quamvìs tres præbendæ vacarent, voluerunt audire. Abſit Pater, ut inanes ſint preces veſtræ, contemptibilis auctoritas, eluſorium præceptum. Et nùnc demùm tanto ſi placet virtute intonet ſuper eos Majeſtas veſtra, ut qui blanditiis juvari non potuerunt, imperio diſcant vincì (e)*. Malorum ergò contumaciâ provocati, & bonorum perſuaſionibus incitati, morbo ingruenti Pontifices remedium ingerere ſatagerunt, & *precatoriis*, ac *præceptoriis* literis, tertias adjungere introduxerunt, *executorias* dictas, quibus executores deputabantur, ad præbendas conferendas, quas largiri ad eorum votum Ordinarii contemnebant (*f*). Harum unaſimùl fit mentio in epiſtolâ Innocentii III. ad Ægidium Canonicum Vaſtinenſem, ibi: *Prò te fuit allegatum, quod à bonæ memoriæ Cæleſtino Prædeceſſore noſtro prò tuâ receptione in Eccleſiâ Vaſtinenſi, rogatorias primùm literas, ſecundò præceptorias, & executorias impetraſti (g)*. Et cum harum plena ſint volumina epiſtolarum Pontificum, qui prò tempore in Sede Apoſtolicâ reſederunt; parcimus aliis documentis hìc uberius aggregandis.

(e) *Stephan. Tornacenſ. epiſt. 109.*

(f) *Barboſ. Jur. Eccl. Univ. l. 3. c. 13. n. 18.*

(g) *Innoc. III. tom. 1. epiſt. ad Ægid. Can. Vaſtinenſ.*

20. Non mirum autem ſit, quod Summi Pontifices mandata Apoſtolica, prout jam ſuprà memoravimus, darent, quippe multò validiori manu, etiam Imperatores, & Reges eadem creberrime Eccleſiis prò eorum libito, dirigebant. Theodora, Juſtiniani Imperatoris uxor, mandatum dedit Eccleſię Romanę, Beliſario pręcipuo ſuo Duci commiſſum, ut Vigilium faceret in Summum Pontificem ordinare (*a*). Mauricius, pariter Imperator, maodatum dedit, vel ſaltem dediſſe autumabatur, ut Maximus quidam Salonitaois infulis oroaretur (*b*). Theodatus Gothorum Rex mandatum dedit, ut Sylverius Pontifex fieret Romanorum (*c*). Mandatorum aliorum Imperatorum fit meotio pluries in ſacris Canonibus (*d*). Chilpericus Rex Franciæ præceptionem dedit Eccleſiæ Aquenſi, ut Nicetium laicum in Paſtorem acciperet (*e*). Guntramnus, itidem Rex Francorum, Burdigalenſibus *datâ præceptione juſſit, Gondegiſilum Santonicum Comitem, Epiſcopum ordinari, geſtumque eſt ità* (*f*). Ceadda ordinatus eſt Epiſcopus Eboracenſis, jubente Rege Oſſuvino (*g*). In compilatione Conſtitutionum Anglię ſæpè occurrunt officia Regum, prò Beneficiis conferendis interpoſita, ſub hac formulâ: *mandamus rogantes* (*h*).

21. Tempore Ludovici VI. Regis, hoc idem fieri in Galliis conſueviſſe, indicant querelæ Hildeberti Turonenſis ad Innocentium II. directæ: *His premor anguſtiis, quià zelo zelatus ſum Domum Dei, quià dignitates eccleſiaſticas, nec ex Regis pręcepto diſpoſui, nec ei diſponendi facultatem indulſi* (*i*). Dionyſius Rex Portugalliæ precibus mandata, & utriſque minas miſcebat (*l*). Nec niſi Cenſuris territus tandem ſpopondit, *sè in ſuis precibus non adjecturum, quod nullus alius eligatur, niſi is, prò quo direxerit preces ſuas* (*m*). Graves adeò Epiſcopis evaſerant preces Regum Angliæ, ut intolerabiles fierent, undè Henrici Regis preces, prò quodam familiari ſuo directas, S. Hugo Epiſcopus Lincolnienſis contempſit, dicens: *Non Aulicis, ſed potiùs eccleſiaſticis perſonis eccleſiaſtica ſunt conferenda beneficia. Habet Dominus Rex undè tribuat mercedem ſervientibus ſibi, nec debet Summo Regi famulantes privare proventibus ſuis, ut indè ſervis ſuis provideri poſſet à nobis* (*n*). Si ergò Imperatores, ſi Reges, ſola præpotentia laicali; nullius compotes poteſtatis in rebus eccleſiaſticis, hoc ſibi arrogabant, ut mandata Regalia Eccleſiis prò eorum arbitratu dirigerent, unde beneficia eccleſiaſtica ad viros à sè indicatos perveniret; quid mirum, quod tantundem pręſtaret Papa, eccleſiaſticæ poteſtatis plenitudine roboratus, quâ etiam ex ſeipſo, pleno jure, potuiſſet beneficia ſacra, in toto Orbe conferre? Jure ergò, ritè, & legitimè, Summi Pontifices *mandata* olim Eccleſiis dirigebant, & ea dirigunt etiam diebus noſtris Ordinariis Gallicanis, juxtà conventiones in Concordatis Gallicis compactas (*o*).

22. Prætèr mandata incępit etiam introduci uſus *Apoſtolicarum Reſervationum*; quià nàmque parum commoda, & minùs obvia videbatur proviſio beneficiorum per mandata Ordinariis directa; ſatius exiſtimarunt Pontifices ſibi reſervare Eccleſias, & beneficia, ſub talibus modis, & tempore vacatura; quarum reſervationum fundamenta tunc jacta eſſe cogitat Thomaſſinus, cum cœpit illa inſinuari doctrina, ioquit ipſe (*p*), quam S. Petrus Damiani, nomine Nicolai Papæ II. explicavit, *omnes, ſive Patriarchii cujuslibet apices, ſive Metropoleon primatus, aut Epiſcopatuum Cathedras, vel Eccleſiarum cujuslibet ordinis dignitates, inſtituit Romana Eccleſia* (*q*). Quæ tamen inſinuatio non eſt, neque fuit vox à Romanâ Curiâ excitata, ſed ab Eccleſiâ dudùm etiam ante D. Petri Damiani tempora, celebrata, de quâ Concilium Sveſſionenſe; *Manifeſtum eſt per omnem Italiam, Galliam, & Hiſpaniam, nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos venerabilis Petrus, aut ejus Succeſſores conſtituerunt Sacerdotes* (*r*). Eâque de rè literis diſertiſſimis Clemens Papa VI. ad Eduardum Regem Anglię peroravit (*s*), prout ſupra Sæculo Decimoquarto retulimus.

23. Quoàd *Reſervationes* quoquè longè anteà cunctis innotuit reſervatio, ſivè reſervationis ſpecies, Eccleſię Salonitanę, quam ſibi fecit S. Gregorius, ut ex ejus lite-

(a) *Liberat. in Breviar. cap.* 22.
(b) *S. Gregor. lib.* 3. *epl* 20.
(c) *Anaſtaſ. Bibliothecar. in Sylverio.*
(d) *Cap* 15. 16. 17. & 18. *diſt* 63.
(e) *S. Gregor. Turon. lib* 7. *cap* 31.
(f) *Idem lib* 8. *c.* 20.
(g) *Beda hiſt. Angl. lib* 5. *c.* 20.
(h) *Conſtit. Angl. fol.* 1010.
(i) *Hildeb. Turonenſ. epl* 67.
(l) *Thomaſſin. Vet. & Nov. Eccl. diſcipl. p.* 2. *l.* 1. *c.* 54. *n.* 8.
(m) *Odoric. Raynald. an.* 1299. *n.* 30.
(n) *Card. Baron. an.* 1186. *n.* 18.
(o) *Leo X. Conſtit.* 20 §. 14.
(p) *Thomaſſin. loc. cit. c.* 45. *n.* 11.
(q) *Capit. Omnes* 1. *diſt.* 22.
(r) *Concil. Sveſſionen. an.* 909. *Bin. tom.* 7. *p.* 1. *f.* 170.
(s) *Raynald. an.* 1344. *num.* 58.

Digitized by Google

literis eniteſcit. Scribit enim univerſis Epiſcopis,per Dalmatiam conſtitutis: *Oportuerat quidem fraternitatem veſtram,divini reſpectu judicii, clauſis carnalibus oculis, nihil, quod ad Deum pertinet, à rectâ mentis intentione omittere, nec cujuslibet hominis faciem rectitudini juſtitiæ præponere. Sed poſtquàm mores veſtri ità ſunt ſæcularibus traducti negotiis, ut obliviſcentes omnem Sacerdotalis in vobis honoris tramitem, cunctumque ſuperni metus intuitum, non quid Deo, ſed quid vobis placeat, ſtudeatis explere; neceſſe habuimus hæc ad vos diſtrictiora ſpecialitèr ſcripta tranſmittere: quibus ex B.Petri Principis Apoſtolorum auctoritate, præcipimus, ut nulli penitùs extrà conſenſum, permiſſionemque noſtram, quantùm ad Epiſcopatus ordinationem pertinet, in Salonitanâ Civitate manus præſumatis imponere, nec quemquam in Civitate ipsâ,alitèr quàm diximus, ordinare. Quod ſi contrà hæc quippiam, vel ſponte veſtrâ, vel â quolibet coacti, præſumpſeritis, vel tentaveritis agere; decernimus vos à Dominici Corporis, & Sanguinis participatione privatos, quatenùs ex eâdem vobis ipsâ attrectatione veſtrâ, vel voluntate tranſgrediendæ præceptionis noſtræ, à Cæleſtibus myſteriis alieni ſitis, nec is, quem ordinaveritis, habeatur Epiſcopus. Nos namque nullum, cujus vita reprehendi poteſt, ordinari temerè volumus. Quod ſi Honoratus Diaconus indignus oſtenditur, dè vitâ, moribuſque ejus, qui electus fuerit nobis renuntiari volumus, ut quidquid in hac rè agendum eſt, cum conſenſu noſtro ſalubritèr permittamus impleri. Confidimus enim in Omnipotentem Dominum, quià quantum ad intentionem noſtrum pertinet, nunquàm quod noſtrum gravare poſſit animam, numquàm ſinemus fieri, quod veſtram gravare poſſit Eccleſiam. Sin verò in quâlibet perſonâ ità voluntarius omnium conſenſus acceſſerit, ut auctore Deo, digna ſit, & non ſit,qui ab ejus ordinatione diſſentiat;hanc à vobis in eâdem Salonitanâ Eccleſiâ, ex præſentis epiſtolæ noſtræ conceſſâ licentiâ, volumus conſecrari, exceptâ dumtaxat perſonâ Maximi, de quâ ad nos multa malo perlata ſunt, qui ſi ab appetitu majoris ordinis non ceſſat; reſtat, ut arbitror, quatenùs ſubtilitèr diſcuſſa, ipſo quoque, in quo eſt, officio careat &c.* (*a*). In hac rè tanta fuit D. Gregorii conſtantia, ut Maximum ipſum, etiam literis Imperialibus communitum, conſecratum, & in Salonitanam Sedem inſtallatum, vibratis cénſuris eccleſiaſticis deterruit à conatu (*b*). Nicolaus quoquè Papa I. qui ducentis circitèr annis antè D. Petrum Damiani floruit, quid niſi quandam reſervationem Trevirenſis, & Colonienſis Eccleſiarum fecit, quandò Regi Lothario ſcriptis Apoſtolicis intimavit, *nullum eligi patiaris, antequàm relatum ſuper hoc noſtro Apoſtolatui fiat* (*c*)?

24. Utcumque res sè habeat, beneficiorum eccleſiaſticorum duodecim ſpecies à Juriſconſultis communitèr numerantur (*d*), quæ ſuæ diſpoſitioni quintuplici jure poteſt Pontifex deſtinare, quià quintuplici jure sè illis conferendis poteſt intermiſcere, juxtà doctrinam Melchioris Lotterii, celeberrimi Tractatiſtæ materię de beneficiis: *Romanus*, inquit, *Pontifex beneficia diſſita per totum Orbem, in quibuſvis Diœceſibus, ac Provinciis, quintuplici jure providet: primò, jure concurſus, quatenùs tamquàm Epiſcopus univerſalis, ut viſum eſt, concurrit cum cæteris inferioribus collatoribus. Secundò, jure devoluto, quià videlicèt ex causâ aliquâ, juris conferendi, de inferioribus Collatoribus ad ipſum facta ſit devolutio. Tertiò, jure præventionis, eàm videlicèt præveniendo vacationem beneficii, mandat, eâ ſucedente certæ perſonę conferri, vel etiàm ipſe ex tùnc confert. Quartò, jure reſervationis: Quintò deniquè, ſimplici via juris, cum ſcilicèt ſuggeſtâ ſibi per aliquem vacatione de jure, & occupatione de facto, mandat, vocato intruſo, illum detrudi, & beneficium ipſi ſuggeſtori conferri, de quibus ſingulis, & ſingulorum rationibus hoc libro diſputabimus* (*e*). Quintuplex hoc jus in Pontifice fatentur docti, & pii viri: admittunt omnes Catholicæ Nationes, earumque Supremi Principes, & Monarchæ, cum Orthodoxis Subditis ſuis: mirumque eſt quod illud mordeant, & adversùs illud oblatrent Hæretici, Ætherodoxi, & Scioli illi, qui, *inſipientes, & fatui, doctrinâ vanitatis* falſa effutiunt, *deſpicientes doctrinam eloquii, commutantes*

(a) *S.Gregor. lib.3. epl.15.*

(b) *Idem lib.3.epl.19*

(c) *Cap. porrò 4. diſt.63.*

(d) *Barboſ. Juriſ. Eccleſ. Univerſ. l.3. cap.4.n.47.*

(e) *Lotter. de rè beneſ.l.2.qu.22. n.62.*

tes labium veracium, & doctrinam ſanum auferentes, docentes tandem quę non oportet turpis lucri gratiâ non veritatis amore (*a*).

25. Et quod pertinet *ad Concurſum* Summi Pontificis cum omnibus diſpenſatoribus beneficiorum; hoc dignitatis ejus ſupremæ jus eſt, & prærogativa illi coæva, quę in rebus eccleſiaſticis ab officio Pontificali inſeparabilis eſt, quemadmodùm jus ſupremum in temporalibus rebus eſt ab Imperiali officio indivulſum: tàm Papę namquè, quàm Imperatori hoc competit, ut concurrere poſſint in juriſdictione cum omnibus ſubditis ſuis (*b*). Hujus autem juris Pontificii concurſus cum omnibus Ordinariis in collatione beneficiorum, memoriam facit *Gloſſa in cap. licet 2. de præbendis in 6.* & refertur ad plenitudinem poteſtatis, in Pontifice reſidentis, de quâ inferiùs ex propoſito ſermo erit. Prò certò etenim habetur apud omnes paſſim Doctores, quod Romanus Pontifex, tamquàm ſupremus adminiſtrator rerum Eccleſiæ (*c*), habet *plenitudinem poteſtatis*, & laxas, prorsùs habenas in diſpenſatione beneficiorum (*d*). Quę plenitudo poteſtatis talis eſt, ut nullo modo poſſit imminui (*e*), & ità in Conciliabulo Baſileenſi, ubi omnes moti ſunt làpides ad illam coarctandam; doctiores, ac magìs pii Theologi, & Canoniſtę ſuſtinuerunt, illam eſſe ex ſui naturâ irreſtringibilem: quod & ipſum verbum plenitudinis ex ſe præfert; evanueruntque omnes conatus, inibi adverſus eam concitati (*f*).

26. Tantaque, & talis eſt ipſius plenitudo poteſtatis, ut quamvis per Regulas Cancellarię, & Concordata cum Nationibus inita, fuerit certis limitibus circumſepta, adhuc tamèn, ſi pręſcindatur à promiſſione, prę ſertim juramento vallatâ, quâ Summus Pontifex devincitur (*g*), poteſtas ipſa, quantùm in sè eſt, non eſt coarctabilis, nec debet ullis limitibus circumcludi, niſi quatenùs de congruo, & de honeſtate, ad ſervandam publicam pacem expedit, pacta inita obſervari, & ità poſt concordata Germanica ſcripſit Calliſtus Papa III. Hiſpanus Friderico III. Imperatori: *Quamvis liberrima ſit Apoſtolicæ Sedis auctoritas, nulliſque debeat pactionum vinculis coerceri; ex merâ tamèn liberalitate noſtrâ, ex zelo, quem gerimus ad pacem, ex charitate quâ tè, tuamque Nationem proſequimur, Concordatis ipſis locum eſſe voluimus, nec patiemur ea temerè violari* (*h*). Et ideò non deſunt, qui affirment, de rigore, poſſe Papam, præſertim ex juſtâ causâ, deſilire etiam à Concordatis, initis intèr Sedem Apoſtolicam, & Nationes aliquas, in materiâ beneficiali (*i*), prout fecerunt diverſimodè à Concordatis Germanicis Nicolaus PP.V., & Calliſtus III. favore Fiderici III. tùnc Germanorum Imperatoris (*l*). Cæterùm quod Papa in beneficiorum diſpenſatione concurrere poſſit cum omnibus Collatorbis, jàm eſt inconcuſſus ſenſus Doctorum omnium Nationum, & ità pleno calamo docent ex *Germanis*, Ludovicus Engel (*m*), ex *Hiſpanis*, Nicolaus Garcia (*n*), ex *Luſitanis*, Auguſtinus Barboſa (*o*), ex *Neapolitanis*, Camillus Borellus (*p*), ex *Mediolanenſibus*, Philippus Decius (*q*), ex *Gallis* Petrus Rebuffus (*r*), & ſic de aliis.

27. Quoàd *Præventionem*, ſivè Jus, quod habet Pontifex præveniendi omnes Ordinarios Collatores in largitione beneficiorum; hoc pariter eſt jus inſitum dignitati Pontificiæ, atque ab eâ indiviſibile, ratione ſupremæ poteſtatis, quam habet Romanus Pontifex adminiſtrandi omnia bona totius Eccleſiæ. Quod jus præventionis, ſaltèm à tàm antiquo tempore incæpit ad effectum perduci, à quanto incæperunt dirigi per Papam Ordinariis mandata Apoſtolica, de quibus factus eſt ſermo. Quid enim in ſubſtantiâ ſunt ipſa mandata Apoſtolica, niſi præventio Pontificia in largitione beneficiorum; vel imago, & ſimilitudo, non multum diſſonans à tali prototypo (*s*)? Porrò de hoc jure Alteſerra, opportunè ad *Clementinam ſi duobus, 1. ut lit. penden*; (ubi ſalvatur jus Romani Pontificis, quoàd plenitudinem poteſtatis diſponendi de omnibus beneficiis) ait: *ex hac conſtitutione, & dicto cap. 2. de præbendis in 6. per præventionem &c. Romanus Pontifex concurrit cum omnibus Ordinariis, & jure præventionis habet collationem omnium beneficiorum cap. ſi à ſede de præbend. in 6. cap. quià diverſitatem. de conceſ. præbend.* Pariter Con-

(a) *Eccl. cap. 10. n. 8. Proverb. 23. n. 9. Job. cap. 12. n. 30. Tit. cap. 1. n. 11.*

(b) *Borel ſum. deciſ. tit. 41. n. 241.*

(c) *S. Thom. 2. 2. qu. 100. ar. 1. ad 7. & in 2. Corint. 11. lec. 2. & in Philip. 4. lec. 2.*

(d) *S. Thom opuſc. 2. à cap. 64. ad 69. Decius in C. cognoſcentes lec. 2. de Conſtit. n. 42. Lotter. de beneſ. l. 2. qu. 12. n. 22.*

(e) *Azor. inſt. mor. p. 2. l. 6. c. 34. qu. 2. Lotter loc. cit. n. 23.*

(f) *Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſcipl. p. 2. l. 1. c. 45. n. 1.*

(g) *Decius in cap. canonum n. 13. de Conſtit. 1. Barboſ. jur. Eccleſ. univ. l. 3. c. 2. n. 136*

(h) *Calliſt. III. ap. Æneam. Sylvium epi. 89.*

(i) *Diana p. 5. tr. 5. reſ. 14. del Bene de Immun. to. 1. c. 9. dub. 6. ſec. 6. n. 10. & 34.*

(l) *Vid. Conrad Oliſgennunde primar. precibus § 39 in fine, & § 40.*

(m) *Engel. Colleg. Juriſ. p. 2. l. 3. tit. 35. § 1. n. 7.*

(n) *Garcia de beneſ. p. 5. c. 1. n. 8.*

(o) *Barboſ. de off. & pot. Epiſcopi alleg. 57. n. 13.*

(p) *Borel. ſum. dec. to. 1. tit. 20. n. 303. & tit. 41. n. 241.*

(q) *Decius in cap. canonum lec. 1. de Conſt. n. 15.*

(r) *Rebuff prax beneſ. de Devol. n. 47.*

(s) *Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſcipl. p. 1. l. 1. c. 47. n. 2.*

Conciliabulum Baſileenſe, quod totis viribus in id intendit, ut Poteſtatem Summi Pontificis in beneficiis conferendis attenuaret; attamèn jus præventionis, de quo loquimur, expungere non eſt auſum (*a*). Demùm hoc ipſum jus locum habet in cunctis orbis Regionibus, ut audivimus in Germaniâ, Galliâ, Hiſpaniâ, Poloniâ, Italiâ, aliiſque partibus Chriſtianitatis Catholicę: jamquè eſt commune in ore omnium Doctorum veluti proloquium, quod Papa in collatione omnium beneficiorum, cunctos Ordinarios poteſt liberè prævenire (*b*).

28. De hujuſmodi jure præventionis ità ſentit Feuretus, *ſi ingenuè fari liceat, nunquàm antiquis Conciliorum decretis damnatas fuiſſe proviſiones Romæ factas ex Concurſu, vel Præventione. Quamquàm enim faverint Ordinariis, legitimo jure nixis, ad conferendum in proprio cujuſque territorio; non tamèn decerpſerunt quidquam de jure Pontificis, qui ſuperior, & caput eſt. Ideò nec S. Ludovici pragmatica Præventiones obliterat, ſed beneficia ab Ordinariis conferri jubet, juxtà Decreta, & Canonicas Sanctiones, quibus etiàm conſtabilitur ſuperior, & ſpiritalis poteſtas Papæ. Nèc ipſa Caroli VII. Pragmatica Præventiones revocat: nec enim id poterat illa quidèm, ſed Conventus tantum id proponit inſtar conſilii, ut ea revocatio poſcatur à Concilio Baſileenſi, ut in Pragmaticę Gloſſâ animadverſum eſt. Dat Congregatio adviſamentum ad impetrandam ſuper hoc proviſionem à Concilio, ſed nil diſponit.* Hæc Feuretus: addens quod edictum Aurelianenſe articulo 22. obſiſtens proviſionibus Romæ impetratis jure præventionis, à Carolo IX. Rege Galliæ fuit ſucceſſivè ſublatum (*c*). Igitur Summus Pontifex ubilibet de beneficiis eccleſiaſticis, præveniendo diſponit, etiam in menſibus aliàs ad Ordinarios pertinentibus (*d*), ex eâ ratione, quam ſuper hoc allegant Doctores: nempè quod præveniendo Pontifex non facit Ordinariis injuriam, nec quidquam eis detrahit, ſed ſolum exercet ſuam facultatem, & utitur jure ſuo (*e*).

29. Et ratio rationis eſt, quia poteſtas diſpoſitiva omnium beneficiorum in Pontifice eſt abſoluta, & ſuprema; in Ordinariis verò eſt ſubalterna, & participata, & prò tali proponitur ab Innocentio Papâ III., dùm de eâ ſic effatur. *Nè plenitudo eccleſiaſticæ juriſdictionis in plures diſpenſata vileſceret, ſed in uno potiùs collata vigeret &c. Romana Eccleſia, retentâ ſibi plenitudine poteſtatis, ad implendum laudabiliùs officium paſtorale, multos in partem ſollicitudinis evocavit, ſic ſuum diſpenſans onus in alios, & honorem, ut nihil ſuo juri ſubtraheret, nec juriſdictionem ſuam in aliquo minueret* (*f*). Et ità juriſdictio Ordinariorum prò conferendis eccleſiaſticis beneficiis, non eſt in eis originariè, ſed participatè: defluit enim in eos à Pontifice, velut à capite in membra, eo modo, quo in eos defluit juriſdictio quoàd alia, uti docent communitèr, & Scripturæ Interpretes, & Canoniſtæ, & Theologi (*g*). In quo ſenſu, inquit Rota Romana, coram Remboldo Teutonico; quod *in primitivo tempore tota collatio fuit Papę, quam poſteà communicavit Epiſcopis* (*h*), & Ludovicus Engel paritèr Teutonicus, ait, *primitùs omnia beneficia ſolus Papa conferebat: poſteà verò, dilatatâ Eccleſiâ, in partem ſollicitudinis vocavit Epiſcopos, iiſque poteſtatem conferendi beneficia ſuarum Diœceſum communicavit, ſub eâ tamèn moderatione, ut ſemper penès ipſum Papam major, & ſuperior poteſtas remaneret* (*i*). Quarè licet apud Ordinarios reſideat facultas diſponendi de beneficiis, quæ ſunt in eorum territorio conſtituta; major tamèn, & inabdicabilis ſuper illis juriſdictio reſidet in Pontifice (*l*), qui facultatem diſponendi de beneficiis Ordinariis contulit, non privativè, ſed cumulativè (*m*). Et proptereà poteſt præveniendo conferre omnia beneficia, quę poteſt Ordinarius elargiri.

30. Non quod ſit in libertate Pontificis irrationabilitèr, & effrenatè omnia beneficia, ad Ordinarios pertinentia, occupare, & ea improvidè prò ſuo libito diſpenſando, ipſos Ordinarios omni jure collativo nudare; ſed quod utendo clave diſcretionis non errante, tunc poteſt Ordinarios prevenire, & beneficia conferre, cum Eccleſiæ utilitati, & rectæ rationi, ità comperit expedire: cuſtoditâ ſemper in mente aureâ illâ advertentiâ Calliſti Papę III. ad Fridericum III. Imperatorem,

novi-

(a) *Concil. Baſil. ſeſſ. 21. de Collat. §. Item circa.*

(b) *Borell. ſum decis. to. 1. tit. 10. n. 323.*

(c) *Feuret. lib. 1. de l'Abuſ.*

(d) *Garcia de benef. p 5. c. 1. n 9 Borel. loc. cit. Lotter. l. 2. qu. 22. n 27.*

(e) *Rot p 4. rec. tom. 2. dec 172. nu 39. Lotter. loc. cit. n. 29.*

(f) *Innoc. III. regeſt. 13 epl 9. regeſt. 14 epl. 32. regeſt. 15 epl. 22.*

(g) *Bellarmin. de Pont. f. l. 5. c. 24 Cornel. à Lap. in Matthei 15 num 19 § explicat. Barboſ Jur. Eccleſ. univ l 1 ca num 129.*

(h) *Rota to 2. p. 4. recen dec 172. n. 38.*

(i) *Engel. Colleg. Jur. p. 2. l. 3. tit. 25. n. 7. §. ad rem.*

(l) *C. dudum §. 9. de præb. in 6. Rota p. 4. to. 2 rec. dec. 172. num 40. Seraph dec. 1188. n. 1. Lotter. l. 2. qu 22. n. 26. 28 Gonzal. ad reg. 8. Canc §. 1 proem. nu. 1.*

(m) *Germon. de indult. Cardin. §. per quæ n 81.*

novimus quid Epiſcopis liceat, quid officio Summi Sacerdotis incumbat, nequè cordi noſtro quidquam tenaciùs hæret, quam ità ſacros Canones obſervare, ut idonei miniſteriorum Dei diſpenſatores inveniamur (a). Papę etenim, cui cęlitus datum eſt confirmare fratres ſuos (b), incumbit munus etiam Epiſcopos non deprimendi, ſed honorandi: ratus in ſe veracitèr redundare quidquid honoris eis impertit. Et ità bene D. Leo Magnus, aureo eſt ſuo eloquio prolocutus, *multum Sacerdotalis officii meritum ſplendeſcit, ubi ſic ſummorum ſervatur auctoritas, ut in ullo inferiorum putetur imminuta libertas* (c). Et effuſiùs adhùc D. Gregorius, *honorem eſſe non deputo, in quo fratres meos honorem ſuum perdere cognoſco. Meus nàmque honor eſt honor univerſalis Eccleſiæ, meus honor eſt fratrum meorum ſolidus vigor. Tunc ego verè honoratus ſum, cum ſingulis quibuſque honor debitus non negatur* (d). Et ideo quantumvis Pontifex aliqua de plenitudine ſuæ poteſtatis valeat exercere; ab eis nihilominùs abſtinet, ut honore Epiſcopos proſequatur (e), ſinè quo ipſi vileſcerent, & apud proprios ſubditos in contemptu miſerabili ponerentur.

31. Nunc de *Jure devolutionis* aliqua proferamus. Cum eccleſiaſtica beneficia intrà tempus à jure præfixum non conferuntur, quod olim trium menſium fuit (f), & ſucceſſive ad ſex menſium eſt periodum dilatatum (g), tunc fit devolutio ad Superiorem, aſcendendo gradatìm uſque ad Papam. *Circà modum tranſitus*, inquit Lotterius, *eſt ut gradatìm fiat, non per ſaltus: undè poſito quod Capitulum, aut alius ab Epiſcopo inferior, collator negligat per tempus legitimum conferre, præterquàm ſi ſit exemptus, non illicò fit devolutio ad Sedem Apoſtolicam, ſed ad immediatum Superiorem Collatorem, videlicet Epiſcopum, qui etiàm habet alios ſex menſes: & eo negligente, collatio devolvitur ad Metropolitanum, qui habet alios ſex menſes: & eo non conferente devolvitur ad Patriarcham: & eo demùm etiàm negligente, devolvitur tandèm collatio ad Papam* (h). Et infrà, *de Papà autem, quod poſſit cum quovis inferiore in caſu devolutionis concurrere, etiàm in articulo juris devoluti, eſt extrà omnem difficultatem* (i). Jus *devolutionis*, vel quamdam ejus ſpeciem, primò legimus memoratam in Concilio Carthaginenſi V. celebrato circà annum Chriſti 398., ubi interdicitur Interceſſori, ſeù Epiſcopo Viſitatori, ne ultrà annum permittat protrahi electionem novi Antiſtitis in Eccleſiâ vacante: *Quod ſi neglexerit, anno exempto, Interventor alius tribuatur* (l). Hujuſmodi jure devolutionis uſus eſt aliquandò S. Gregorius, cum Eccleſiis longo tempore viduatis, ipſe ex ſemetipſo, citrà formam electionis Canonicæ, Antiſtites deſignavit, uti quando Opportunum in Eccleſiâ Aprutienſi locavit (m), cum Martinum in Alerienſi (n), & cum aliis Eccleſiis Prælatos, quandò hoc jure uti voluit, ex ſe ipſo præfecit miſerabili ponerentur.

32. Confert ad antiquitatem juris devolutionis beneficiorum, ſanctio Juſtiniani, ſic diſponens, *ſi verò qui debent Epiſcopum eligere, ipſa decreta intrà ſex menſes non faciant, tunc periculo propriæ animæ, ille, quem competit ordinare, Epiſcopum ordinet* (o). Adverſus Clerum, & populum Bellovacenſes, ob non factam in tempore ſui Præſulis electionem altè clamavit Hincmarus Remenſis, & locum eſſe devolutioni, ipſoſque perdidiſſe jus electionis prò illâ vice (p). Ex antiquis Formulis apud Sirmondum conſtat, quod ſi electio minùs rectè intrà debitum tempus facta non fuiſſet, devolvebatur ad Principem poteſtas accerſendi undecumque virum, viduatæ Eccleſię præficiendum (q). Petrus Rotomagenſis Archiepiſcopus, devolutâ ad ſe collatione Eccleſiæ Ebroicenſis, illam contulit Joanni de Curiâ Decano Turonenſi (r). Alia de jure devolutionis, etiam antiquis temporibus ad effectum perducto, ſuprà retulimus, quò remittimus benignum Lectorem (s). S. Anſelmus Cantuarienſis Thomę electo Eboracenſi jus devolutionis formiter intimavit, niſi intrà trimeſtre conſecrationem acciperet: *Quod ſi non feceritis*, inquit, *ad me pertinet, ut ego curam habeam, & faciam, quæ pertinent ae Epiſcopale officium in Eboracenſi Archiepiſcopatu* (t). S. Celeſtinus Papa V. jure devolutionis uſus eſt, Landavienſi Eccleſię Epiſcopum, operâ Archiepiſcopi Cantua-

(a) *Calliſt. III. ep. Æneam Sylvium epl.* 89.
(b) *Lucæ cap.* 22. *n.* 32.
(c) *S. Leo epl.* 67. *ad Theodoric.*
(d) *S. Gregor. lib.* 7. *epl.* 30.
(e) *Vide ſuprà tomo* 1. *Sæcul.* 5. *cap.* 10. *n.* 17.
(f) *Cap. poſtquam, & ibi gloſ. diſ.* 50. *cap. quoniam* 2. *diſt.* 75.
(g) *Cap.* 2. *& cum verè de Conceſ. præbend.*
(h) *Lotter. de re beneſ. l.* 2 *qu.* 24. *n.* 43. *Fagnan. in c. nulla n.* 34. *de præbend. ub.* 3.
(i) *Lotter. ubi ſupr. n.* 67.
(l) *Concil. Carthag. V. c.* 8.
(m) *S. Gregor lib.* 10. *epl.* 13.
(n) *Idem lib.* 3. *epl.* 79.
(o) *Juſtinian. Novel.* 123. *cap.* 1.
(p) *Hincmar. Remenſ. tom.* 2 *f.* 189.
(q) *Formul.* 6 *apud Sirmond. to.* 3. *Concil Galliæ f.* 645.
(r) *Inter Concilia Rotomagenſia ap. Franciſc. Pommeraye fol.* 349.
(s) *Vide ſuprà tom.* 1 *ſæcul.* 9 *cap.* 24. *nu.* 17.
(t) *S. Anſelm. epl.* 149

tuarienſis auctoritate Apoſtolicâ præficiendo (*a*). Demùm in Conciliis Lateranenſibus tertio, & quarto præcipitur, ut ſi beneficia Epiſcopalia intrà trimeſtre, & alia beneficia inferiora intrà ſex menſes, abillis, ad quos pertinet, non provideantur, fiat eorum devolutio ad Superiores inibi deſignatos (*b*). Vide quam antiqua ſit in Eccleſiâ Dei methodus devolutionis beneficiorum ad Superiorem, propter non rite factam eorum proviſionem intrà tempus, à ſacris Canonibus conſtitutum: Et quomodò eâ uti conſueverint, nedùm Papæ, ſed etiam alii Superiores, ad quos eaſdem devolutiones fieri contigit aliquandò.

33. Devolutio autem hæc fit de cunctis generalitèr beneficiis, tàm altioris, quam inferioris ordinis, & ità locum habet in Epiſcopatibus, & in Abbatiis (*c*), nec non in omnibus aliis dignitatibus, officiis, & præbendis, ac generaliter in cunctis muneribus eccleſiaſticis, quę rationem habeant beneficii, per viam electionis, vel per viam liberę Collationis, aut per viam Nominationis diſpenſandi (*d*): Dummodò tamen is, ad quem ſpectat eligere, nominare, vel conferre aliquo impedimento Canonico non laboret, ſeu aliquâ impotentiâ juris, vel facti, per quam reddatur ad conferendum, vel nominandum impeditus (*e*). Cur autem præfixus ſit terminus ſex menſium ad faciendam devolutionem beneficiorum inferiorum, & tres tantum ad Epiſcopalium devolutionem; *ea fuiſſe jure videtur cauſa diſcriminis, quod dùm viduata mæret Epiſcopalis Eccleſia, imminent Eccleſiis omnibus Diœceſeos periculoſiſſimæ quædam procellæ, quibus obviam iri quam primum neceſſe ſit. Capite toto. Nè pro defectu* (*f*), *abundè proditur, eam fuiſſe certiſſimam cauſam hujus Conſtitutionis* (*g*). Habet ergò hìc Lector antiquitatem hujuſmodi Juris *Devolutionis*, ac Pontificum, doctrinâ, & ſanctitate celebrium exempla, qui Jure ipſo uſi ſunt: ut hinc abundè cognoſcat, quali, & quam notabili fundamento innitatur Papa, ſi quando jure devolotionis alicubi conferat eccleſiaſtica beneficia: ritè enim, rectè, & legitimè id facit (*h*). Quamquàm raró beneficiis hoc modo manum apponat, niſi in quibuſdam caſibus, de quibus Doctores (*i*).

(a) *Conſtit. Anglia f. 576.*

(b) Concil. *Later. III. c. 1 & 8. Concil. Later. IV. c. 23.*

(c) *Fagnan in c nulla 2. n 31. de Conceſſ præbend.*

(d) *Idem loco citato num 30.*

(e) *Vid. Jura & Doct. ap Fagnan. d cap. nulla num 33. de Conceſſ. Præbend.*

(f) *Cap ne pro defectu de election.*

(g) *Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſcipl. p 2. l. 2. c. 31. n. 5.*

(h) *Garcia de benef. p. 10. c 3 nu. 30. Rebuf. prax benef. tit. de devol n. 49.*

(i) *Lotter. de re benef. l. 2. qu. 24. n. 68.*

C A P U T XXIV.

***In quo continuatur Materia Capituli præcedentis*: *Agiturque de* Regulis Cancellariæ *Apoſtolicæ*: *De* Concordatis *intèr Sanctam Sedem*, *& aliquas Nationes* : *atque de* Primis precibus , *quas dat Imperator Eccleſiis Germaniæ*.**

S U M M A R I U M.

1 Regulæ Cancellariæ *Apoſtolicæ jàm à 400. annis vigent, & ceſſant cum morte Pontificis, donèc novus Papa eas reaſſumat.*

2 *Iſtæ regulæ in foro fori ligant: An ſint odioſæ, vel favorabiles, alii affirmant, alii negant. Quid ex primis Precibus inferatur?*

3 *Dederunt cauſam hii reſervationibus ſimoniæ, contentiones, ipſique Principes, rogantes Papam interdùm, ut ſibi Eccleſias reſervaret.*

4 *Fuit ſemper magnus concurſus Clericorum ad Aulam Pontificiam: qui ſub Clemente VI. aſcenderunt ad centum millia.*

5 *Petrus Alliacenſis, juſtas eſſe oſtendit has reſervationes, & nè tollerentur, Càrdinalis Carvajal fortitèr obſtitit tempore Pauli PP. II.*

6 *Poſt regulas Cancellariæ ſupervenerunt* Concordata *intèr Sedem Apoſtolicam, & aliquas Nationes: illaque bonum eſt obſervari.*

7 *Cuncta beneficia, vel conferuntur pleno jure, ac liberè, à Superiore, vel ad præſentationem patroni. Laicus beneficia conferre non poteſt.*

8 *Centiès in Conciliis vetitum fuit, ne laici beneficia conferrent. Diſſidià inter Papas, & Imperatores circà inveſtituras beneficiorum magna fuerunt.*

9 *Antiquitàs miniſterialitèr aliqui Reges beneficia conferebant. Quæ privilegia, uti perſonalia, vel gentilitia, evanuerunt.*

10 *Rex Neapolis confert quaſdam præbendas, vicè Apoſtolicà, in Eccleſià Luceriæ, & ad alias idoneos Clericos Epiſcopo præſentat.*

11 *Olim promiſcuè ſumebantur conceſſio, donatio, collatio, inſtitutio, nominatio, quæ poſteà voces diſtinctæ exactiùs fuerunt.*

12 *Rex Franciæ confert quædam beneficia, ſuper quà rè olim valdè altercarunt Bonifacius Papa VIII. & Philippus Pulcher Rex Gallorum.*

13 *An S. Ludovicus Rex, ut contendebat Pulcher, verè beneficia conferret beneficia, vel ſolum ad ea preſentaret jure patronatus?*

14 *Solà conſuetudine non poteſt laicus beneficia conferre. Vi verò privilegii Apoſtolici laicus, imò & fœmina conferre poteſt beneficia.*

15 *Cujus privilegii ſufficit fama, juncta conſuetudini. Papæ variis Regibus Francorum privilegia contulerunt circà beneficia.*

16 *Res plena periculi eſt beneficia conferre. Rex Franciæ ex privilegio Apoſtolicò confert quædam beneficia. Simile quid de Henrico III. Imperatore.*

17 *Juſpatronatus triplex eſt, eccleſiaſticum, laicale, & mixtum. Juriſpatronatus eccleſiaſtici, & laicalis vetuſtiores memoriæ indicantur.*

18 *Fundatores beneficiorum olim habebant ſolum* aditum proceſſionis. *Concilium verò Toletanum IX. ipſis dedit juſpatronatus ad vitam.*

19 *Dein-*

19 *Deindè incæpit juſpatronatus omnibus fundatoribus, ac dotatoribus beneficiorum, id poſtulantibus, reſervari, ex pluribus cauſis.*

20 *In Magnatibus non præſumitur fundatio beneficiorum, Concilia vetant, ne quis beneficia dè manu laicorum accipiat.*

21 *Oſtenditur quod uſque ad Martinum V. Eugenium IV. & Pium II. Epiſcopalia beneficia nullibi ſuberant juri patronatus.*

22 *Reges* Galliç, *&* Hiſpaniæ *habent juſpatronatus in Epiſcopatibus, & Abbatiis Conſiſtorialibus ſuorum Regnorum. Quid fiat in Regno* Neapolitano?

23 *Alii quoque Reges Catholici nunc nominant Epiſcopos ad Eccleſias ſuorum Regnorum. An id faciant jure patronatus, vel per viam ſupplicationis?*

24 *An aliqui Principes jus patronatus habeant, quia Cathedrales dotaverint, vel eripuerint de manibus Infidelium?*

25 *Juſpatronatus in præfatis Regibus eſt ex privilegio Apoſtolico. Rex Neapolis habet juſpatronatus in 24. Cathedralibus.*

26 *Recenſentur tres cauſæ, proptèr quas Summi Pontifices conceſſerunt, ut Reges nominarent Præſules præficiendos Eccleſiis.*

27 *In Germaniâ Epiſcopatus providentur per viam electionis Canonicæ. Imperator dat Collatoribus beneficiorum* Primas Preces: *& quid hæ importent?*

28 *Docet Ludovicus Engel de primis precibus, quomodò, qualitèr, & quç beneficia complectantur, & quid fiat cum renitentibus.*

29 *Indicantur alii Canoniſtæ, memorantes hoc indultum, à variis Papis conceſſum: Non habet locum in Terris Italiæ, quibus præſit Imperator.*

30 *Corradus Oligenius nupèr de hac rè doctiſſimè ſcripſit. Aliqui etiam Reges olim prçces ſimiles porrigebant: quod dum fit collatio ab Eccleſiâ completur.*

1. SED jàm à juſtificandis individualitèr modis, & cauſis, propter quas Papa Eccleſiaſtica beneficia per totam Chriſtianitatem Catholicam dilargitur, deſiſtamus; cum ipſa antiquitas *Regularum Cancellariç* Apoſtolicæ, prò fundamento, & ratione fundatiſſimâ exuberet: jàm etenim à quadringentis annis vigent, in ſcriptis redactç, ubilibet admiſſæ, obſervatæ, commentatæ, ac laudatæ. Qui ſanè quadringentenarius tractus tàm immenſum temporis ſpatium in sè continet, ut favore Summi Pontificis pluſquàm juſtum titulum fundet beneficia conferendi, quandò in inferioribus Collatoribus, beneficia per decem annos, & minus adhùc ſpatium temporis contuliſſe, ſufficit, ut ab eis beneficia dicantur legitimè diſpenſari: adeò ut etiam ultimus ſtatus Collationis legitimè ſemel factæ, ſufficiat, ut alicui competere dicatur jus beneficia eccleſiaſtica conferendi (*a*). Et ſi omnis alia ratio deſit, ſola conſuetudo conferendi beneficia in Clericis, capacibus juris eadem conferendi, eſt probatio ſufficiens prò eodem jure firmitèr ſuſtinendo (*b*). Porrò ab initio, Reſervationum Apoſtolicarum nulla erat lex in ſcriptis redacta. Nàm ut ait Ludovicus Gomez, Apoſtolicç *Cancellariç negotia, tùnc non Regulis, ſed vivæ vocis mandato, & ſtylo regebantur* (*c*). Ipſe tamen ſtylus, ſeu conſuetudo, quâ in beneficiorum diſtributione utebatur Romana Curia, faciebat jus commune (*d*). Joannes autem Papa XXII. incçpit has Reſervationes Regulis deſignatis diſponere, quas alii ſucceſſivè Pontifices auxerunt, declararunt, moderati ſunt, & in meliorem formam aptarunt, prout Eccleſiæ ſtatui magis expedire cenſuerunt; hæcque vocantur *Regulæ Cancellariæ*, quarum natura eſt, ut quilibet Pontifex in craſtinum aſſumptionis ſuæ edat, toto Pontificatus ſui tempore ducturas, ità *ut cum morte Pontificis expirent, & nullam vim habeant Sede Papali vacante*, nec reviviſcant, donèc novus Pontifex eaſdem renovet, ac reaſſumat (*e*).

2. Eaſdem Regulas Cancellariç nulli dubium eſt, quod in foro fori cunctos obligant ad earum obſervationem (*f*). Quoàd forum verò conſcientiæ, res non tam

(a) *Seraphin. deciſ. 337. nu. 4. & dec 799. num. 4.*

(b) *Seraph. dec. 1081. num. 2.*

(c) *Gomez. ad Regul. Canc. in proæm. qu. 1. num 2.*

(d) *Gloſ. in c. licet de præbend. in 6. poſt. caſum.*

(e) *Engel. Colleg. Jur. canon. p. 1. in proæm. num. 15.*

(f) *Gomez. loc. citat. quæſt. 2.*

tam clara videtur: multi etenim multa loquuntur. Leſſius tamquàm probabile judicat, ipſas non obligare, ex pluribus rationibus, quas conſarcinat (*a*). Joſeph Rocafullus abſolutè ſentit eas in foro conſcientiæ non obligare (*b*). E contrà Tondutus liberè affirmat, *Regulæ Cancellariæ, extractæ ex rationibus Juris Naturalis, Civilis, vel Canonici, habent vim legis, & ligant omnes (ſicut ratio legis, etiam ſi non ſit regula) & ſunt ſervandæ, & omnes ligant* (*c*). In hac opinionum ambiguitate, ſentiat eruditus Lector ut liber; & ſi placet legat Dianam, fusè quæſtionem hanc differentem (*d*). Unum hic nos non omittimus adnotare, Doctores in eâ firmitèr opinione verſari, quod reſervationes generales in Regulis Cancellariæ contentæ, non ſint odioſæ, ſed favorabiles (*e*). Et certè de illis ità proloquitur Anaſtaſius Germonius Pedemontanus, *hujuſmodi menſium partitio, facta per regulas, faciem habet honeſti; conveniens enim, & rationi conſonum videtur, quod Beatiſſimus Papa, cum ſit dominus, & creator beneficiorum, & habeat pleniſſimam poteſtatem in omnibus, quæ ſub Cœlo ſunt &c. ſex menſes, & alia beneficia affecta, & reſervata ſuæ diſpoſitioni valeat reſervare* (*f*). Clariùs adhuc effatur Rota Romana coram Remboldo Germano, citans prò ſe varios Doctores, & aſſeverans, *quandò reſervatio eſt per viam legis generalis, ubi principalis intentio Papæ eſt, ut providere valeat pauperibus Clericis, & perſonis benemeritis, Romanam Curiam ſequentibus, tùnc reſervationes judicantur favorabiles, non habito reſpectu ad incidens præjudicium Ordinariorum* (*g*). Non deſunt tamèn Doctores contrarium ſentientes, quos cumulat Gonzalez (*h*). Sed ſicut aſſeritur, quod ſit favorabile privilegium, quo præditus eſt Romanorum Imperator, ut ad ejus petitionem in quâlibet Eccleſiâ Germaniæ unus Clericus ad beneficium eccleſiaſticum recipiatur (*i*); Ità etiam dici benè poterit, quod reſervationes Pontificiæ debeant favorabiles appellari.

3. Si quæratur undè originem habuerint, & quæ fuerint cauſæ introductionis Reſervationum Apoſtolicarum; dicimus has fuiſſe perplures. Et *prima* cauſa fuerunt ingentes, & creberrimæ ſimoniæ, per quas tùm Electorum, tùm eorum, qui in Aulâ Principum antiquitus potentiâ præpollabant, commendationes, & ſuffragia velut ad nundinas ponebantur, de quibus ſuprà ſermo uberio rfactus eſt (*l*): ut enim occurreretur tot pactionibus, mercimoniis, & ſimoniacis tractatibus, ſimulque jurgiis, & contentionibus, atque abuſui laicalis poteſtatis, quæ tùnc in beneficiorum diſpenſationibus accidebant; viſum eſt, nullum melius eis opponi poſſe remedium, quàm ſi poteſtas diſpenſationis ipſorum beneficiorum addiceretur perſonæ, quæ in brachio forti, & manu extentâ, poſſet abuſiones iſtas evellere. Et ità Pontifices beneficia, hujuſmodi exceſſibus magis expoſita, ſibi reſervarunt, vel liberè conferenda, vel reſpectivè ad votum, ſive ad præſentationem Principum diſpenſanda. *Secunda* cauſa fuerunt inſtantiæ Principum, qui optantes beneficia aliqua conferri Clericis ſibi gratis ab Ordinariis Collatoribus, vel ſatagentes nè Clericis ſibi odioſis, & ſuſpectis obtingerent; nec id alitèr obtinere valentes, interpellabant Romanum Pontificem, ut ſibi beneficia quędam reſervaret, quæ poſteà Clericis, ipſis Regibus acceptis, porrigerentur, eo modo, quo ſuprà de mandatis Apoſtolicis dictum eſt (*m*). Conſtat hoc evidentèr ex epiſtolâ Clementis Papæ VI. ad Regem Angliæ, in quâ diſertè profitetur, ſe quaſdam beneficiorum reſervationes feciſſe, intuitu ipſius Regis, *magnitudinem tuam*, inquit, *latere non credimus, nec à tuâ memoriâ excidiſſe, quod nobis prò reſervationibus inibi faciendis aliquibus feceris ſupplicari* (*n*). Carolus VII. Rex Galliæ procuravit, ut Calliſtus Papa III. ſibi reſervaret Epiſcopatum Tornacenſem, nè ibi Præſul alius præficeretur, quam aliquis ſibi, Domino directo illius loci, apprimè acceptus (*o*). Reſervationes in Siciliâ invectæ ſunt, ut conſuleretur Regibus lineæ Carolinæ: nimirùm ut beneficiarii eiſdem faventes adversùs hoſtes Regios Eccleſiis præficerentur (*p*). In reſervandis ſibi beneficiis apud Gallos Joannes Papa XXII. valdè fimbrias dilatavit, quià id Regi, Reginæque, ac Delphino gratum fuit: ut eis modus ineſſet gratificandi Clericis ſibi magis acceptis (*q*). Idem eveniſſe in aliis Regionibus non ambigimus.

4. Ter-

(a) *Leſſ. in Auctar. Caſ. Conſc. poſt p. 2. D. Tho. V beneficiū caſ. 3. num. 5.*
(b) *Rocaful. prax. Theol. Mor. p. 3. tom. 1. l. 3. ſect. 1. c. 6. n. 43*
(c) *Tondut. quæſt. Legal. cap. 109. n. 13*
(d) *Diana par. 10 tr. 15. reſ. 7*
(e) *Lotter. de rè benef. l. 2. qu. 26. n. 19*
(f) *Germon. de Indult. Cardin. 9 per quæ n. 78*
(g) *Rot. to. 2. p. 9. rec. dec. 172. n. 36*
(h) *Gonzal ad Regul. Cancel. reg. de Menſibus § 6. proœm. n. 6*
(i) *Lotter. l. 1. qu. 6 num. 48*
(l) *Vid ſuprà cap. 12 in hoc tomo*
(m) *Vide ſuprà cap. præced n. 17 in fine*
(n) *Odoric. Raynald. an. 1344. n. 57*
(o) *Æneas Sylvius epl 375*
(p) *Thomaſſin. Vet. & nov Eccl. diſc. p. 2. l. 2 c. 37. n. 4*
(q) *Idem p. 2. l. 1. c. 49 n. 3. §. At*

4. Tertia *cauſa* fuit ingens concurſus Clericorum ad Aulam Pontificiam, adeò exuberans, ut ad Clementem Papam VI. *centum millia* eorum hinc indè confluendo adproperaverint (*a*), de quibus Auctor Magni Chronici Belgici; *Avenionem tanta confluxit multitudo Clericorum, qui, ut pauperes beneficia impetrare voluerunt, ut numerus tùnc in examinationibus Diœceſum per univerſum orbem computatus eſſet ad centum millia Clericorum, ut ego perſonalitèr ibidem conſtitutus ex veridicorum relatione intellexi* (*b*). Conſiderabatur in eis, vel inopia; eo quod beneficio eccleſiaſtico deſtituti, ſubſidia expoſcerent opportuna: vel benemerentia in negotiis apud Curiam Apoſtolicam obeundis, ut non ſinè gratificatione aliquâ ad patriam remearent. Utrumque motivum ſuggerit in ſuis epiſtolis Innocentius Papa III. dum in *mandatis* dirigendis, modò profitetur, sè beneficiorum largitionem demandare, *cum neceſſitatibus pauperum Clericorum, qui nullum ſunt eccleſiaſticorum beneficiorum conſecuti, Sedes Apoſtolica duxerit ſuccurrendum* (*c*). Modò dicat sè mandata dirigere ob ſubſequentem rationem, *nec novum debetis, nec abſonum reputare, sì de illorum ſumus proviſione ſollicìti, qui apud Sedem Apoſtolicam prò ſuis, vel ſuorum Dominorum negotiis conſtituti, noſtram, & fratrum noſtrorum gratiam, converſatione laudabili meruerunt. Tanta eſt enim Apoſtolicæ Sedis benignitas, ut accedentes ad sè fratrum, & Coepiſcoporum noſtrorum nuntios benignè recipiat, & laborem eorum, qui apud eam longo tempore commorantur, in beneficio, vel aliis, quę dignè poſtulaverint recompenſet* (*d*): Sermo eſt utrobique dè *Mandatis* Apoſtolicis, ſed quià his ſucceſſerunt Reſervationes, quibus non ambigimus *quartam* cauſam dediſſe reſiſtentiam Ordinariorum, in non adimplendis mandatis ipſis; hinc fit, ut quidquid mandatis expediendis motivum fuit, tantundem contulerit ad reſervationes introducendas: nec enim pauperibus Clericis opitulari, neque benemeritis gratificari potuiſſet, ac poſſet Romana Sedes, ſinè beneficiorum Reſervationibus.

5. Prò quarum ulteriore juſtitiâ comprobandâ, en votum Petri Alliacenſis, Archiepiſcopi Cameracenſis, & Cardinalis, qui floruit trecentis ab hinc annis (*e*), obſtenditque, Reſervationes jàm ex tùnc fuiſſe juſtiſſimas, & antiquiſſimas: ait enim, *Papa jure potuit ordinationes majorum, & electivarum dignitatum, ac collationes aliorum beneficiorum, ſibi, & Apoſtolicæ Sedi, reſervare, quià hæc antiquiſſimo jure ſibi competebant. Hæc etiam non ſolum jure univerſali adminiſtrationis Papalis potuerunt competere, ſed etiam ex ſpeciali causâ, ratione materiæ ſubjectæ: utpotè quià inferiores in ſuis electionibus, & Ordinarii Collatores in beneficiorum collationibus abutebantur, & per potentiam laicalem ſæpè jure ſuo non liberè uti permittebantur, ſeù aliâ aliquâ ſpeciali ratione. Ex quo ſubinfertur, quod cum Sedes Apoſtolica in præmiſſis præſcripſerit; ſuppoſito quod Summi Pontifices in hoc abuſi fuerint, vel exceſſerint, non propter hoc eſt ab eis hujuſmodi jus tollendum, ſed abuſus pellendus, & exceſſus reſtringendi ſunt*, & *hoc fieri poteſt per rationabiles conſtitutiones Sacri Concilii generalis* (*f*). Et prò totius negotii coronide ſufficiet memoraſſe, quod cum tempore Pauli Papæ II. auctore Cardinali Papienſe, proponeretur ſuppreſſio ipſarum Reſervationum; Cardinalis de Carvajal Hiſpanus, conſtantiſſimè repugnavit, & ne abolerentur fortiſſimè obſtitit; clamans, rem tot laboribus, tot certaminibus ſuſtentatam, non eſſe præcipiti abrogatione tollendam: & in eundem ſenſum cæteri Cardinales, ipſeque Pontifex declinavit (*g*).

6. Poſt reſervationes autèm haſce, jàm ut ſupra introductas, & in Regulis Cancellariæ contentas, ſucceſſu temporum advenère *Concordata*, ſeù Conventiones intèr Sedem Apoſtolicam, & Romanorum Imperatorem prò Regione Germanicâ; Regeque Galliæ, prò Regione Gallicâ compactatas, per quas conſtitutę ſunt formæ, & modi, in diſpenſatione beneficiorum ſervandi, certique fines hinc indè conſtituti, quos ultrà neutra partium valeat tranſilire. Non ejuſdem tenoris ſunt utrobique ipſa Concordata; ſed diverſimodè concepta, prout unicuique dictarum Nationum cogitatum eſt expedire. Prò Natione Germanicâ Concordata inita ſunt inter Nicolaum Papam V. & Fridericum III. Imperatorem (*h*). Prò Natione Gallicâ

(a) *Magnum Chron. Belgic ad an. 1342. fol. 300.*

(b) *Thomaſſin loc. cit. p. 2. l. 1. c. 44. n. 4*

(c) *Innoc. III. regeſt. 16. epl. 177*

(d) *Idem to. 1. epl. ad Epiſcop. & Capitulum Lemovic. &c.*

(e) *Bellarm. de ſcript. Eccl. in Petr. ab Alliac.*

(f) *Petrus Alliacenſ. inter Oper. Gerſon to. 2 f. 917*

(g) *Card Papienſ. epl. 92 Raynald. ann. 1464. num. 67*

(h) *Nicol. Papa V Conſtit. 1*

licâ inita ſunt intèr Leonem Papam X. & Franciſcum I. Galliarum Regem (*a*). Prò Natione Hiſpanicâ, an & intèr quos inita fuerint, nobis adhùc eſt incompertum; cernimus tamèn eorum fieri mentionem apud quendam Auctorem (*b*), qui tamèn paulò infrà prò Concordatis intelligit Indulta de præſentatione illorum, qui ad Prælaturas ſunt promovendi. Concordata non niſi ex merâ libertate Sanctæ Sedis ſancita fuere, juxtà doctrinas, & motiva ſuperius memorata (*c*): Bonumque eſt, eadem hinc indè fideliter obſervari, quià alias nimium periculoſa jurgia exorirentur, & contentiones inextricabiles, ac diſſidia luctuoſa, quę & Eccleſię pacem turbarent, & totam penè Chriſtianitatem confunderent. Eo vel maximè, quod ſi pacta intèr ſupremos Principes, tàm proprio, quàm ſuæ ditionis nomine, ſemel ritè ſancita, ſub cavilloſis prætextibus, atque technis, quę nunquam deſunt viris rixoſis, poſſent impunè diſrumpi; & invocatio Divini Nominis, jure jurando pactis adjecta, deludi; ecque pax, ecque fides, ecque ſecuritas inveniri poſſet in Mundo?

7. Itàque, prout alibi tetigimus, jàm cuncta Orbis Catholici beneficia, ubi ceſſat via Electionis, vel diſpenſantur, per viam collationis liberè, & pleno jure factę à legitimo Superiore eccleſiaſtico, vel per viam inſtitutionis, factæ ab ipſo ſuperiore, ad præſentationem, ſive nominationem alterius. Per viam collationis, liberè, & pleno jure factæ diſpenſantur, vel à Papâ, uti ſupremo Eccleſię Hierarchâ, juxtà Regulas Cancellariæ Apoſtolicæ, & conventiones cum Nationibus compactatas; vel ab Epiſcopis, aliiſque Clericis, Ordinariis, vel Delegatis beneficiorum Collatoribus, quibus adſit hoc jus collativum, legitimum, ac legale, modiſque legitimis acquiſitum. Prætèr hos, nulli competit jus conferendi liberè, ac pleno jure eccleſiaſtica beneficia, & præſertim laici hac poteſtate carent, quià, uti vociferabatur adversùs Philippum IV. Galliarum Regem Bonifacius VIII. *Omnia jura clamant, collationem beneficiorum non poſſe cadere in laicum, ità quod habeat jus, & poteſtatem ſpiritualem conferendi* (*d*). Certè ſi in laico cadere non poteſt jus eligendi Clericos, beneficiis eccleſiaſticis præficiendos, uti diſertè in jure ſtatuitur (*e*); multò minus in eo ſubſiſtere poteſt jus beneficia eccleſiaſtica conferendi.

8. Et hinc eſt, quod centies Eccleſia in Sacris Conciliis diſertè prohibuit, ne laici beneficia conferrent, & ne Clerici de laicali manu beneficia ipſa ſuſciperent. Ità in Concilio Cabilonenſi anno 813. (*f*), in Moguntino anno 847. (*g*), in Vvormacienſi anno 868. (*h*), in Colonienſi anno 887. (*i*), in Romanis annis 904. 907. & 1063. (*l*), in Engelheimenſi anno 848. (*m*), in Auguſtano anno 952. (*n*), in Melfitano anno 1090. (*o*), in Capitulis Zachariæ Papæ, miſſis ad Pipinum, & ad Epiſcopos Gallię (*p*), & nè plura ſuperſtruamus, in longâ illâ contentione, quæ à Gregorio VII. uſque ad Calliſtum II. ſuper inveſtituris beneficiorum adversùs Imperatores Germanicos perduravit (*q*), talitèr improbavit Eccleſia hujuſmodi diſpenſationem beneficiorum, à laicis factam, ut non ambigerint Patres illius ętatis inveſtituras à laicis factas, hæreticas vocare, ac tam conferentes, quam ſuſcipientes eas, hæreticæ pravitatis culpæ damnare (*r*). Audi Goffridum Vvindocinenſem: *de inveſtiturâ laicorum, ſi quis cognoſcere voluerit, quid Catholica, & Apoſtolica Eccleſia ſenſerit, quid docuerit, quid judicaverit, quid conſtituerit; legat in primo Capitulo illius Concilii, quod tempore Gregorii VII. Papæ factum eſt, & ibi omnes Clericos, qui de manu laici inveſtituram ſuſcipiunt hæreticos vocatos, & ideò damnatos eſſe, & excommunicatos invenerit. Licet alia hæreſis de inveſtiturâ dicatur; alia Simoniaca: iſta quæ de inveſtiturâ dicitur contrà Sanctam Eccleſiam fortius jaculatur &c. Inveſtitura itàque laicorum, quæ fit per virgam, & annulum merito hæreſis appellatur* (*s*).

9. Attamen optimè novimus, quod anteactis temporibus, etiam de quibuſdam Secularibus Principibus memoratur, beneficia eccleſiaſtica contuliſſe: Dè antiquis Regibus *Siciliæ*, & *Apuliæ* id ità eſſe refert Marinus de Caramauico (*t*). Dè Regibus *Angliæ*, Auctor Gloſſę in Pragmaticam ſanctionem (*u*). Dè Regibus *Hungarię*, Alexander celebris Juriſconſultus (*x*). Dè Regibus *Poloniæ*, Anaſtaſius Germonius (*y*).

Sed

(a) *Leo Papa X. Conſtit. 20*
(b) *Thomaſſin. Vet. & nov. Eccl. diſc. p. 2. l. 2. c. 35. n. 8. & 9*
(c) *Vide ſuprà cap. præced. n. 26*
(d) *Henric. Spondan ad ann. 1303*
(e) *Capit. Sacroſanct. cop Meſſana de elect.*
(f) *Conc. Cabilon. an. 813 c. 42*
(g) *Conc. Mogunt. an. 847 c. 12*
(h) *Conc. Vvormacienſ. an 868. c. 15 & 57*
(i) *Conc. Colonienſ. an. 887 c. 4*
(l) *Conc. Romana. an. 904 & 907 cap. 10 & an. 1063*
(m) *Conc. Engelheimenſ. an. 948. can 4.*
(n) *Conc. Auguſt. an. 952. c. 9*
(o) *Conc. Melfit. ann. 1090. c 8.*
(p) *Capitul. Zachar. c. 13 ap. Binium tom 5 f. 484.*
(q) *Card. Baron. in Indi. e Verb. Inveſtitura*
(r) *Card. Baron. ann. 1111. n 42*
(s) *Goffrid. Vindoc. opuſc. 2 in med.*
(t) *Marinus de Caram. in proœm. Conſtit. Regni col. 4. n 50. & 60*
(u) *Coſm. Guymer Gloſ. in Pragmatic. ſanction*
(x) *Alexandr in 4. Volum. Conſ. 74 in 3. colum.*
(y) *Germonius de Indult Card. §. in quibuſcumq. n. 5.*

Sed hanc poteſtatem in præfatis Regibus (ſi rè verâ illam unquam habuerunt, quod ambiguitate fortè non caret, cum conſtet, aliquos interdum eandem ſibi contrà omne fas uſurpaſſe, quemadmodùm faciebat Fridericus II. Imperator, & Rex tam Neapolis, quàm Siciliæ, qui *conferebat de facto omnia beneficia vacantia* (a), tametſi ea conferendi jure careret). Hanc inquam poteſtatem in prȩfatis Regibus naturalem non fuiſſe, & laicali jure non potuiſſe ſubſiſtere, patet ex eo, quod Innocentius Papa III. prò inſubſiſtenti, & frivolo habuit, quod Rex Angliæ poſſet ex ſe ipſo beneficia ut ſuprà conferre; ità enim ſcripſit P. Cardinali, ſuo in Angliâ Legato: *illud autèm omninò frivolum reputamus, ſi qui fortè tè dicant ex donatione Regia quaſdam ex illis obtinuiſſe præbendis, quaſi Regalis ſublimitas &c. prȩbendas ipſas ſua potuerit auctoritate conferre* (b). Oportet ergò totam illam facultatem fuiſſe miniſterialem, ideſt Eccleſiam contuliſſe beneficia illa, miniſterio ipſorum Principum Sȩcularium (c). Et hoc modo inculcabat memoratus Bonifacius VIII. *Collationem ad Laicos nullo jure pertinere poſſe, niſi fortè miniſterialitèr* (d). Itàque præfata poteſtas, quæ in ſupradictis Regibus fuiſſe dicitur, ſi fuit; tota à ſolo Privilegio Pontificio pependit, uti expreſsè de Regibus *Hungariȩ* tradit Vivianus (e). De Regibus *Angliȩ* ſentit Baldus, & ex eo Germonius (f). Et de Regibus *Siciliȩ* ait Iſernia, *olim prȩſentabant, & inveſtiebant de beneficiis eccleſiaſticis, & conferebant ea per privilegia Papalia, quȩ poſſunt, hoc concedere laico, etiam ſinè conſenſu Epiſcopi Ordinarii Diœceſani, ſicut dicit Gloſſa hic allegata 17. qu. 7. cap. placuit in principio, & in cap. nemini Regum* (g). Quæ tamen Privilegia Apoſtolica, præfatis Regibus tributa, vel perſonalia fuiſſe cenſemus, vel ad lineam alicujus familiæ conceſſa, quâ extinctâ, privilegium quoque, jàm prorsùs evacuatum evanuerit: ſed donec duravit, totum id, quod eſt maculæ in collatione Laicali purgavit.

(a) *Vid. Ughel. Ital. Sacr. tom. 7. in Archiepiſc. Amalphit. nu. 12. fol. 292*

(b) *Innoc. III. to. 1. l. 2. epl. ad P. S. Mariæ in Via Card.*

(c) *De Luca de benefic. diſcurſ. 9 num. 12 Marta Juriſd. p. 4. cent. 2. caſ. 46 n. 13*

(d) *Henricus Spondan an. 1302*

(e) *Vivian. de Jurepatr. p. 2 l. 11. c. 12. n. 4*

(f) *Germon. de Sacror. Immun. l. 3 cap. 12 num. 31*

(g) *Iſernia*

10. Nihilominus tranſmiſſibile ad Succeſſores fuiſſe videtur indultum illud, quod Benedictus Papa XI., contulit Carolo II. Regi Neapolis, poſtquam Luceriam Saracenorum ab infidelium fæditate purgavit, & quaſdam prȩbendas, ac dignitates inibi de ſuis bonis dotavit, quarum partem ipſe Rex *Apoſtolicâ vice* conferret, ad aliam partem viros idoneos, inſtituendos ab Epiſcopo, præſentaret. En verba diplomatis: *Volentes in eâdem Eccleſiâ, quam ſic Regia liberalitas honoravit, non ſolum tè, ſed Succeſſores tuos in eodem Regno, intuitu hujus noſtrȩ conceſſionis privilegii ſingularis, ut ex hoc tu, & Succeſſores prȩdicti magis teneamini dictæ Eccleſiæ ejuſque miniſtris, Regium favorem impendere, temporibus opportunis præſentandi perſonas idoneas eidem Epiſcopo ad Decanatum, Archidiaconatam, & Cantoriam, ac conferendi vice Apoſtolicâ, medietatem prȩbendarum ejuſdem Eccleſiæ, cum vacaverint, perſonis ſimilitèr ad eas obtinendas idoneis, Conſtitutionibus quibuſcumque contrariis nequaquam obſtantibus, tibi, & ſucceſſoribus ipſis in perpetuum, Apoſtolicâ Auctoritate concedimus de poteſtatis plenitudine facultatem &c.* (h). Qua de rè cum diploma clarè loquatur, collationem prȩbendarum à Rege fieri *vice Apoſtolicâ*, ſuperfluum eſt plura ſubjungere.

(h) *Bened. XI. ap. Ughel. Ital. Sacr. to. 8. in Epiſc. Luceriæ poſt initium fol. 413.*

11. Ubi verò res non adeò claræ ſunt; bonum erit perpendere, an rè verâ Reges illi, à quibus dicitur beneficia conſueviſſe conferri, rè verâ inquam ipſa conferrent, an verò ſolummodò ad ea Clericos nominarent, cum *Collatio* imbibat in ſe electionem, præſentationem, confirmationem, inſtitutionem, ac omnem modum, per quem fit proviſio beneficiorum (i). Et propterèa temporibus antiquis, promiſcuè adhibebantur verba *Conceſſionis*, *Donationis*, *Collationis*, *Inſtitutionis*, *Nominationis* beneficiorum, quȩ dictiones poſteà diſtinctȩ ſunt, ad deſignandam differentiam, quȩ vertit inter unamquamque ex præfatis actionibus, & ità Joannes Papa X. dixit collationem Epiſcopàtus Tungrenſis pertinuiſſe ad Regem, dum in literis ad Herimannum Archiepiſcopum Colonienſem, illum exprobravit, quod Tungrenſibus Hilduinum, Rege non aſſentiente, ordinaſſet, *Cum priſca*, inquit, *vigeat conſuetudo, qualitèr nullus alicui Clerico Epiſcopatum conferre debeat, niſi Rex* (l): Ubi evidenter ſumitur verbum *conferre* prò *nominare*. Ità pariter Innocentius III.

(i) *Barboſ. tr. varii Appel 54. & Jur. Eccleſ. Univ. l. 3. c. 13. n. 2 cum aliis ibi*

(l) *Sirmond. Concil. Gallic. tom. 3. f. 571*

col-

Digitized by Google

collationem Beneficiorum, vocavit *Donationem*, ſcribens de Archiepiſcopo Eboracenſi ſuſpenſo, & ejus Capitulo, *etſi fuerit ſuâ culpâ ſuſpenſus, non tamen ad ipſum Capitulum ex illâ culpâ præbendarum erat donatio devoluta: ſed ad illum tempore ſuſpenſionis illius prębendarum donatio pertinebat, qui præter ejus deſidiam, & negligentiam, poterat præbendas donare* (a). Ità alibi idem Pontifex Juſpatronatus vocat largitionem factam ex *dono parentum* (b). Ità Honorius III. *Donationem* prò *præſentatione* uſurpavit, decernens irritum juramentum Comitiſſæ Flandrenſis, quæ *dè non vacantibus beneficiis Eccleſiarum, in quibus jus obtinet patronatus, & donationes eorum in manibus poſuerat alienis* (c). Ex quibus patet, quod antiquitùs, ut innuimus, verba collationis, donationis, præſentationis &c. beneficiorum, promiſcuè ſumebantur: undè licèt præfatos Reges beneficia contuliſſe dicatur, non eſt certum tamen hanc rè verâ fuiſſe Collationem potiùs, quàm nominationem ad ea. Sicuti non ideò dicendum eſt, poſſe Principem laicum *ordinare* Epiſcopos, ſive ordinem Epiſcopalem illis conferre, quià Hormiſda Papa ſcribit Juſtino Imperatori, ut *Alexandrinum Epiſcopum debeat ordinare* (d): Quandòquidem ibi *ordinare* lato modo, & improprie ſumitur pro nominare, ſivè deſignare; non verò propriè, & ſtrictè, in ſenſu obvio, qui competit huic voci, nempè ordinem eccleſiaſticum impertiri.

12. Verùm, quidquid fuerit olim de præfatis Regibus, beneficia eccleſiaſtica conferentibus, ſivè ad ea nominantibus; nunc audivimus, hujuſmodi rem non niſi à Chriſtianiſſimo Galliarum Rege exerceri, qui perplura beneficia ex ſe ipſo, & pleno jure conferat, ut expreſſe tradunt *Doctores* (e). De qua rè ait Ferraldus, *licèt jus conferendi præbendas ſit adeò ſpirituale, quod non cadit in laicum, nec laicus illud poſſit poſſidere, ſed nec præſcribere; tamèn Rex Franciæ pleno jure confert Beneficia eccleſiaſtica, Canonicatus, & Dignitates. Quod jus Imperator non habet* (f). Supèr quo herclè negotio ingens olim emerſit diſſidium, ut alibi notavimus intèr Bonifacium Papam VIII., & Philippum IV. cognomine Pulchrum, Regem Galliæ; contendente Papâ, quod non poſſent licitè per Regem, uti Laicum, beneficia ſacra conferri, cum facultas conferendi ſpiritualia ſubſiſtere non poſſit in laico, quà laico: promptum tamèn sè offerente, Regem ſpeciali indulto munire, ut faceret licitè, quod faciebat illicitè, & ità ſcripſit Philippo: *ad tè hujuſmodi Eccleſiaſtica Dignitatum, Perſonatuum, Canonicatuum, Beneficiorum, & Præbendarum collatio, non poteſt quomodolibet pertinere, nec pertinet; nec per tuam collationem poteſt alicui jus acquiri, ſinè auctoritate, vel conſenſu Sedis Apoſtolicæ, tacitis, vel expreſſis: quæ qui accipit, & ſe denegat accepiſſe, proptèr ingratitudinem eſt privandus* (g). Duo diſtinguenda eſſe, inquiebat Pontifex, *præſentationem* ad beneficia, & *collationem* eorum: primam dicebat optimè cadere poſſe in laicum, ſecundam verò non poſſe, *Collationem ad laicos nullo jure pertinere poſſe niſi fortè miniſterialitèr &c. ſe zelantem ſalutis Regis frequentèr ejus Nuntiis dixiſſe, cupere tè ut Rex faceret licitè, quod faciebat illicitè, quià omnia jura clamant, collationem beneficiorum non poſſe cadere in laicum, ità quod habeat jus, & poteſtatem ſpiritalem conferendi* (h).

13. Rex Philippus è contrà contendebat, ſibi facultatem beneficia conferendi competere *Jure Regio* (i), & eo jure *uti, uſumque hactenùs eſſe, ſicut uſus erat B. Ludovicus Rex, ejuſque Prędeceſſores* (l). De quo B. Ludovico refert Nangius in ejus vitâ, quod *in beneficiis eccleſiaſticis conferendis, Deum ſemper prę oculis habebat, præſertim in Eccleſiis Cathedralibus, ubi Sede vacante, ratione cuſtodię Regalium ex conſuetudine pertinebat ad eum collatio præbendarum* (m). Sed ſi res ſeriò perpendatur ambiguitate non carere videtur an rè verâ S. Ludovicus beneficia conferret, an verò ad illa jure patronatus ſimplicitèr nominaret; nam de illo idem Nangius hęc adnotat, *in beneficiis eccleſiaſticis conferendis, quę ad patronatum ipſius pertinebant, præcipuè in Cathedralibus, ubi Sede vacante ratione cuſtodię Regalium ex conſuetudine pertinebat ad eum collatio* (n): Ubi patet quod confusè ſumebantur præſentatio, & collatio, totumque jus illud Regium in D. Ludovico redu-

(a) Cap. quià diverſitatem 5. de conceſ. præbend.

(b) Innoc. III to. 1. l. 2 epl. ad N. Mediol. Archiep.

(c) Cap. cum dilecta 16 de conceſſ. prębend.

(d) Hormiſda Papa epiſt 54.

(e) Rebuff. prax. benef. ac Collat. n 9. Lotter de re benef. l. 2. qu. 6 n. 5. Vivian. de Jurepatr. p. 2. l 11. c. 12. n 5. Germonius de indult. Card § inquibuſcumq. n. 3.

(f) Jacob Ferrald. de privil. Reg. Franciæ cap. 8.

(g) Raynald. ann. 1311 34. Hiſtoar. du differ. entr. Boniface. VIII & Phil. le Bel. f. 44. 48.

(h) Spondan. an. 1302 Bail. in Concil. Gallic. ann. 1301.

(i) Philip. in epiſt. ad Bonif VIII.

(l) Hiſtoar de differ. ent Bonif VIII. & Phil. le Bel f. 89 90.

(m) Nangius in vit. S Ludovic. Reg. Franc.

(u) Nangius ibidem 445.

Digitized by Google

reduci videtur ad patronatum. Conſonant ea, quæ ipſe Rex reliquit in mandatis Proceribus illis, quibus in ſuâ abſentiâ, dum incumberet ſacræ expeditioni, Regnum regendum commiſit: *Perſonatus, Præbendas, Eccleſias, Cappellanias, & cætera beneficia quæcumque vacare contigerit, ad noſtrum Patronatum, collationem, ſeù præſentationem noſtram, ſeù ratione Regalium, quam alio quocumque jure pertinentia conferendi, ac præſentandi &c.* (a). Ex quibus elucet, quod promiſcuè ibi ſumebantur præſentatio, & collatio beneficiorum, ad jus Regium pertinentium, & quod patronatui potiùs, quàm cuique aliæ rationi correlativæ videntur. Utcumque tamen res tùnc ſe haberet, Philippus Pulcher Pontifici reſpondebat, quod collatione beneficiorum utebatur eo modo, quo ad eum pertinebat, *De jure, & bonâ conſuetudine, ſicut S. Ludovicus, ut alii prędeceſſores ſui uſi fuerunt, à tempore, cujus memoria non extaret* (b).

14. Sanè difficile eſt inveſtigare, & difficiliùs reperire, undè habuerit origo hujuſmodi magna facultas, quâ præditus eſſe dicitur Rex Chriſtianiſſimus, conferendi ex ſe beneficia. Aliqui illam referunt ad conſuetudinem, & huc facere videntur ea, quæ tradit Petrus de Marcâ, quod antiqua Parlamenti Arreſta jus Regium Conſuetudine niti docuerunt, nullamque aliam ejus aſſerendi rationem invenerunt Doctores Pariſienſes, quàm vetuſtam conſuetudinem (c), ubi licèt ſit ſermo de Regaliâ, ſub eo tamen comprehenditur etiàm beneficiorum collatio, quæ intèr fructus Regaliæ ſolet in Galliâ computari. Sed cum laici, tametſi Reges (d), omninò ſint juris ſpiritualis conferendi beneficia incapaces, eiſque conſtantiſſimè jus reſiſtat (e), oportet, quod Reges Galliæ aliundè, quàm à conſuetudine hoc privilegium ſint adepti: cum conſuetudo jus hujuſmodi non valeat laicis impertiri (f), etiàm ſi eſſet preſcripta (g), & quantumvis Laicus beneficia per ſpatium temporis immemorabilis contuliſſet (h). De facto conſuetudinem non potuiſſe hujuſmdi jus impertiri, diſertè diſponit idem Petrus de Marcâ, dicens, *ad collationem præbendarum, ex conſuetudine contrà Canones perfectam, Concilii Lugdunenſis auctoritatem quæſitam eſſe, Principibus haud ſatis conſuetudine tutis* (i). Ad privilegium ergò eccleſiaſticum videtur omnino referendam hanc facultatem Chriſtianiſſimi Regis, vel obtentum à Concilio Generali, per Summum Pontificem approbato, & ſic mediatè à Sede Apoſtolicâ, vel ab hac immediatè conceſſum, per ſpeciale indultum, ab aliquo Pontifice dudùm collatum. Ex privilegio namque Apoſtolico citrà difficultatem eſt, quod poteſt laicus beneficia conferre (l). Et nedum laicus, ſed etiàm fœmina id poſſet, ut habet *Gloſſ. marginal. in cap. dilecto* 40. *de teſtibus*, & firmant expreſsè Doctores (m). Eo namque caſu laicus miniſterialitèr, & velut organum, ſe habet, ac beneficiorum collatio, juſque ſpirituale in hac actione contentum, non exercetur per laicum, ſed per illum, à quo indultum procedit (n). *Laicum*, inquit Rebuffus, & ex eo Germonius, *licèt ex privilegio poſſit conferre beneficia eccleſiaſtica &c. conferendo tamen beneficium, non tribuere aliquod jus ſpirituale, quià ipſe illud non habet, ſed inveſtitus conſequitur jus ſpirituale à Confirmatore, vel ab alio Miniſtro Eccleſiaſtico, quod eſſe notabile prò Rege Franciæ ſcribit Bonifacius* (o).

15. Igitur jus conferendi eccleſiaſtica beneficia, quo præditi ſunt Chriſtianiſſimi Reges Galliæ, ad privilegium Apoſtolicum referendum eſt, uti de facto illud referunt Doctores (p). Cujus privilegii ſi conſervatur autographum; res extrà aleam eſt. Si verò non reperitur, quia tractu temporis diſperierit, vel aliâ ratione ubinam ſit ignoretur; ſufficit quod de eo ſit fama, cum vetuſtiſſimâ conſuetudine, prout conſuluit Alexander (q), ſitque tacitum, vel expreſſum, uti ſignificabat in præfatâ contentione Bonifacius Papa VIII. (r), Nèc ab alio fonte cenſendum eſt privilegium hujuſmodi dimanaſſe, quàm ab eo, à quo alia peculiaria indulta prò beneficiis conferendis, ſunt Galliæ Regibus contributa, nàm Bonifacius VIII. ſæpè memoratus, teſte Raynaldo, Regi Philippo Pulchro conceſſit, *quod ad ſuum beneplacitum, in quâlibet Eccleſiâ Cathedrali, & Collegiatâ Regni ſui,*

(a) *Preuves des libertez de l'Egliſ. Gallic. f. 16. ann. 10.*

(b) *Hiſtor. du differ. entr. Boniſ. VIII. & Filip. le Bel. f. 90. 93.*

(c) *Petrus de Marc. infr. cit. and.*

(d) *Germon. de Indult. Card. §. etiam n. 9.*

(e) *Seraphin. deciſ. 1182. n. 1. 2. 6.*

(f) *Idem deciſ. 1183. n. 3. Germon. loc. cit. num. 6.*

(g) *Seraphin. dicta deciſ. 1373. n. 3.*

(h) *Duard. ad Bull. Cænæ l. 2. in Can. 19. qu. 9. [illegible] n. 12.*

(i) *Petrus de Marca lib. 8. c. 24. n. 4.*

(l) *Barboſ. de Off. Epiſ. alleg. 50. n. 45. Vivian. de jurepatr. p. 2. l. 2. c. 5. n. 74. Germon. loc. cit. §. quibuſcumq. n. 12. Seraph. dec. 1382. num. 2.*

(m) *Germon. ubi ſup. Belles. diſquiſ. Cler. p. 1. §. 8. n. 17. de diſcipl. Cler. f. 77. cum aliis.*

(n) *Lotter. de rè beneſ. l. 1. qu. 6. n. 46. 47. de Luca de beneſ. diſc. 9. n. 12. Marta de juriſd. p. 14. cent. 2. caſ. 46. n. 13.*

(o) *Germon. de indult. Card. § In quibuſcumq. n. 13.*

(p) *Rebuff. de reg. ad præl. nomin. Vivianus de jurepatr. p. 2. l. 11. c. 12. n. 5. Germon. de Sacr. Immun. l. 3. c. 12. n. 32.*

(q) *Alex. Conſil. 74. in 4. volum.*

(r) *Odoric. Raynald. ann. 1303. n. 34.*

una perſona idonea poneretur (*a*). Pariter S. Ludovico IV. Regi, ejus Orator, Româ rediens, indultum retulit Pontificium, quo illi concedebatur poſſe beneficia quædam conferre; Sanctus verò Rex diploma in ignem projecit, ſic Oratorem ipſum effatus, *quod mea negotia Romæ ſtrenuè obieris, laudo; quod mihi à Pontifice munus hoc retuleris, non probo: intelligo enim quanto cum periculo animæ, & Regni id ſuſciperem* (*b*). De hujus quoque glorioſi Regis Abavo Ludovico VII. refert Vvalſingamus ea, quæ ſequuntur, *Reverſus Ludovicus Junior de Hieroſolymitanâ contrà Saracenos expeditione, cum quidam Clericus Româ Papale privilegium attuliſſet, quo in omni Eccleſiâ Cathedrali ſui Regni jus conferendi primam vacaturam, cum cunctis fructibus, medio tempore provenientibus, continebatur, confeſtim concluſit literas dicens, malo illas hic comburere, quàm ſi propter illas in inferno comburerer* (*c*).

16. Noluerunt hi pii Reges indultis Pontificiis uti; quippè beneficia eccleſiaſtica conferre, plena periculi res eſt, nec niſi animæ illaqueandæ opportuna (*d*): undè ſapientiſſimè ajebat ipſe D. Ludovicus, *ſat mihi eſt coram Deo de temporalibus, mihi creditis, non etiàm ſpiritualibus rationem reddere* (*e*). Demùm non eſt probabile, quod in Chriſtianiſſimis Galliæ Regibus fuerit excitatum privilegium, beneficia eccleſiaſtica conferendi, aliâ viâ, quàm eâ, quâ excitatum eſt in cæteris Regibus, ipſâ facultate aliquandò præditis, nempè ex privilegio Apoſtolico, uti ſuprà de Regibus Angliæ, Hungariæ, & Siciliæ diximus. Quibus addi nunc poterit Imperator Henricus III. Concilii Trecenſis occaſione, Legatos ad Apoſtolicum tranſmittens, qui denuntiarent, ſibi jus largiendorum beneficiorum Epiſcopalium competere, ex privilegio Apoſtolico (*f*). Et ità de facto Rebuffus Gallus (*g*), Vivianus Etruſcus (*h*), Germonius Pedemontanus (*i*), unâ voce aſſeverant, conſimili privilegio Reges Galliæ beneficia conferre, de quibus etiàm idem Germonius individuat, *Guymerius, ampliſſimi Pariſiorum Senatus Præſes, narrat in tuſterio, & tabulario Regiarum rationum aſſervari de his rebus Pontificum diplomata, quibus hoc tributum eſt Regi Franciæ jus. Horum privilegiorum etiàm meminit Boerius, quæ dicit eſſe in theſauro Regio*, & paulò antè, *Quod ſanè jus Regem Franciæ habere conſtat ex duabus Conſtitutionibus Honorii III. Romani Pontificis* (*l*). Hucuſque de diſpenſatione beneficiorum, per viam *liberæ collationis*.

17. Per viam verò Canonicæ *Inſtitutionis* beneficia eccleſiaſtica conferuntur vel à Papâ, vel ab Epiſcopis, vel ab aliis Clericis, Ordinariis, vel Delegatis, eorum diſpenſatoribus; non tamèn liberè, ſed ad præſentationem patronorum, qui ſive laici ſint, ſivè Clerici, & vel ratione officii, vel ratione perſonæ, habeant jus nominandi Clericos, beneficiis eccleſiaſticis decorandos. Jus Patronatus triplex eſt, Eccleſiaſticum, laicale, & mixtum (*m*), de quibus fusè agunt Lambertinus, & Vivianus ſpecialibus Tractatibus, & alii Canoniſtæ paſſim. Juris patronatus *Eccleſiaſtici* antiquior puſillitati noſtræ memoria non occurrit, eâ, quæ in Concilio Arauſicano legitur, decernente; *Si quis Epiſcoporum in alienæ Civitatis territorio Eccleſiam ædificare diſponit &c. non præſumat dedicationem, quæ illi omnimodis reſervatur, in cujus territorio Eccleſia aſſurgit: reſervatâ ædificatori Epiſcopo hac gratiâ, ut quos deſiderat Clericos in rè ſuâ videre, ipſi ordinet is, cujus territorium eſt* (*n*). Juris patronatus autèm *Laicalis* aliquod veſtigium repeti poteſt ex ſermone S. Auguſtini ad populum, ubi ait: *Hortamur Chriſtianitatem veſtram, juxtà ſanctorum Canonum inſtituta, ut in Eccleſiis à vobis fundatis, aliundè veniens Presbyter non ſuſcipiatur, niſi à veſtræ fueris Eccleſiæ conſecratus Epiſcopo, aut ab eo per Commendatitias literas ſuſcipiatur* (*o*). Quæ verba inſerta ſunt Corpori Juris; Gloſſaque ibi appoſita utitur hoc textu, ad laicale Juſpatronatus ſignificandum (*p*). Aliud veſtigium deduci poteſt ex hiſtoriâ Eudoxiæ Imperatricis, quæ in Palæſtinam profecta, cum inter cætera pietatis opera, Eccleſiam S. Stephano dicatam, erexiſset, ac dotaſset, ejus curam Gabrieli Monacho, diſcipulo D. Euthymii Abbatis commiſit (*q*). Veriſimilitudo, etiàm aliqua hujuſmodi juris (tametſi

non

(a) *Raynal. an. 1297. n. 46. & Hiſt. Univ. Pariſ. to. 4. f. 28.*

(b) *Gallia Vindic. diſſert. 1. § 3.*

(c) *Thomas Vvalſingam.*

(d) *Anaſtaſ. Germon. de indult. Cardin. §. in quibuſcumq. n. 26.*

(e) *Gallia Vindic. loc. cit. f. 40.*

(f) *Conrad. Abb. Urſperg ann. 1107.*

(g) *Petrus Rebuff. de reg. ad Prælat. No min.*

(h) *Julianus Vivian. de jurepatr. p. 3. l. 11. c. 12. n. 9.*

(i) *Anaſtaſius Germon. de ſacror. Immunit. l. 3. c. 21. n. 32.*

(l) *Idem loc. cit. n. 32. & 28. vid. etiam de indulg. Card. §. etiam n. 4.*

(m) *Barboſ. de off. & poteſt. Epiſc. p. 3. alleg. 73. n. 128. Vivian. p. 1. l. 1. c. 2. n. 8. Monet. de commut. ult. volun. c. 10. n. 220. Gonzal. ad reg. 8. Canc. gloſſ. 18. n. 4.*

(n) *Concil. Arauſican. cap. 10.*

(o) *S. Auguſtin. ſermon. ad Popul. relat. in capit. Hortamur 8. diſt. 71.*

(p) *Gloſ. in dict. capit. Hortamur. V. Veniens 8. diſt. 71.*

(q) *Card. Baron. ad ann. 455. n. 21.*

non niſi turbida, & confuſa, ac veluti per ſpeculum in ænigmate) decerpi poteſt ex commonitione, quâ D. Joannes Chryſoſtomus Magnates ſui temporis perurgebat, ut Eccleſias in ſuis villis conſtruerent, ibique Presbyteros, vel Diaconos collocarent, *Oro, & ſupplico, & gratiam peto, imò & legem pono, ut nullus, qui habet Villam appareat, carere Eccleſiâ &c. Educa Magiſtrum, educa Diaconum, & Sacerdotalem ordinem, quaſi ductâ uxore dotem aſſigna. Quid non erit illic bonorum? Parum ne eſt, oro, torcular benedici? Deum ex omnibus frugibus partem, & primitias accipere? Simul prudentem habere Sacerdotem? Parum nè eſt in ſanctis oblationibus nomen ſuum ſemper referri?* (a).

18. Quod in Eccleſiâ, ab aliquo pio viro fundatâ, Rector, & Clerici à Fundatore nominati, apponi deberent, ſanxit Juſtinianus hac lege, *Si quis domum Oratorii fabricaverit, & voluerit in eâ Clericos ordinare, aut ipſe, aut ejus hæredes, ſi expenſas ipſis Clericis miniſtrant, & dignos denominant, denominatos ordinari &c.* (b). Quod & paulò anteà de Eccleſiis conſtituerat. Verùm hanc qualemcumque ſpeciem patronatus, & poteſtatis Clericos nominandi, ſeu ut ibi impropriè dicitur *Ordinandi*, quod lex Cæſarea eſt Eccleſiarum fundatoribus impertita, Canones non admiſere. Nàm Concilium Toletanum IV. ferè centum annis Juſtiniano poſterius, expreſsè interdixit, nè fundatoribus ipſis ullum eſſet omninò jus reſervatum. En ejus decretum, *Noverint Conditores Baſilicarum, in rebus, quas eiſdem Eccleſiis conferunt, nullam ſe poteſtatem habere, ſed juxtà Canonum inſtituta, ſicut Eccleſiam, ità & dotem ejus, ad ordinationem Epiſcopi pertinere* (c). Conſonant & alii Canones, Fundatoribus Eccleſiarum omne jus adimentes, prætèr *aditum proceſſionis*, quod Gloſſa idem eſſe cenſet, ac jus patronatus, vel ſaltem hoc cum eo confundit (d). Sed Clemens III. *in cap. nobis 25. de jure patronatus*, unum prò diverſo ab alio ſumere videtur. Quâ de re, nimirùm quid ſibi velit jus proceſſionis, conſulat lector Auctores: noſtrum enim non eſt illius ſignificationi explicandæ diutiùs immorari (e). Unum eſt, quod olìm Fundatoribus Eccleſiarum non reſervabatur Jus patronatus. Succeſſu tamèn temporis huic juri aditus eſt apertus, talis tamèn, ut Fundatorum vitam non tranſiliret: quare in Concilio Toletano IX. ſtatutum eſt, *Decernimus, ut quandiù Fundatores Eccleſiarum in hac vitâ ſuperſtites extiterunt; prò eiſdem locis curam permittantur habere ſollicitam, atque Rectores idoneos in eiſdem Baſilicis iidem ipſi offerant Epiſcopis ordinandos* (f).

19. Poſtmodùm rerum viciſſitudinibus ità exigentibus, Jus patronatus incepit laxiùs exhiberi, nedùm perſonalitèr, ſed etiam hæreditariè, ac gentilitiè fundatoribus Eccleſiarum, earumque dotatoribus, itaùt quicumque beneficia fundarent, vel dotarent, jus in eis patronatus acquirerent, ad eorum Conſanguineos, & hæredes in perpetuum pertranſibile. Hoc ex pluribus rationibus eſt introductum, & *primò*, ut Fideles allicerentur ad fundandas, atque dotandas Eccleſias. *Secundò*, ut libertas daretur Fundatoribus, in largitione ſuorum bonorum, apponendi conditiones ſibi magis acceptas, dummodò congruas, & honeſtas. *Tertiò*, ut Eccleſia aliquod ſignum gratitudinis Fundatoribus ipſis, & Dotatoribus exhiberet: undè benè Azorius: *Nec mirum videri debet, ſi quis beneficium inſtituat eâ lege, & conditione, nè in eo ullus, niſi ex ſuâ familiâ, vel gente inſtituatur: hanc enim conditionem Eccleſia non damnat, nec improbat, & pii homines ad fundandas, extruendas, & dotandas Eccleſias, faciliùs, & promptiùs impelluntur, & ardentiùs excitantur. Item quià vult Eccleſia iis eſſe grata, qui de Republicâ Chriſtianâ benemerentur. Prætereà quiſque poteſt res ſuas, & bona Eccleſiæ donare, eâ lege, quam ipſe conſtituit, videlicet jure aliquo ſibi reſervato* (g). Ità Jus patronatus, quod primis illis Eccleſiæ temporibus fuit incognitum, vel non admiſſum; jam nedùm toleratum eſt, ſed etiam factum de jure, ut patet ex plurimis Canonibus, in Corpore Juris exiſtentibus (h). Et talitèr eſt factum de jure, ut quamquàm ſit quid gratioſum, & ex gratiâ reſervatum (i), tamèn hæc quoque gratia ſit de jure, atque innegabilis (l), nec ſinè piaculo jus hujuſmodi ſemèl adeptum poſſit ab obti-

(a) *S. Joan. Chryſoſt. Homil. 18. in Act. Apoſt.*

(b) *Juſtinian. Novel. 57. c. 2 & Novel. 123. cap. 18.*

(c) *Concilium Toletanum 4. c. 32.*

(d) *Cap piæ mentis, & ibi gloſ. V. proceſſionis 16. qu. 7.*

(e) *Thomaſſin. Vet. & Nov. Eccl. diſcipl. p. 2. l. 5. c. 29. n. 8. Lotter. de re benef. l. 2 qu. 3. n. 13. Vivian p. 3. l. 2. cap. 2. n. 17.*

(f) *Concilium Toletanum 9. cap. 2.*

(g) *Azor. Inſtit. Mor. p. 2. l. 6. c. 4. poſt. qu. 25. § Nec.*

(h) *Cap. 33. 34. 35. cum aliis 16. qu. 7. c. Abbatem 18 qu. 2. & plur. Can. tot. titul. de Jure patr.*

(i) *Cap. 3. de jurepatr. Abb. in c. 2. n. 4. de præbend. Lamber. de jurepatr. l. 3. qu. 9. Vivian. p. 1. l. 1. c. 9. n. 5.*

(l) *Barboſ. de off. & pot. Epiſc. alleg. 70. n. 25. Vivian. p. 1. l. 2. c. 1. n. 22. cum aliis ibi.*

Digitized by Google

obtinente, ſecluſâ gravi cauſâ, divelli (*a*).

20. Advertendum eſt attamèn, quod quià, ut ait Socrates, *ex quo Chriſtiani eſſe cæperunt Imperatores, Eccleſiæ negotia ex illis pendere cæperunt* (*b*); Magnates, & Principes temporales, aliquando magnam ſibi partem aſſumpſerunt in beneficiorum diſtributione, uti præcedentibus Capitulis patefecimus, ſibi nimirùm in eis, vel jus patronatus arrogantes, vel aliter eorum diſpenſationem arbitrariè agentes: quare ſemper ſuſpecta fuit Eccleſiæ ſubſiſtentia juris patronatus in Magnatibus, & perſonis potentibus, in quibus præſumitur uſurpatio (*c*). Antiquitùs enim plures factioſi viri, atque Principes, nedùm ſibi jus patronatus in beneficiis ad ſe non pertinentibus uſurpabant, ſed etiam de facto per propriam præpotentiam Clericos beneficiis inveſtiebant, quibus prò poſſe reſtitit Eccleſia, præcipiens, ut beneficia à ſolis perſonis Eccleſiaſticis conferrentur, uti patet ex Conciliis Gangrenſi (*d*), Aurelianenſi IV. (*e*), Melfitano (*f*), Claromontano (*g*), & aliis: & expreſsè interdicens, nè quiſquam de manibus laicorum Eccleſias præſumeret acceptare, qua de rè in Conciliis Niceno II. (*h*), Conſtantinopolitano IV. (*i*), Cabilonenſi II. (*l*), Arelatenſi VI. (*m*), Viennenſi (*n*), Trecenſi (*o*), Romano (*p*), & aliis Conciliis, atque Canonibus (*q*). Sed quamvis tot Legibus, & Sanctionibus eccleſiaſticis, ac anathematum comminationibus, aliiſque pœnis, abſtracta ſit de manu laicali beneficiorum eccleſiaſticorum largitio, pleno jure facta, per viam liberę collationis; non ea tamèn ità ſtirpitus eſt avulſa, ut ſub titulo juris patronatus aliqua beneficia in Magnatum manibus non remanſerint, quę nec ab illis fundata, nec eorum fuerant donationibus conſtituta.

21. Et omiſſa hic ponderatione beneficiorum minoris ordinis, quę, quomodò, & quâ origine ad Magnatum pervenerint patronatum, difficile eſt individualitèr reperire, cum etiam quandoquè ex Privilegio Apoſtolico eorum patronatui ſint addicta, quemadmodum Julius Papa II. Ludovico XII. Regi Francorum prò beneficiis quibuſdam indulſit per Inſubriam conſtitutis (*r*): Urbanus II. id conceſſit Petro III. Regi Aragonię prò beneficiis, in Urbibus conſtitutis, quas de Maurorum manibus eripuerat (*s*); & alii Papæ aliis Magnatibus indulſerunt; horum, inquam, ponderatione intermiſſâ; intuitum dare præſtat beneficiis Epiſcopalibus, quę tametsì naturâ ſuâ libera, tamen alicubi fuerunt juri patronatui laicorum Principum ſubjugata. Verum uſque ad tempora Martini Papę V. Eccleſiæ Cathedrales nullius patronatui ſubjacebant, dùm ille Regi Uladislao Poloniæ ſcripſit, *filii chariſſime non velis in hoc errore verſari, ut putes nos non noſtro, ſed alieno arbitrio Eccleſiis vacantibus providere. Supplicant ſæpè Reges, & Principes, & nos eis interdùm complacemus, quandò præſertìm cognoſcimus preces eorum exauditione, & gratiâ noſtrâ dignas; interdùm etiam aliter diſponimus, quàm ipſi Reges, & Principes ſupplicarint* (*t*). Pariter tempore Eugenii Papæ IV. idipſum erat. Regi ſiquidem Portugallię conquerenti, quod apud Sedem Apoſtolicam Epiſcopatum Viſenſem ſine ſuo aſſenſu in Luſitaniâ contuliſſet, reſcripſit, *Supplicant nobis Reges Franciæ, Angliæ, & Hiſpaniæ, cæterique prò Prælatorum promotionibus, nobiſque commendant quos utiles, & idoneos credunt. Nos exaudimus, quantum cum Deo poſſumus, & honore noſtro, preces eorum. Ubi verò aliter videtur nobis prò commodo, & bono regimine Eccleſiarum, Reges, & Principes acquieſcunt* (*u*). Demùm tempore Pii Papæ II. Epiſcopatus à jure patronatus erant exempti: Nàm in Conclavi, ubi ipſe electus eſt, Cardinales hoc, inter cętera, condixerunt, quod futurus Papa, *nullam facultatem præſentandi, aut nominandi ad Eccleſias Cathedrales concedat Principibus* (*x*).

22. Succeſſu poſtmodùm temporis, variato rerum humanarum ſyſtemate, plures Reges Chriſtiani, vel ad cunctas, vel ad perplures Eccleſias ſui Regni jus patronatus ſunt aſſecuti, & jam Rex *Galliæ* in Epiſcopatibus, & Abbatiis Conſiſtorialibus jus nominandi habet, vigore Concordatorum, de quibus ſuprà (*y*). In *Hiſpaniâ* Reges Caſtellæ olìm nominabant Epiſcopos, à Toletano Archipræſule com-

pro-

(a) *Concil. Trid. Seſ. 25. de ref. c. 9. & ibi Barboſ.*
(b) *Socrat. in Hiſtor.*
(c) *Conc. Trident. loc. cit. Butr. in c. cum dilectus verſ. 2. de off. delegat. Vivian p. 2. l. 12 c. 5. n. 72. & 92.*
(d) Concil. Gangrenſ. *cap. 7 & 8.*
(e) *Concil. Aurelian. 4. can. 33.*
(f) *Concil. Melfitan. ann. 1090 cap. 5.*
(g) *Conc. Clarom. ann 1095. can 15. 16.*
(h) *Concilium Nicænum 2. can. 3.*
(i) *Concil. Conſpolitan 4. can. 12.*
(l) *Concil. Cabilonenſe 2. can 4.*
(m) *Concil. Arelatenſe 4. can. 4.*
(n) *Concil. Viennenſe ann. 892. cap ult.*
(o) *Concil. Trecenſe ann. 1107.*
(p) *Concilium Romanum ann 1050 c. 6.*
(q) *Cap ſi quis deinceps 16. qu 7. cum pluribus ſeq. Cā. Apoſt. 31. Conc. Lingon. ap. Baron. ann. 1077. num. 60. Conc. Pictav ann. 1078 Cōcil. Meldenſ. an 845.*
(r) *Franc. Guicciardin. hiſtor. lib. 7.*
(s) *Zurit. de Regibus Hiſpan.*
(t) *Odoric. Raynald. an. 1429. n. 14.*
(u) *Idem Raynal. an. 1440. num. 2.*
(x) *Raynald. ann. 1458. n. 6.*
(y) *Leo Pap. X. Conſtit. 20.*

probandos (*a*). Deindè eorum nominatio fuit à Pontifice Romano approbanda: Nàm Gregorius PP. VII. recuſato Clerico, per Alphonſum VI. Regem ad Archiepiſcopatum nominato, Regem commonuit, ut alium deligeret, aliundè conquiſitum, ſi apud ſe idoneum non habebat (*b*). Jus hoc poſteà Reges in Capitula Eccleſiarum Cathedralium tranſtulere, ſi vera effatur Barboſa (*c*). Sed jam Rex totius Hiſpanię, tàm prò eo quod Caſtellanam, quàm prò eo quod Aragonicam reſpicit Coronam, Eccleſiis vacantibus Epiſcopos, & aliis Eccleſiis Conſiſtorialibus, præfectos Jure patronatus præſentat (*d*): Nam Clemens Papa VII. indultum contulit Carolo V. Imperatori, & Hiſpaniarum Regi, in quo conceſſit illi *jus patronatus, & præſentandi perſonas idoneas ad Cathedrales, & Metropolitanas Eccleſias, & quæcumque Monaſteria Conſiſtorialia in Caſtellę, & Legionis, Aragonum, & Valleolis, nec non Cataloniæ, & ubi alitèr jus præſentandi non competebat in cæteris Hiſpaniarum Regnis, & Dominiis reſpectivè &c.* (*e*).

23. Reges *Neapolis* non ad omnia beneficia Epiſcopalia, ſed ad ſola quædam præſentant (*f*). Reges *Hungariæ* olim jure patronatus hujuſmodi caruerunt, adeò ut Gregorius XI. Ludovico Magno Regi abnuerit aſſentiri, quoàd collationem beneficiorum Epiſcopalium ad ejus nutum, ſcripſeritque Eliſabethæ Reginæ illius Conjugi, *Tua directa devotio dignetur attendere, ſi eſt decens, & expediens univerſali Eccleſię, quod omnia, prælaturæ, dignitates, & beneficia, in quibus dicta Sedes meram, & plenam à Deo poteſtatem obtinet, ad beneplacita Principum, & aliorum Dominantium concedantur. Hæc enim non Catholici Reges, ſed tyranni faciunt, quorum exemplum deteſtabile, & damnabile ipſi Regi per aliquos deteſtabiles Reges, ut audivimus, allegatur. Advertas etiam ſi ſuper his omnia dicti Regis beneplacita curaremus adimplere, quale indè exemplum daretur: oporteret nos, ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices aut facere ſimile, quod abſit, quià non expediret fidei Chriſtianæ; aut ipſorum Regum contrà Apoſtolicam Sedem periculoſa turbatio oriretur* (*g*). Hodierno tamèn tempore audivimus Reges quoque Hungariæ in ſuâ Dynaſtiâ Antiſtites nominare; an verò id faciant præſentando, vel tantummodò ſupplicando Papæ prò Clericis, quos optant, nobis non eſt notum. Quomodò quoque ſè gerant Reges *Poloniæ*, & *Boemiæ* ad noſtram notitiam nou pervenit. De Regibus *Luſitaniæ*, quod habeant juſpatronatus in Cathedralibus, legimus apud Auctores (*h*). Prout etiam & de Regibus *Siciliæ* ultra Pharum, & Sardiniæ (*i*). Circa hęc omnia tamen veritati locum relinquimus.

24. Non deſunt qui cenſent, Jus patronatus, quo præfati reſpectivè Principes gaudent in Eccleſiis Cathedralibus, indè fluxiſſe, quod ipſi, eorumve Majores, & Anteceſſores, Eccleſias ipſas fundaverint, vel dotaverint, & reſpectivè de Infidelium manibus eripuerint, & ità Juſpatronatus acquiſierint (*l*): Quod jus in eis ſit jus Regium, & ut dicitur, Jus Coronę. Sed hæc ægrè ſubſiſtere poſſunt cum relatis textibus Gregorii XI. Martini V. & Eugenii IV. Romanorum Pontificum. Si etenim Reges eo tempore non pręſentandi jus, ſed merè ſupplicandi honore potiebantur; neque has fundationes, dotationes Eccleſiarum, vel earum recuperationes de manibus Infidelium poſteà fecerunt; deſtruitur probabilitas patronatus ex cauſis hiſce deſcendens. Audiendus eſt peregregius Thomaſſinus, ità de hujuſmodi negotio fundatiſſimâ ratiocinatione perorans: *non pluribus opus eſt, ut confutetur Salgadus, aliique Hiſpanorum Juriſconſulti, qui non his Pontificum innituntur conceſſionibus, ad Regias Epiſcoporum nominationes ſtabiliendas. Altiori ab origine rem repetunt, quaſi hoc agnatum, inſitumque ſit jus Coronæ Regiæ, uni Deo obnoxiæ: aut certò profectum à victoriis in Saracenos reportatis, atque ità quaſi conditis de novo fundatiſque à ſè, & mox magnificè dotatis Eccleſiis &c. Certiſſimè includatur, non tantoperè laboraturos fuiſſe Catholicos Hiſpaniæ Reges, ut à Sede Apoſtolicâ ea impetrarent privilegia, & concordata Regiarum ad Prælaturas nominationum, ſi illis præjudicatum fuiſſet Regię ſuę Coronę primęva ab origine jus illud inſertum, concretumque fuiſſe* (*m*).

(a) *Cap. Cum longè diſt. 63. Garcia p. 5. c. 1. num. 216.*

(b) *Gregor. Pap. VII. lib. 9. epl. 2.*

(c) *Barboſa Jur. Eccl. Univ. lib. 1. c. 8. num. 79.*

(d) *Garcia de beneſ. p. 7. c. 10. num 14 Barboſ. de off Epi. p. 1 tit. 1 cap. 3. n. 27.*

(e) *Clem. VII. 3. idus Martii Pontific. an. 7. Rocch. Pir. Sicil. Sacr. tom 1. in append f 471*

(f) *Joannes de Ponte dec. 12. num. 14.*

(g) *Raynald. an. 1371 num. 30.*

(h) *Vivian. de jurepatr. p 1. lib 3 c. 1. n. 37 Barboſ. Jur. Eccleſ. Univerſ l. 1. c. 8 n 82.*

(i) *Vide Rocch. Pirr. Sicil. Sacr. tom. 1. f. 40. & in Append. f 479.*

(l) *Barboſ. de Offic. Epiſ. tit. 1. c. 3. num 29.*

(m) *Thomaſſin. Vet. & Nov. Eccl. diſcipl. p. 2. l. 2. c. 35. n 9.*

Vera

Digitized by Google

25. Vera ergò, & germana ratio hujuſmodi patronatuum, quæ habent aliqui Reges in Prælaturis ſuorum Regnorum, ad Privilegium Apoſtolicum referenda eſt, gratioſè illis indultum: & de *Gallicanis* patet expreſsè in Concordatis inter Leonem X. & Franciſcum I. (*a*), de *Hiſpanicis* habetur ex Marianâ, celebri Gentis illius Hiſtorico, ſic dicente *Hadrianus VI. in gratiam Caroli Alumni, cui debebat Pontificatum, ei, & Succeſſoribus conceſſit lege perpetuâ jus præſentandi Epiſcopos Hiſpaniæ, qui antè ad eorum ſupplicationem precario à Pontificibus Romanis inſtituebantur* (*b*). Quod Clemens PP. VII. confirmavit, ut mox diximus num. 22. De *Neapolitanis* id certum eſt ex pactis, inter eundem Clementem VII. & Carolum V. Imperatorem, ac Regem Neapolis initis, in quibus Regi data fuit facultas nominandi Prelatos ad 24. Eccleſias illius Regni (*c*), quas enumerat Joannes de Ponte, & Stephanus Quaranta in Summâ Bullarum, finalitèr concludendo; *Habetis ergò ex prędictis in Regno Neapolitano Sedes Archiepiſcopales numero 20. quarum 8. ſpectant ad Regiam præſentationem: & Cathedrales Epiſcopales numero 113. & harum 16. ſunt ad Regiam præſentationem* (*d*). Nèc alitèr eſſe poteſt in aliis Regnis, ſiquidem ſi tempore Gregorii Papæ XI. Martini V. Eugenii IV. Et Pii II. ut ſuperiùs innuimus, Reges ad beneficia Epiſcopalia non nominabant; oportet neceſſariò, quod hæc poteſtas illis poſteà advenerit; advenire autem non potuit niſi ex privilegio Apoſtolico.

(a) *Leo Papa X. d. Conſtit. 30.*

(b) *Marian. l. 26. cap 6 Garcia p. 5. c. 1. num. 217-218.*

(c) *Joann. de Ponte dec. 12. num. 14. Marta de juriſd. p. 2. c. 40. num. 5.*

(d) *Quarant. Sum. Bull V. Conc. Provinciale in fin.*

26. Si quærantur cauſæ, proptèr quas Romani Pontifices, jure hoc à sè abdicato, illud in Reges Chriſtianos tranſtulerunt; in promptu ſunt: & in *primis* benemerentia ipſorum Regum: qui etenìm prò tuendâ fide orthodoxâ, & eccleſiaſticâ diſciplinâ laborarunt, digni proculdubio fuerunt, & merverunt, ut Eccleſia sè illis gratam hujuſmodi patronatibus exhiberet. *Secundariò*, politici regiminis recta ratio ſuggeſſit, expedire, ut à Regibus nominarentur Antiſtites, ad hoc ut viri eis magis grati has acciperent dignitates: *intereſt enim Principis infenſum non habere Antiſtitem, qui pars Civilis quietis eſt*, inquit Germonius (*e*). *Tertiò* demum, Sedes Apoſtolica jus hoc alicubi forte indulſit, victa inſiſtentiis Principum, & ad eorum preces importunas (*f*); necnon ad ſcandala devitanda, quæ ingruebant, ex contentionibus, & conatibus, quibus ipſi Principes à sè non electis Præſulibus obſiſtebant: renovato fortè in hac rè ſucceſſu Inveſtiturarum, de quibus Goffridus Vindocinenſis: *proptèr ſcandalum, & ſchiſma vitandum, talis Regibus Inveſtitura conceditur, ut nec ipſi proptèr hoc pereant, nec Sancta Eccleſia detrimentum patiatur* (*g*). Hæ, vel aliæ potuerunt eſſe cauſæ talis conceſſionis.

(e) *Anaſt. Germon. de Sacror. Immun. l. 3. cap 12. n. 42.*

(f) *Marta de Juriſd. p. 2. c. 40. n. 22.*

(g) *Goffrid. Vindocinenſ. opuſc. 4.*

27. Intèr Principes, præſentantes jure patronatus Clericos ad Eccleſiaſticas Prælaturas, non memoravimus Auguſtiſſimum Romanorum Imperatorem Germaniæ præſidentem, quippè in hac regione adhuc ipſę Prælaturę per viam Electionis Canonicæ conferuntur (*h*). Verùm Imperator habet alia beneficia juris patronatus, ad sè pertinentis, ad quę, quando vacat Imperium, Comes Palatinus Rheni præſentat Clericos pręficiendos (*i*). Ipſeque Imperator, reduplicativè ut Imperator electus, & à Romano Pontifice in Cęſarem approbatus, impetrare ſolet à Summo Pontifice poteſtatem porrigendi primarias preces: nempè in qualibet Germaniæ Eccleſiâ, ſivè illius Rectori, qui jus habeat beneficia conferendi, Princeps ad Imperium novitèr elevatus, porrigit preces favore alicujus, à sè nominati, eique beneficium proximè vacaturum debet à Collatore ſinè contradictione conferri (*l*), de hoc privilegio ità ſummatim proloquitur Engel: *Imperatori datur privilegium à Summo Pontifice, ut in qualibet Eccleſiâ ſemel perſonam aliquam idoneam ordinario Collatori nominare poſſit, quem Ordinarius ad beneficium vacans omninò recipere teneatur, & iſta nominatio, primę preces Imperatoris appellatur. Porrò de hoc privilegio Imperatoris, antiqui etiam Canoniſtæ mentionem fecerunt, ut Specul. in tit. de præbend. §. reſtat. num. 2. & Joann. Andreas in cap. 15. cui conceditur, de præb. in 6. Joann. à Chokier illud exactè refert, & variis quæſtionibus elucidat, in ſpeciali tractatu, quem inſcripſit: Scholia in primarias preces Imperatoris. Idem*

(h) *Azor. p. 2. l. 9. cap. 1. nu. 36. Vivian. p. 1. l. 3. c. 1. n. 36.*

(i) *Marta de Juriſd. p. 2. c. 40. n. 7.*

(l) *Goldaſt. Conſt. Imper. to. 3. poſt ann. 1286 f. 446.*

noviſ-

noviſſimè præſtitit P. Henr. Vvagnerek S. I. in Comment. Exeg. SS. Can. b. Tit. in 6. ad c. 1 cui 19. fol. 487. & quià hæc materia in Germaniâ practica eſt, pauca ſaltèm magis præcipua ſubnotabo (a).

28. Proſequitur Engel ipſe ſermonem ſuum, & ait: *Itaque I. poteſt Imperator ſuas preces interponere, non tantùm in menſibus Papalibus, dummodò beneficia vacantia non ſint reſervata per Extravag. ad regim. b. tit. inter com., ſed etiàm in menſibus Ordinariorum, non obſtantibus Concordatis Germaniæ, quibus expreſsè derogatur in Indulto primarum precum circà finem, verſ. nec non Concordatis &c. neque enim veriſimile eſt, Imperatorem Fridericum, concordando cum Sede Apoſtolicâ, & Ordinariis Germaniæ, voluiſſe ſuo, & ſuorum Anteceſſorum antiquiſſimo privilegio renunciare, ſuiſque Succeſſoribus præjudicare, Chokier. d. Tract. 4. pag. 59. Vvagnereck d. l. 3. verſ. in quibuſvis. fol. 492. II. Poteſt quidèm Imperator in omnibus Eccleſiis, in Imperio ſitis, primas preces concedere, ſub hac tamèn moderatione, ut eumdem collatorem non niſi ſemel, ideſt pro unico tantum beneficio gravet, gravaſſe autem tunc cenſebitur, ſi preces ad effectum pervenerint. Undè ſi Preciſta (ideſt ille, cui preces conceſſæ ſunt) fortè matrimonium contrahendo, precibus renuntiarit, vel antè adeptum beneficium mortuus ſit, poterit Imperator prò alio novas preces ad eundem Collatorem porrigere. III. Ut preces locum habeant, debet Collator ſaltem 4. beneficia conferre poſſe: quià ſi unicum tantùm, aut alterum conferendum habeat, non tenebitur preces Cæſareas admittere, nè facilè contingat, ut toto vitæ ſuæ tempore impediatur uti jure liberæ ſuæ collationis. IV. Excipiuntur à primis precibus dignitates Pontificales, Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, & primæ poſt illas, ut Præpoſituræ, vel Decanatus (niſi aliundè forſan ex jure patronatus, aut ſpeciali privilegio jus præſentandi, vel nominandi in aliquibus hujuſmodi dignitatibus Imperatori competat) item dignitates primæ, & Prælaturæ in Monaſteriis, Eccleſiis Collegiatis, non autèm dignitates inferiores, officia, vel Canonicatus etiàm in Eccleſiis Cathedralibus. V. Excipiuntur beneficia, pertinentia ad jus patronatus laicorum, utpotè cui Pontifex nunquàm intendit derogare, niſi exprimat. VI. Ut preces effectum ſortiantur, poteſt Imperator ex auctoritate Pontificiâ ſibi conceſsâ Viros Eccleſiaſticos, in dignitate conſtitutos, ſuarum precum executores deputare, atque hi executores, ex eâdem authoritate Pontificiâ, poterunt contrà quoſvis Collatores, Epiſcopos quoque, & alios, ad quos preces directæ ſunt, etiàm per Cenſuras Eccleſiaſticas procedere, ut preces ad effectum redigantur* (b).

29. Hujus privilegii, prætèr memoratos ab Engel, mentionem faciunt ex Canoniſtis Stephanus Gratianus (c), Julianus Vivianus (d), Anaſtaſius Germonius (e), Melchior Lotterius (f), & alii: non omittentes obſervare, quod locum non habet in terris Italiæ, ubi regnet Imperator. Ejus antiquiſſima formula eſt apud Auctorem Addionum ad Urſpergenſem Abbatem, ſub his terminis concepta: *Cum ex antiquâ, & approbatâ, ac à Divis Imperatoribus, & Regibus ad nos productâ conſuetudine, quælibet Eccleſia, in noſtro Romano Imperio conſtituta, ad quam beneficiorum eccleſiaſticorum pertinet collatio, ſuper unius collatione beneficii precum noſtrarum primarias admittere teneatur; devotionem tuam rogamus, quatenùs huic Clerico de eccleſiaſtico beneficio ſtudeas liberalitèr providere* (g). Hoc Imperiale indultum confirmavit Pius Papa IV. & cum tempore Gregorii Papę XIII. dubitatum fuiſſet, an illud tamquàm continens expectativas, quas Concilium Tridentinum mandaverat aboleri, cenſeretur ſublatum; Sacra Congregatio, eidem Concilio interpretando præpoſita, declaravit non eſſe ſublatum (h). Succeſſivè alii Pontifices idem privilegium confirmarunt, & ſignantèr Paulus V. favore Matthiæ Imperatoris (i), Urbanus VIII. favore Ferdinandi III. (l). Annoque 1714. Indultum primarum precum contulit Sanctiſſimus Noſter Clemens Papa XI. Auguſtiſſimo Imperatori Caroli VI. nunc felicitèr regnanti.

30. Qui plura deſiderat ſcire de hoc privilegio primarum precum Imperialium, legat Conradum Oligenium, virum doctiſſimum, qui non minus eruditè,

&

(a) Engel. Colleg. jur. Canon. p. 2. l. 3. tit. 15. §. 7. n. 70.

(b) Ludovicus Engel loc. cit.

(c) Gratian. diſcept. for. c. 478. n. 15.

(d) Vivian. de jure-patr. l. 11. cap. 12. n. 3.

(e) Germon. de ſacror. immun. l. 3. c. 12. num. 29.

(f) Lotter. de re benef. l. 1 qu 6. n. 47. Marta de juriſd. p. 2. c. 40. n 6. Joan. à Chokier. ſchol. in prim. prec Imper.

(g) Addit. ad Conradum Abb. Uſperg.

(h) Fagnan. in cap. Nulla 2. n. 10. de conceſſ. præbend. lib 3.

(i) Conrad. Oligen. de Primar. precib. § 50.

(l) Idem Oligenius §. 54.

quàm prudentèr, annis præterlapſis, amplam diſſertationem edidit ſuper eâdem rè, Cędro dignam, & à viris doctis uberrime commendatam (*a*). In antiquis hiſtoriis reperitur, quod etiàm alii quidam Reges preces interponebant, ut beneficia Clericis à sè deſignatis à Collatoribus conferrentur (*b*). Sed hæc fortè alicubi tùnc magis ex præpotentiâ, quàm ex jure legitimo proceſſerunt: & ideò illis aliquandò Antiſtites efficacitèr obſiſtebant. Jam autem hæ ſunt e medio ſublatæ, nec nobis innoteſcit, quod, prætèr Imperium, hæ preces alibi locum habeant, quàm in Chriſtianiſſimo Regno Galliæ, ubi prò lętis Regni auſpiciis, Rex à Collatoribus poſtulat, ut Clericis à sè deſignatis aliqua beneficia conferant vacatura. Quibus precibus dùm datur effectus, nec Rex, nec Imperator beneficium conferunt: Laicis quippè, ut ſic, tametſi Regibus, ineſt incapacitas conferendi ſpiritualia (*c*): Sed Ordinarii Collatores id conferunt ad inſtantiam eorum. Et ſic Proviſo oritur actio, non ex facto Principis, ſed ex facto Collatoris (*d*).

(a) *Conrad. Oligenius de prim. prec. per tot.*

(b) *Regial. an. 1289 n. 30. Thomaſſin. Veter. & nov. Eccl. diſc. p. 2. l. 2. cap. 34. n. 8.*

(c) *Anaſtaſ. Germon. de Indult. Card. 5. citâ Summer 9.*

(d) *Lotter. de rè beneſ. l. 2. qu. 6 n. 47. Ludovic. Engel. loc. cit.*

CAPUT XXV.

Quid peculiare dicendum ſit dè Beneficiis Eccleſiaſticis, in Regno Neapolitano conſtitutis, quoad eorum Collationem, tàm Clericis extraneis, quàm indigenis. Oſtenditurque hoc Regnum eſſe proprium, & patrimoniale Romanę Eccleſię.

SUMMARIUM.

1 *Particulares rationes oſtendunt, in Regno Neapolitano, cum indigenis admittendos eſſe quoque extraneos ad eccleſiaſtica beneficia.*

2 *Contradictores ſcripſerunt ad opportunitatem ſuæ cauſę, interius alioquin benè de veritate, ut putamus, ſentientes.*

3 *Sicilia olìm complectebatur terras, tàm citrà, quàm ultrà Pharum, quas ab initio conjunctas fuiſſe ferunt, & deindè diſſiluiſſe.*

4 *Utraque Regio unum Regnum componebat ſub Regibus Normannis, Suevis &c. Deſcribitur, & laudatur Urbs Neapolis.*

5 *Memoratur laniena illa celebris, cui nomen à veſperis Siculis. Ex eo tempore Siciliæ Regnum diviſum fuit in duas partes.*

6 *Utrumque Regnum Sicilię ſaltem à 700. annis ſubeſt Romanæ Eccleſię illiuſque feudum eſt. Nec res adeò certa irriſiones Contradictorum meretur.*

7 *Quandonam, & quomodò Sicilia pervenerit ad dominium temporale Romanæ Eccleſię, res eſt valdè antiqua: de quâ plures Scriptores.*

8 9 10 11 *Referuntur verba Caroli Sigonii, enarrantis quomodò, & quandò Normanni ingreſſi ſunt Apuliam.*

12 *S. Leo Papa IX. Normannos Cenſuris, & Armis appetiit, quià terras D. Petri occupaverant, ſed victus cedere coactus eſt.*

13 *Ex Pandulfo Oſtiario Lateranenſi, Normannos accerſivit idem S. Leo, ut occupatores terrarum Apulię diſpelleret.*

14 *Qui S. Leo recuſabat loca illa, à Normannis expugnata, eiſdem in feudum relinquere: Sed prælio victus, tandem ceſſit.*

15 *Non moviſſet arma ſpiritualia, & temporalia D. Leo Papa IX. adversùs Norman-*

mannos, niſi dominium illius terræ ſpectaſſet ad ſedem Apoſtolicam.

16 *Roberto Guiſcardo Ducatum Apuliæ, & Calabriæ, ac Ricardo illius fratri Principatum Capuæ, Nicolaus Papa II. in feudum contulit.*

17 *Robertus, & Ricardus inveſtituram non ſuſcepiſſent, fidelitatem non juraſſent, nec Tributum exhibuiſſent Papæ, niſi ad eum illorum Terræ pertinuiſſent.*

18 19 *Marius Alterius temporalem poteſtatem Papæ ſuper utriuſque Siciliæ Terris, refert ad donationem Caroli Magni, & Ludovici Pii.*

20 21 22 *Raphael Volaterranus rem ab ovo repetit, refertque dominium illud ad donationem Pipini, & Caroli Magni.*

23 24 *Ex Volaterrano patet, Papas, vigente lineâ Normannorum, multa feciſſe probantia utramque Siciliam eſſe feudum Romanæ Eccleſiæ.*

25 26 *Doctor Marta dominium temporale præfatum retrotrahit ad donationem Conſtantini, de quâ quid ſentiant viri docti?*

27 28 *Nicolaus Papa II. Apuliam, & Calabriam Roberto Guiſcardo Normanno in feudum, cum titulo Ducali, conceſſit.*

29 *Etſi donationes Conſtantini, & Caroli Magni, ab aliquibus impugnentur, à multò pluribus tamen, & ſapientioribus defenduntur.*

30 *Sex circumferuntur* Donationis Conſtantini *exemplaria, quæ in ſubſtantiâ conveniunt, etſi in verbis aliquantò diſcordent.*

31 Donationem Caroli Magni *Anaſtaſius Bibliothecarius fuiſſe factam teſtatur. De qua & plures Papæ, atque Imperatores loquuntur.*

32 *An Regna Gothorum, ac Longobardorum fuerint juſta Regna? Poſt Momyllum nullus fuit Imperator in Occidente, uſque ad Carolum Magnum.*

33 *Heruli, Duce Odoacre, Italiam occuparunt. Theodoricus Gothorum Rex ter prælio illum fudit, & Ravennæ interemit.*

34 *Gothi regnarunt uſque ad annum 553. Tenebant Regnum Neapolis, & Siciliam, ut ex multis epiſtolis Caſſiodori patet.*

35 *Gothi fuerunt legitimi poſſeſſores Italiæ, ab Italis vocati, quibus & Zeno Imperator cum Senatus aſſenſu Italiam ceſſit.*

36 *Theodorico ſucceſſit Athalaricus, indè Amalaſuntha, quam Theodatus ejus vir necavit: undè originem habuit everſio Regni Gothici.*

37 *Juſtinianus, cui Rex Theodoricus filiam Amalaſuntham commendaverat, arma ſumpſit adversùs Theodatum Uxoricidam.*

38 *Nullum jus habebat Juſtinianus evertendi Regnum Gothicum. Neapolitani Gothis adhæſerunt, exciſi proindè à Beliſario.*

39 *Rexit Italiam deindè Narſes, qui Longobardos vocavit in Italiam, horumque Regnum ab Alboino fundatum eſt.*

40 *Longobardi totam penè Italiam tenuerunt, & in eâ Regnum Neapolitanum; ſuberat verò Imperatori Græco Exarchatus Ravennæ.*

41 *Quanta fuerit probitas Narſetis. Everſo Regno Gothorum, illius pars licitè occupari potuit à Longobardis, quorum Regnum fuit juſtum.*

42 *Ob hæreſim & deſidiam Græcorum, Itali ſè Papæ ſubdiderunt: cui Longobardi Terras ſuſtulerunt: Galli verò eos ad illas reſtituendas coegerunt.*

43 *Reſponſio data à Pipino Legatis Imperatoris Græci, probat jus legitimum Papæ ſuper Urbibus, & Provinciis Exarchatus, & Pentapolis.*

44 *Cum Deſiderius Longobardorum Rex reſtituta loca ab Aiſtulpho iterùm occupaſſet; Carolus Magnus Longobardorum Regnum evertit.*

45 *Juſtè fuit everſum Regnum Longobardorum à Carolo Magno, qui & juſtè partem illius reſtituit, partem reſpectivè donavit Papæ.*

46 *Idem Carolus Ducem Beneventanum in deditionem ſuſcepit, Græci per aliquod tempus occuparunt aliquas partes Regni Neapolitani.*

47 *Carolus Magnus tradidit terras Regni Neapolitani Summo Pontifici, quatènus eas expugnaret, ut ſperabat: ad quem ex tùnc pertinuerunt.*

48 *Et permiſit ibi vigere Principes varios, tamquàm Vaſſallos, quos diruere non poterat. Hinc varii Duces, & Principes ibi eſſe perrexerunt. Significatio vocis* Dux *diverſo modo ſumi poteſt.*

49 *Ex diplomatibus plurium Imperatorum, ratificantibus donationem Caroli Magni, patet Regnum Neapolis ad Sedem Apoſtolicam omninò pertinere.*

50 *Variis documentis probatur, quod tempore, intèr Carolum Magnum, & Normannorum adventum currente, Regni Neapolis proprietas erat apud Sedem Apoſtolicam.*

51 *Papæ vocarunt Normannos in Regno contrà Græcos occupatores: indè Normannis ipſis idem Regnum in feudum conceſſerunt.*

52 *Si deeſſet omnis alia ratio, ſatis eſt, quod à 700. annis Regnum Neapolis retentum fuit à variis familiis, ſemper tamquàm feudum Sedis Apoſtolicæ.*

1. QUæ hucùſque diximus vera ſunt, & veriſſima, prout de sè patet, ac pro quacumque Orbis Chriſtiani parte locum habent, itàut Eccleſia, ejuſque miniſtri, beneficiorum Collatores, vel ad ea Nominatores, ubilibet plenâ libertate potiantur, largiendi, non modo Clericis indigenis, verum etiam extraneis eadem beneficia, in quacumque Regione, Regno, Provinciâ, Urbe, Oppido, & loco ſita ſint, niſi privilegium Apoſtolicum alitèr prædefiniat. Nùnc ergò videndum eſt, an aliqua ratio, ſive rationes ullæ peculiares, in Regno Neapolitano concurrant, libertatem ipſam fortitèr roborantes. Et rebus benè penſatis, atque ſemel, bis, & centies ponderatis, veritas, quæ una eſt, & vincit omnia (*a*), & prò quâ unâ nos hæc ſcribimus, noſmet impellit ingenuè profiteri, quod in præfato Regno, nedum propter rationes hucuſque allatas, & communes omnibus locis, ſed etiam propter peculiares rationes, quæ ibi concurrunt; debent ad beneficia ſacra, etiam extranei admitti. Mirumque, quod tot, & tàm acribus libris, & ſcriptionibus Contradictores manum appoſuerint, non freti ratione generali, non ſpecialibus indultis ſuffulti, non expreſſis ſanctionibus conſtipati, quæ magis eorum cauſæ faveant in prænotato Regno, quam alibi, in quâcumque, non privilegio munitâ Orbis parte, ſuccedat.

(a) 3. *Eſdræ cap. 3. num. 12*

2. Audivimus quod aliqui, ſcripta Contradictorum legentes, eadem fuiſſe lucubrata cenſuerunt, non ad juſtitiam tuendam, neque ad ſuſtinendam veritatem, ſed potius ad inſcios ſic ſuadendos, ad Regnum perturbandum, & ad Eccleſiam captivitate indebitâ conſtringendam, atque ad alios minùs laudabiles effectus. Verum nos de iiſdem mitiùs, & modeſtiùs ſentimus, ſaniori ſenſu interpretantes eorum opera, & benignè cogitantes, quod ipſi more Advocatorum, cauſas obvias patrocinantium, ad ſcribendum accerſiti pro excluſione extraneorum, ea exaraverint, quę ad opportunitatem ſuæ cauſæ facere cogitarunt, relictâ in ſuis viribus veritate, cui, & ipſi interius deferant, credentes illam, nec eam ullatenus in dubium revocantes, cum idcircò fortè ſuppreſſerint eorum nomen; & volumina, quæ ediderunt, ſub anonymo titulo typis publicis evulgaverint, nè à ſinceris, & doctis viris agniti, ſive quoad nomen, ſive quoàd perſonam; de hoc unquàm notari poſſint, quod adversùs tantam veritatem, aggreſſi ſint, & libros conſcire, & calamo decertare, contrà omnem prudentiæ legem, & ſapientiæ rectum dictamen. Sed ad rem noſtram.

(b) *Card. de Luca de regal. diſc. 187. n. 2*

3. Sicilia, ut in propoſito noſtro conſiderata (*b*), olim complectabatur totum illum tractatum Italiæ, qui à finibus Ditionis temporalis Eccleſiæ, inter Adriatici, ac Tyrrheni maris limites, ad Jonium pelagus ſe diffundit, cum alio tractu oppoſito terræ, quæ Triquetra, vel Trinacria alio nomine dicta eſt, eo quod, ut ait Ovidius, formam trianguli tenens, *terra tribus ſcopulis vaſtum procurrit in æquor* (*c*). Utramque hujus terræ partem antiquis Sæculis fuiſſe conjunctam, & Agrum Brutium ità Meſſanenſi cohæſiſſe territorio, ut unum corpus indivulſum componerent, reſe-

(c) *Ovid. 4. Faſt. 84.*

referunt Trogus (*a*), Herempertus (*b*), Plinius (*c*), & alii, quos inter Virgilius cecinit, *hæc loca vi quondam, & vaſtâ convulſa ruinâ (tantum ævi longinqua valet mutare vetuſtas) diſſiluiſſe ferunt, quùm protinùs utraque tellus, una foret* (*d*). Interjacet utrique parti anguſtum æquoris ſpatium, ad modum Euripi, milliare cum dimidio non excedens: ubi Scylla, & Charybdis ſunt, notiſſima loca, ſive ſcopuli, ſive partes ipſius pelagi (*e*), per quas aquæ diffluentes, miro modo ventorum turbinibus agitantur, & ſæpius glomeratæ, atque contortę, amplaque in volumina conglobatæ, taliter viatoribus ſunt infeſtæ, ut qui alterius ſcopuli exitia devitat, alterius diſcrimina non effugiat: undè proverbium, de periculum aliquod declinantibus, & impingentibus in aliud; *decidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim* (*f*). Æquora hic adeò furibundè agitari, ne utraque tellus, jàm in partes diſciſſa, iterum coaleſcat in unum, feſtive quidam Poeta proluſit, canens: *Vis illic ingens pelagi, ſemperque laborans æquora, nè rupti, repetant confinia montes* (*g*).

4. Utramque Regionem tam citrà, quàm ultrà Pharum, unicum ſimul compoſuiſſe Regnum (*h*), tàm ſub Normannis, quàm ſub Svevis Principibus, & etiam ſub Andegavenſium initiis, eſt certo certiùs in hiſtoriis: utraque etenim Regio uni, & eidem Regi parebat, ſub nomine Regni Siciliæ, cujus Metropolis erat Panormus (*i*), primuſque fuit Carolus Andegavenſis, qui cępit diuturniorem moram facere in urbe Neapolis (*l*), anteà dictâ Partenope, à ſepulcro Syrenæ (*m*), captus forte Urbis illius prærogativis, quæ ſitus amenitate, Cœli clementiâ, populi numeroſitate, generoſæ nobilitatis multitudine, divitiarum tandem ubertate, ædificiorum magnificentiâ, ac Sacrorum Templorum majeſtate, & religioſitate, nullam in utrâque Siciliâ habet æqualem, & paucas in toto Orbe conſimiles. Legendus eſt de illâ Ubertus Folieta Ligur, qui ex profeſſo ejus laudes proſequitur, & inter cętera ſic perorat: *Si quis cęteras Europæ Urbes, quæ paulò conſpectiores ſunt, intuebitur, nullam inveniet præter Neapolim, omnibus naturę, & fortunę bonis cumulatam, & in quâ non multa deſiderentur &c. Eſt poſita urbs Neapolis in agro Campano, quem omnium Scriptorum, tàm veterum, cùm recentiorum conſenſus cęteris omnibus agris totius Orbis terrarum longè anteponit. Verba L. Flori huc transferre non pigebit. Omnium, inquit, non modo Italiâ, ſed toto Orbe terrarum pulcherrima Campaniæ plaga eſt: nihil mollius Cœlo: denique bis floribus vernat &c.* (*n*).

5. Verum poſtquam notiſſima illa, & toto Orbi celeberrima laniena ſucceſſit, cui à Veſperis Siculis nomen inditum eſt (*o*), cum incolæ partis illius, quæ Trinacria nuncupatur; cœſis unâ die Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ad ſignum Veſperarum (*p*), cunctis Francis, qui in eâ Inſulâ conſiſtebant, Militibus præſidiariis, Ducibus, & Miniſtris Caroli Andegavenſis, cunctis ad numerum octo millium, uno penè temporis momento interemptis (*q*), eorumque etiam fętibus è pręgnantium fœminarum utero evulſis (*r*); in duas partes diſciſſum eſt Regnum, quarum una, eidem Carolo Andegavenſi, ejuſque poſteris obſecundans, dicta eſt Regnum *Siciliæ citrà Pharum*, ſive Regnum *Apuliæ*, ſeu Regnum *Neapolitanum*, à Neapoli Regionis hujus Metropoli, ob reſidentiam, quam Reges in eâ Civitate facere conſueverunt (*s*). Altera verò Petro I. Aragonio, ejuſque ſucceſſoribus obſequens, vocata eſt Regnum *Siciliæ ultrà Pharum*, ſeu *Trinacriæ*. Et exindè utraque Regio non amplius in unum idemque Regnum coaluit, ſed utraque Regni ſeparatiſe titulo nuncupavit. Imò tametſi à Ferdinando V. Catholico ad uſque noſtram ętatem, unus, & idem Princeps utrimque regnaverit; attamen hic Regis, non Siciliæ ſolum, ſed Regis utriuſque Siciliæ, denominationem aſſumpſit. Adeòque nùnc neutra Regio in Regali dignitate pendet ab aliâ, ſed unicuique ſuum Sceptrum, ſuum Diadema, ſuum Regale decus ineſt, ſuaque Regia Metropolis, ac omne tandem quidquid ad diverſificandum Regnum à Regno requiritur à Politicis, atque à Principibus definitur (*t*).

6. Regnum hoc Siciliæ citrà Pharum, ſivè Neapolis, ſeptingentis ſaltem circitèr ab hinc annis, tàm in temporalibus, quam in ſpiritualibus, pleno, ac di-

(a) *Trogus hiſtoriar. lib. 4*
(b) *Herempert. Epitom. Chronolog. in fin. fol. 82*
(c) *Plinius l. 3 cap. 8*
(d) *Virgil. 3. Æneid. verſ. 83.*
(e) *Seneca epiſt. 80.*
(f) *Nizolius Theſ. ling. lat. verb. Scylla*
(g) *Foreſt. Mappam. hiſt. tom 4 p. 1. lib. 7. in Reg. Siciliæ*
(h) *Vide Thomã Fazellum, & alios Sicul. hiſt.*
(i) *Philippus Cluverius l. 2. Sicil. Antiqu. cap 3.*
(l) *Abraham Bzovius an 1266 n 6*
(m) *Raphael Volater. Geograph. l. 6. in Campania*
(n) *Ubertus Folieta de laud. Neapolis*
(o) *Blondus dec 2. lib. 8. Fazel. l. 8. Petav. ration temp. l. 9 c. 2*
(p) *Petavius loc. cit. Blondus ubi ſuprà. Loſche nella Caſa d'Auſtria in Carlo d'Angiò*
(q) *Foreſt. Mappam. hiſtor. in Reg. Siciliæ in Carlo d'Angiò*
(r) *Raynald an. 1285 n. 12. Petav. Ration. temp. l. 9 c. 2.*
(s) *Card de Luca de Regal diſc. 127 num. 3*
(t) *Idem Cardin. de Luca loc. cit. n. 6*

recto jure ſubeſt Romanæ Eccleſię (*a*), quę illud ab eo tempore, uſque ad poſtremum Sæculum Decimumſeptimum in feudum Regale contulit quinque ſucceſſivè familiis, nempè *Normannis*, *Svevis*, *Andegavenſibus*, *Aragonils*, & *Auſtriacis*, juxtà ſchema illarum Arboris, quod paulo infrà ponetur, hacque de re pleni ſunt annales eccleſiaſtici (*b*), & alii Hiſtorici (*c*), atque Juriſconſulti (*d*). Attamèn Contradictores irridet nomen feudi in Regno Neapolitano: huncque ab eo titulum, hanc, cæteroquin conſpicuam prærogativam, indè diſcerpere connituntur: ſed quam improvidè, & irrationabilitèr, doctus, ac prudens lector dijudicet, ex iis, quæ nos in præſenti, & in ſucceſſivis capitibus congeremus. Regnum Neapolitanum eſt patrimonium D, Petri, ac feudum Romanæ Eccleſiæ; hocque eſt adeò certum, quam certum eſt, ſolem eſſe lucidum in meridie. Et quia *ſupervacuis ad beneficia laborat impendiis, qui ſolem certat facibus adjuvare* (*e*), ſuperfluum videretur huic rei formitèr comprobandę immorari, niſi ſuis irriſionibus, & contentionibus ad id Contradictores exiguitatis noſtræ calamum incitarent. Eſt inquam Regnum Neapolitanum patrimonium D. Petri, feudum Romanæ Eccleſię, Terra Sedis Apoſtolicæ, locus fiduciarius Pontificis, Regnum tandèm clientelare ligium, & feudale SS. Domini noſtri Clementis Papæ XI., nunc in Divi Petri Cathedrâ confidentis.

(a) De Luca de Preęmin. diſc. 46. n. 4.

(b) Cardinalis Baronius, & Oder. Raynaldus in Annalibus Eccleſiaſticis paſſim.

(c) Pandolph. Collenut. Simonet. & alii Hiſtor. Neapol.

(d) Jo de Ponte dec. 1 Card. de Luca loc. cit. Mart. de Juriſd. p. 1. c. 26 n. 6.

(e) Cap. ſi omnia 6. quæſt. 1.

7. Quandò autèm, & quomodò Sicilia, tam citrà, quam ultrà Pharum, ad Sedis Apoſtolicæ dominium temporale pervenerit, & illius patrimonium factum ſit, res eſt valdè antiqua, de quâ in præſenti Capitulo referemus varios diverſorum temporum, & locorum Scriptores, qui eandem fuſiori ſtylo ſunt proſecuti: ut illius notitiam plenam habeat Lector, victique fateantur Contradictores, quod cum teſtibus multiplicibus, conſentaneè ſuper eâdem rè deponentibus, ſit omninò credendum, coguntur vel inviti affirmare, Siciliam, & præſertim Regnum Neapolitanum, eſſe rè verâ feudale Romanæ Eccleſiæ. Itaque primo loco emergat Carolus Sigonius, egregius, & peritus Hiſtoricus (*f*), nec unquam nimium propenſus favore Sedis Apoſtolicæ, adeoque nihil quoad hanc rem, de falſitate ſuſpectus: ait enim, incipiens locutionem à tempore, quo Normanni Regnum Neapolis ſunt ingreſſi, ſub anno 1016. -- Idem annus principium magnorum in Italiâ motuum intulit. Quibus Græcis Italiâ pulſis, nova deinde Nortmannorum dominatio, quæ poſt in ulteriore Italiâ claruit, conſtituta eſt (*g*).

(f) Anton. Poſſevin. Apparat. ſacr. in Carol. Sigon.

(g) Carol. Sigon de Regn. Italię lib. 8. ſub. an. 1016 f. 190.

8. Indè ſequitur: -- Tenebat adhuc Imperator Orientis Provincias Apuliam, & Calabriam, paulò antè ex manibus Germanorum extortas, eaſque ſæviore, quam antè, imperio gubernabat. Argumento eſt novus Magiſtratus impoſitus, qui Catapanus dicebatur, undè regio quædam ab illo Catapanatæ nomen invenit. Indicant nova multa à Catapano ipſo Oppida ædificata, ut Troja, quæ poſt Apuliæ caput fuit, Draconarium, Florentinum, & alia. Hanc igitur Gręcorum tyrannidem, inſolentemque dominationem cum Apuli, & præcipuè Barenſes, ferre non poſſent; conſilium depellendæ cęperunt, auctore, ac duce Melo quodam, ſummæ inter ipſos nobilitatis, & potentiæ viro, & Datto equite fortiſſimo, ipſi Melo propinquitate conjuncto. Verum ubi, conſiliis ſuis detectis, ingentes adverſus sè Imperatoris copias adduci ſenſerunt, metu exterriti, turpitèr sè, ſuaque Græcis tradentes, Melum quoque, & Dattum dedere ſtatuerunt. Quâ rè prævisâ, eorum uterque clam ex urbe profugit. Atque Aſculum progreſſi, veritique, ne Gręcis traderentur, noctu urbe exierunt, ac Beneventum primum, deindè Salernum, atque ad extremum unus Capuam, Caſſinum alter, petierunt. Melus à Pandulfo Principe Capuano ſuſceptus, conſilia omnia pro recuperanda Patriâ, & Gręcorum tyrannide delendâ concupiſcere cæpit &c. (*h*).

(h) Sigon. loco cit. f. 190. n. 32.

9. Et poſteà ſub anno 1041. -- Poſtero anno in ulteriore parte Italiæ via tandem eſt patefacta, quâ Gręci diuturnâ poſſeſſione Italię pellerentur, & nova in eam Normannorum dominatio induceretur. Ardoinus, domo Lombardus, ſpectatæ virtutis, atque ingentis animi vir, à Ducliano grandi datâ pecuniâ Candidati hono-

honore affectus, & oppidis quibuſdam Apuliæ præpoſitus fuerat. Is cum in ſuperiore expeditione Saracenum quendam in Siciliâ proſtraviſſet, inſignem ejus equum, quem ſibi pugnans pepererat, à Maniaco impetrare non potuit, verum eo cum dedecore ſpoliatus eſt. Hujus igitur ulciſcendæ injuriç cupidus, conſilium eripiendæ Grçcis Apuliç cçpit. Itaque ſimulato voti cauſa Romam itinere, Averſam ad Ranulſum Comitem, genere Normannum, ſe contulit, atque ejus animum ad Apuliam invadendam, accendit, effçminatos appellans Grçcos, terram opulentam: Normannos jam numero, armiſque prçſtantes, turpè eſſe exiguis, parvi, atque obſcuri oppidi finibus eſſe contentos. Ranulſus iſte cum ſociis adjutor fuerat Sergio Duci Neapolitano ad recuperandam illam urbem, à qua fuerat per Pandulſum Capuanum anteà deturbatus. Undè Sergius *rerum potitus Rainulſum ſibi affinitate conjunctum Averſæ Comitem fecit* (a). Quarè vir potens factus, & in rebus militaribus valdè prçvalens, ad fortia quçque aggredienda erat idoneus.

(a) *Sigonius de Regno Italiæ lib. 8. ſub. ann. 1029. & 1032.*

10. His ità ſe habentibus Ranulſus Ardoini conſilio comprobato — Strenuos ei duces duodecim cum trecentis militibus tradidit, pactus, ut quçcunque occuparentur, çqua inter omnes ſorte dividerentur. Quibus rebus Sacramento firmatis, ineunte verè, repentè omnes impetum in Apuliç fines fecerunt, atque imparata omnia nacti Sabbato Paſchatis 12. Kalen. Aprilis Melſim totius Apuliç clauſtrum, atque indè Venuſiam, Aſculum, & Labellum haud magno certamine occuparunt. Poſt occurrentes Ducliani Copias graviſſimo commiſſo prçlio ad Oliventum ità conciderunt, ut omnes aut pugnantes deſideraverint, aut arma ponentes in acie cçperint. His rebus in Grçciam nunciatis Michael Calaphates, qui Paphlagoni mortuo ſucceſſerat, ut qui maximè perturbatus, majorem ad Duclianum exercitum miſit. Quâ rè compertâ Normanni, ut accolarum animos ſibi conciliarent, atque in ſocietatem belli promptiores haberent, Atenulſum, Beneventani Principis fratrem, ſibi ducem aſciverunt, atque coactis rurſus copiis adverſus Grçcos contenderunt. Pugnatum eſt ad Aufidum amnem. Ibi Grçci rurſus fuſi, ac fugati cum gradum referrent, fluvium, quem ſiccum trajecerant, ſubitis tumentem aquis repererunt. Ità cum ſibi conſulere natatu vellent, plures gurgitibus hauſti, quam gladiis interempti ſunt. Normanni caſtris Grçcorum potiti, ingentem prçdam retulerunt (b).

(b) *Sigon. de Regn. Italiæ 8. ſub. an. 1041. fol. 199. 4.*

11. Sequenti anno ità ſubjungit, — Proximo anno Imperator Conſtantinus Monomachus, qui Calaphatem abdicantem exceperat, tot acceptis cladibus perturbatus, Exauguſtum Ducliano ſummiſit, ac magnis Grçcorum, Barbarorumque ſupplementis datis, ſummo cum Normannis confligere prçlio juſſit. Itaque Exauguſtus, cum Normanni ad Montem Piloſum facultatem pugnç fecîſſent, in aciem ferox deſcendit. Verum virtutem fortuna deſtituit; ſiquidem amiſſo magnâ ex parte exercitu, ipſe in prçlio captus, ac Beneventi à Duce Normannorum magno pecuniç numero venditus eſt. Normanni verò Argyro, Meli, de quo ante dictum eſt, filio, ſibi duce prçfecto, bellum inde reliquç Apuliç intulerunt, atque oppida alia cçperunt, aliâ voluntate ſibi tributariâ reddiderunt. Poſt hçc Gulielmo, Tancredi filio, ad honorem Comitatus evecto ad Guaimarium cuncti ſe contulerunt; cumque pariter cum Ranulſo Comite Averſano ad dividenda, quç parta erant, Melſim invitarunt. Primum ante Ranulſo Domino ſuo Sipontum cum Gargano, atque omnibus eo pertinentibus oppidis honoris cauſâ conceſſerunt. Deindè cçtera eorum arbitrio, judicioque inter ſe diviſerunt. Gulielmo Aſculum, Drogoni Venuſia, Arnolino Labellum, Hugoni Monopolis, Petro Tranum, Valterio Civitas, Rodulſo Cannç, Triſcamo Mons Piloſus, Herveo Trigentum, Aſclitino Acherontia, Rodulſo S. Archangelus, Ranfrido Monorbinum, Ardoino alia evenerunt. Melſis in communi omnium poſſeſſione relicta. Hoc modo à Normannis Apulia de Grçcorum poteſtate, imperioque ſubrepta eſt. Cçterùm Gulielmus, Drogo, Hunfridus, Rogerius, & Robertus, Cognomine Viſcardus, fratres germani fuerunt, in hac expeditione inſignes, à quibus clara poſt Ducum, & Regum Normannorum

(a) *Carolus Sigon. ubi ſupr. f. 200. 3.*

norum in ulteriore Italiâ progenies propagata eſt (*a*).

12. Sed cum jam nimia fortuna pariter, & potentia Normannorum eſſet Italię generalitèr formidabilis, ac pręſertim S. Leoni Papę IX. deliberavit Pontifex adverſus illos arma movere ſpiritualia, & temporalia, nec abnuit propriis militibus ipſe pręſentialitèr, velut Claſſis Ductor adeſſe: quá de re Sigonius: -- Poſt Joannem X. Pontifex nemo ad bellum prodierat. Itàque Leone paratis rebus omnibus ad Normannicam expeditionem eunte, erectâ novę rei expectatione universa Italia eſt. Hoc ubi ſenſere Normanni, Pontificis reverentiâ ducti, ſtatim pacem petierunt, eâ lege, ut quæ cæperant, Eccleſiæ beneficio retinerent, atque ejus feudatarii fierent. Tum Leo antiquam ſeveritatem ſpirans, reddant ante, inquit, res S. Petro ereptas, deindè de pace loquantur. Cui Normannus ferox: Atqui prius millies mortem pugnando appetiturus ſum, quam quæ ſemel armis peperi, redditurus. Cæterum Leo urbe egreſſus, rurſus Caſſinum adiit, & cum piis Monachorum ſe precibus commendaſſet, ac novis Monaſterium beneficiis exornaſſet, adverſus hoſtes proceſſit. Prò Pontifice ſtabat Rodulfus Beneventi Princeps, paulò ante ab eo inſtitutus, & Varnerius Svevus Dux, ab Henrico ſummiſſus: pro Normannis ipſe Comes Hunfridus, cum Ricardo, & Roberto fratribus. Caſtris utrinque in Apuliam promotis 14. Kalend. Julias fortitèr ab utrâque parte concurſum eſt. Primo prælio Normanni loco moti ceſſerunt. Inde collectis copiis, Pontificios ex improviſo aggreſſi, ità circumvenerunt, ut Lombardos in fugam conjecerint, Germanos ad unum prope omnes occiderint. Haùd incruenta tamèn victoria fuit. Leo ex prælio in Caſtellum trepidus ſe recepit, ibique acritèr obſeſſus, tandèm redditâ, quam ademerat, Sacrorum communione, ſe dedidit, ac 19. Kalen. incolumis ab Hunfrido Beneventum deductus eſt (*b*).

(b) *Sigon. loc. cit. ad an. 1053. f. 206. 17.*

13. Pandulfus Oſtiarius Lateranenſis, in additionibus ad Chronicon Damaſi Papæ, ſuggerit, quod Normanni in Apuliam perexere, non tam ab Apulis accerſiti, quam à D. Leone Papâ IX. vocati, ut inde pellerent Gręcos, & Saracenos, Regionem illam dilaniantes: ait enim, de ipſomet Sancto Leone Papâ loquens: *Hic ſuâ prædicatione omnes Normannos, & Francigenas ad deſtruendam ſuperbiam illorum, qui in partibus Apuliæ commorabantur, deduxit: quoniam ſuperbia eorum intantum creverat, quod totam terram in ſuo poſuerant dominio, & B. Petri Vicarii ni hil ibi juris, aut dominii retinebant. Quâ denique victoriâ factâ, & totâ terrâ ſuo dominio redditâ, ad urbem cum pace rediit* (*c*). Supponit hæc locutio, quod Sedes Apoſtolica ante D. Leonem IX. qui ſedere cępit anno 1049. temporalis dominii jus haberet in Apuliâ, pro quâ de manibus occupatorum recuperandâ, Pontifex vires Normannorum procerum accerſivit. Græci enim, qui Apuliam tenebant, non eam juſto jure adepti erant, ſed per vim ſibi ſubegerant, & populos tyrannico regimine comprimebant. Quod ut excuterent Apuli, conſilium arma ſumendi, Duce Melo ſuperius memorato, inſtituerunt: Et D. Leo, ad quem verè ipſius Regionis dominium pertinebat, ſubſidium Normannorum armis præpotentium invocaverat, ut militaribus viribus Gręcos pelleret, quos jam lenioribus officiis, & ſuaſionibus inde poſſe excludere deſperabat.

(c) *Apud Felinum in Epitome Regum Apuliæ cap. 5. fol. 9.*

14. Verùm quia & Normanni Auxiliarii, vel propriâ potentiâ freti, vel regnandi deſiderio, jam hoſtibus depulſis, expugnata loca Pontifici eorum Domino, ut debebant, reddere recuſabant, jamque remedium evaſerat ipſo morbo deterius; Leo, & Cenſuris, & armis, ad id eſſe compellendos exiſtimavit. Igitur, uti memorat Hermannus Contractus. *D. Papa habitâ poſt Paſcha Synodo contrà Northmannos, ut propoſuerat exercitum movit. Cumque illi pacem petentes, ſubjectionem, ſervitiumque ipſi promitterent, & quæ prius injuſtè ſibi uſurpantes invaſerant, ejus beneficio, gratiâque retinere velle ſe dicerent: Idque Papa abnegans, vi & injuriâ raptas res S. Petri repoſceret, eoſque perperam pervaſo cedere loco juberet, illi quia numero longè pręſtabant, quaſi rem impoſſibilem ſibi propoſitam refutantes, ſe potius bello obviam ituros, armiſque acquiſitam patriam armis defenſuros,*

vel

vel morte occubituros denuntians (*a*). Neutrâ ergo parte votis alterius acquieſcente, ad arma deſcenſum eſt: quâ de rè Leo Oſtienſis: *inito certamine in planitie maximâ, quæ Civitati*, Beneventi, *adjacet, paulatim ſe ſubducentibus, fugientibuſque noſtratibus, & ſolis qui cum Papâ venerant, amicis, propinquiſque remanentibus, cum diù ab his acriter pugnatum eſſet, omnibus tandem in ipsâ pugnâ trucidatis, Northmanni Dei judicio evaſere victores* (*b*).

15. En ergo S. Leo Papa IX. & cenſuris vibratis, & armis temporalibus adhibitis; Clavibus nimirum Petri, & Gladio Pauli, Normannos, Siciliȩ citrà Pharum, vel partis ejus, jam retentores, exagitare, & ùt illos inde pelleret, nullum lapidem non movere: quod non egiſſet, niſi Sedes Apoſtolica jus alti dominii ſuper ſolo Apulo tenuiſſet. En paritèr Normanni, offerentes S. Leoni Papȩ IX. feudalem ſubjectionem pro terris Apulis, & ſpondentes, ſe futuros inpoſterum Sedis Apoſtolicæ feudatarios, hominesque ligios, & vaſſallos: quod non exhibuiſſent, niſi agnoviſſent, ſe terras poſſidere, ad altum dominium Summi Pontificis pertinentes. Et quatenus etiam non pertinuiſſent, hȩc ipſa ſubmiſſio illarum terrarum in feudum, & pollicitatio retinendi eaſdem uti feudales, nonnè feudum conſtituit, veris conditionibus feudi prȩditum? S. Leo IX. ergo primus fuit, qui poſtquam renuerat permittere terras Apuliæ Normannis, tandèm infelici certaminis exitu adactus, Humfrido Normanno, uti feudatario Romanæ Eccleſiæ, illas reliquit, uſque ab anno 1053. poſtquam jam anteà & Guillelmus Ferribrachius, & Drogo ejus fratres, Comitatus honore prȩfuerant locis quibuſdam in Regione ipsâ expugnatis, Tancredi eorum Patris veſtigia ſectantes. Pro *Apuliâ* tamèn hic non illa ſola provincia intelligatur, quæ adhuc tali nomine nuncupatur, ſed etiam aliȩ Regiones, circà eam poſitȩ: Apulia enim, ſeu Apuliȩ Ducatus, olim complectebatur etiam Lucanos, & Salentinos, & quoſdam quoque tractus Campaniȩ, & Samnii (*c*), cum aliis locis, & terris, quȩ quandoque dictȩ ſunt Regnum Apulum (*d*).

16. Succeſſivè poſteà Robertus Guiſcardus, frater Umfridi, ad Principatum Apuliæ pervenit, quem ſub titulo Ducatus tenuit, & per Calabriam uſque ad Siciliam ultrà Pharum ampliſſimè dilatavit: de quo idem Sigonius -- Robertus Viſcardus, qui prioribus annis, Hunfrido fratre mortuo, & Baielardo Fratris filio exacto, Apuliæ Comitatum invaſerat, modo Rhegio Calabriæ oppido, & Troja Apuliæ capto, ſuperbus ultrò se Ducem Apuliæ, atque Calabriæ appellabat, & Ditioni Pontificiæ, quaſi continuâ rerum ſerie tractus, imminebat. Ricardus autem frater ejus, qui Capuam, Landulfo Principe ejecto, portis tantum, & turribus urbis in Civium poteſtate relictis, occupaverat; Campaniæ fines vexare non deſinebat. Uterque autèm diris à Pontifice devotus, in ejus ſe auctoritate futurum, atque omnem devotionem armis partam, acceptam ei relaxaturum, pollicebatur; ſi ſe in gratiam recipere, ac feudatarium Eccleſiæ conſtituere vellet. Quibus rebus cognitis Nicolaus, qui parum in sè roboris ad bellum tantum gerendum cernebat, atque proximum Leonis periculum antè oculos habebat, & populorum ſuorum quotidianas defectiones reformidabat; poſtulatis eorum aſſenſit, atque ad rem propius inſpiciendam, ac cognoſcendam, Melfim, ut diximus, proceſſit, ibique conventu habito, Ricardo Capuanum Principatum, Roberto Apuliæ, Calabriæque Ducatum vexillo tradito confirmavit, atque ſolemni eos Sacramento adegit, sè Eccleſiæ Romanæ fideles, ligioſque (ſic enim loquebantur) futuros, atque annui tributi nomine duodenos in ſingula boum juga denarios ſoluturos (*e*).

17. Si Robertus Guiſcardus, Dux potens, ac ſtrenuus, & victoriis, ac fortunâ tam amplè florens, ut nedum Romanis, & Italiæ, ac ipſi Teutonico Imperatori terrorem inferret (*f*), verum etiàm Imperatorem Conſtantinopolitanum, uſque in Græciam invadere non timeret (*g*); certè nec Nicolaum II. nec Gregorium Papam VII. metuebat. Quis credat ergo, quod Papam uti Dominum Terrarum Apuliæ, Calabriæ, atque Siciliæ, quibus præerat, recognoverit (*h*); quod sè illi

tam-

(a) *Herman. Contract. an. 1053.*

(b) *Leo Oſtienſis Chronic. lib. 2. c. 88.*

(c) *Anton. Caraciol. quat. Chronolog. in Nomenclator. Verb. Apulia.*

(d) *Card. de Luca de Feudis diſcurſ. 36. n. 3*

(e) *Sigon. de Regn. Italiȩ l. 9 ſub. an. 1059. fol. 211. 22.*

(f) *Rayn. an 1081. n. 6 7. 8. Lupus Protoſpata Chron an 1081 &c. Villel. Gemmetic. hiſt. Norman l. 7. c. 43.*

(g) *Lupus Protoſpat anno 1081. &c. Gemmetic. loc. cit. Raynald. anno 1081. 13. 14 & 1084. 14.*

(h) *Raynald. an. 1080 n. 38 39.*

Digitized by Google

tamquam vaſſallum profeſſus ſit; Ducatum ipſum ſè tenere in feudum à Romanâ Eccleſiâ declaraverit, illiuſque inveſtituram per Vexilli traditionem de manu Papæ receperit, Papæ Juramentum fidelitatis, tamquam Vaſſallus exhibuerit, & annum tributum deſignaverit, eidem in perpetuum perſolvendum (idemque dicendum de Ricardo Roberti fratre, quoad Principatum Capuanum) quis inquam credat, & Robertum ipſum Guiſcardum, & Ricardum ejus fratrem, talia feciſſe improvidè, irrationabilitèr, ſive causâ? Certè nemo ſapiens hoc arbitrabit. Ergò adſuit cauſa id agendi: & ſi adſuit cauſa id agendi; hęc cauſa alia eſſe non potuit, niſi quod ſicut Umfridus, alter ejus frater, cognoverat, ditionem illam ſupremo jure ad Sedem Apoſtolicam pertinere, ideoque ipſam in feudum nobile à S. Leone Papâ IX. ſuſcepit, ſic & ipſe ſexennio poſt, nempè anno 1059. debebat facere idipſum, prout fecit, cum Nicolao Papâ II. (*a*), & poſteà anno 1080. repetendo tantundem cum S. Gregorio VII. & ita, ſicut debuit, ſic & id fecit bis. Verum ſi per hypotheſim Sedes Apoſtolica nondum adhuc ullam ſupremi dominii rationem in illis terris habuiſſet (cum tamen certè ipſam haberet, ſaltem ob factum præventivum Umfridi cum S. Leone IX.) non nè potuit, & voluit Robertus Guiſcardus novum feudum in terris à ſe acquiſitis favore Romanæ Eccleſiæ excitare? Hoc autem ſufficit, ut pro Sedis Apoſtolicæ feudo Regio illa debeat nuncupari.

(a) *Odoricus Raynaldus an. 1059. n. 68.*

18. Rem ad altiora principia refert Marius Alterius, in ſuo Tractatu de Cenſuris, de illâ proloquens — Deſiderius ultimus Longobardorum Rex, libidine amplificandi imperii propè hęreditariâ ſtimulatus, Adriano I. Summo Pontifice, Stephani ſucceſſore, in Exarchatum irrupit, violato fædere, quod anteà Pipini Regis Francorum operâ, & ſtudio initum erat, & reſciſsâ concordiâ, quæ inter Romanos, & Longobardos conſtituta fuerat, ac primo adventu nonnullas Civitates occupavit, & alias invadere cogitabat. Quarè Adrianus, tantis rerum anguſtiis, & difficultatibus preſſus, Urbi Romæ, velut in extremum periculum adductæ, conſulere ſtatuit, & exemplo Stephani Prædeceſſoris ſui, Carolum Magnum Franciæ Regem adverſus Deſiderium advocare decrevit. Quarè miſit Legatum ad Carolum, qui ipſum oraret, ut Avi ſui, & Patris exemplo, opem afflictis Eccleſiæ rebus afferret. Carolus ſummâ animi alacritate reſpondet, ſe ipſius Pontificis ſtudio libenter obſecuturum, & curaturum obnixè, ut Deſiderius à vexatione Romanæ ditionis deſiſteret, Quarè decreto bello, ſe non ad Eccleſiam ſublevandam tantummodò, ſed & ad Longobardorum Regnum evertendum accinxit, & exercitu comparato, ſubito Alpes ſuperavit, & bellum geſſit adverſus Longobardos, quo victus, captuſque fuit Deſiderius Longobardorum Rex, & Regnum ipſius à Francis occupatum. Tunc Carolus, quod diù, multumque optaverat, Romam venit, ut Sacra Apoſtolorum limina, & Romanum Pontificem viſeret. Ubi ab Adriano benigniſſimè exceptus, pedes ejus oſculatus, indè ad confeſſionem B. Petri venit, ubi ad terram proſtratus, Omnipotenti Deo, ac B. Petro de victoriâ gratias egit (*b*).

(b) *Marius Alterius de Cenſur. diſp. 23. d. 5. c. 2. §. Quomodo.*

19. Proſequitur Alterius, & ait — Poſt quartum verò diem à ſuo in Urbem ingreſſu, quidquid dono Pater Pipinus Stephano Tertio dederat, id ipſe amplioribus privilegiis, jure jurando interpoſito, confirmavit, ut ex Anaſtaſio Bibliothecario, Platinâ, Blondo, & aliis colligi poteſt. Immò addit Sigonius, dictæ donationi addidiſſe Inſulam Siciliæ, & alias Civitates. Neque dubitari poſſe videtur, quin Sicilia Inſula B. Petri in patrimonio fuerit ex donatione, factâ à Carolo Magno Imperatore Adriano I. Pontifici Romano. Hoc enim teſtatur Ludovicus Pius Imperator filius ipſius Caroli, in Conſtitutione, quâ talem donationem factam à Patre ſuo, expreſſis verbis confirmat, quæ ad verbum deſcripta aſſervatur apud Vaticanum. Verum eſt autem poſteà, imperante Michaele Balbo Conſtantinopoli, eandem Siciliam occupatam fuiſſe à Saracenis, quibus ſubjecta fuit annis 230. Deindè illis bello Græcorum ademptâ, Imperatori Conſtantinopolitano per aliqua tempora ſubjecta fuit, quàm iterùm Imperator amiſit, utpotè à Saracenis occupatam. Tandèm cum partim Gręci, partim Saraceni eam tenerent, Northmanni

eam

eam receperunt. Sicque poſtquam Sicilia in Normannorum poteſtatem devenerit, Gręcis, & Saracenis erepta, cæpit nomine, & jure feudi Romanæ Eccleſiæ debiti poſſideri. Nàm ſive quod Carolus Magnus eam Eccleſiæ Romanæ ditioni ſubjecerit, ſivè quod Normanni Græcis, & Saracenis expulſis, ſibi uſurpaverint, & Romanæ Eccleſiæ acceptam retulerint, itàut ſe ejus Feudatarios effecerint, in Eccleſiæ Romanę patrimonium tranſivit. De Inſulis Sardiniæ, & Corſicę teſtatur Sigonius lib. 3. de Regno Italiæ anno 773. Carolum Magnum, cum donationem Eccleſiæ Romanæ, à Patre Pipino factam, confirmaſſet, novâ aliâ donatione eas unà cum Inſulâ Siciliæ eidem Eccleſiæ Romanæ, atque Pontifici dediſſe, ac ex eo tempore Corſica, & Sardinia in Eccleſiæ Romanæ ditione, & jure eſſe cæperunt.

20. Hucuſque Marius Alterius, cujus relationi, utpotè origine Romani, ſi Contradictoribus non eſt gratum acquieſcere, & aſſentiri; placeant eis, quæ *Raphael Volateranus* Etruſcus, in ſuis Commentariis, de utraque Siciliâ deponit. — Partito, inquit, inter utrumque Imperium Orbe, Sicilia omnis cum Calabriâ, & Apuliâ Conſtantinopolitano ceſſit. Cui ſinè controverſiâ paruit uſque ad Nicephorum Imperatorem Cognomento Thomam, quo tempore Saraceni Apulia, Garganum Montem, Luceriamque, & nonnulla circà loca occupaverunt, anno DCCCCXIV. Undè ſæpè poſteà factis excurſionibus, Calabriam, Neapolim, Lirimque aduſque flumen, & loca Urbi vicina penetravere. Quibus Joannes X. Pontifex, unà cum cum Alberico Hetrurię Comite, occurrendo, vi maximâ reſtitit, illi ad Garganum sè recepere. Deinde poſt annos ferè, quam Italiam tenuiſſent, penitùs expulſi ſunt. Quomodo autem, aut à quibus expulſi ſint, duplex eſt fama. Otho Pręſul Friſingenſis de geſtis Frederici I. dicit, Robertum cognomento Guiſcardum, quod erronem eorum linguâ ſignificat, quoniàm telluris multum victor obierit, inter Normannos natus, in Italiam ad quærendas novas ſedes tunc primum veniſſe: ubi cum Apuliam Colonis paucis, atq; ignavis habitatam aſpiceret, ſuos domo aſciviſſe cum exercitu: brevique tempore omnem eam Regionem, ac Siciliam, expulſis Græcis ſimul, & Saracenis, in ſuam poteſtatem redegiſſe. Altera eſt fama, crebrior quidem inter Auctores. Tancredus Normandus armorum gloriâ inſignis cum numeroſâ prole finibus ſuis egreſſus, in Italiam, in Æmilię regione conſedit, & jam principem Salernitanum bello laceſſiverat, cum filius ejus Gulielmus cognomento Ferrabas, cum Molocho præfecto Michaelis Catalaici Imper. Conſtantinopolitani, qui Calabrię, Siciliæque pręſidebat, ac principibus Capuano, & Salernitano tranſegit, ut ſi Apuliam à Saracenis recuperaſſet, eam in parte poſſideret (*a*).

21. Quâ demùm armorum vi potitus, ac ſpè conditionis deceptus, paulò poſt unà cum XL. milibus Normannorum, qui ad expeditionem Hieroſolymitanam eo tempore ſe accinxerant, Siciliam, Apuliam, Calabriam cæpit: ac Melfim edito in colle, quo impedimenta congereret, ædificavit. Atque ità Imperium moriens reliquis ex ſucceſſione fratribus dimiſit, qui Comites Siciliæ dicti XLIII. annorum ſpatio, magnâ cum felicitate creverunt. Iter quos Drogo fratri ſucceſſit, anno VII. qui primo rejectus ab exercitu Michaelis Etheriaci Imperatoris, mox apud Aufidum amnem victor diſceſſit. Poſt quem Hunfridus, mox quartus Gottifridus, indè Robertus Guiſcardus ſucceſsère. Is igitur ultimus, res bello magnas geſſit: Apuliam per sè, Siciliam per Rogerium fratrem rexit. À Nicolao II. Pontifice Dux, atque Feudatarius conſtituitur. Normannorum auxiliis eis conceſſis, quibus rebelles proceres in officio contineret, ac Benevento reſtituto, quod Frater ejus Gulielmus occupaverat, de quibus omnibus apud Aquilam in Concilio convenere. Gregorium VII. Romæ obſeſſum per portam Flaminiam irruptione factâ, ab Imperatoris Henrici III. injuriâ aſſeruit. Quarè ab eodem Apulia rurſus hac conditione conceſſa, ut Anconam, Picenumque, quod gens ejus occupaverat, redderet. Neapolim primus poſſedit, longâ obſidione vi expugnatam. Poſtremò contrà Alexium Imperatorem, qui Chriſtianis adverſabatur, profectus in Græciam, plurimis locis captis, apud Caſiopen inſulam interiit anno MLXXXVI. ætatis verò LXII.

(a) *Raphael. Volateran. Geograph. l. 6. in Sicilia.*

LXII. vir alioquin laudatus. Tantùm ab Antonino Florentino Præſule, ut dominationis nimiùm cupidus taxatur.

22. Inter liberos ejus Rogerium, & Boemundum exindè bellum exortum, cum prælatum in Regno Rogerium alter quereretur. Itaque haud longè à Benevento prælio commiſſo, Boemundus victus principatum tantum Tarentinum, intervenientibus paternis amicis pacificatoribus, tenere permittitur. Paulò poſt Deo militans ed expeditionem Hieroſolymitanam, ubi res magnas geſſit, proficiſcitur. In itinere cum Alexandro Imperatore, paterno quondam hoſte, fædus, & amicitiam iniit, donatus ab eo muneribus, ac liberalitèr exceptus: diſcedens verò fidem irritam habendo, ejus oppida multa invaſit. Quarè in reditu pertimeſcens, cum ejus Imperii tranſitum vitare non poſſet, ſe mortuum finxit, atque in arcâ clauſum deferri, ubi domum pervenit, è veſtigio Dyrrachium claſſe aggreditur, locaque Imperii nonnulla: tandèm pax inter eos facta. Rogerio interim poſt annos Regni XXV. vitâ functo, Gulielmus filius ſuccedit; qui ſtatim inito principatu, Alexii Imper. jàm defuncti filiæ nuptias expetens, Conſtantinopolim contendit, ſtatu priùs rerum ſuarum Caliſto II. Pontifici commendato. Rogerius inter hęc Rogerii fratris filius, captâ abſentis occaſione, ſpretoque Pontifice, Regnum invadit. Gulielmus ſpè nuptiarum fruſtratus, Regnoque ſimul ejectus, ſe ſe ad Principem Salernitanum recepit. Ibique privatus, ex animi mæſtitiâ, diem ſinè liberis obiit. Rogerio itàque ſecundo per vim principatum occupanti, Calliſtus bellum indicens, dum ejus rei gratiâ ſe Beneventum confert, paulò poſt morbo correptus interiit. Innocentius II. deindè cauſam proſecutus, cum eo apud S. Germanum victor conflixerat, niſi paulò poſt, Duce Calabriæ Rogerii filio cum ſupplemento veniente, captus fuiſſet: à quò & Patrem captum dimittere, ac omnia, quæ circà Regnum optaverat, præterquam Regis nomen concedere compulſus eſt.

23. Poſt hęc Anacleti Pſeudo-Pontificis partibus ſavens, ab eo utriuſque Sicilię Rex declaratur, adverſus quem Innocentius, juvante Lothario Imperatore, cum exercitu profectus, eum Regno dejecit, quod ille ſtatim Pontifice defuncto, recuperavit. Belli gloria clarus eſt habitus, ac inter cęteras expeditiones, Affricanam Chriſti causâ ſumpſit, in quâ Tunim tributariam fecit. Cum Imperatore Conſtantinopolitano dimicavit. Demùm è Siciliâ revertens, amiſſis, opera Venetorum, quibus hoſtis erat, xx. triremibus, fugâ evaſit, ac Panormi extinctus eſt, ſuperſtite filio ſucceſſore Gulielmo II. qui regnavit annos duodecim. Is igitur Rex primus ab Innocentio II. creatus eſt; magnuſque ob eam cauſam appellatus. Sed mox immemor beneficii, terras Pontificis apud Beneventum occupat, ille iratus eum Regno abdicat: Emanuelem Imperatorem contrà eum excitat, ipſe intereà adverſus eum exercitu ire pergit. Quem cum omnia ſuperantem, & proceres ejus, à quibus ad hoc excitatus fuerat, cum eo conſentientes animadverteret, invitis partibus, qui bellum malebant, de pacis conditionibus egit. Gulielmum ſupplicem, ac humi projectum, veniam petentem, in Regnum rursùs reſtituit. Is ad extremum decedens, filium Gulielmum tertium reliquit hęredem. Qui Rex ann. xxv. partibus Alexandri III. Pontif. maximè ſavit, pecuniâ fugientem juvit. Hieroſolymitanæ deniquè expeditioni opibus contrà Saladinum præſto fuit. Siciliæ tantùm profuit, quantum Pater, antè nocuit; Montem Regalem urbem extruendo, pauperes fovendo, quibus meritis Boni cognomentum accepit, patris comparatione, qui malus eſt appellatus.

24. Hoc demùm ſinè liberis extincto, Tancredus quidam è genere Guiſcardi nothus eligitur: Clemente, & ejus ſucceſſore Cœleſtino III. acritèr obſiſtentibus, ac res repetentibus. Ille intereà cædibus, & rapinis omnia complebat. Cœleſtinus ut aliò rem transferret, Conſtantiam Rogerii Regis filiam, Deo dicatam, è Cœnobio Panormitano, Henrico Frederici Imperatoris filio, ſimul cum Regni juribus matrimonio tradit. Henricus igitur Tancredum bello perſequens, Neapoli demùm obſeſſum, interfecit, Regnoque unà, & Imperio ſucceſſit, ac utrumque mox Fre-

derico

Digitized by Google

derico II. filio reliquit. De quibus in alio lib. inter Imperatores dicam. Res ad Manfredum Frederici II. filium nothum deducta, virum facinoribus coopertum, Qui è veſtigio loca Pont. invaſit: Innocentio IV. Alexandro III. & Urbano IV. maximè infenſus, ac Regno abdicatus, evocato contrà eum Carolo, Divi Ludovici Francorum Regis fratre, Andegavenſium Duce, cui Regnum conceſſum. Quod probatum deinde à Clemente IV. hac lege fuit, ut XL. mil. nummum aureorum quotannis Pontifici penderet. Igitur anno MCCLXIII. Carolus trajectis Alpibus, cunm diù variis præliis cum Manfredo concurreret, eum tandem apud Beneventum ſuperatum, interfecit (*a*). Hæc Volaterranus, qui tot modis recenſet dominium per Papas exercitum, & cum Roberto Guiſcardo Duce, & cum Rogerio, atquè Guillelmis, Malo, & Bono, Regibus, propter utramque Siciliam, ut nullus niſi contumax veritati, valeat impugnare, quod Regnum Neapolitanum ſit Sedis Apoſtolicę feudum.

(a) *Raphael Volaterran. loc. cit.*

25. Nihilominùs ſi Volaterani ſermo fortè Contradictoribus non placeret, audiant Auctorem ſibi domeſticum, & Nationalem, nempè Doctorem *Martam Juriſconſultum Neapolitanum*, qui in ſuo Tractatu de Juriſdictione rem repetit ab initiis adhuc magis remotis, hocque modo proloquitur: — Regnum Siciliæ eſſe de Patrimonio Eccleſię Romanæ dicunt Jura expreſsè, Clem. 1. §. 1. de jurejur. Clem. Paſtoralis dè rè judic. c. ad Apoſtolica, dè rè judic. lib. 6. Cardinal. in d. Clem. 1. Abb. in c. ſi diligenti dè præſcription. Bald. in l. C. undè legit. Joan. Lecirier in tractat de primogenit: queſt. 28. n. 9. & ſeq. Frecc. in lib. 1. de ſubfeud. cap. de antiquo ſtatu regni: qui alios citant. Pertinet autèm ad Eccleſiam ex donatione Conſtantini, de quâ teſtantur ſcripturæ, & monumenta noſtræ Civitatis Neapolis, nimirum Hiſtoriale Sanctæ Mariæ de Principio, quod eſt antiquiſſimum. Item Hiſtorię Caſſinenſis, & Eccleſiaſticæ teſtantur monumenta Sanctæ Mariæ Majoris, Sancti Joannis Majoris, è quibus nunquàm potuit deleri memoria dictæ donationis. Hujus rei certum teſtimonium perhibet Nicolaus Papa I. in epiſtolâ, quam ſcribit ad Michaelem Imperatorem ſub his verbis.

26. Nicolaus Servus Servorum Dei, Dilecto Filio Michaeli glorioſo Imperatori Græcorum: Oportet veſtrum Imperiale decus, quod omnibus Eccleſiaſticis utilitatibus vigere audivimus, ut antiquum morem, quem veſtra Eccleſia habuit, veſtris temporibus reſtaurare dignemini, quatenùs vices, quas noſtra Sedes per Epiſcopos veſtris in partibus conſtitutos habuit, videlicèt Theſſalonicenſem, qui Romanæ Sedis vicem per Epirum veterem, Epirumque novam, atquè Illyricum, Macedoniam, Theſſaliam, Achajam, Daciam Ripenſem, Daciam mediterraneam, Myſiam, Dardaniam, & Trebaliam, Beato Petro Apoſtolorum Principi contradicere nullus præſumat, quę Anteceſſorum noſtrorum temporibus, ſcilicet Damaſi, Siricii, Innocentii, Bonifacii, Cæleſtini, Sixti, Leonis, Hilarii, Simplicii, Felicis, atque Hormiſdę Sanctorum Pontificum diſpoſitionibus agebatur. Quorum denique inſtitutionibus, ab eis, illis in partibus deſtinatas, per veſtros miſſos, ut rei veritatem cognoſcere queatis, veſtræ Auguſtali potentiæ dirigere curamus. Prçtereà Calabritanum Patrimonium, Siculumque, quę noſtrę Eccleſię conceſſa fuerunt, & ea, quæ ad poſſidendum obtinuit, & diſponendum per ſuos familiares regere ſtuduit, noſtris conceſſionibus reddantur, quoniàm irrationabile eſt, ut eccleſiaſtica poſſeſſio, undè luminaria, & concinnationes Eccleſię Dei fieri debent, terrenâ quavis poteſtate ſubtrahantur, ſed domus Dei reſtituta, meritum redditoris multiplicet, & ſuſcipientes votum ſpiritualis deſiderii locus exerceatur &c. & infrà.

27. Proſequitur idem Doctor Marta, & ait — Si igitur talis, ac tantus dominatus, qui uſquè à tempore Damaſi viguit in Eccleſiâ Petri, declarat veram eſſe Conſtantini conſtitutionem, de majeſtate Petri, ut toto Orbe terrarum religionis Princeps, ac Pater, & Caput haberetur, verumque eſſe patrimonium Calabritanum, & Siculum Divi Petri. Quo quidem clariſſimo teſtimonio cum hæc à priſco

Pontifice ſcribantur, hujus rei veritas comprobatur &c. Tranſlato Imperio de Græcis in Germanos, in perſonam Caroli Magni, Carolus in Italiam ſe contulit, ubi expulſis omninò Longobardis, Beneventum liberum remanſit Eccleſiæ. Mox coronato Carolo à Leone Papâ III. Nicephoro Græco Conſtantinopoli imperante, poſt multa bella Italiæ, pax inter eos firmata eſt, ut quidquid Antapoli, uſque ad Sipontum, nunc Manfredoniam, infero, ſuperoque mari abluitur, cum Siciliæ Inſulâ Caroli Dominio teneretur, quo hactenus tentum fuerat, & uſque ad Normannorum Gentem duravit, Apulia autem Græcis, & Beneventum Duci obtigit Beneventano.

28. -- Cum autem Robertus Guiſcardus Normannus, qui ad ampliandam Ditionem Neapoli ſè contulerat, Normannorum ſuorum viribus viciſſet Græcos, in Apuliâ exiſtentes, Urbem Beneventanam, elatus victoriâ occupavit. Idem Robertus quærendæ benevolentiæ causâ in Italiâ intentus, Romanæ Eccleſiæ Beneventum reſtituit, & à Nicolao Papâ II. ut Calabriam multis, & gravibus erroribus collapſam, ac ipſam etiam Apuliam emendaret, & corrigeret, magnis precibus, ſè Ducem Summo Pontifici in his regionibus creari poſtulavit, ſeque Vaſſallum, & ligium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ de cætero futurum eſſe affirmavit, eâ etiam lege, ut quandocumque Summus Pontifex juberet, Robertus præſto eſſet cum omnibus copiis. Pontifex autem, ut victricem ſibi Nationem conciliaret, ipſum Robertum ab excommunicatione abſolvit, ex quo Trojam Apuliæ novam Urbem, Eccleſiæ obnoxiam uſurpaverat, & ideo in læſæ Majeſtatis crimen inciderat; Gigas in tract. de crim. læſ. Majeſt. qu. 22. num. 4. & 7. & 10. Et anno 1060. Ducem Calabriæ, & Apuliæ ipſum conſtituit. Robertus Ligius promiſſi non immemor adimplevit, ſuas bellicas gentes Pontificis imperio aſſignavit. Quibus agitati Romani territorii Primates, qui Capitanei vacabantur, ad obedientiam Pontificis ſunt compulſi, quam Hiſtoriam, & Volaterranus in lib. 6. cap. de Siciliâ tetigit, & ex Noſtratibus Freccia in lib. 1. de Subfeudis, in cap. de antiquo ſtatu Regni num. 14. explicavit (*a*).

29. Iſti ergò Scriptores hucuſque recenſiti, tametſi gente, & Patriâ differentes concordant in aſſerendo antiquo Dominio Eccleſiæ ſuper terris utriuſque Siciliæ, quod alii referunt ad donationem Caroli Magni, Eccleſiæ Romanæ factam de dictis Terris, alii ad antiquiores terminos illud adhùc retrotrahunt, nempè ad ſimilem donationem Eccleſiæ factam à Magno Imperatore Conſtantino. *Scimus* utramque donationem temerè ab aliquibus impugnari, ſed ſcimus etiam utramque illarum à multò pluribus Viris doctis, & veritatis amantibus defenſari: adeò ut jam ſinè notâ maximæ temeritatis neutra illarum valeat in dubium revocari. Et quoàd donationem Conſtantini, eam tale, ac tantum veritatis fundamentum habere, ut ipſam negantes ſint ad ſacram Inquiſitionem denuntiandi; ſuggerit Diana cum aliis ab eo citatis (*b*). Eam etiàm commemorant, ex Summis Pontificibus, inter alios, S. Leo IX. in epiſtolâ ad Conſtantinum Monomachum (*c*), & Urbanus II. in diplomate ad Ambroſium Abbatem Liparitanum (*d*). Ex Cardinalibus, eam tuetur Cæſar Baronius Soranus (*e*), Robertus Bellarminus Etruſcus (*f*), & Joannes de Turrecrematâ Hiſpanus (*g*). Ex Epiſcopis Alvarus Pelagius (*h*), Auguſtinus Barboſa (*i*), & Archiepiſcopus Senonenſis in Conventu Procerum Gallicanorum, habito coram Philippo VI. Rege (*l*). Ex Theologis, Melchior Cano (*m*), & Alphonſus Mendoza (*n*). Ex Neapolitanis Marinus Freccia, & Afflictus (*o*), præter Martam paulò ſuperiùs relatum. Quid plura? Etiam Rabbi Gedalia Jachia Hebræus, de illâ ſcripſit: *Anno à creatione mundi 4050. Conſtantinus Cæſar Chriſtianæ fidei adhæſit, & Silveſtro Papæ, quod in Italiâ habebat, dono dedit, Byzantium adiit* (*p*). Qui plura deſiderat, legat Auguſtinum Steuchum Eugubinum (*q*), Balthaſſarrem Nardum Aretinum (*r*), Baptiſtam Fragoſum Luſitanum (*s*), Boetium Eponem Friſium (*t*), Antoninum Dianam Panormitanum (*u*), Theodorum Balſamonem Græcum (*x*), Paſſimque Canoniſtas (*y*).

(a) *Marta de Juriſd. part. 1. c. 26. à num. 6. ad 12.*
(b) *Antoninus Diana part. 8 trac. 6. reſol. 116. n. 17.*
(c) *Card. Baron. an. 1054 f. 201. 6 & quid.*
(d) *Roc. Pirr. Sicil. Sacr. tom. 2. notit 8 ad an. 1088.*
(e) *Card. Baron. tom 4 an 324.*
(f) *Bellarmin. to. 2. lib. 2. de Tranſ. Imperii cap. 3.*
(g) *Turrecrem. de poteſt. Eccleſ. lib. 2. cap. 42.*
(h) *Alvar. Pelag. de Planct. Eccl. l. 1. cap. 43 & l. 2. c. 29.*
(i) *Barboſ. ad Capit. Conſtantinus 13. diſt. 96.*
(l) *Vide infrà cap. ſequent. num. 19.*
(m) *Melchior Cano de locis Theolog. lib. 11 cap. 5. §. Quod.*
(n) *Mendoz in quod. lib. qu. 4. Scholaſt. §. 4. Verſ. 5.*
(o) *Marin. Freccia de ſubfeud. lib 1. tit. de antiq ſtat. Regni n. 56. & tit. de provinc Regni num. 18 §. Si quis.*
(p) *Rabbi Gedalia in Catena traditionũ Bzov. de Pontif. c. 41.*
(q) *Steuchus de Donat. Relig. Chriſtianæ.*
(r) *Nardus adverſ. prima part. Reipub. M. Anton de Dominis*
(s) *Fragoſ. de regim. Chriſti an. reipub.*
(t) *Epo de juriſd. Eccleſiaſticor. tempor.*
(u) *Diana part. 8. tr. 6. reſol. 136.*
(x) *Theodor. Balſam. in Homoc. tit. 8.*
(y) *DD. in cap. Conſtantinus diſt. 96.*

Sex

30. Sex etenim exemplaria ipſius donationis Conſtantini à diverſis Auctoribus allegantur: Unum ex collectione Canonum Gratiani (*a*), Alterum ex Ivone Carnotenſi in ſuâ ſimili collectione (*b*), Tertium ex Balſamone in Nomocanonem Photii (*c*), Quartum ex Alberico de Roſate (*d*), Quintum ex D. Anſelmo Lucenſi (*e*), Sextum ex Iſidoro (*f*). Quæ exemplaria, etſi fortè in verbis aliqualiter diſſonent, in ſubſtantiâ tamen conveniunt. Et quidquid etiam ſit de hoc, ſufficit nobis, *primò*, quod ipſa donatio locum habet in corpore Juris (*g*). *Secundò*, quod effectum ſortita ſit: nam de facto Papa poſſidet Palatium Lateranenſe, Urbem Romam, & varias Italiæ provincias, in dictâ donatione contentas. *Tertiò*, quod teſte Doctore Martâ, ſcripturę, & monumenta Regni Neapolitani ipſius donationis comprobant veritatem (*h*). Ideoque nobis exuberans adeſt ratio exiſtimandi, quod præfatum Regnum Neapolitanum, vi antedictę donationis Conſtantini, ad Sedem Petri pertineat: cum ex oppoſito deſit Contradictoribus ratio id impugnandi, Scriptoribus, & Monumentis, hucuſque indicatis eandem donationem tuentibus.

(a) *Cap. Conſtantinus diſt 63.*
(b) *Ivo Carnotenſ. Decr p 5.c.44.*
(c) *Theodorus Balſam loc.cit.*
(d) *Alberic. l. 1. §. Initio n.5. de Off Præf. Urbis.*
(e) *Anſelm. Lucenſ. lib 4 cap 32.*
(f) *Iſidor. in tom 1. Conc Surii fol 319.*
(g) *Cap. Conſtantinus diſt 96 Clement in. Romano de Iu-ejur. cap fundamenta de elect. in 6.*

31. Quæ adhùc donatio Conſtantini, ſi non ſubſiſteret; ſubſiſtit tamen alia donatio Imperatoris Caroli Magni, talitèr, ut de illâ dubitare, non ſit veritatem inquirere, ſed errorem. Anaſtaſius Bibliothecarius, qui paulò poſt ea tempora vixit, illam fuiſſe factam deponit; hocque ſcripſit nongentis penè ab hinc annis, in tempore non ſuſpecto (*i*). Leo Papa III. eandem memorat in epiſtolâ ad eumdem Carolum ſcripta, ubi ait: *de autem Inſulâ Corſicâ, undè & in ſcriptis, & per miſſos veſtros nobis emiſiſtis, in veſtrum arbitrium, & depoſitum committimus, atque in ore poſuimus Hermengaudi, ut veſtra donatio ſemper firma, & ſtabilis permaneat, & ab inſidiis inimicorum tuta perſiſtat* (*l*). Ludovicus Pius Caroli filius, aliique Imperatores eandem novis diplomatibus confirmarunt, prout ſequenti capitulo demonſtrabimus. In Concilio Conſtantinopolitano IV. Generali VIII. recitata eſt epiſtola Hadriani PP. ad Conſtantinum Imperatorem, & Irenem ſcripta, eandem innuens Caroli donationem (*m*). Quis ergò rationabilitèr illam vocet in dubium (*n*)?

(h) *Marta de juriſd. p.1.c.36.à n.6.*
(i) *Anaſtaſ. Bibliot. in Steph. II. & in Hadrian.I.*
(l) *Epiſt. S.Leon III. in Concil.to 7. f.1121.*
(m) *Conc. Conſpol.V. an.869. Act.4.*

32. Supereſt nunc videre an eo tempore, quo Carolus Magnus præfatam edidit donationem, provinciæ, Regnum Neapolis componentes, & in eadem contentę, ullo modo pertinerent ad Romanum Imperium, ſivè Orientale, ſivè Occidentale à Cæſare fundatum.(Nam ad Imperium Romano Germanicum nunc exiſtens pertinere non potuerunt, quippè hoc eâ ætate nondum erat erectum) id autem probari melius non poteſt, quam perpendendo, an Regnum Gothorum, & aliud Longobardorum, quæ ſucceſſive ipſas provincias poſſederunt, iiſdem Longobardis à Carolo Magno ſubtractas,& Papę traditas, eſſent Regna juſta, vel non? Ad quod ſciendum certum eſt,quod Italia uſque ad tempora Momylli,(quem ob tenuem ætatem Auguſtulum appellarunt) fuit ſub Imperatorum Occidentalium Dominio. Odoacre autem Herulo Gothorum Rege, Momyllum ipſum abdicare cogente,anno Chriſti 476.quem & ad Lucullanum Campanię Oppidum relegavit (*o*), penitùs ceſſavit in Occidente Romanum Imperium à Cæſare fundatum: nulluſque inpoſterum Cæſar ut anteà Italiæ pręfuit; quippè per 324. annos, & ferè per dimidium, extrinctum prorsùs delituit Occidentale ipſum Imperium Cæſareum, donec ibi novum Imperium à Papâ iterum in Carolo Magno excitatum eſt (*p*).

33. Heruli ergò, qui & Rugi, ac Torcilingi, Italiam occuparunt (*q*), Reliquię exercitus Atilæ Hunnorum Regis (*r*). Quorum Duci Odoacri S. Severinus Noricorum Apoſtolus, Italiæ ipſius Regnum prædixerat, & eventus præſagium verificavit (*s*). Ejuſmet Italiæ ambitu occupato Odoacer,fortè Auguſtalis tituli Majeſtatem reveritus, non sè Imperatorem, ſed Regem tantummodo nominavit (*t*). Romam cœpit, eamque à ſuo nomine Odoacriam voluit appellari (*u*). Gothos (jam pridem in Italiam à Valentiniano III. Imperatore vocatos adverſus terrores Hunnicos) ad ſtudium ſuum convertit, tertiâ agrorum parte, quam ab Oreſte patre Mo-

(n) *Thomaſſin. Vet. & Nov Eccl diſcipl. p.3.l.1.c.29.à n.19.*
(o) *Bonfin lib.7.Decad.1.*
(p) *Panvin Rom. Princip. lib.1.in Momyllo.*
(q) *Herman.Contrac. Chron. ſub an.470.*
(r) *Bonfinius loco citato.*
(s) *Sigon l.14. Imp. Occid. Crantz. lib.1. Vandal.c.36.*
(t) *Carolus Sigonius lib 15. Imper.Occiden.*
(u) *Theatr. vit. hum. V. Magiſtratus f.41.*

Momylli, obtinere non potuerant, eis addictâ: quâ rè, & Gothorum animos ſibi conciliavit, *& Siciliam* tributario jure poſſidendam, à Genſerico, in Africâ regnante, promeruit (*a*), & ità regnavit annis 16. cum dimidio, donèc adversùs eum arma movit Theodoricus, Gothorum Rex, cui Zeno Imperator Conſtantinopolitanus, prò quanto poterat, vel in sè erat, ut Illyricum infeſtâ Gothorum multitudine exoneraret, Italiam, ut inquit Paulus Diaconus, per pragmaticum tradidit, ac ſacro velamine capiti impoſito, confirmavit (*b*). Hinc Theodoricus Odoacrem primò ad Sontium amnem propè Aquilejam, indè ad Veronam, tertiò ad Abduam, vicit: deindè ab illo, Ravennę obſeſſo, in Imperii communionem admiſſus eſt: ſed hìc non multò poſt admittentem cum filio, & ſuę Gentis primoribus interfecit (*c*), acciderùntque hæc anno Chriſti 493. (*d*).

34. Ità Gothi, pulſis Herulis, Italiam acceperunt, regnaruntque ibi ex eis Theodoricus, indè Atalaricus, poſteà Theodatus, ſucceſſivè Vitiges, poſtmodùm Ildovaldus, dein Araricus, poſtmodùm Totila, & demùm Teja, uſque ad annum Chriſti 553. (*e*). Gothorum autèm Regnum per totam Italiam ſe profudit uti patet ex multis literis Regum, & Officialium Regni Gothorum, apud Caſſiodorum, ad varias Urbes, & Provincias, ac Rectores earum directis (*f*). Et præſertim Civitati Neapolis præfuerunt (*g*), ac toto illius Regno, uti probant ejuſdem Auctoris variç epiſtolæ, vel ad Gothos per Picenum, & *Samnium* conſtitutos (*h*), vel Conſulari *Campaniæ* (*i*), vel Cancellario *Lucaniæ*, & *Brutiorum* (*l*), & individuè id declarat Formula, ſub quâ deputabatur quis ad *Comitivam Neapolitanam*, & alia *honoratis Poſſeſſoribus*, *& Curialibus Civitatis Neapolitanæ* tranſmiſſa, quâ Comes Deputatus Neapolitanis ipſis denunciabatur (*m*). Præerant quoquè Gothi Siciliæ ultrà Pharum, in Odoacris locum ſuccedentes: hocque exparì epiſtolâ deducitur Theodorici Regis ad Catanenſes, quâ illis dat facultatem accipiendi lapides ruinarum, convertendos in conſtructione Murorum (*n*), nec non ex aliâ Athalarici Regis ad Provinciales Syracuſanæ Civitatis, quâ illis Cenſum certi temporis remittit (*o*), Siciliæ namque Rector Syracuſis commorabatur ejuſque dignitas titulum habebat Comitivæ Syracuſanę Civitatis (*p*). Patet etiam tum ex eo quod Theodatus Siciliam cedere Juſtiniano Imperatori ſpoſpondit, ſi à bello deſiſteret: tum ex eo quod Belliſarius, armis Cæſareis ditionem Gothicam invadens, in Siciliam irrupit, & Panormum fortitèr expugnavit (*q*).

35. Nec dubium eſt, quin Gothi fuerint legitimi Italiæ poſſeſſores, tum quia in illam profecti ſunt, ab Italis vocati, ut eorum ope, ab Odoacris Tyrannide liberarentur (*r*). Tum quia ſi quid erat jus Odoacri acquiſitum, cum ejuſdem, & filii morte fuit extinctum, quando Theodoricus Gothorum Rex eum, ſibi inſidias molientem Ravennæ, prævenit, & occidit (*s*). Tùm demum quia Imperator Conſtantinopolitanus Zeno, quidquid ad Imperium poterat pertinere ſuper Italiæ Regione, ceſſerat Theodorico, ut indè Odoacrem Tyrannum expelleret: ceſſionemque illam fecit, *negotio tàm arduo ad Senatum relato*, qui ſic faciendum eſſe concluſit, *pro Romanorum, & Italiæ liberatione &c. Deindè Zeno Theodoricum ſacro velamine (quod erat tùnc maximum à Principe factæ conceſſionis ſtabilimentum) inſignivit &c.* Quo facto, *dimiſſurus Zeno Theodoricum, magnâ pompâ eum extrà Byzantium comitatur, Senatumque, & Populum Romanum, ac totam Italiam ei commendavit* (*t*). Demùm Rex Odoacre interempto, properans *Romam, cunctorum votis expetitus advenit, & Senatum mirâ affabilitate tractavit &c.* (*u*). Nihil ergò defuit Theodorico, quo melius fundare poſſet Regnum Gothicum in Italiâ, adeoque illius, ac Succeſſorum ejus Regnum juſtiſſimum fuit, donec illius evertendi nova occaſio ſupervenit, quæ eſt illa, quę ſequitur.

36. Maſculinâ prole carens Theodoricus, mortem oppetiit, ſolâ Amalaſunthâ filiâ relictâ, quam in matrimonium collocaverat cum Eutharico Cillicâ, origine Gotho, nobiliſſimo adoleſcente, qui ex eâ Athalaricum Gothorum Regem, Avi ſucceſſorem progenuit (*x*), ſed citò nedùm Patre, verùm etiam Marito, atque filio,

(a) *Sigon lib. 15. Imper. Occident.*

(b) *Idem lib. 16. Jo. Magn. hiſtor. lib. 9. c. 18*

(c) *Sigonius loco cit. Evagr. lib. 3. c. 27.*

(d) *Onuph. Panvin. Rom. Princ. lib. 3. in Reg. Goth.*

(e) *Idem loco citat.*

(f) *Caſſiodor. Var. lib. 1. epiſt. 17. l. 4. ep. 33. & 45. l. 5. epiſt. 32. l. 8. ep. 26. & 29. lib. 11. epiſt. 38. l. 12. epiſt. 4. & 7.*

(g) *Marin Freccia de ſubfeudis lib. 1. cit. de antiq. Statu Regni num. 14.*

(h) *Caſſiodor. lib. 5. epiſt. 26.*

(i) *Idem lib. 3. ep. 27 & l. 4 ep 10.*

(l) *Idem l. 11. ep. 39. & lib. 12. epiſt. 12. 14. & 15.*

(m) *Caſſiodor. Var. l. 6. epiſt 23. 24.*

(n) *Caſſiod. lib. 3. epiſt. 44.*

(o) *Idem lib 9. ep. 10*

(p) *Idem lib. 6. epiſt. 22. & lib. 9. epiſt. 11. & 14.*

(q) *Procop. de Bell. Gothic. l. 1. c. 4.*

(r) *Jo. Magnus hiſt. Goth l. 9. c. 17 Marian. Scotus Chron. l. 2. & 6 an. 502.*

(s) *Herman. Contrac. Chron. ſub ann. 490. Marian. Scot. Chron. l. 2. ętat. 6. ann. 495.*

(t) *Jo: Magnus hiſt. Goth l. 9. c. 18.*

(u) *Marian. Scotus loco cit. an. 502.*

(x) *Jo Magnus hiſt. Goth l. 9. c. 22. l. 10. c. 7 Panvin. Rom. Princ. lib. 2. in Goth. Reg. n. 2. Herm. Contract. & Marian. Scot. an. 515.*

filio, morte ſublatis, Amalaſuntha Theodatum, Conſubrinum ſuum Sponſum elegit (Amalafridæ filium, Sororis Theodorici, & uxoris Honorici Vandalorum Regis) jurejurando tamen exacto, ut Regio nomine contentus eſſet, Regnum verò ipſa liberè adminiſtraret (*a*). Quâ facilitate ſpopondit, eâdem Theodatus jusjurandum prævaricatus eſt, & exprobrantem ei perjurium, atque infidelitatem ſuam, Amalaſuntham in inſulâ Vulſinii Lacus concluſam, fecit ingratiſſimè ſuffocari (*b*). *Quæ res Italos præ cæteris omnibus, ità & Gothos ferè univerſos mærore affecit* (*c*), & hinc initium ſuſcepit conſilium Regni Gothici totaliter evertendi. Nàm Theodatus, Rex legitimus non erat, ſed Tyrannus: etenim pręterquamquod aliis tyrannicis actibus populos Coronæ Gothicæ ſubditos affligebat, & præſertim avaritiæ operibus indigniſſimis, etiam vivente uxore (*d*); Numquam ad Regiam dignitatem, ſed ſolum ad Regii Nominis conſortium admiſſus fuerat ab ipsâ uxore: cujus perfidâ occiſione, & præventivo perjurio, certè Regnum non promeruit, ſed potiùs novam barbaramque tyrannidem exercuit: & nedum uxori occiſæ juſtè in Regno non ſucceſſit, ſed imò, propter tàm immane ſcelus, ſi quid juris ad Regnum habuiſſet, meritiſſimè perdidiſſet.

(a) *De bell Gothic. l.1.n.3 Jo: Magn. hiſt. Goth. l.9 c.11. & lib.10 c.6 Foreſt. Map. hiſtor. in Theodato Rè IIII Gothor.*
(b) *Procop. de bell. Goth. l.1 c.4 Sigon. l.17 Imp. Occid. Bonfin. lib.9 dec.1. Jo: Magn. hiſtor. Goth. l.10. c.8.*
(c) *Procop de bell. Goth. lib.1. c.4 f 300.*
(d) *Joan Magn. hiſt. Goth. l.10. c.9*

37. Imperabat tùnc Conſtantinopoli Juſtinianus, cui Theodoricus Rex Gothorum Amalaſuntham filiam commendaverat, eamque illius Patrocinio, ac tutelę Imperatorię commiſerat (*e*), ſed & ipſa Regina, dum adhùc viveret ſè, ſuumque filium Juſtiniano Cęſari commendaverat (*f*): Unde inter Gothos, & Gręcos fędus mutuum vigebat. Imperator ergò audito Amalaſunthę uxoricidio, Theodatum debellare armis decrevit: nec bellum ſuſcepit, niſi ut crimen hoc ulciſceretur, & in eo etiam vindictam ſumeret de injuriâ ſibi illatâ, per cędem Reginę, ſuo Patrocinio commendatæ. Acceſſerunt & alię injurię, quas Theodatus Juſtiniano ſubindè intulit, easque legere eſt apud Hiſtoricos (*g*). Et quidem Imperator exercitu comparato, captivare quoque ſtuduit Clodomirum, Childebertum, & Clotharium Francorum Reges, eis condonans ingentem pecuniæ ſummam, & majorem promittens, ſi adiutorum illi adversùs Gothos pręberent, à quibus ſe injuriis petitum declaravit, eo etiam expreſſo ſenſu, quod Gothi Italiam per vim cępiſſent (*h*), intelligens, ut putamus, de Odoacre, Herulorum Rege, quos confundi cum Gothis notum eſt: ſilens ſolemnem ceſſionem per Zenonem Cęſarem factam, de quâ ſuperiùs diximus, & quâ Regnum Gothicum fuerat juſtè fundatum.

(e) *Sigebert Gembalcenſ Chronogr. an.533*
(f) *Marian Scot. Chron. l.2 ætat.6 ann. 534.*
(g) *Procop de bell. Goth. l.1 c.4 Jo Magn. hiſt Goth. lib.10. c.9. & ſequ.*
(h) *Procop loco cit. Jo: Magn. l.10. c.13.*

38. Ità Juſtinianus rationes rationibus cumulans, pretextum quoque ſubtractę Imperio Italię à Gothis allegabat, ut valeret iſte pretextus quantum valere poſſet; cum tamen vera, & unica cauſa, quam habebat bellum eis inferendi eſſet, plectendi Theodatum, ob Amalaſuntham occiſam, non verò Regnum Gothicum evertendi, quod iuſtè fundatum fuerat, & ſuper quo jus nullum habebat, nec Imperium Occidentale Cęſareum, utpotè jàm ſuppreſſum: neque Imperium Orientale, tamquam prorſus ab Occidentali divulſum: eo vel maximè quod Zeno Imperator Orientis, cum conſenſu Senatus, ſi quod jus in Italiam habebat, jàm ceſſerat, ut vidimus Theodorico, fundatori ipſius Regni Gothorum. Alioquin ſi Juſtinianus, & quiſquis alius Imperatorum jus unquam habuiſſet ſubjugandi ſibi Italiam, habuiſſet etiam occupandi Galliam, Hiſpaniam, Angliam, aliaſque Regiones, quas notum eſt aliquandò Imperio Cæſarum fuiſſe ſubjectas. Miſit igitur Juſtinianus Beliſarium Ducem in Italiam, & alium Ducem nomine Mundum in Dalmatiam, ut adversùs Theodatum, eique adhęrentes pugnarent, prout factum eſt, diro, ac diuturno bello, quod per annos 18. variâ fortunâ duravit (*i*). Theodato ipſo occiſo. Vitige Rege, ejus Succeſſore, Ravennæ capto, & Conſtantinopolim abducto. Totilâ altero Rege per Narſetem interempto (*l*), fortiſſimè ſemper dimicantibus Gothis, uſque ad Tejam ultimum eorum Regem (*m*). Poſt quem Gothi varios motus fecerunt adversùs Græcos, ſed multitudini prævalere non potuerunt (*n*). Notabilis verò fuit in hoc bello fides Neapolitanorum, qui Gothis tantâ firmitate adhęſerunt, ut prò illis sè in diſcrimen poſuerint, Beliſarium hoſtem declarando: tanta firmitate

(i) *Sabelic l.3. ennead. 8. Blond l.6. de cad 1.*
(l) *Sabel lib.3 & 4. ennead.8 Procop lib.2 & 3. Blond lib 6. & 7. decad.1.*
(m) *Procop de bell. Goth. l.1.2 & 3 per tot. Jo: Magn. hiſt. Goth. lib.10. ad 14.*
(n) *Vide Agathiam de bell. Goth.*

tate perſuaſum ſibi habebant, Regnum Gothorum fuiſſe juſtè fundatum, Imperatorem Græcorum nullum ineo jus habere, & Theodatum quidem eſſe plectendum, ſed non ideò Regnum Gothicum evertendum. Tandem Beliſarius fortunâ, & armis prævalens, Urbe Neapolis eſt potitus, quam à ſuis Græcis diripi permiſit, nulli neque ętati, neque hominum generi parcentibus (a). Itàque Regnum Gothorum juſtè fundatum fuit à Theodorico: & Juſtinianus, tametſi jus habuerit dejiciendi è throno Gothico Theodatum, legitimo tamen jure caruiſſe videtur ipſum Regnum deſtruendi, Adeòque anxiè contendendi prò ſubigendâ ſibi Italiâ, quippè Imperium Græcum nullum ibi jus habebat, propter præcedentem ceſſionem Zenonis Imperatoris, ſolemnitèr factam, & à Senatu approbatam.

39. Italiam depreſſis Gothis interim rexit Narſes Eunuchus, non animo eam ſubjugandi Imperio Græco, ſed potius Longobardis eandem ſubmittendi. Narſes, inquam, qui poſt Beliſarium, cæteros Reges Gothos evertit, Totilam occidit propè Brixellum, Tejam propè Nuceriam oppreſſit, Regnum eorum tandem delevit: vir Dei, ac Santiſſimæ Virginis Mariæ devotiſſimus, inſimulque virtute bellicâ ſtrenuiſſimus (b), qui hominum malorum invidiâ, apud Juſtinum II. Cæſarem accuſatus, & ab eo Patriciatus honore ſpoliatus; ab Imperatrice quoque Sophiâ exprobratus, quod tamquam ſemivir, ineptus ad arma, mereretur potius mitti in gynæceum, & ibi penſa dividere cum puellis in nendo occupatis; animo ultrà modum offenſo, reſpondit, ſe jàm nere, ac talem orditurum telam, qualem Auguſta donec viveret deponere non valeret (c). Itàque Neapolim in Campaniâ ſeceſſit, ubi & eum Joannes Papa III. inviſit, orans ne quid Italię infeſtum moliretur, impatiens contumeliæ, quam ab Imperatore, & ab Auguſtâ receperat (d). Prævalente in eo nihilominus indignatione, in Italiam Longobardos vocavit (e). Homines feros, atque ſtrenuos, à barbæ prolixitate vocatos, qui & pugnaturi cæſariem capitis mulieribus ſuis circà mentum ligabant, ut hæ viri apparerent (f). E Scandinaviâ inſulâ egreſſi, primò ad Pannoniam, deindè à Pannoniâ ad Italiam transmigrarunt (g), ab initio, ut armis Cęſareis adverſus Totilam Gothorum Regem, auxilium miniſtrarent (h), poſtmodum à Narſete præfato invitati, ut Italiam ipſam eorum dominio ſubjugarent. Alboino igitur Duce venerunt, & Regnum Longobardicum in Italiâ conſtituerunt, anno Chriſti 568. (i), & per annos 206. ſub viginta tribus, vel ut aliis placet, pluribus aliis Regibus propagarunt (l). Hinc agnoſcas quantæ fidei poſſit eſſe diploma, de quo ſcribit Marinus Freccia: *legi in Archivo Caſſin. privilegium Juſtin. Imperatoris, donantis ſacro illi cænobio terras, & plurimas Regni Civitates, Sveſſam, Fundos, Aquiloniam, Calatiam, Arpinum, Soram, Gajetam, Sulmonem, Venafrium, Pennam, Theanum, & totum Aprutium. Ergò ipſe erat Dominus: ergò non Eccleſia: non enim prò animâ, & religione donaſſet aliena. A Conſtantino ad Juſtinianum decurrerant pluſquàm 300. anni* (m). Diploma hoc non videtur eſſe poſſe Juſtiniani, quià eo regnante inceperunt quidem percuti Reges Gothi à Beliſario ejus Duce, ſed non fuerant adhùc depreſſi: ipſique Gothi tenebant Civitates illas, non Juſtinianus: & cum ſe in dies roborarent magis; opus fuit quod Juſtinus II. Juſtiniani ſucceſſor, mitteret ad eos debellandos Narſetem. Qui non ſinè ingentibus, & prolixis laboribus eos tandèm vicit, illorumque Regnum evertit. Sed Italiam non ſibi ſubjecit animo illam ſubmittendi Imperio Gręco, ſed Longobardis, prout fecit. Si ergò Reges Gothi non adhùc fuerant expugnati tempore Juſtiniani; nec Imperator iſte Terras illas unquam poſſedit: necillius Imperium ad ipſas ullum jus habebat, utpotè à Zenone Imperatore ſolemnitèr anteà ceſſas; Neque à Narſete Gothorum expugnatore acquiſitæ, tandem fuerunt animo eas Græcis Imperatoribus ſubigendi; quomodò quæſo potuit Juſtinianus, vel alius quiſque Imperator Gręcus illorum temporum, eaſmet Terras pręfato pio loco donare? Quod poſteà tùnc nec etiam Romana Eccleſia illas teneret, nil officit: Nàm ſatis eſt nobis, quod earum Dominiū ſucceſſivè acquiſiverit ducentis circitèr poſt annis, propè tempus, ac reſpectivè ſub tempore, quo Carolus M. Longobardorum Regnum evertit.

40 Porrò

(a) *Procop. de bell. Gothic. l. 1. c. 6. 7. 8 Jo. Magn hiſt Goth. lib. 10 à cap. 12. ad 16. Brietz ad annum Chriſti 537*

(b) *Procop. l. 3. Sabel lib. 4 Enn. 8 Blond. lib. 7. dec. 1 Nicephor. lib. 17. cap. 13*

(c) *Sigebert an. 566 Marian. Scot. eod. ann. Herman. Contract ſub an. 560 Æmil. lib. 1*

(d) *Marianus Scot. Chron. l. 2 et 6 an 566 Paul. Diac. l 2. cap. 5. Sabel & Blond loc. cit.*

(e) *Carol. Sigon. de Regn. Italiæ lib. 1. ad ann 566*

(f) *Siffridus Epit. lib. 1. ann. 568*

(g) *Heremperit. Epit. ſub an. 757 f. 20*

(h) *Paul. Diacon. de Geſt. Lögobard. l. 2. c. 1*

(i) *Idem lib. 1 c. 5. 6. 7*

(l) *Jo. Magn. hiſt. Goth. l. 8. cap. 20. Panvin. Rom. Princ. l. 1. in Reg. Longob. Foreſti in Regib. Longobard. & alii.*

(m) *Marin. Freccia de ſubfeud. lib. 1. tit. de Statu. Regn. n. 57.*

40. Porrò Longobardi totam penè Italiam ſibi intrà triennii tempus vendicarunt (*a*), quorum Rex tertius Flavius Antharius Columnam Saxeam, in extremis Calabriæ finibus, prope Rhegium erectam, perſpiciens, eam Regali Haſtâ tetigit, atque ait, *uſque huc erunt Longobardorum fines* (*b*), Haſta etenim erat Regni Longobardorum inſigne (*c*). Pars aliqua tamen Italiæ, ab Imperatoris Græci mi-litibus occupata, per nonnullum temporis ſpatium Imperio Græco paruit, quam regebat Dux Conſtantinopoli miſſus, & Ravennę reſidens, ſub titulo Exarchæ, à quo ditio illi obtemperans Exarchatus nominabatur (*d*), non comprehendebat autem Regnum Neapolitanum. Fundatus fuit hic Exarchatus anno Chriſti 569, & duravit per annos 193. Donec anno 751. Exarchi nomen in Italiâ defecit (*e*). Longobardi ergò citrà dubium Regnum Neapolis tenuerunt. Ipſaque Urbs Neapolis fortiſſimè reſtitit Imperatori Græco, adeò ut ſub Agilulfo Rege Longobardorum duram ſuſtinuerit obſidionem ab Eleutherio Exarcho, eam ſibi ſubdere fatagente, dum illam regeret Joannes Compſinius ſub titulo Ducis, quæ erat dignitas primò à Longobardis inſtituta (*f*), ejuſque officium erat ducere exercitum (*g*). Eleutherius ergò, inquit Sigonius, *Neapolim adiit, eamque, cum à Joanne excluderetur admotis Caſtris, oppugnare inſtituit. Urbs munita aliquamdiù ſè ſuſtinuit. Demum qui in præſidio erant crebris præliorum contentionibus fatigatis, unà cum ipſo Joanne venit in deditionem* (*h*). Alii Duces tempore Longobardorum Civitatem Neapolis rexerunt, quorum unum, Gudoinum nomine, memorat S. Gregorius (*i*). Alterum, nomine Exhilaratum, recenſet Anaſtaſius Bibliothecarius (*l*), præter Sergium, & alios, quos infrà cap. ſequent. n. 21. indicabimus, qui poſt exactos Longobardos, & antè adventum Normannorum, ibi eundem titulum tenuerunt: tamquam Ductores exercitus, & Præſides armorum, ac Rectores Civitatis, ejuſque diſtrictus, ſubordinati ſupremo Domino illius Regionis. Cumque tàm Regnum, quàm Urbs Neapolis dominio Longobardorum ſubeſſent, ac Imperatori Græco, quouſque poterant, reſiſterent; ſuperfluum eſt diſputare, an Longobardi eſſent legitimi poſſeſſores ipſius Urbis, & Regni, cum præter motiva hucuſque relata, potuerint multæ cauſæ in illis rerum circumſtantiis concurrere, jàm nùnc temporum oblivione ſepultæ, ſed tunc tales, quæ adventum Longobardorum juſtificarent, & eorum Regnum legitimum declararent, quem & ipſi incolæ Regni Neapolitani, eiſdem obtemperantes, & Imperatori Græco reſiſtentes, prò legitimo cognoverunt, & approbarunt.

41. Nec parvi ponderis eſt probitas Narſetis, illos vocantis, de quo Paulus Diaconus: *erat vir piiſſimus, in Religione Catholicus, in pauperes munificus, in reparandis Baſilicis ſatis ſtudioſus; vigiliis, & orationibus intantum ſtudens, ut plus ſupplicationibus ad Deum profuſis, quàm armis bellicis victoriam obtineret* (*m*). De eo quoque teſtatur Nicephorus, quod nullum commiſit prælium, niſi Deiparæ Virginis, manifeſtè illi apparentis, monitis excitatus (*n*). Eſt itàque probabile, quod tantus, ac tam pius vir, Longobardos in Italiam vocaverit, quià cognoverit poſſe ab illis inibi juſtum Regnum fundari, & propagari. Nàm cum Zeno ſolemnitèr ceſſiſſet, uti diximus, Theodorico Regi Gothorum quidquid Juris Imperio Græco poſſet in Italiam pertinere, onere adjecto, ut indè Odoacrem depelleret, nullum jus jam ſuperfuiſſe apparet ipſi Imperio Græco Regnum Gothicum evertendi. Quarè Gothis per Beliſarium, indè per Narſetem proſtratis, eorum Regnum vacare videbatur: & quemadmodum unam ejus partem, ſub Exarchæ juriſdictione concluſam, Imperatores Græci ſibi per vim uſurparunt; ſic & Longobardi aliam partem licitè potuerunt ſuæ poteſtati ſubmittere: bona enim vacantia ad primum pertinent occupantem. Et quidquid etiam ſit de his, nulli dubium eſt, quod Regnum Longobardorum habuit prò ſe quoquè jus acquiſitionis, & quod magis eſt, habuit etiam tractu temporis Jus præſcriptionis, ultrà ducentos annos protractę, quæ jura inſimul conglobata, probant eorum Regnum fuiſſe juſtum, & legitimum, donec ſupervenit occaſio illud funditus evertendi. Et ità Imperatores Græci

(a) *Panvin. loco cit. in Alboino. Paul Diac. lo. cit. l. 2. c. 14. 25. 26*

(b) *Paulus Diac. de Geſt. Longob. l. 3. c. 33. Sigon. de Regno Italiæ ſub an. 589*

(c) *Sigon. ubi ſuprà lib. 1 ſub an. 601 & l. 3 ann 740*

(d) *Idem Sigon. lib. 1 ſub an 566, & lib. 3. ſub ann. 755*

(e) *Sigon. l. 3. Regn. Ital. Panvin. loc. cit. in Exarc. Italiæ*

(f) *Marin. Freccia de ſubfeudis lib. 2. tit. quis dicatur Dux n. 3.*

(g) *Idem l. 1. tit. de antiqu. Statu Regni num. 63.*

(h) *Sigon. de Regno Italiæ l. 2. ad an. 616*

(i) *S. Gregor. lib. 12 epiſt. 5.*

(l) *Anaſtaſ. Bibliothecar. in Greg. II.*

(m) *Paul. Diac. lib. 2 cap. 3.*

(n) *Niceph. lib. 18 cap. 13.*

Greci nullam partem Italiæ poſt exactos Gothos, & regnantibus Longobardis, legitimè tenuerunt, eo quod ei favore Gothorum renuntiaſſent: vel ad ſummum jure acquiſitionis non niſi Exarchatum tenuerunt, intra quem Regnum Neapolis non continebatur. Quarè quidquid Greci in ipſo Regno Neapolis per vim occuparunt, ex ſolâ fuit prepotentiâ invaſum, ac tyrannicè retentum ad tempus aliquod. Et datâ etiam, ſed non conceſſa hypotheſi, quod Græci aliquam ejus partem legitimè adepti eſſent; inutile eſſet nunc refricare, quanta eſſet legitimitas eorum juris, cum jam à 264. annis fuerit à Mahomete II. Turcarum Sultano prorſus extinctum eorum Imperium.

42. Cæterùm illo adhùc durante, ipſas Terras Exarchatus, & quidquid juris in Italiâ ſibi per vim comparaſſent, Græci Cæſares perdiderunt. Nàm cum obſcæniſſimam Iconomachorum hæreſim profiterentur Leo Iſauricus, & ſucceſſivè Conſtantinus Copronymus ejus filius Imperatores, tamque ob hunc fidei defectum, quam ob eorum deſidiam, quâ res Italicas curabant, deliberarent y ex Italis, qui adhùc Grecorum Imperio ſubjacebant, alium ſibi Principem deſignare, compeſcuit eorum conſilium Romanus Pontifex Gregorius II. (*a*), qui tamen impedire non potuit, quin populus occideret Exhilaratum Ducem Neapolis, eo quod à Longobardis deficiens, partibus Imperatoris Copronymi heretici faveret, ac in mortem Summi Pontificis conſpiraret (*b*). Succeſſivè nilominus tandem Romani, & alii, ad Exarchatus, & Pontapolis Provincias pertinentes, Imperatoris Græci dominio, ſi quid in eis detinebat, abjecto, tamquam iniuſto, & tyrannico, ſe Romano Pontifici ſubdidere (*c*). Cui deindè Reges Longobardi Aiſtulphus, & Deſiderius eaſdem Provincias ſubtrahentes, cauſa fuerunt, ut Stephanus Papa III. Pipinum Francorum Regem, & Hadrianus Papa I. Carolum Magnum adiutores implorarent, prò illis ditionibus recuperandis. Qui pii Reges bellum adverſus Longobardos Reges præfatos ſuſceperunt, & fædifragos, periuros, tyrannicè occupata Sedi Apoſtolicę reſtituere recuſantes, perfidos tandem, & nullis neque officiis, neque precibus emollitos (*d*); armis plexerunt, *finiſque belli fuit ſubacta Italia, & Rex Deſiderius perpetuo exilio deportatus, & filius ejus Adalgiſus Italiâ pulſus, & res à Longobardorum Regibus ereptę Hadriano Romanæ Eccleſiæ Rectori reſtitutæ* (*e*). Vide quod *reſtitutę* dicit.

43. Quam juſtum fuerit jus Papæ in Terris præfatis, patet ex reſponſo, dato per Pipinum Oratori Imperatoris Conſtantinopolitani (*f*), qui *eum in caſtris, apud Papiam conventum, primò muneribus regiis oneravit, deindè impensè orare inſtituit, ut Exarchatum, & Pentapolim, ſi quemadmodum ſpei erat recepiſſet, non Pontifici, ſed Imperatori concederet. Cui Pipinus ſummâ pietate reſpondit, sè nullis præmiis humanis inductum, ſed Divinæ promerendæ gratiæ ſtudio inſlammatum Eccleſiam Romanam in fidem recepiſſe. Quod id ad animæ ſuæ ſalutem, & peccatorum remiſſionem valiturum, jam pridem ſibi perſuaſiſſet. Exarchatum, & Pentapolim ſi recepiſſet, S. Petro ſe, & Succeſſoribus ejus traditurum juraſſe. Quarè nullâ adduci ratione poſſe, ut fidem fallat, officiove decedat. Interim Aiſtulfus per aliquot dies diligentèr obſeſſus, extremum expugnationis, atque excidii periculum timens, legatos eum liberis mandatis ad Pipinum de compoſitione miſit, Qui in colloquium progreſſi, Aiſtulfum pacem petere dixerunt, eamque non Exarchatu ſolum, & Pentapoli reſtituendo, ſed Comaclo etiam adjungendo, præſto eſſe redimere, addiderunt. Conditione à Pipino acceptâ, indè fœdus ſcriptum, atque jure jurando, obſidibuſque firmatum. Quibus rebus perfectis Pipinus Exarchatum, Pentapolimque iterum S. Petro, & Succeſſoribus ejus, in perpetuum poſſidenda conceſſit, atque itâ ſcribam referre ipſas donationis in tabulas juſſit. Neque itâ multò poſt Fulrado Abbate, qui ab Aiſtulfo ſingula acciperet, & Pontifici aſſignaret, relicto; ipſe Franciam repetivit. Fulradus cum procuratoribus Aiſtulfi, in Exarchatum, Pentapolimque progreſſus, omnes Urbes præter Ferrariam, Faventiam, & Caballum recepit, & obſidibus de unaquaque ſumptis, ac primoribus ſecum earum ductis, Romam adiit,*

(a) *Baron. an. 732. 2 Anaſtaſ. Bibliothec. in Greg. II. f. 99*

(b) *Anaſtaſ. loc. cit. in Greg. Papa II.*

(c) *Anaſtaſ. in Gregor. II. & III. in Zach. & ſeq. Thomaſſin. Vet. & nov. Eccl. diſc. p. 3. lib. 1. c. 27. n. 8. & c. 29. numer. 11.*

(d) *Anaſtaſ. in Stephan. III. f. 123. & in Hadrian. Fragment. Vet. Script. de reb. Pipin. & Carol. M. ap. Duchesn. hiſtor. Franc. tom. 2. f. 218. & 215*

(e) *Eginhard. in Vit. Carol. M. poſt init. ap. Duchesn. hiſtor. Franc. tom. 2. f. 96. B.*

(f) *Anaſt. Biblioth. in Steph. III. f. 123.*

adiit, atque ſingularum Urbium claves, unà cum Tabulis ipſis donationis, in Confeſſione S. Petri depoſuit. Cæterùm *Exarchatus complexus eſt Ravennam, Bononiam, Imolam, Faventiam, Forum Pompilii, Forum Livii, Ceſenam, Bobium, Ferrariam, Comaclum, Adriam, Ficoclam, & Gabellum. Pentapolis vero Ariminum, Piſaurum, Conebam, Fanum, Senogalliam, Anconam, Auximum, Humanam, Æſium, Forum Sempronii, Montem Feretri, Urbinum, Territorium Balnenſe, Calles, Luceolos, & Eugubium cum Caſtris, & finibus adhæc Oppida pertinentibus, ut ex Ludovicii Pii privilegio apparet, quo hæc Donatio confirmatur* (a).

44. Quæ reſtitui fecerat Stephano III. Papæ Pipinus ab Aiſtulpho, Longobardorum Rege; Deſiderius eorundem Rex ultimus, perfidiſſimè abripuit. Unde Carolus Magnus, Pipini filius, ab Hadriano Papâ I. interpellatus, accurrit (*b*), & poſt præmiſſa inutilitèr officia pro ſublatarum rerum reſtitutione, Deſiderium Papiæ obſedit, indeque Romam interim eſt progreſſus, ubi Papa Carolum *deprecatus eſt, atque admonuit, & paterno affectu adhortari ſtuduit, ut promiſſionem illam, quam ejus ſanctæ memoriæ genitor Pipinus Rex, & ipſe præcellentiſſimus Carolus cum ſuo germano Carolomanno, atque omnibus Judicibus Francis fecerant Beato Petro, & ejus Vicario ſanctæ memoriæ Domino Stephano juniori Papæ, quando in Franciam perrexit, pro concedendis diverſis Civitatibus, ac Territoriis iſtius Italiæ Provinciæ, & contradendis Beato Petro, ejuſque omnibus Vicariis in perpetuum poſſidendis, adimpleret in omnibus, eumque ipſam promiſſionem, quæ in Franciâ in loco, qui vocatur Cariſiacus facta eſt, ſibi relegi feciſſet, complacuerunt illi, & ejus Judicibus omnia, quæ ibidem erant adnexa, & propriâ voluntate, bono, ac libenti animo aliam donationis promiſſionem, ad inſtar anterioris, ipſe antedictus præcellentiſſimus, & reverà Chriſtianiſſimus Carolus Francorum Rex, aſcribi juſſit per Etherium Religioſum, ac prudentiſſimum Cappellanum, & Notarium ſuum, ubi conceſſit eaſdem Civitates, & Territoria Beato Petro, eaſque præfato Pontifici contradi ſpopondit per deſignationem confinium: ſicut in eâdem donatione continere monſtratur: ideſt à Lunis cum Inſulâ Corſicâ, deindè in Suriano, deinde in Monte Bardone, ideſt in Vereeto, deindè in Parmâ, deindè in Regio, & exindè in Mantuâ, atque Monte ſilicis, ſimulque & univerſum Exarchatum Ravennatium, ſicut antiquitus erat, atque Provinciis Venetiarum: & Hiſtriam, nec non, & cunctum Ducatum Spoletinum, & Beneventanum. Factâque eâdem donatione, & propriâ ſuâ manu ipſe Chriſtianiſſimus Francorum Rex eam corroborans, univerſos Epiſcopos, Abbates, Duces, etiam & Graphones in eâ aſcribi fecit. Quam prius ſuper altare Beati Petri, & poſtmodùm intus in ſanctâ ejus Confeſſione ponentes, tam ipſe Francorum Rex, quamque ejus Judices B. Petro, & ejus Vicario Sanctiſſimo Hadriano Papæ, ſub terribili Sacramento ſe ſe omnia conſervaturos, quæ in eâdem donatione continentur, promittentes tradiderunt. Apparem ipſius donationis per eundem Etherium adſcribi faciens ipſe Chriſtianiſſimus Rex Francorum, intus ſuper Corpus B. Petri ſubtus Evangelia, quæ ibidem oſculantur, pro firmiſſimâ cautelâ, & æternâ nominis ſui, ac Regni Francorum memoriâ, propriis ſuis manibus poſuit. Aliaque ejuſdem donationis exempla, per ſcriniarium hujus Sanctæ noſtræ Eccleſiæ deſcripta, ejus excellentia ſecum deportavit* (c).

45. Juſtam fuiſſe Regni Longobardici everſionem, jam de ſe patet, nam & Pipinus, & Carolus Magnus pluſquam juſtas cauſas habuerunt bellum Longobardis Regibus inferendi. An autèm juſta quoque adfuerit cauſa, non tantum Reges ultimos Aiſtulphum, & Deſiderium, tyrannicè vexantes Eccleſiam, bello plectendi, ſed etiam Regnum ipſum Longobardicum totalitèr evertendi, perperam eſt nunc perſcrutari, quippè victoriam Caroli Magni ſecuta eſt captura, & mors Regis Deſiderii, ac tandèm etiam Adalgiſi hujus filii occubitus in prælio apud Beneventum (*d*), necnon deſidia Longobardorum, alium Regem ſibi præficere non pergentium: Ideòque extincta paritèr Soboles Regia, & everſum Regnum remanſit: cujus jura ſive eſſent vacantia, eo quod jam Regnum ipſum nemo re-

(a) *Sigon. de Regn. Italiæ l.3. ſub an.775. fol.79.*

(b) *Fragment. veter. ſcript. de Geſt. Carol. Magn. apud Ducheſne Hiſt. Franc. to.2. f.206.*

(c) *Fragment. veter. Scriptor. loc. cit. f.217. & Anaſtaſ. Bibl. in Hadrian. I. f.156.*

(d) *Forest. Map. Hor. in Deſider. ult. Re. Longob.*

ſtauraret, adeoque primi Occupatoris acquiſitioni paterent, ſive belli juſtè illati ratione ad Victorem eſſent pertranſibilia; hoc unum eſt, quod, vel alterutro, vel utroque titulo, & acquiſitionis, & præventionis in eorum occupatione, ad Magnum Carolum tranſmearunt. Itàque Italiæ Regnum, à Zenone Imperatore Græcorum, ſolemnitèr cedente ſi quid juris in eo habebat; ad Gothos pervenit. A Gothis ad Longobardos tranſivit. A Longobardis ad Francos, & à Francis, proparte ad Pontificem, ac pro aliâ parte ad Imperium Occidentale Romano-Germanicum, ſucceſſivè à Leone Papâ III. in eodem Carolo noviter excitatum, quod jam partem ſuam diverſis Italiæ Principibus, vel in feudum, vel alio modo conceſſit. Atque ideò pars Italiæ, quam Carolus Magnus (præter eam, quam Pipinus reſtitui fecerat jam pridem Eccleſiæ) Sedi Apoſtolicæ ſuo diplomate, vel donationis, vel reſtitutionis reſpectivè, aut ceſſionis, vel quomodocumque dationis titulo, cum conſenſu Procerum ſuorum, conceſſit (*a*), tam juſtè fuit ei collata, quam juſtè collata fuit reliqua pars novo Imperio, & Principibus ab hoc illam, in plures diſtributam, habentibus: utrobique etenim æqua ratio concurrit, nec una earum ſine aliâ valet rationabilitèr impugnari. Neque dubitari magìs poteſt de juſtitiâ poſſeſſionis hujuſmodi Statuum, & Provinciarum, cujus dominium temporale tenet Sedes Apoſtolica, quam dubitari valeat de juſtitiâ poſſeſſionis, quam tenent ſuorum Statuum, & Regnorum, quibus præſunt, Reges, & Reſpublicæ Occidentales in Europâ, olim ad Romanum Imperium pertinentium.

(a) *Vide hic paulò antè num. preced.*

46. Videndum eſt nunc, an à tempore Caroli Magni, uſque ad tempus Normannorum, Summi Pontifices Terram illam tenuerint, vel mediatè, vel immediatè, quæ nunc Regnum Neapolis nuncupatur. Erat ibi Ducatus Beneventanus, in perſonâ Zotonis uſque à primordiis Longobardorum erectus (*b*), ex quo, velut ramus, Salerni Principatus emerſit (*c*). Capuanus quoque Principatus, vel ab eo deſcendit, vel cum eo in unum coaluit (*d*). Hunc Ducatum ſubjugaturus Carolus Magnus adivit, ſed Aragiſo Duce illi donaria immenſa, & duos filios obſides tranſmittente, & fidelitatem cum omnibus Beneventanis jurante, Carolus hac ſubjectione tunc fuit contentus, & à vi, prælioque inferendo ſe abſtinuit (*e*). Rediens tamèn poſteà in Italiam, Pipinum filium ad Beneventanos expugnandos direxit (*f*), ut proſequeretur adverſus Dynaſtiam hanc, portionem Regni Longobardici, jura quibus Regnum ipſum jam à fundamentis everterat: irrito tamèn conatu, proptèr eorum vim, & potentiam, undè per aliquod tempus perrexerunt ibi Duces dominium retinere, donec à Græcis per vim, ac tyrannicè pulſi ſunt, & hi paritèr inde à Francis ejecti (*g*). Græci quoquè, nec non Saraceni varias partes ejuſdem Regni Neapolis occupabant, uti patet ex Lupo Protoſpata, & aliis (*h*), non jure tamèn, ſed ad tyrannice, ac per vim.

(b) *Paulus Diac. de Geſt. Longob. lib. 3. cap. 34.*

(c) *Herem pert Erdtom ſub an 839 & 850 f. 38 & 42.*

(d) *Anton. Caraciol. antiq Chronol. in Ducibus Beneventi n. 30. & in Comit. Capuæ n. 9 f 4 & 21.*

(e) *Eginhard. annal. de geſt. Carol. an. 786. & in vit. Carol. ap. Ducheſne to. 2 f. 97.*

(f) *Anna. Francor. ann 800 vit. Carol. an. 800. ap. Ducheſne to. 2. f. 59.*

(g) *Lupus Protoſpat. an. 891. & 894. Caraciol loc. cit f. 6.*

(h) *Lup Protoſp. & Anonym. Caſſin. in ſuis Chronic.*

47. Hinc agnoſcas, quod ſicut Carolus Magnus Papæ donavit, ſivè conceſſit, ſuo diplomate, vel reſtituit reſpectivè varia loca, quæ adhùc à Deſiderio Rege Longobardorum, Papię obſeſſo, ſed nondùm expugnato, retinebantur, nempè quatenùs ea poſſet adipiſci; ſic & ex Terris, in Regno Neapolis conſtitutis, ſi quas Gręci occupabant, vel Magnates Longobardi tenebant, eas quoque Papę donavit, ſive conceſſit, ſub ſpè illas armorum viribus expugnandi, tamquam partes quotitativas Regni Longobardorum, in quibus Regno ipſo totalitèr everſo ſucceſſit. Porrò etiam alii Principes, & pręſertim Otho Magnus Imperator in ſuo diplomate pollicetur Eccleſiæ Romanę Urbes, & Provincias, *ſi Deus noſtris illud tradiderit manibus* (*i*). Et ità non mirum ſi Carolus in ſuâ donatione concluſit etiam terras, quas nondùm ſibi immediatè ſubegerat, habebat tamèn jus legitimum, & animum etiam, vel eas ſibi ſubjugandi, tamquam ad quem legitimè jura Regni Longobardici petranſierant: vel relicturus erat ad tempus in feudum Ducibus, & Magnatibus eas tenentibus, prout melius eſſe cognoſceret. Et ità ab eo tempore, quo Carolus ipſe conceſſionem prefatam fecit, & Regnum Longobardorum evertit, juraque illius ipſe acquiſivit; dominium Provinciarum, quę nunc Regnum Nea-

(i) *Card. Baron. ann. 962. n. 3.*

Neapolitanum componunt, & tunc Ducatum Beneventanum, alioſque Principatus, & Baronatus complectebautur, apud Summum Pontificem, Conceſſionarium Caroli conſiſtebant, quantumvis aliquæ Urbium, & Provinciarum ipſarum ab aliis occupatoribus Gręcis, vel Saracenus, vel etiam à Longobardis Magnatibus tenerentur in feudum. Itàque Loca illa legitimè ab Imperio Cęſareo, tum Occidentali, tum Orientali ad Gothos; à Gothis ad Longobardos; à Longobardis ad Francos, ſeu ad Carolum Magnum eorum Regem, & à Carolo ad Cathedram D. Petri, ſummoſque Pontifices pervenerunt.

48. Ad pleniorem vero rerum notitiam, ſciendum eſt, quod in Regno Longobardorum erant multa feuda Magnatum, qui Urbes, Oppida, Ditiones, & Loca in feudum à Rege illius gentis tenebant. Interquę quatuor erant Ducatus majoris notę, nempè Spoletanus, Taurinenſis, Forojulienſis, & Beneventanus (*a*). Tempore autem everſionis Regni Longobardici, factæ per Carolum Magnum, prędfatis feudis, & pręcipuę dictis Ducatibus inerant proprii Barones, & Duces; Longobardorumque *gens, & nomen ſic permixtum erat cum Italis, ut nullo modo deleri potuiſſet* (*b*), ſine totius Italiæ ſubverſione, magniſque periculis victoriæ, atque acquiſitionis per Gallum factæ. Quamvis ergò Carolus haberet juſtum titulum Barones pręfatos deſtituendi, & Ducatus prędictos, tamquam partes Regni per sè juſtè acquiſiti, diruendi, quod & prout potuit, etiam tentavit; tamèn proptèr eorum validam reſiſtentiam, conſideravit vi non eſſe agendum, ſed tempore. Politicè igitur ſatius duxit eoſdem Duces, ſi & quouſque sè illi fideles ſubditos exhiberent, feudatarios, & vaſſallos habere, ac eoſmet in poſſeſſione ſuarum ditionum relinquere, quam eoſdem armis ad ultimam deſperationem inducere. Hacque ratione multi Comites, Barones, ac Duces perſeverarunt etiam poſt exactos Longobardos in dominio ſuarum ditionum. Et ità, quod etiam poſt donationem, & reſpectivè reſtitutionem terrarum Regni Neapolitani, factam à Carolo Magno Eccleſię Romanę, adhùc perrexiſſe legantur Duces Beneventanos, & horum germina Principes Capuę, & Salerni: Principes quoque Barii, Duces Neapolis, Duces Apuliæ, & ſi qui alii fuerunt, his titulis inſigniti; nil refert, quia vel voces illæ *Dux* non ſignificabant dignitatem Ducalem, in illis omnibus exiſtentem, ſed in aliquibus ſolummodò Rectoratum, & Gubernium Civitatis, aut loci, cui præerant, aut ſolam Præfecturam militarem, & Regimen armorum. Vel ubi dignitatem Ducalem ſignificabant, intelligebantur de Ducatu feudali, & ſubordinato ſupremo Domino, qui erat Carolus Magnus, pro parte Italiæ, quam ſub ſuo retinuit dominatu, & Summus Pontifex Ceſſionarius ipſius Caroli, pro aliâ parte Italiæ, Regnum Neapolis componente. Quarè Duces ibi poſiti erant feudatarii Papæ, quorum durante vitâ, vel ſobole, dominium utile illorum locorum erat apud ipſoſmet Duces, & Barones, eorundem verò deficiente lineâ, dominium utile conſolidari debebat cum dominio alto ſupremo, & directo, reſidente apud Pontificem.

(a) *Freccia de ſubfeud. lib. 1. tit. de antiq. ſtat. Regni n. 17.*

(b) *Marinus Freccia loc. citat. n. 10.*

49. Porrò Conceſſionem, ſive Donationem, ac reſpectivè Reſtitutionem, & Ceſſionem, vel quocumque modo vocare velimus dationem præfatarum terrarum, Regnum Neapolis componentium, factam Sedi Apoſtolicę à Carolo Magno, Ludovicus Pius ejus filius expreſſiſſimè confirmavit. Otho quoquè Magnus, Henricus Sanctus, Rudolphus Auſtriacus, & alii Imperatores, eandem novis ſuis diplomatibus, editis favore Sedis Apoſtolicę, confirmarunt, ratam habuerunt, roborarunt, & inconvulſibilem reddiderunt, ſpecificè nominato in eis Regno Neapolitano, ac provinciis, & locis, ex quibus ipſum componitur (*c*). Quod ſanè non feciſſent, niſi certò agnoviſſent, dominium ipſius Regni ad Sedem Apoſtolicam, ſaltem à tempore Conceſſionis Caroli Magni (ſi hoc nolit ad præcedentem donationem Conſtantini) legitimè pertinere: abſque eo quod quiſquam terrenus. Princeps, Rex, vel Dynaſta, & nec etiàm Imperium, à Cęſare fundatum, ſive Occidentale, jam pręcedentèr in Auguſtulo totalitèr abolitum: Vel Orientale, tunc quidem adhùc ſubſiſtens, ſed nunc jam prorsùs extinctum in Conſtantino XII. à Turcis occi-

(c) *Vide hic infra in Capitulo ſequent.*

occiſo: ſive Imperium Romano-Germanicum, quod tunc nondùm fuerat à Leone PP. III. excitatum, ullum ſuper ipſo Regno Neapolis, ejuſque Provinciis jus, vel juriſdictionem, aut dominium temporale retineat, ab Apoſtolicâ Sede independens.

50. Ad hęc legimus in Hiſtoriis, quod Nicolaus Papa I. qui ſedit anno 868. apud Michaelem Græcorum Imperatorem inſtetit *ſuæ Eccleſiæ* reſtitui *Calabritanum, Siculumque* patrimonium (*a*). Pariter circa annum 879. memorat Herempertus, quod Pandenolfus Princeps Capuæ ſe ſubdidit Joanni Papæ, *in cujus nomine, & chartæ exaratę, & nummi figurati ſunt* (*b*). Poſteà in alio loco notat, quod Adenolfus Princeps Capuæ miſſos ſuos Romam delegavit, *ut ſuaderent Stephano PP. quod ipſe foret illi proprius famulus, & promiſit quoque ei reddere Cajetam, adjuvaretque eum contra Saracenos in Gariliano reſidentes* (*c*). Si Principes Capuani sè profitebantur famulos, & ſubditos Papæ, ſi chartas, ſi nummos ſub inſignibus Papæ figurare pollicebantur; hoc evidentèr oſtendit, quod agnoſcebant Papam pro Domino directo, & ſupremo ſui Principatus. Id ipſum ſenſiſſe Principes Salernitanos, Barenſes, & alios Magnates Regni reperiremus, ſi omnia, quæ tunc acciderunt, fuiſſent in ſcriptis redacta, & hiſtoriæ illorum temporum ad nos perveniſſent. Non tamen parum eſt ea, quę retulimus, inveniſſe, accedente etiam actuali poſſeſſione, quam tenuit Sedes Apoſtolica Ducatus Beneventani, ex quo Duces defecerunt, & injuſti occupatores illius ditionis expulſi ſunt. Præterea ſi præfatus Adenolfus pollicitus eſt *reddere* Papæ Cajetam; patet quod illa Civitas immediatè ſuberat Papæ, cui fuerat injuſtè ſubtracta. Ulterius paulò antè finem Regni Longobardorum, Pipinus Rex Francorum egit cum eis de reſtituendo D. Petro ejus patrimonio, Neapoli ſito (*d*), Quod non obſcurè indicat, Urbem illam uſque ab illo tempore ad Pontificem pertinuiſſe, eſſeque unam ex terris, quę per Diploma Caroli Magni non fuerunt Papæ donatæ, ſed reſtitutæ. Itàque innoteſcit quod etiam antè tempus Normannorum, Papæ aliquas Terras, Urbes, & loca Regni Neapolitani per sè ipſos immediatè tenebant: Alias tenebant Principes, & Magnates ſub ratione feudi à Pontifice, Caroli Magni Ceſſionario, aliterue illorum ſupremo Domino. Alias occupabant Gręci, & Saraceni per prepotentiam, armata manu, tyrannicè, & de facto, tenueruntque donec fuerunt à Principibus, quorum Papę adjutorium invocarunt, expulſi: Remanente nihilominùs ſemper per totum illud tempus apud Sedem Apoſtolicam alto dominio ipſarum terrarum, quas feudatarii præfati modis debitis poſſidebant, & etiam illarum, quas Græçi, & Saraceni ſibi per vim ſubjugaverant. Violentiæ ſiquidem, & occupationes Tyrannorum, legitimos Dominos Terrarum magis poſſeſſione ſuâ non privant quam fures, & latrones Dominos rerum, quas rapiunt.

51. Advenerunt deinde in Regnum Napolitanum Normanni, qui non ex sè, ſed ad inſtantiam Papæ, Græcos, & Saracenos ex Regno depellere aggreſſi ſunt, tamquam injuſtos illius regionis occupatores (*e*). Et ut refert Pandulfus Lateranenſis, in additione ad Chronicon Damaſi, S. Leo PP. IX. *ſuâ prædicatione omnes Normannos, & Franlgenas, ad deſtruendam ſuperbiam illorum, qui in partibus Apuliæ commorabantur, deduxit* (*f*). Hæc ſigna ſunt, quod illius terræ dominium ad Sedem Apoſtolicam pertinebat. Rurſus idem Leo Normannos ipſos, ex auxiliariis factos Romanæ Cathedrę infeſtos, armis appetiit (*g*), & Henricum Imperatorem, ut eos bello percelleret, invocavit (*h*). Nicolaus quoquè PP. II. Normannos ipſos, terras D. Petri independentèr à sè occupantes, excommunicatione percuſſit, & ablata reſtituere adegit, quæ nihilominùs eis in Emphyeuſim conceſſit (*i*), Ricardo dans Principatum Capuanum, & Roberto Calabrię, atque Apuliæ Ducatus (*l*). Alexander PP. II. Vuillelmum de Monaſterolo, ſigniferum ſuum in Campaniâ conſtituit, ut armis Provinciam illam D. Petro Apoſtolo ſubjugaret (*m*). S. Gregorius PP. VII. in Synodo Romanâ excommunicatione innodavit Robertum Guiſcardum Normannorum Principem, proptèr terras Apuliæ, Calabrię,

(a) *Sigon. Regn. Ital. lib. 5. ann. 860 Freccia de ſubfeud. loc. citat. n 15 circ finem.*
(b) *Herempert. Epitom. ap. Anton. Caracciol. Antiq. Chronolog f. 61.*
(c) *Herempert. loco citat fol. 74.*
(d) *Paul PP. I. epiſt. 16 in Codic. Carolin. §. In Emboliun. ap. Ducheſne tom. 3 f. 745.*
(e) *Ciacon. in Benedict. 8 §. hujus.*
(f) *Felyn. Epitom. Regum Apulię cap. 5. f 9.*
(g) *Herman. Contract. in Chron ann. 1052 Leo Oſtienſ. lib. 2 cap 88.*
(h) *Baron. an. 1053. n 2. & 3. Lup. Protoſpat ann 1053.*
(i) *Baron ann. 1059. n. 1. 2. 3 Leo Oſtienſ. Chron l. 3 c 15.*
(l) *Sigonius de Regno Italię lib 9 ſub an. 1059 fol. 222.*
(m) *Orderic. Vital. Hiſtor. Eccleſ. l. 3. ſub an. 1063 f. 483.*

labrię, & Sicilię ſine ſuâ inveſtiturâ detentas (*a*). Et quamvis Oratores ad Sedem Apoſtolicam ſupplices mittentem, ac ſecuritatem fidelitatis exhibentem, abſolvere recuſavit (*b*), donec fuit Sedi Apoſtolicę congruè ſatisfactum: à qua etiam Robertus inveſtituram tandèm obtinuit. De aliis Regibus Normannicę Dynaſtię infrà redibit ſermo.

52. Hęc autem ſanè oſtendunt, quod Provinciæ Regni Neapolitani, à tempore Caroli Magni, uſque ad Normannorum adventum, & ſub ipſo illorum adventu, ad Romanum Pontificem pertinebant, alias Papę prefati non hęc egiſſent, & agentibus, Normanni, locorum illorum acquiſitores, virique fortes, ac terribiles, validiſſimè reſtitiſſent, non sè illis, uti feudatarios, ligios, ac vaſſallos humilitèr ſubmiſiſſent. Sed ſi ceſſaret omnis alia ratio, nonnè hęc pro mille invaleſcit, quam hic ducimus ſubjungendam? Nempè quod jam à tempore Normannorum per longam ſeriem ſeptem Sęculorum ſine interruptione, Regnum Neapolitanum, ejuſque Provincię, fuerunt à Principibus, qui eidem dominati ſunt, uti feudales Romanæ Eccleſiæ retentæ (*c*). Sanè, etiam datâ hypotheſi, quod Sedes Apoſtolica dominio temporali illius Regni caruiſſet; nonnè eo ipſo quod Principes, illud poſſidentes, profeſſi ſunt ſe Regnum ipſum in feudum, & vaſſalagium retinere à Summis Pontificibus, recipiendo ab eis inveſtituram, exhibendo juramentum fidelitatis, & hominium ligium exercendo, cenſum annualitèr perſolvendo, cuncta demum faciendo, quæ ad feudi rationem neceſſaria ſunt; hocque non ſemel, & bis, ſed penè centies repetendo; nonnè inquam feudum conſtituerunt? Sententia generalis eſt Doctorum, *primò*, quod feudum, per recognitionem rei in feudalem titulum conſtituitur (*d*). Recognitio namque, cum juramento fidelitatis, & præſtatione cenſus, facit feudum, ut inquit Marta, in exemplum adducens Regnum Neapolitanum (*e*). *Secundò*, quod cum quilibet valeat rei ſuæ onus ſibi benè viſum apponere; poteſt etiam Principatum, ac Ditionem ſuam, alioquin liberam, ſubmittere tamquam feudum cuilibet Principi, & multò magis Romano Pontifici, illamque ab eo in feudum ſuſcipere, & uti feudum profiteri ſe velle inpoſterum retinere (*f*). *Tertiò*, quod poſſeſſio longi temporis, & præſcripta, præſertim per lapſum centum annorum, dat poſſeſſori tale jus, quod nullum eo majus dari poteſt.

Cum autem Pontifex habeat poſſeſſionem Regni Neapolis, à ſe variis Principibus in feudum collati, per ſpatium *ſeptingentorum annorum*, non ſapit, ſed potius delirando loquitur, qui ejuſdem jus legitimum in dubium vocat. Alioquin etiam de Regnis Franciæ, Hiſpaniæ, Luſitaniæ, Angliæ, aliorumque Principum, & Rerumpublicarum Europę, quorum terræ olim ad Romanum Imperium pertinebant, eadem debebit fieri difficultas. Sed jam ad alia tranſeamus, idem jus Summi Pontificis in Regno Neapolis comprobantia.

(a) *Concilium Roman. ann. 1074 Binius tom. 7. Concil. part. 1. f. 466 Baron. eod. ann.*

(b) *S. Greg. VII. l. 2. epiſt. 9. Bin. so m. 7. p. 2. f. 146.*

(c) *Vid. hic infrà cap. 16. n. 16.*

(d) *Jaſon. in leg. 1. n. 158. C. de jur. emphit. Natta conſ. 634. n. 11. Burſat. conſ. 46. nu. 14. vol. 1.*

(e) *Marta de juriſd. p. 1. c. 29. n. 10 & 11.*

(f) *DD. apud Martam loc. cit. n. 7.*

C A P U T XXVI.

In qua ex pluribus, & diverſis Imperatorum, aliorumque Principum Diplomatibus, Confeſſionibus, & Documentis, oſtenditur, quod Regnum Neapolitanum ſpectat ad Supremum Dominium Sedis Apoſtolicæ, adeòque illius eſt Feudum.

S U M M A R I U M.

1 *Ludovicus Pius Imperator, novo diplomate donationes Caroli Magni, & Pipini; Eccleſiæ Romanæ factas confirmavit. Cujus rei multi faciunt mentionem.*

2 3 *Affertur textus præfati diplomatis, à Doctore Martà Neapolitano: in eoque eſt Ducatus Neapolitanus, Calabria, Capua, Salernum, & Inſula Siciliæ verbis expreſſis contenta.*

4 5 6 *Tranſcribitur pars diplomatis Othonis Magni Imperatoris, editi favore Joannis Papæ xij. ac Sedis Apoſtolicæ.*

7 *In eo expreſsè continentur Sicilia, & Urbes, ac Provinciæ componentes Regnum Neapolis, & confirmantur donationes Pipini, & Caroli Magni.*

8 *S. Henricus quoque Imperator, ac Henricus IV. ſimilia dedere diplomata favore Romanæ Sedis. In quibus exprimuntur Provinciæ Regni Neapolitani.*

9 *Otho IV. & Fridericus II. Imperatores, Siciliam tàm citrà, quàm ultra Pharum diſtinguunt in eorum diplomatibus, editis favore Sedis Apoſtolicæ.*

10 *Principes Imperii confirmarunt, aſſenſique ſunt conceſſioni, & diplomati Friderici II. Imperatoris, cum omnibus in eo contentis.*

11 12 *Subindè Rodulphus I. Imperator aliud edidit diploma favore Romanæ Eccleſiæ, in quo Regnum Siciliæ nominat.*

13 *Idem Rodulphus etiam permittit procurare, ut contenta in ipſo diplomate, à Principibus Alemanniæ jurarentur, & obſervarentur.*

14 *Iterumque idem Rodulphus Imperator, per Procuratorem ſuum novo diplomate, ſivè inſtrumento confirmavit ea, quæ ſpoponderat.*

15 *In quo, & in alio ſimili diplomate ſpecificè comprehenditur Regnum Siciliæ, cum terris Regni Neapolitani, tamquàm de Dominio Eccleſiæ.*

16 *Quod Summi Principes, qui contractus inire valent, etiam donare poſſint, non ambigunt Doctores: diſputant vero Politici, quando ſic eis placet.*

17 *Reges Hebræorum, Perſarum, Græcorum, & alii Principes memorantur, qui Urbes, & Provincias aliis donarunt.*

18 *Honorius Imperator Viſigothorum Regi Aquitaniam contulit. Juſtinianus Clothario ceſſit Galliam Narbonenſem. Alii Monarchæ ſimilia fecerunt.*

19 *Ex tot factis patet, quod Reges donare poſſunt, præſertim Eccleſiis. Innuitur ſenſus Archiepiſcopi Senonenſis, ſub Philippo VI. Rege Franciæ.*

20 *Si Imperator non poteſt donare, quomodo ſibi cavebunt Principes, habentes Terras ab Imperio? Regnum Neapolis ad illud non pertinet.*

21 *Carolus Magnus, & Otho I. Regni Terras meditati ſunt Sedi Apoſtolicæ conſignare. Neapolis habebat ſuos Duces.*

22 *Regnum Neapolitanum nunquam pertinuit ad Imperium Romano-Germanicum.*

Nec

Nec refert, an Imperatores potuerint donare, nec nè?

23 *Si Imperatores potuerunt Principibus, & Eccleſiis, Urbes, & Regiones concedere; cur Eccleſiæ Romanæ non potuerunt?*

24 *Recentes Monarchæ Urbes, & Regiones donarunt, vel ceſſerunt. Nunquid ergò non potuerunt facere quod fecerunt?*

25 *Terras Regni Neapolis non omnes donavit Carolus Magnus Eccleſiæ Romanæ, ſed partim eidem reſtituit, ad quam anteà pertinebant.*

26 *Regna tam ſpontaneâ populorum dediſione, quam longo curſu temporis acquiruntur. Eccleſia ſaltèm ab 700. annis dominatur Regno Neapolis.*

27 *Principes, qui hucuſque Regnum Neapolis tenuerunt, profeſſi ſunt, ſe illud habuiſſe in feudum ab Eccleſiâ Romanâ, ut patet ex Inveſtituris.*

28 *Rogerius Silivus lineæ* Normannicæ *à Papis recipit in feudum terras, Regnum Neapolitanum componentes, cum Regii honoris augmento.*

29 *Guillelmus Malus Rex cum Hadriano PP. IV. concordavit, quod Pontifex illi concederet Provincias Regni Neapolis in feudum.*

30 *Ex lineâ* Svevicâ *Fridericus II. Imperator cum Conſtantiâ ejus Matre, ab Innocentio III. habuit in feudum provincias, Regnum Neapolis componentes.*

31 *Idem Fridericus in Concilio Lugdunenſi depoſitus eſt, & privatus dictis Provinciis; Regnumque à Papis conceſſum eſt* Lineę Andegavenſi.

32 *Affertur juramentum fidelitatis, præſtitum Nicolao PP. IV. à Carolo II. Reges lineę Andegavenſis profeſſi ſunt, sè retinere Regnum in feudum.*

33 *Idipſum feciſſe Alphonſum I. & alios Reges* lineæ Aragonenſis, *patet ex inveſtituris, & juramentis fidelitatis per eas præſtitis.*

34 *Reges* lineę Auſtriacę *idipſum executi ſunt cum diverſis Pontificibus. Quibus, actibus abundè probatur feudalitas ipſius Regni.*

35 *Regnum hoc eſſe feudale Sedis Apoſtolicę proficit Magnatibus Regni, & cur? Quanta ſit dignitas eorumdem Magnatum.*

1. LODOVICUS I. Caroli Magni filius, ac non tam Imperii, quam & pietatis paternæ ſucceſſor, & hæres, ob ſingularem clementiam, & pietatem cognomento Pius communitèr appellatus (*a*), imperare cępit anno 814. (*b*). Qui primordia ſui regiminis ſanctificare volens; *Pactum conſtitutionis*, inquit Leo Oſtienſis, & *confirmationis fecit B. Petro Apoſtolo, ejuſque Vicario, Domino Paſchali, parentes ſuos Pipinum, & Carolum imitatus, manuſque ſuæ, ac filiorum ſubſcriptione corroborans, X. Epiſcopos, VIII. Abbates, & Comites XV., Bibliothecarium, Manſionarium, & Oſtiarium unum ſubſcribere fecit, & per Legatum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Theodorum Nomenclatorem, Domino Paſchali Papæ tranſmiſit* (*c*). Quâ de re Eginhardus quoque ſcribit, *Paſchalis Papa, miſſâ legatione Pactum, quod cum prædeceſſoribus ſuis factum erat, etiam ſecus fieri, ac firmari rogavit. Hunc Legationem Theodorus Nomenclator & detulit, & ea, quæ petierat, impetravit* (*d*). Mentionem hujus *Pacti*, ſivè Diplomatis, vel Donationis, aut Conſtitutionis, Recognitionis, aut Ratificationis, vel alio quocumque nomine nuncupetur, faciunt etiam Gratianus in Decreto (*e*), Ivo Carnotenſis paritèr in ſuo Decreto (*f*), Jacobus Gretſerus (*g*), Anſelmus Lucenſis (*h*), Ducheſnius (*i*), Marcus Antonius Capellus (*l*), Mabillonius, & alii (*m*), ut eam veram eſſe, nullus dubitare poſſit, niſi qui libentèr impugnet quamcumque, etſi notiſſimam veritatem.

2. Igitur præfatum Diploma Ludovici Pii Imperatoris, editum anno 817. diſertis verbis, & expreſſiſſimis vocibus, comprehendit *Neapolitanum* Ducatum, *Salernitanum*, *Calabriam*, *Siciliam*, *Capuam*, & alias Urbes in Campaniâ conſtitutas, ac eas Papæ, ſub hac formulâ, impertit, ſivè roborat, & obfirmat, citans donationes antecedentes Caroli Magni Imperatoris ejus patris, & Pipini Regis Fran-

(a) *Hect. Mutius in Chron. l. 10. ſub anno 825. f. 74. 4.*
(b) *Card. Baron. an. 814. n. 64.*
(c) *Leo Oſtienſ. Chron. Caſſin lib 1. c 18.*
(d) *Eginhard de Geſtis Ludovici Pii anno 817 ap Ducheſne to. 2. f 261. 4.*
(e) *Cap. Ego Ludovicus diſt 63.*
(f) *Ivo Carnot. decr. p. 5. c. 52.*
(g) *Gretſer. in Apolog Baronii c. 8 f. 340.*
(h) *Anſelm Lucenſ. lib. 2. adverſ. Gubertū Antipapam.*
(i) *Ducheſne Hiſt. Franc. tom 3 f. 681.*
(l) *M. Anton. Capel. de ſucceſſ. Epiſc. Rom. f 285.*
(m) *Mabillon. de rē diplomat l. 2 c. 3 §. 23. Card Bar an. 817. n. 19 Concil. tom. 7. f. 1516.*

Francorum ejus avi: juxtà editionem, quam refert, & tuetur memoratus Doctor *Marta* Neapolitanus, in ſuo Tractatu de Juriſditione. *Ego Ludovicus Imperator concedo tibi Beato Petro Principi Apoſtolorum, & per te Vicario tuo Domino Paſchali Summo Pontifici, Succeſſoribuſque ejus in perpetuum, Civitatem Romanam cum ſuâ juriſdictione, omnibuſque circa terris, Civitatibus, portubus, ac maritimis locis Hetruriæ. In eâ denique mediterraneam Urbem veterem, Balneoregium, Viterbiam, Saonam, Populoniam, Roſellas, Peruſium, Muthuranum, Sutrium, nempè verſum Campaniam, Ananiam, Signiam, Ferretinum, Alatrum, Patricum, Fruſinonum, cum omnibus circà Oppidis, & vicis, nec non Exarchatum Ravennæ integrum, ſicut piæ recordationis Carolus Pater, & itèm Pipinus avus noſter Beato Petro dudùm conceſſere, videlicet Ravennam, Bobium, Æmiliam, Forum populi, Forum Julii, Faventiam, Imolam, Romaniam, Ferrariam, Comaclum, Adriam, Cerviam, In Marchiâ, Piſarum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Oximum Humanam, Æſium, Forum Sempronii, Ferretrum, Urbinum, Territorium Valuenſe, Callium, Luceolos, Eugubium. In Campaniâ, Sorum, Aquinum, Arpinum, Thranum, Capuam, Patrimonium quoque ad noſtram pertinentia juriſdictionem.*

3. Siſtat hic lector, & ubi dicit *ad noſtram*, ſciat legendum haud dubiè *veſtram* (a), Proſequitur diploma, & individuat Patrimonium *Beneventanum, Salernitanum, Calabriæ inferioris, & ſuperioris, ac Neapolitanum Ducatum, inſupèr Spoletinum, Tuder, Utriculum, Narniam, reliquaſque ejus ditionis, Inſulas quoque inferi maris, Corſicam, Sardiniam, Siciliam, quæ omnia piæ memoriæ Pipinus Avus, deindè Carolus Imperator genitor noſter, per Aetherium, & Mainardum Abbates, ad hoc ſpontè miſſos, Beato Petro, ejuſque ſucceſſoribus ſcripto conceſſerunt; Nos item probamus, atque concedimus. Prætereà Summi Pontificis deligendi Romano Conſilio poteſtatem eſſe volumus, modò ſinè diſcordiâ fiat, ac poſt conſecrationem, Legati ad nos, ſucceſſoreſque noſtros Reges Francorum, conciliandæ charitatis, & amicitiæ causâ mittantur, ſicuti temporibus Domini Caroli, & Pipini avi, & poſtremò Caroli genitoris noſtri mos fuit. Hanc igitur voluntatem noſtram ſcripto, & jurejurando firmamus, & per Legatum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Theodorum Domino Paſchali miſimus, manuque propriâ mè ſubſcripſi, Ego Ludovicus. Scripſere quoque tres filii, Epiſcopi decem, Abbates octo, Comites quindecim, Bibliothecarius, Manſionarius, Oſtiariuſque unus &c.* Uſi ſumus hoc exemplari, à Doctore Martâ ſuis ſcriptis inſerto, ut gratius ſit Contradictoribus, hoc diploma ab eorum Connationali audiviſſe (b). Ceterùm Cardinalis Baronius, & Sigonius, illud magis diffuſum recenſent; ab hoc tamen in ſubſtantiâ non diſcrepans, uti legenti eniteſcit (c). Ex his ergò, quæ in ſerie hujus diplomatis continentur, patet, quod Regiones illæ, quæ componunt Regnum Neapolis, ſpectant ad Apoſtolicæ Sedis dominium.

(a) *Vid to. 7 Concilior. Binif. 1516 vid etiam Card Baron & Sigon locis mox citandis.*

(b) *Marta de juriſd. p. 1. c 31. n. 3.*

(c) *Card Baron. an. 817. n. 10 Sigon de Regn. Ital. lib. 4. ad anno 817.*

4. His pro Coronide addamus Pactum, ſivè Pacti Confirmationem, factam ab Othone Magno Imperatore, ſolemni diplomate favore Romanæ Eccleſiæ anno 962. tenoris uti ſequitur; *Ego Otho Dei gratiâ Imperator Auguſtus, unà cum Othoneglorioſo Rege filio noſtro, Divinâ ordinante providentiâ, ſpondemus, atque promittimus per hoc Pactum Confirmationis noſtræ tibi Beato Petro Principi Apoſtolorum, & Clavigero Regni Cælorum, & per te Vicario tuo domno Joanni Summo Pontifici, & univerſali XII. Papæ, ſicut à Prædeceſſoribus veſtris uſque nunc in veſtrâ poteſtate, atque ditione tenuiſtis, & diſpoſuiſtis Civitatem Romanam cum Ducatu ſuo, & ſuburbanis ſuis, atque viculis omnibus, & territoriis ejus, montanis, & maritimis, litoribus, atque portubus, ſeù cunctis Civitatibus, Caſtellis, Oppidis, ac Viculis Tuſciæ partibus, ideſt Portum Centucellas, Cerem, Bledam, Martuſianum, Sutrium, Nepem, Caſtellum Gallicem, Ortam, Polimartium, Ameriam, Tudam, Peruſiam cum tribus inſulis ſuis, ideſt Majore, Pulvenſim, Narniam, & Utriculum, cum omnibus finibus, ac territoriis, ad ſupraſcriptas Civita-*

tes

tes pertinentibus. Nec non Exarchatum Ravennatem ſubintegritate, cum Urbibus, Civitatibus, Oppidis, & Caſtellis, quæ piæ recordationis Domnus Pipinus, & Domnus Carolus excellentiſſimus Imperator, prædeceſſores videlicet noſtri, Beato Petro Apoſtolo, & prædeceſſoribus veſtris, jam dudum per donationis paginam contulerunt, hoc eſt Civitatem Ravennam, & Æmiliam, Bobium, Cæſenam, Forumpopuli, Forumlivii, Faventiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam, Comaclum, & Hadriam, atque Gabellum, cum omnibus finibus, territoriis, atque Inſulis, terrâ, marique, ad ſupraſcriptas Civitates pertinentibus, ſimul & Pentapolim, videlicet Ariminum, Piſaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Auximum, Humanam, Heſim, Forum Sempronii, Montem Feltri, Urbinum, & territorium Balnenſe, Calles, Luceolis, & Eugubium, cum omnibus finibus, & territoriis ad eaſdem Civitates pertinentibus (a).

(a) *Apud Card Baron.ann.961.n.3.*

5. Indè addit idem diploma. *Eodem modo Territorium Sabinenſe, ſicut à Domno Carolo Imperatore Anteceſſore noſtro Beato Petro Apoſtolo, per donationis ſcriptum conceſſum eſt, ſub integritate. Item in partibus Tuſciæ Longobardorum Caſtellum Felicitatis, Urbem veterem, Balneum Regis, Ferentum, Viterbium, Ortam, Martam, Tuſcanam, Suanam, Populonium, Roſellas, cum ſuburbanis, atque viculis omnibus, & territoriis, ac maritimis, oppidis, & viculis, ſeù finibus omnibus. Itemque Almus cum Inſulâ Corſicâ, deindè in Suſiano, deindè in Monte Bardonis, deindè in Bereceto, exindè in Parmâ, deindè in Regio, exindè in Mantuâ, atque in Monte Silicis, atque Provinciâ Venetiarum, & Iſtriâ, nec non & cunctum Ducatum Spoletanum, ſeù Beneventanum, unà cum Eccleſiâ Sanctæ Chriſtinæ, poſitâ propè Papiam juxtà Padum, quarto milliario. Itèm in partibus Campaniæ Soram, Arces, Acquinum, Arpinum, Theanum, & Capuam, nec non patrimonia ad poteſtatem, & ditionem veſtram pertinentia, ſicuti eſt Patrimonium Beneventanum, & patrimonium Neapolitanum, & patrimonium Calabriæ ſuperioris, & inferioris. De Civitate autem Neapolitanâ cum Caſtellis, & territoris, & finibus, & inſulis ſuis ſibi pertinentibus, ſicut ad eaſdem reſpicere videntur, nec non patrimonium Siciliæ, ſi Deus noſtris illud tradiderit manibus, ſimili modo Civitatem Cajetam, & fundum cum omnibus earum pertinentiis.*

6. Pergit idemmet diploma, & ſubjungit: *Inſuper offerimus tibi B. Petre Apoſtole, Vicarioque tuo Domino Joanni Papæ, & ſucceſſoribus ejus, pro noſtræ animæ remedio, noſtrique filii, & noſtrorum Parentum de proprio noſtro Regno Civitates, & Oppida cum Piſcariis ſuis, ideſt Reatem, Amiternum, Furconem, Hurſium, Balvem, & Marſim, & alibi Civitatem Interamnem cum pertinentiis ſuis. Has omnes ſupradictas provincias, Urbes, Civitates, Oppida, & Caſtella, Vicos, & Territoria, ſimulque & patrimonia, pro remedio animæ noſtræ, & filii noſtri, ſivè parentum noſtrorum, ac ſucceſſorum noſtrorum, & pro cuncto à Deo conſervando Francorum populo, jàm dictæ Eccleſiæ tuæ, Beate Petre Apoſtole, & per te Vicario tuo ſpirituali Patri noſtro, Domno Joanni Summo Pontifici, & univerſali Papæ, ejuſque ſucceſſoribus, uſquè ad finem ſæculi, eo modo confirmamus, ut in ſuo detineat jure, principatu, atque ditione. Simili modo, per hoc noſtræ delegationis pactum confirmamus donationes, quas piæ recordationis domnus Pipinus Rex, & poſteà domnus Carolus excellentiſſimus Imperator, Beato Petro Apoſtolo ſpontaneâ voluntate contulerunt.*

7. Vide hìc expreſſiſſimis verbis nominatas terras, quæ conſtituunt Regnum Neapolitanum. Confirmatas quoquè conceſſiones *Pipini* Regis Francorum, & *Caroli Magni* Imperatoris, undè multiplicibus argumentis comprobatum cernitur, Regnum præfatum ad proprietatem Summi Pontificis pertinere: adeòque veritatem patentiſsimam impugnari ab iis, qui dominium ipſiuſmet Regni audent Sedi Apoſtolicæ denegare. Quantus, ac qualis fuerit iſte Otho Imperator, nulli non innoteſcit: qui ob victorias, & multa præclarè geſta, magni titulo meruit decorari (b). Meminerunt hujus Conceſſionis, vel Diplomatis, Confirmationis, Ratifica-

(b) *Chrònic.Laureſhemenſ.ann.911.*

tificationis, vel quocumque alio titulo nuncupetur Jacobus Gretſerus, Diploma ipſum à Goldaſto defendens (*a*): Necnon Gratianus, Ditmarus, Luitprandus, & alii. Sanè ſi aliquis terrenus Princeps Principatus ſui Diploma tàm clarum, tàm efficax, tamque antiquum haberet, illud ut putamus ſibi charius quocumque ingenti theſauro, vel immenſi pretii carbunculo retineret, ac de illo ſibi adeò blandiretur, ut nihil magis. Eundem ergò ſenſum ſciat Lector habere Romanam Sedem, eamque ſibi de hoc diplomate complacere, tantò majori ratione, quantò ipſum diploma eſt præcedentibus Pipini, atque Caroli Magni, & ſubſequentibus plurium aliorum Cæſarum diplomatibus communitum.

(a) *Gretſer. defenſ. in Goldaſt. lib. 2. c. 17. fol. 268.*

8. Profectò etiam S.Henricus I. Imperator edidit Privilegium Diploma, ſeu Inſtrumentum, quo Romanæ Sedi confirmavit, ſivè ratificavit, aut alias quocumque titulo communivit, conceſſiones, reſtitutiones, præbitiones, vel quomodocumque vocentur largitiones Urbium, & Provinciarum, ac locorum, à ſuis prædeceſſoribus factas eidem Sedi (*b*). Conſentaneum eſt quoquè huic pactum, ſivè inſtrumentum, & profeſſio, jurejurando firmata, Henrici IV, Imperatoris, favore Romanæ Eccleſiæ, tempore Paſchalis Papæ II. de quâ Binius, Imperator *jurejurando firmavit de Apoſtolici ipſius vitâ, & honore, de membris, de malâ captione, de regalibus etiam patrimoniis B. Petri, & nominatim de Apuliâ, Calabriâ, Siciliâ, Capuanoque Principatu factis Sacramentis* (*c*). Conſonant his tandem alia diplomata, eâdem dè rè, ab aliis Imperatoribus edita, quæ brevitatis causâ intermittimus: inutile namque, ac improvidum cenſemus, tot diplomata per extenſum referre, cum eadem ſufficiat innuiſſe, relicto Lectori onere ipſamet, ſi cupit, in eorum fontè intuendi. Unum nihilominus bonum cenſemus hic opportunè allegare, nempè Othonis IV. Imperatoris privilegium, tempore Innocentii Papæ III. procuſum, in quo hæc, quæ ſequitur, inter alias particulas continetur.

(b) *Card. Baron. anno 1014. n. 6.*

(c) *Binius in Notis ad Concil Lateranen. ann. 1112. tom. 7. Concil. par. 1. f. 544.*

9. *Poſſeſſiones, quas Romana Eccleſia recuperavit ab Anteceſſoribus noſtris, ſeu quibuslibet aliis antè detentas, liberas, & quietas ſibi dimittimus &c. Ad has pertinet tota terra, quæ eſt à Radicofano, uſque ad Ceperanum, Marchia Anconitana, Ducatus Spoletanus, Terra Comitiſſæ Mathildis, Comitatus Britinorii, Exarchatus Ravennæ, Pentapolis, cum aliis adjacentibus terris, expreſſis in multis privilegiis Imperatorum, & Regum, à tempore Ludovici, ut habeat eas Romana Eccleſia in perpetuum &c. Adjutores etiam erimus ad retinendum, & defendendum Eccleſiæ Romanæ Regnum Siciliæ, & cætera jura, quæ ad eam pertinere noſcuntur &c.* (*d*). Quid ſibi velint hìc verba illa *Regnum Siciliæ*; audiatur ex alio diplomate, quinquennio poſt edito à Friderico II. qui Othoni IV, immediatè in Imperio ſucceſſit: Ait enim: *Adjutores etiam erimus ad retinendum, & ad defendendum Eccleſiæ Romanæ Regnum Siciliæ, cum omnibus ad ipſum ſpectantibus, tàm citrà Pharum, quàm ultrà &c.* (*e*). Utraque igitur Sicilia ad dominium, & proprietatem Sedis Apoſtolicæ per hæc noſcitur pertinere. Neapolitanum autem Regnum eſt illud ipſum, quod nomine Regni Siciliæ citra Pharum diſtinguitur, & ab illo euripo aquæ, qui dicitur Pharus Meſſanæ, ab Inſulâ Siciliæ ſeparatur, dictâ Regnum Siciliæ ultrà Pharum.

(d) *Odoric. Raynald. ann. 1209. n. 10.*

(e) *Frider. II. ann. 1213. in libr. privil. Rom. Eccl.*

10. His optimum erit adiicere declarationem Principum Romani Imperii, præcisè de Siciliæ Regno loquentem, ut erat anno 1220. & ſub his terminis exaratam, *Nos Principes Imperii univerſi præſentem paginam inſpecturis. Ut tollatur de medio omnis materia ſcandali, diſſenſionis, ſeù etiam rancoris occaſio inter Eccleſiam, & Imperium; & hi duo gladii, in domo Domini conſtituti, intimæ dilectionis fœdere copulati, exurgant in reformationem univerſis populi Chriſtiani, & meritò mundo appareat in omnem exhibitionem juſtitiæ, & veritatis illa duo luminaria poſita in medio Firmamenti, & nos in opere, & voluntate filii inveniamur omni tempore devotionis, & pacis, qui tàm Eccleſiam, quàm Imperium conſovere tenemur, ac etiam unanimitèr gubernare, quicquid ipſi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Matri noſtræ factum eſt per dominum noſtrum Fredericum, Dei gratiâ, Roma-*

norum

norum Regem ſemper Auguſtum, & Regem Siciliæ, per privilegia, ſeù etiam ſcripta ſua prò omni diſcordiâ ſopiendâ, & evitandâ inpoſterum, & prò pace totalitèr reformandâ paritèr, & obſervandâ, ut ſit in omnibus eiſdem omni tempore idem velle, & idem nolle, & nos bonorum operum ſectatores, feliciter gaudeamus noſtri nomine principatus, ſicut olim ad petitiones, & preces, nec non & mandatum prædicti Domini noſtri Reges Frederici, tempore bonæ memoriæ Domini Innocentii III. Papæ, prò bono pacis, ad omnia ſcandala evitanda, ipſi Sanctæ Romanę Eccleſiæ, ſuper privilegiis ipſius Regis ſibi datis, noſtram tùnc voluntatem, & conſenſum noſtrum novitèr innovamus, & per omnia approbamus. Et ut hęc noſtra voluntas, & approbatio, ſivè innovatio à nobis ipſi Sanctæ Romanæ Eccleſię in perpetuum obſervetur, ut liqueat in effectu in teſtimonium illi ad perpetuam memoriam noſtri, hoc præſens ſcriptum indè fieri fecimus, noſtrorum ſigillorum munimine roboratum, ſuper omnibus privilegiis ab ipſo Rege uſque nùnc ſibi datis, & etiam adhùc dandis, tàm ſuper facto Imperii, quàm ſuper facto Regni Siciliæ: ità quod Imperium nihil cum ipſo Regno habeat unionis, vel alicujus juriſdictionis in ipſo (*a*). Quibus verbis *Regni Siciliæ*, certè Principes Imperii profitentes ſe confirmare quidquid Fridericus II. Imperator in ſuo diplomate favore Sedis Apoſtolicæ decreverat; idque ſe approbare *ad preces, & ad mandatum* ipſius Imperatoris, clarum eſt, quod prò Regno Sicilię tantundem intellexerunt, quantum ſignificavit illiſmet verbis Imperator Fridericus. Hic verò Imperator, ut vidimus numero præcedenti, prò Regno Siciliæ intellexit utramque Siciliam, *tàm citrà Pharum, quàm ultrà*, & per conſequens Regnum Neapolis, quod eſt Sicilia citrà Pharum.

(a) *Odoric. Raynald. ann.* 1275. *num.* 41.

11\. Quam poſteà declarationem Rodulphus Abſpurgenſis, primus ex Auguſtiſſimâ proſapiâ Auſtriacâ Imperator, confirmavit, & approbavit (*b*), ac ſuorum Anteceſſorum donationes, & diplomata, ſequentis conſtitutionis munimine roboravit, *Rodulphus &c. Romanorum Rex ſemper Auguſtus &c. Adjutores erimus ad retinendum, & defendendum Eccleſiæ Romanæ regnum Siciliæ, cum omnibus ad ipſum ſpectantibus, tàm citrà Pharum, quàm ultrà: nec non Corſicam, & Sardiniam, ac cętera jura, quæ ad eam pertinere noſcuntur, tamquàm devotus filius, & Catholicus Princeps. Promittimus quoquè B. Petro Cæleſtis Regni Clavigero, ac vobis patri Sanctiſſimo, ipſius B. Petri, cæteriſque veſtris Succeſſoribus, & eidem Eccleſiæ Romanæ, quod per nos, vel per alium, ſeù alios non occupabimus, nec invademus, in totum, vel in partem, aliquas terras ipſius Eccleſiæ Romanæ, aut Vaſallorum ejus, quas jure feudi, vel ſub cenſus, ſeù alterius præſtationis titulo, ſivè alio quocumque modo tenent ab ipſâ Eccleſiâ: nec eas, vel earum aliquam procurabimus occupari per alium, ſeù alios, vel invadi. Quin etiam nec ipſas, nec tenentes eaſdem sè, vel terras ipſas nobis ultrò volentes ſubiicere: nec officium aliquod, aut dignitatem, vel quamcumque poteſtatem in terris eiſdem, & ſpecialitèr in Civitate Romanâ, recipiemus, ſub quocumque colore, ſinè veſtrâ, ſeù Succeſſorum veſtrorum licentiâ ſpeciali. Et ſi qui eas occupare, vel invadere tentarent, non ſolùm denegabimus illis auxilium, conſilium, & favorem publicum, & occultum, verum etiam ad requiſitionem veſtram, veſtrorumque Succeſſorum, adjutores erimus contrà illos in defendendis, & conſervandis eiſdem.* Vide expreſsè contentum in hoc diplomate *Regnum Siciliæ*, nempè Siciliam tàm citrà, quàm ultrà Pharum, adeòque etiam Regnum Neapolis, quod ut innuimus, eſt, fuit, diciturquè, & dicebatur Siciliâ citrà Pharum.

(b) *Raynald. an.* 1275 *num.* 41. *& ann.* 1278. *num.* 45 *&* 47.

12\. Sequitur Diploma Rodulphi dicens. *Nec offendemus per nos, vel per alium, vaſallos Eccleſię ipſius, & ſpecialitèr magnificum Principem Dominum Carolum Regem Siciliæ illuſtrem, ſeù hęredes ipſius: nec volentibus ipſum offendere præſtabimus auxilium, conſilium, vel favorem, publicè, vel occultè.* Carolus hìc nominatus, eſt Carolus I. Andegavenſis, frater S. Ludovici Regis Francorum, inveſtitus à Clemente Papâ IV. de utrâque Siciliâ, ut infrà videbimus, anno 1265. fuitque primus Rex, qui ſolium Regium tenere incępit in Urbe Neapolis. Subjungit diploma Rodulphi.

Digitized by Google

dulphi. *Nec Regnum Siciliæ, quod idem Rex Carolus ab eâdem Romanâ tenet Eccleſiâ, vel aliquam ejus partem occupabimus, aut invademus per nos, vel per alium, aut occupari, vel invadi procurabimus; nec invadere, aut occupare tentantibus pręſtabimus publicum, vel occultum auxilium, conſilium, aut favorem. Alios etiam devotos ipſius Eccleſiæ, qui eidem Eccleſię aſſiterunt contrà quondam Fridericum olim Romanorum Imperatorem, hæredes, aut Succeſſores ipſius propterea non gravabimus, ſed nihilominùs favorabilitèr proſequemur: Vaſallos autem noſtros, contrà prædictorum aliquod facientes, compeſcemus prò viribus bonâ fide. Servabimus prętereà, & faciemus omnia, & ſingula, quæ in Canonibus poſitis LXIII. diſtinctione: quorum quidem Canonum alter: Ego Ludovicus; alter verò: Tibi domino Papę; incipit continentur.* En confirmata hìc diplomata Ludovici Pii, & Othonis Magni Imperatorum, paulò ſuperiùs enunciata, & per conſequens etiam donationum, & reſpectivè reſtitutionum diplomata, à Pipino, & Carolo Magno edita, à dictis Ludovico, & Othone diſertiſſimis apicibus comprobata.

13. Pergit Rodulphi præfati Imperatoris diploma, & ait: *Poſtquàm autem Romam ad recipiendam unctionem, coronationem, & Imperiale diadema pervenerimus, ipſaque perceperimus, pręmiſſa omnia, & ſingula innovabimus, ſeù de novo faciemus: & ſinè aliquâ difficultate juramenta præſtabimus, quę Imperatores Romanorum hactenùs præſtiterunt. Promittimus inſuper, quod bonâ fide, ſinè fraude, ac malo ingenio procurabimus, quod omnes Principes Alemannię laici promittent, & jurabunt, sè bonâ fide curaturos, & facturos, quod nos premiſſa omnia, & ſingula inviolabilitèr obſervemus; etſi, quod abſit, eadem non ſervaremus, ipſi Principes nobis in hoc aliquatenus non aſſiſtent. Ut autem hęc omnia vobis memorato Sanctiſſimo Patri noſtro Domino Gregorio Sacroſanctę Romanę Eccleſiæ Summo Pontifici, veſtriſque Succeſſoribus per nos, & noſtros Succeſſores Romanorum Reges, & Imperatores obſerventur, firmaque ſemper, & inconvulſa permaneant; pręſens privilegium conſcriptum noſtro juſſimus ſigillo cereo communiri: promittentes nihilominùs aliud de verbo, adverbum, & per omnia ſimile, aurea bullâ, typario noſtrę majeſtatis impreſſa, munitum infrà tempus coronationis noſtrę vocibus, & Sedi Apoſtolicę ſinè difficultate quâlibet exhibere (a).*

(a) *Idem Oderic. Raynald. loco citat.*

14. Et quaſi parum eſſet id, quod præcedenti diplomate Rodulphus Imperator Gregorio Papæ X. pollicitus fuerat, & detulerat; triennio poſt, idipſum profeſſus eſt Nicolao Papę III. Gregorii X. Succeſſori, ad quem ſpecialitèr delegavit fratrem Conradum Ordinis Minorum, procuratorem ſuum (*b*), qui Romam pergens, egregiè adimplevit munus ſibi commiſſum, & quæ Rodulphus mandaverat eſt fidelitèr executus, ratificans, roborans, & confirmans ea, quę tàm ipſe Rodulphus perſonalitèr Lauſanæ, quàm quæ Otho Præpoſitus S. Guidonis Spirenſis, Lugduni, ejuſdem Imperatoris nomine, Romanæ Eccleſiæ, detulerant, & ſuis tabulis hac de rè conditis interſervit, tùm dicti Othonis Præpoſiti, tùm præfati Imperatoris diplomata, ſivè inſtrumenta, & ſic iterum de utriuſque Siciliæ Regno declaravit ad Romanam Sedem ſpectare. Extat Inſtrumentum, quod memoratus Conradus Nicolao III. Papæ Imperiali nomine expoſuit, apud Raynaldum in ſuis Annalibus Eccleſiaſticis (*c*), cujus tenorem utpotè ſatis prolixum, brevitati conſulentes, omittimus, & illuc ſtudioſum Lectorem, ejus fortè legendi amantem remittimus: adnotantes hìc ſolum, quod intèr multos, & conſpicuos teſtes, qui hujuſmudi Conradi Procuratoris inſtrumento adſtiterunt, adfuit Berardus de Neapoli Magiſter, qui, uti remur, quieto animo non audiſſet, aut ſaltem non adſtitiſſet hujuſmodi tàm ſolemni diplomati, declaranti Regnum utriuſque Siciliæ ad Sedem Apoſtolicam pertinere, ſi rem non eſſe talitèr cenſuiſſet.

(b) *Oderic. Raynald. ann. 1278. num. 45.*

(c) *Raynald. an. 1278 num. 47. 48. 50.*

15. Paritèr ſeries literarum Othonis Præpoſiti Spirenſis, qui Rodulphi ipſius Cæſaris nomine, anno 1274. Lugduni favore Gregorli Papę X. Concilium generale ibidem habentis, expoſuit, eſt apud eundem Raynaldum (*d*), qui & innuit fuiſſe illis interſertas paginas Othonis IV. Imperatoris, de quibus facta ſuperiùs eſt mentio,

(d) *Idem Raynald. ann. 12. 78. n. 49.*

mentio, & alias quatuor Conſtitutiones, ſive Declarationes Friderici II. itidem Imperatoris, confirmantes, recognoſcentes, approbantes principatum temporalem Romanæ Eccleſiæ, ac Urbes, & Regiones in eo contentas, in quarum numero eſt utraque Sicilia, tàm citrà, quàm ultrà Pharum. Ex quibus omnibus, tàm antiquis, ac taliter, & toties repetitis, confirmatis, roboratis, ſolidatis Inſtrumentis, Privilegiis, Pactis, Conſtitutionibus, & Declarationibus Imperialibus, pluſquam evidens remanet, quod Regnum Neapolitanum patrimonium eſt D. Petri, Terra Sedis Apoſtolicæ, Ditio tandèm eccleſiaſtica, & Romanę Eccleſiæ directè ſubjecta. Undè mirum eſt quomodo audeant Contradictores irridere nomen feudi, & illud Regno Neapolitano detrahere, hocque facientes peccent in Spiritum Sanctum, veritatem agnitam impugnando.

16. Ad eludendam vim hujuſmodi veritatis, nullum aliud eſt effigium, niſi languida illa, & miſerabilis effutitio dicentium, quod Imperatores non poterant donare partes Imperii, & ſic Sedes Apoſtolica illegitimè adepta ſit Regnum Neapolitanum; illudque in feudum ritè dare non potuerit, quod non erat juſtè aſſecuta. Sed ſuperfluum jam cenſemus huic vanitati confutandæ immorari, quam alii dudum Auctores ineluctabilibus omninò rationibus expunxerunt (*a*). De hac poteſtate Imperatorum, Regum, & Principum nunquàm dubitarunt, neque Theologi, neque Canoniſtæ, neque alii legum periti. Diſputant verò de illâ Conſiliarii Principum, & Politici: at non ſemper, nequè cum omnibus; ſed tantummodò quando adulari volunt Principi, ut ea, quæ donatione, vel ceſſione contulit, repetat: vel quando colorare volunt bella injuſtè mota, ſivè movenda: & generalitèr de hac poteſtate non ambigunt Politici, aut Conſiliarii Principis inferioris adversùs Monarcham Potentiorem, ſed è contrà, Politici, & Conſiliarii Monarchæ Potentioris adversùs Principem inferiorem: non juſtitiâ ſic exigente; ſed eâ ratione politicâ id ſuggerente, quod valdè potens æquè potentem in virium æquilibrio contineat: & minus potenti, ne potentior fiat, obſiſtat. Cæterùm quod Principes donare poſſint, præſertim ubi donatione non totum Principatum exhauriunt, ſed aliquam tantum ejus partem abſcindunt; videat lector Auctores in margine citatos (*b*). Et certè cum etiam Monarchę contrahere valeant, & paciſci, atque ex pactionibus, ſinè ambiguitate obligentur, quippè etiam Turcæ, Arabes, Hebræi, Saraceni, Hæretici, & omnes infideles pacta ineunt, & quæ in pactum deduxerunt, ac ſpoponderunt, ſe teneri obſervare profitentur; ſicut Monarchę ipſi ex juſtâ causâ contractum, & pactum Ceſſionis inire poſſunt, & aliquam ſuæ ditionis partem alteri Principi cedere; ità & per contractum, atque pactum donationis, & multò magis reſtitutionis idipſum valent complere: in utroque nàmque caſu concurrunt & ſubſtantia contractus, & ratio pactionis, & religio Juramenti ſuperadjecti. Alioquin Principes Chriſtiani ſi contractibus, promiſſionibus, & pactis non tenerentur ſtare, eſſent pejores Turcis, Hebręis, ac aliis memoratis Infidelibus: nulluſque vellet cum illis tractare, tamquam cum mendacibus, fædifragis, & quorum promiſſionibus fidendum non eſſet: quod ſinè magnâ illorum iniuriâ dici, & ſuſtineri non valet. Hęc quoàd jus.

(a) *Balduin. Junius de Sum. Pont. Boetius Epo de Jur. ſacr. qu. 3.*

(b) *Balduin. Junius & Boet. Epo. locis cit.*

17. Quo verò ad factum, cernimus quod omnium Nationum Regibus, & Principibus licuit, ſemperque licebit Oppida, Terras, Urbes, & Provincias quoque donare, vel ceſſione in alios transferre. Et primo loco, de *Regno Judæorum* habemus in Scripturis, Salomonem, qui dedit Hiram Regi Tyri, viginti Oppida in Terra Galiliæ (*c*), vel uti vertit ex hæbraico textu Sanctes Pagninus, *viginti Urbes*, prout & Septuaginta quoque Interpretes legunt: *viginti Civitates*: (*d*). Ex quibus compacta eſt Terra illa, quæ ab illo tùnc vocata eſt Galilæa Gentium (*e*). Salomon ergò dedit Regi Tyri provinciam: nec tamen à Deo, neque ab hominibus, quod ſciamus, carptus eſt de injuſtitiâ propter poteſtatis defectum, ceſſioni, donationi, ſive traditioni illi præneceſſariæ. *In Regno Perſarum* Cyrus Pytharco Cyzicœno, familiari ſuo, ſeptem Urbes liberalitèr eſt largitus (*f*). Et Artaxerſes Themiſtocli dona-

(c) 3. *Regum cap.* 9. *num.* 10.

(d) *Vid. Bibliam Fortunati Fanenſis in Reg.* 9. 10.

(e) *Dionyſius Carthuſ. in* 3. *Reg.* 9. 10

(f) *Athenæus lib.* 1 *cap.* 27

donavit tres Urbes ad victum, Magneſiam prò pane, Lampſacum prò vino, & Myuntem prò Obſonio (*a*). *In Regno Græcorum*, Alexander Magnus dono dedit Phocioni Athenienſi, præter centum argenti talenta, etiam quatuor Aſię Civitates, Chium, Elæam, Mylaſim, & Pataram (*b*). In Regno, atque *Imperio Romanorum*, Marcus Antonius donavit Cleopatræ Reginæ Ægypti Phænicem, Celeſyriam, Cyprum, partem Ciliciæ, Judæam, & Arabiam Nabathęam (*c*). Auguſtus Cęſar liberè contulit Herodi Regi Judæorum Jaduram, & Samariam, Gazam, Joſeppem, atque Turrem Stratonis (*d*). Pruſias *Rex Bithyniæ*, donationis titulo ceſſit Annibali Africano Caſtrum, ubi poſteà à Quinto Flaminio circumobſeſſus, hauſto veneni poculo, interiit (*e*), & ſic de aliis.

18. Utque cum Antiquis alia quoque minus vetuſta exempla, necnon & recentiora, ponamus, Honorius Imperator Valliæ Viſigothorum Regi in Hiſpaniâ conceſſit Aquitaniam, ſeù Regionem illam, quæ nunc Vaſconiæ nomine nuncupatur (*f*). Juſtinianus, paritèr Imperator, ceſſit Clothario Regi Francorum Regiones Galliæ Narbonenſis, & Provinciæ (*g*). Carolus Magnus contulit Anoni Epiſcopo Juvannenſi, ejuſque Succeſſoribus Provinciam à Dravo Flumine verſus Anaſſum (*h*). Dagobertus Rex Francorum Oppidum Aubiacum Argentinenſi Eccleſiæ donavit (*i*). Edilualdus Rex Auſtralium Saxonum, Vilfrido Epiſcopo totam inſulam Vituli Marini dono conceſſit (*l*). Carolus Calvus Rex Gallorum, indè Imperator, minorem Britanniam Salomoni ſucceſſori Nomenoii detulit, qui ſe Regem illius loco vocavit (*m*). Gottifredus Rex Hieruſalem Patriarchę illius Urbis Davidis Turrem, ipſiuſque Hieroſolymitanæ Civitatis partem reliquit (*n*). Albertus Auſtriacus Imperator Regi Franciæ renunciavit quidquid ei nomine Imperii ſuper Arelatenſi Regno, & Burgundiâ competebat (*o*). Carolus IV. itidèm Imperator Carolo V. Francorum Regi conceſſit abſolutum dominium ejuſdem Regni Arelatenſis (*p*), & iterùm Carolo Delphino, ejuſdem Regis filio, donavit Jus omne, quod ſuper Delphinatum ad Imperium Romano-Germanicum pertinebat (*q*). Alii demùm Imperatores, & Reges, aliis Donationibus, Ceſſionibus, & Conceſſionibus ditionum temporalium, diverſos Proceres munerarunt, & præſertim varias Eccleſias in Italiâ, Germaniâ, Galliâ, Hiſpaniâ, Angliâ &c. (*r*).

19. Ex tot ergò factis, non ſemel, ſed centies; non clàm, ſed in propatulo editis, & à Regibus, atque Imperatoribus, tàm Chriſtianis, quàm Ethnicis, tàm Europæis, quàm Aſiaticis; tàm Orientalibus, quàm Occidentalibus, repetitis; patet, licite poſſe Principes ditiones temporales donare. Cujus Donationis tanta eſt vis, ut cùm in celebri Conventu habito coram Philippo VI. Valeſio, fortiſſimè altercarent Nobiles cum Clericis Gallicanis, ut Eccleſiis detraherentur Juriſdictiones temporales, quibus potiebantur, & quas Petrus Cuneſius petulantèr impugnabat; Regem, Nobilium votis acclinem, Archiepiſcopus Senonenſis deterruerit, nè perennem in sè traheret infamiam, tale facinus edens, & tam fędum piarum donationum, (quibuſcum etiam Donatio Conſtantini adnumerata eſt) Regibus, & Imperatoribus daret exemplum (*s*). Quarè ſi habemus Donationes, Pacta, Conceſſiones, Diplomata multorum Imperatorum, fatentium ſe donaſſe, & reſpectivè donata ratificaſſe, & quatenùs opus eſſet, iterùm donare, Sedi Apoſtolicę, inter alia loca, etiam Ducatum Apulię, & Calabrię, Principatum Capuæ, & quidquid Regnum Neapolitanum componit; ſinè magnâ temeritate impugnari non poteſt, ipſarum Donationum, Conceſſionum, Pactorum, atque Diplomatum validitas, & conſecutivum dominium directum Sedis Apoſtolicæ ſuper eodem Regno, tamquam ſuo vero, manifeſto, & innegabili feudo.

20. Quod ſi adhùc, non obſtantibus tot Juris, & facti rationibus, protritâ fronte negetur validitas Donationum, Pactorum, Conceſſionum, ac Diplomatum præfatorum, videant quomodò ſibi caveant cuncti Principes Germaniæ, ac nonnulli Italiæ paritèr Principes, qui eorum dominia in feudum, vel Conceſſionis, aut Donationis, Ceſſioniſve titulo, tenent ab Imperio: Idemque reſpectivè dic de

ali-

(a) *Æmilius Probus in Toemiſtocle, & Athenæus loc. cit.*
(b) *Ælian. lib. 3. var. hiſtor.*
(c) *Plutarc. in Marc. Antonium*
(d) *Joſeph. Antiqu. lib. 5. cap. 13*
(e) *Plutarc. in Anibal.*
(f) *Carol. Sigon. l. 12 Imper. Occid.*
(g) *Jo: Lymneus ad Bull. Aur. Carol 4. c. 2 §. 12 obſer. 6 n. 4*
(h) *Aventin. l. 4. Annal. Bojo.*
(i) *Naucler Vol. 2*
(l) *Beda lib. 4. c. 13*
(m) *Nitard. hiſtor. lib. 2. ap. Pisbæum Baron. an. 849 num. 3*
(n) *Fulgos lib. 7. c. 7*
(o) *Lymneus loc. cit. ad Aur. Bullam*
(p) *Idem ubi ſuprà*
(q) *Idem Lymneus Obser. 5. n. 13*
(r) *Vid. Thomaſſin. Vet. & nov. Eccl. d. ſc. p. 3. l. 1. c. 26. 27. 28 29 30. 31*
(s) *Bosius Epo de Jur. ſacr. in Bibl. Pontif. to. 5. f. 802*

aliquibus Regibus Europęis, qui nunc Provincias quaſdam, & Regna tenent, quę quondam erant Romano Imperio ſubjecta. Poteruntnè Cæſares, prò tempore exiſtentes, Principes ipſos pręfatis Dominiis prò eorum libito denudare, ſub hoc obtentu, quod præteriti Imperatores non potuerint ditiones ipſas donare, ſive concedere, vel alitèr in alienas manus transferre? Hocque num præfatis Principibus Italis, & Germanis aliarumque nationum placere poſſit, lector benevolus cogitet, etſi rerum ſtatus conſcius eſt, prædefiniat. Cęterum quantum ad Regnum Neapolitanum, agimus de ſubjecto non ſupponente: Negatur enim ſuppoſitum, quod unquam pertinuerit ad Imperium Romano-Germanicum, nunc ſubſiſtens: quod non à Julio Cæſare per lineam rectam deſcendit, ſed à Leone PP. III, in perſonam Caroli Magni, fuit è non pręexiſtentibus excitatum (*a*). Qui Carolus victis Longobardis, dum Italiæ partes deſignavit, ex provinciis Regni, vel nullam, vel vix ullam immediatè apud ſe habuit, vel ſaltèm nullam ſibi retinuit, ſed eas ut vidimus, partim Duci Beneventano, partim aliis Magnatibus in fęudum reliquit, remanente apud sè Dominio illarum directo, quod ſucceſſivè in Papam, tamquam Ceſſionarium ſuum, transfudit. Pars quoque Apuliæ, & Calabriæ, quam Græci per vim occupatam tenebant, apud ipſos aliquandiù conſtitit (*b*), ſed Carolus illam in donatione factâ Romano Pontifici comprehendit, animo eandem quam primum poſſet è manu Imperatoris Gręci, uti poſſeſſoris injuſti, expugnandi, & actualitèr Sedi Apoſtolicę conſignandi. Quem animum etiam habuit Otho Magnus, in præcitato ſuo diplomate, dicens favore Pontificis, *De Civitate autem Neapolitanâ cum Caſtellis, & Territoriis, & finibus, & inſulis ſuis, ſibi pertinentibus, ſicut ad eoſdem reſpicere videntur, necnon patrimonium Siciliæ, ſi Deus noſtris illud tradiderit manibus, ſimili modo Civitatem Cajetam, ac Fundum cum omnibus earum pertinentiis* (*c*).

21. Et de facto Imperatores Græci in memoratis Provinciis Terras quaſdam, etiam poſt Caroli Magni tempora, tenuerunt occupatas, quas regere perrexerunt per Officiales, & Catapanos, à ſe deſignatos, non enim facile fuit eos citò indè pellere. Neapoliſque cum ſuis pertinentiis peculiarem Rectorem habebat, Ducem appellatum: non tamen Ducem Dominantem, ſed Pręſidem, Gubernatorem, ac Rectorem regiminis politici, armorumque, & rerum militarum Moderatorem: Vel ad ſummum Ducem, non ſupremum, & abſolutum, ſed vaſſallum, fęudatarium, & dependentem: tametſi interdùm aliqui ex his Ducibus ſe in Tyrannos illius Ducatus vertere aggreſſi ſint, irrito tamen conſilio. Plurium Ducum Neapolitanorum ſuprà memoriam fecimus (*d*), qui durante adhùc Regno Longobardorum, ibi præfatum titulum tenuerunt. Quo tempore etiam, ſedente Gregorio PP. II. præerat Neapoli, tanquam Dux, alter Joannes, qui Cumanam Sedi Apoſtolicę recuperavit (*e*). Exactis poſteà Longobardis, Sergius erat Dux Neapolis, tempore Joannis Papæ VIII. (*f*). Quem Sergium captum, & excæcatum Romam miſit Athanaſius junior Epiſcopus ejus frater (*g*), qui & ipſe Ducis titulum, & Ducatus ſibi dominium arrogavit (*h*), eique plures epiſtolas Joannes Papa VIII. ſcripſit, & illum tandem excommunicatione percuſſit (*i*). Sub Benedicto Papâ VII. Ducatum ipſum tenebat alter Joannes, cujus damnationem S. Petrus Damiani Cardinalis recenſet (*l*). Sedente Victore II. mortuus eſt Unfredus Normannus, frater Roberti Guiſcardi (*m*), tùnc autem erat Neapoli Dux Vvazo, qui dictum Unfredum Compatrem ſuum, dum vigilias in Eccleſiâ B. Laurentii IV. idus Auguſti ageret, coram Altari, Deum, & S. Laurentium invocantem, trucidavit (*n*).

22. Itàque Apuliam, & Calabriam, Ducatum Beneventanum, Neapolitanum, Barenſem, & ſi qui alii erant, ac Principatum Salernitanum, & Capuanum, alioſque Comitatus ibi exiſtentes, Carolus Magnus immediatè non poſſedit. Nec ipſe adhuc erat Imperator, nec in eo fuerat adhuc excitatum novum Imperium Occidentale, quando Sedi Apoſtolicæ donationem fecit: adeoque nihil donavit, pertinens ad ipſum Imperium. Quod ſi poſteà aliquando quidam Imperatores Occidentalis arma moverunt, ut Regnum Neapolitanum, vel partem ejus invaderent,

(a) *Vid. Bellarm. de transl. Imperii*

(b) *Sigonius de Regn. Ital. l. 8 f. 19*

(c) *Card. Baron. an. 962. num. 3*

(d) *Vid ſuprà cap. precęd. n. 4*

(e) *Card. Baron. ann. 715. num. 2*

(f) *Idem Baron. ann. 872. 4. 9 876 36 877. 2*

(g) *Card. Baron an. 877. 3.*

(h) *Idem ann. 879. num. 77*

(i) *Joan. VIII. epl. 7 40. 50. 51 52. Baronius ann. 921. 1.*

(l) *S. Petr. Damian. epiſtola 5.*

(m) *Lup. Protoſp. ann. 1056.*

(n) *Willel. Gemmeticenſ. hiſtor Normann. lib. 7. cap. 30.*

non id fecerunt, ut illam ditionem, tanquàm ad Imperium Occidentale pertinentem recuperarent, ſed id fecerunt, vel ut injurias à Græcis acceptas jure bellico propulſarent, quemadmodùm fecit Otho Magnus Imperator (*a*). Vel ut Regnicolis preſtò eſſent, adjutorium poſcentibus adverſus Græcos, & Saracenos, Regiones illas tyrannide prementes, uti fecit Otho II. itidem Imperator (*b*). Et dudùm anteà Ludovicus II. Lotharii filius, Ludovici Pii nepos, & Caroli Magni pronepos, à Capuanis, Beneventanis, aliiſque populis invitatus (*c*). Vel ut nutu Summi Pontificis Regiones illas, eiſdem Græcis, & Saracenis Tyrannis detrahendas aggrederentur, prout egit S. Henricus, ipſe quoque Imperator (*d*). Si igitur Regnum Neapolitanum nunquam ad Imperium Romano-Germanicum, nunc exiſtens, pertinuit, ſed potius in parte ab Imperatore Conſtantinopolitano, licèt injuſtè occupabatur; fruſtrà eſt nunc diſputare, an potuerit aſſignari, vel donari, aut alio modo tradi Eccleſiæ Romanæ, in præjudicium ipſius Imperii Romano-Germanici, nondùm exiſtentis, & nihil habentis facere cum eo. Vel an in præjudicium Imperii Conſtantinopolitani, potuerit à Sede Apoſtolicâ acquiri; cum hoc Imperium terras ibi quidem aliquas injuſtè occuparet, ſed jam à 264. annis, & ultrà, fuerit prorsùs à Mohomete II. Turcarum Rege deſtructum. De hacque rè nunc diſceptare, idem eſt, ac diſcutiendum ſuſcipere, an Cyrus Rex Perſarum Pytharco Cyziceno: an Artaxerſes Themiſtocli: an Alexander Phocioni: an Pruſias Annibali: an Auguſtus Herodi, & alii Reges Regnorum nunc deſtructorum, potuerint donare Oppida, Urbes, & Ditiones, quas tunc effectivè donarunt (*e*). Idem dic de donationibus, ceſſionibus, reſtitutionibus, vel quocumque alio modo vocari velint, factis Romanæ Eccleſiæ à Luitprando, & Ariperto, quondam Regni Longobardorum, nunc deſtructi, Principibus (*f*), paritas namque rationis prò his quoque, & ſi quę aliæ ſunt ſimiles largitiones, probat earum rectitudinem, & juſtitiam.

(a) *Sigon. de Regn. Ital. l. 7. f. 173. Lupus Protoſpata ann. 969. Baron. eod. ann. n. 2. & 3.*

(b) *Sigon loc. cit. l. 7. f. 190. Baron. ann. 983. n. 1.*

(c) *Herempat. Epitom. ad ann. 870.*

(d) *Baron. an. 1022 num 1. ad 10. Sigon. idem Regn. Ital. l. 8. f. 193.*

(e) *Boetius Epo de jure ſacro q. 3. f. 794 Albertus Pighius.*

(f) *Baron. an. 704. n. 1 712. 8. 715 Thomaſſin. 6. Vet. & nov. Eccl diſcipl. p. 3. l. 1. c. 27. n. 26. & c. 29. n. 4. 6.*

23. Quod ſi demum per hypotheſim, non obſtantibus his rationibus, adhuc vel probando, vel cavillando, contendi, vel demonſtrari poſſe videretur, Regnum Neapolitanum ab initio ac præſens Imperium Occidentale, ſeù Romano-Germanicum pertinuiſſe; recurrit ratio ſuprà prætacta, nempè quod ſicut Imperatores Occidentales potuerunt diverſas Urbes, & Provincias diverſis Principibus Eccleſiaſticis, & Sæcularibus, in Italiâ, & Germaniâ alibi poſitas, donare, cedere, in feudum tradere, vel alio modo præbere, & in Imperii diſpendium alienare, eaſque Civitates, & Ditiones præfati Principes, Duces, & Reges nunc retinent, quietè poſſident, nec eſt qui de invaliditate eorum Principatum accuſet; ſic & potuerunt Imperatores ipſi licitè Regnum Neapolis Eccleſiæ Romanæ deferre, vel donando, vel reddendo, vel cedendo, vel alio modo illud ei præbendo: non enim eſt major ratio, cur potuerint aliis Eccleſiis, & Principibus, Provincias, & ditiones tradere, quam Eccleſiæ Romanæ: Nec Sedes Apoſtolica minoris eſt conditionis, quam ſint alii Principes, & Eccleſiæ. Et ità quocumquè ſermo convertatur, quocumque modo res conſideretur, ſemper apparet, Regnum Neapolis ritè, & licitè ad Sedem Apoſtolicam perveniſſe, hancque in eo plenum, integrum, ac totale dominium, velut in ſuo proprio, & feudali fundo, ſinè ambiguitate tenere.

24. Cæterùm, ut res magis patenticè dilucidetur, attendamus, quod ad Regnum Neapolitanum poſt mortem Caroli II. Auſtriaci Regis Hiſpaniarum, duo ex præcipuis Europæ Principibus aſpirarunt: nempè primò in illud perſonalitèr ſe recepit potentiſſimus Rex Philippus V. Burbonius Rex Hiſpaniæ, qui ab anno 1700. uſque ad annum 1708. ipſum tenuit: Hicque tanquàm Rex Hiſpaniarum amplas quaſdam ditiones in Belgio, ut dictum fuit, Sereniſſimo Duci Bavarię dono dedit, ſivè aliter ceſſit. Secundariò ipſum Neapolis Regnum aſſecutus eſt Auguſtiſſimus Imperator Carolus VI. Auſtriacus, qui intèr cæteras ſuæ munificentię largitates, dono dedit, ſivè alitèr contulit in Inſubriâ peramplum ditionis circuitum Sereniſſimo Duci Sabaudiæ. Uterque autèm ex his Monarchis, tùm Auſtriacus, tùm Burbonius, factis ſuis docuerunt; ritè, & licitè poſſe Reges, & Imperatores face-

facere quod fecerunt, nempè Terras, & Ditiones, à ſuis Statibus evulſas, Principibus dono dare, vel alio modo cedere, & concedere. Undè non eſt locus Contradictoribus impugnandi, quod antiqui Cęſares potuerint Urbes, & Provincias Romanæ Eccleſię, donationis, vel conceſſionis, aut alio ceſſionis titulo dilargiri, ſi Rex quicumq; modernis hiſce annis Neapoli dominatus eſt, conſimiles donationes, vel ceſſiones, & conceſſiones impertit. Nunquid enim audebunt affirmare, quod eorum Rex injuſtè facit id, quod facit; & quod Coronam Regiam expilet, Principes donatarios deludat, fidem tandem publicam violet, cum actualitèr tradit id, quod ſolemni, & liberali donatione, vel traditione concedit?

25. Nec omittendum animadvertere, quod licet certa ſit ceſſio, vel quocumque modo vocari velit largitio plurium terrarum, facta à Carolo Magno Sedi Apoſtolicę; non tamèn omnium illarum terrarum æqua fuit conceſſio. Alię ſiquidèm fuerunt dictæ Sedi *reſtitutæ*, cui eas abſtraxerant Longobardi, aliive occupatores. Alię verò fuerunt *de novo collatæ*. Quarè etiam ex terris, componentibus Regnum Neapolis, aliæ fuerunt à Carolo Sedi Apoſtolicæ novitèr conceſſæ, aliæ vero ſimplicitèr reſtitutæ. Sanè de Incolis Campanię, cujus caput eſt Neapolis, legitur: *Illud quoquè laudatiſſimum eſt Campanis in Apoſtolicam Sedem pietatis argumentum, quod ſè, ac ditiones ſuas Summo Pontifici vectigales ultrò fecerunt* (*a*). Si Campani ultrò ſe vectigales Papę fecerunt, ſi eidem ſpontè ſe ſubmiſerunt; ergo quando venit Carolus Magnus Provinciam Campanię non conceſſit ex integro, ſed reſtituit Apoſtolicæ Sedi. Similitèr legitur de Joanne Duce Neapolis, quod Cumanam Summo Pontifici Gregorio II. recuperavit (*b*). Cumana erat urbs Campanię juxtà Puteolos, dicta etiam Cumæ, à quâ Sybilla Cumanâ. Si ergò illam Dux Neapolis recuperavit Gregorio; certe quando, centum penè poſt annos, venit Carolus Magnus, eam cum Provinciâ Campanię non conceſſit ex integro, ſed reſtituit Apoſtolicę Sedi. Prętereà regnante Pipino, ad ejus petitionem Deſiderius, nondum Rex Longobardorum, ſed adhuc unus ex Magnatibus, & Primoribus illius gentis, interpoſuit ſuam auctoritatem, & officia, ut reſtituerentur Paulo Papę I. Patrimonia Neapolis, & Cajetę, quâ de re Paulus ipſe eidem ſcripſit Pipino: *In embolim verò direxit nobis à Deo protecta, excellentia veſtra præfatum vos Deſiderium admonuiſſe, Reges Neapolitanos, & Cajetanos conſtringere ob reſtituenda patrimonia protectori veſtro B. Petro, illic Neapoli ſita &c.* (*c*) *Reges*, ideſt Regulos, vel Rectores illarum Urbium, vel Principes Regii ſanguinis Longobardorum. Si ergo ab eis tunc reſtituenda fuerunt Patrimonia illa; quando poſteà ſupervenit Carolus Magnus, eaſdem Urbes cum Provincia Campanię non conceſſit ex integro, ſed reſtituit Apoſtolicę Sedi. Etiam igitùr ante Caroli Magni ętatem Romani Pontifices, tametſi non haberent totum Regnum Neapolis; partem ejus tamen habebant, ibique aliquibus in locis temporali potiebantur juriſdictione, de quâ Scriptores (*d*), & inter hos ità Marius Alterius: *Gregorii Magni tempore, qui obiit anno* 604. (longè antè Caroli Magni adventum, & donationem) *Eccleſia Romana per Siciliam, Lucaniam, & Calabriam, & alias Provincias patrimonium habebat, quod adminiſtrabat quidam, qui Rector patrimonii S. Petri vocabatur, ut conſtat ex quibuſdam ejuſdem Gregorii epiſtolis, & hujuſmodi patrimonium ſitum erat in prædiis, fundis, agris, & aliis poſſeſſionibus, quæ Romano Pontifici donatæ fuerunt, poſteà cæpit Eccleſia Romana Provinciarum, & Civitatum ditionem paulatim obtinere*. (Etiam Volaterranus gravis Auctor in ſenſu eſt, quod ex ſpontaneâ populorum deditione Sedes Apoſtolica multas ex ſuis Terris adepta ſit (*e*). Vocabantur autem ditiones illę *Patrimonia*, juxtà modum loquendi illorum temporum: ditiones namque temporales, tamquam patrimonium proprium ejus Domini, dicebantur Patrimonia: quo nomine ditiones temporales Romanę Sedis perrexerunt appellari, etiam poſt donationem Caroli Magni. Nam Nicolaus PP. II. petiit ab Imperatore Conſtantinopolitano ſibi reſtitui *Calabritanum patrimonium, & Siculum, Eccleſię conceſſa &c.* (*f*). Et nunc etiam Papa Provinciam habet in Etruriâ, quæ dicitur Patrimonium)

(a) *Ughell Ital. ſacr. to 6. in Archiep. Neapolit. in princip.*

(b) *Card. Baron. an. 715. n. 2.*

(c) *Paul. PP. I. epiſt. 26. in Codic. Carolin. apud Ducheſne tom. 3. f. 745.*

(d) *Thomaſſin. loc. cit. p. 3. l. 1. c. 27. & 29.*

(e) *Vid. Raphael Volaterran vid. & Freccia de ſubfeudis lib. 1. tit. de antiqu. ſtat. Regni n. 52.*

(f). *Sigon. de Regno Italiæ lib. ad ann. 560.*

Sed Longobardis in Italiam irrupentibus ſepiùs ab anno ſalutis 564. ut conſtat ex Paulo Diacono de Geſtis Longobardorum lib. 2. cap.6. Cathedram Petri tenente Benedicto I., ut refert Anaſtaſius in ejus vitâ,uſque ad annum 725. totam ferè Italiam Rex Longobardorum occupaverat, ut ex Sigonio colligitur (a).

(a) *Marius Alterius de Cenſur. diſp. 22 l.5 c.2.f.760.*

26. Reges ergò Longobardorum occuparunt ditiones, jam antecedentèr ab Apoſtolicâ Sede poſſeſſas. Et hinc eſt quod Aripertus eorum Rex, Eccleſiæ Romanæ loca quædam tradens, illa ſe reſtituere profeſſus eſt (*b*), idemque fecit Luitprandus, alter eorum Rex (*c*), qui & alias Civitates eidem Romanæ Eccleſiæ reſtituit (*d*), Stephanus Papa III. adverſus Aiſtulphum Longobardorum Regem adjutorium Pipini implorans, reſtitui ſibi Exarchatum Ravennę, aliaque loca poſcebat (*e*), Carolus Pipini Filius Deſiderio Longobardorum Regi bellum intulit, quià Civitates D.Petro ablatas reſtituere recuſabat (*f*).Reſtitutio autem prçexiſtentiam juris ſupponit. Quę omnia, quia contingerunt antequam Carolus Magnus veniret in Italiam, & Longobardis victis, donationem Romanæ Sedi exhiberet; hinc fit quod ipſa donatio, quoad præfatas Terras, jam ad Papam pertinentes, ſed illi à Tyrannis abreptas, non fuit nova donatio, ſed rerum antiquarum reſtitutio. Quoad Terras verò de novo additas, fuit vera donatio. Et quià hæc omnia facta ſunt antequam Imperium Romano-Germanicum, nunc exiſtens,fuiſſet erectum,& excitatum à Leone PP. III. in perſonam præfati Caroli; clarè liquet, quod ipſum Imperium nihil habet commune cum Terris, à Carolo ipſo antecedentèr de novo Papæ donatis: & multo minus cum illis, quas non donavit, ſed ſolummodo reſtituit. Adeoque inutile eſt reſricare, an Carolus Magnus potuerit donare Terras Imperii, ſi nondum erat Imperator, neque Imperium, ac ſi terras pro notabili parte non donavit, ſed reſtituit. In reliquis certum apud omnes Theologos, Juriſconſultos,& Politicos, quod dominia Urbium, & Provinciarum poſſunt, tam populorum ſpontaneâ deditione acquiri, quam longo temporis curſu, & præſcriptione (*g*). Undè dici non poteſt, quod Romani Pontifices acquiſierint à Carolo Magno Imperatore partem Terrarum,quas eis reſtituit,& pręcedenter deditione populorum,ac præſcriptione adepti erant. Nec quod ab illo, tamquam Imperatore, aſſecuti ſint aliam partem, quas illis donavit, cum non adhuc eſſet Imperium, nec ille adhuc eſſet Imperator. Diplomata poſteà ſubſequentium Imperatorum non fuerunt donationes Imperiales, ſed meræ confirmationes, ratificationes, confeſſiones, & recognitiones illius, quod jam fecerat Carolus Magnus: & ideò Imperatores ipſi,talia edendo diplomata,nil novum tradiderunt Sedi Apoſtolicę,quod anteà non haberet, ſed ſolum corroborarunt id, quod præcedentèr habebat. De quibus etiam rebus, ex abundanti loquendo, quidquid ſit, hoc unum eſt, quod Sedes Apoſtolica jam ſaltèm à ſeptingentis annis, & ultrà, Regnum utriuſque Siciliç, uti Patrimonium Apoſtolicum tenet. Hęc autem ſola ratio poſſeſſionis; & poſſeſſionis adeò prolixæ, ac tot annorum centuriis pręſcriptę, ſufficit ad juſtificandum ejus dominium: *Nam & Regna, & Imperia, per latrocinium acquiſita, longo tempore fiunt legitima: alioquin quo jure Julius Cæſar occapavit Romanum Imperium? Et tamen tempore Tyberii Chriſtus dixit, reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari. Quo jure Franci Galliam, Saxones Britanniam, Gothi Hiſpaniam invaſerunt? Et tamèn quis hoc tempore Regna ab illis conſtituta illegitima diceret (h)?*

(b) *Card. Baron an. 704.*
(c) *Idem Baron. an. 712.n.9.*
(d) *Baron. ann. 742. n.30 & 42.Thomaſſin. Vet & nov. Eccl. diſcipl.p.3.l.1.c.27.n 17.*
(e) *Anaſtaſ. Bibliothec.in Steph.III.*
(f) *Idem Anaſtaſius in Hadrian.I.*
(g) *Balduinus Junius de Sum. Pontif.c.10.*
(h) *Idem loc. citat. vid.ſupr.hic c.25.n.50*

27. Accedit ad hæc, quod Principes, qui à dimidio Sæculi undecimi, uſque ad noſtram ætatem, Regnum Neapolis tenuerunt, illud non tamquam liberum, ſed tamquam feudum, ſub dominio ſupremo Sedis Apoſtolicæ tenuerunt. Quinque lineæ Principum ab illâ ætate uſque ad 1700. ſine interruptione Regnum Neapolis in feudum habuerunt à Sede Apoſtolicâ: *Normanni*: *Suevi*: *Andegavenſes*: *Aragonii*: *& Auſtriaci*. Et quoad primam lineam *Normannorum*. Vidimus in Capitulo pręcedente, quod S. Leo Papa IX. arma movit adverſus *Hunfridum* Normannum, pro recuperatione terrarum ipſius Regni, quas propter ſiniſtrum exitum belli eidem reliquit in feudum (*i*). *Robertus Guiſcardus* fidelitatem juravit Nicolao PP. II. tam-

(i) *Vid.hic ſupr.cap. 75 n.12.13.14.*

tamquam ejus Vaſſallus, & homo ligius, ſub his terminis. *Ego Robertus Dei gratiâ, & S. Petri Dux Apuliæ, & Calabriæ, & utroque ſubveniente futurus Siciliæ &c. ero fidelis S. R. Eccleſiæ, & tibi Domino meo Nicolao PP. &c.* (a). Quod juramentum ſucceſſivè exhibuit etiam S. Gregorio PP. VII. (*b*), & Canonem ſolvendum annualitèr deſignavit. Poſt hunc obtigit ditio *Rogerio Crumenæ*, qui teſte Romualdo Salernitano *accepit per Vexillum ab eo*, Urbano II. *terram cum Ducatus honore* (*c*). Rogerio Duci in Principatu ſucceſſit *Guillelmus*, cui anno 1114. in Concilio Ceprani, *Ducatum Apuliæ, Calabriæ, & Siciliæ &c. Apoſtolicus conceſſit*, nempè Paſchalis PP. II. (*d*).

28. Sequitur *Rogerius Silivus*, quem Honorius PP. II. armis pulſavit, donec hic ei *ligium homagium fecit, & juramentum præſtitit, & ab eo in ponte, qui eſt ſuper Sebetum, per vexilum de Ducatu Apuliæ inveſtitus eſt* (*e*). Hic Rogerius poſteà Regale decus ab Innocentio PP. II. conſecutus eſt, qui Regiam inveſtituram ei præbuit, ſub his terminis, *Nos &c. Regnum Siciliæ &c. tibi ab Anteceſſore noſtro conceſſum, cum integritate honoris Regii &c. excellentię tuę concedimus, & Apoſtolicâ auctoritate firmamus. Ducatum quoque Apulię, tibi ab eodem collatum, & inſuper Principatum Capuanum, integrè nihilominus noſtri favoris robore communimus, tibique concedimus &c. Et Regnum Siciliæ, Ducatum Apuliæ, & Principatum Capuę hæredibus tuis, qui nobis, & ſucceſſoribus noſtris &c. Ligium homagium fecerint, & fidelitatem, quam tu juraſti, juraverint &c. Deo propitio manutenebimus &c. Cenſus autem ſic ut ſtatutum eſt, ideſt ſexcentorum Schifatorum à tè, tuiſque hęredibus, nobis, noſtriſque ſucceſſoribus, ſingulis annis reddatur &c.* (*f*). Primus ergò, qui ex Duce factus eſt Rex, titulum Regium à Sanctâ Sede impetravit, & profeſſus eſt, ſe ab ea Regnum Neapolis in feudum tenere, illi homagium tamquam vaſſallus fecit, & cenſum annum ſolvit. Pauca nè ſunt hæc?

29. Ordinatim procedendo Regnum, & Ditio pręfata, à Rogerio Silivio ad *Guillelmum Malum ejus filium pervenit*, qui in conventione, inter illum, & Hadrianum Papam IV. initâ, hoc in pactum deduxit: *Profectò Vos nobis, & Rogerio Duci filio noſtro, & hæredibus noſtris, qui in Regno pro voluntariâ ordinatione noſtrâ ſucceſſerint, concedetis Regnum Sicilię, Ducatum Apuliæ, Principatum Capuę, cum omnibus pertinentiis ſuis, Neapolim, & Salernum, & Melfiam cum pertinentiis ſuis, Marſiam, & alia, quę ultrà Marſiam debemus habere, & reliqua tenimenta, quæ tenemus à prędeceſſoribus noſtris, hominibus Sacroſanctæ Romanę Eccleſię &c. Pro quibus omnibus vobis, veſtriſque ſucceſſoribus, & Sanctę Romanę Eccleſię fidelitatem juravimus, & vobis legium homagium fecimus* (*g*). Donec itaque perſeverarunt Principes lineæ *Normannicę* in regimine utriuſque Siciliæ, ſivè ſub Ducum, ſivè ſub Regum titulo; Principes ipſi ſe vaſſallos Summorum Pontificum ſunt profeſſi, eiſque ligium homagium fecerunt, & juramentum fidelitatis exhibuerunt, & canonem, ſivè cenſum annuum perſolverunt. Nunquid hæc omnia non probant, Regnum utriuſque Sicilę eſſe feudum Sedis Apoſtolicę, & ad illius Dominium pertinere? Et ſi hęc non id probant; quomodo quæſo probari poterit?

30. Lineâ virili Normannicâ extinctâ, regnavit *Suevica*, nempè Fridericus II. Imperator, cum Conſtantiâ ejus Matre, Guillelmi Mali, Sorore, quibus Innocentius Papa III. Inveſtituram Regiam concedens, hæc inter cætera expreſſit: *Vobis, & hęredibus veſtris, qui &c. Nobis, & ſucceſſoribus noſtris, & Eccleſię Romanæ fidelitatem, & hominium exhibere, ac quæ ſubſcribuntur, volueris obſervare, concedimus Regnum Siciliæ, Ducatum Apuliæ, & Principatum Capuæ, cum omnibus pertinentiis ſuis, Marſiam, & alia, quæ ultrà Marſiam habere debetis, & reliqua tenimenta, quæ tenetis à prædeceſſoribus veſtris, hominibus S.R. Eccleſiæ jure detenta. Cenſum ſexcentorum Schifatorum de Apuliâ, & Calabriâ, quadringentorum vero de Marſiâ, vel æquivalens, in auro, vel argento, vos, & hęredes veſtros ſtatuiſtis Eccleſiæ Romanæ ſoluturos* (*h*). Quintodecimo poſt anno præfatus Fridericus, edito diplo-

(a) *Card. Baron ann. 1059. Leo Oſtienſ. l. 3. c. 15.*

(b) *Idem Card. Baron ann. 1080.*

(c) *Romuald. Salern. ad ann. 1090. Baron. ad eund. ann. n. 2.*

(d) *Falc. Benevent. an 1114 § Tali.*

(e) *Romual. Salern. ann. 1128.*

(f) *Card. Baron ann. 1139. n. 11. Roc. Pir. Sicil. Sacr. tom. 1 f. 7.*

(g) *Card. Baron. an. 1156. n. 1. & Rocch. Pirr. Sicil. Sacr. tom. 1. f. 30.*

(h) *Ap. Raynald an 1198. n 67.*

diplomate, à Germanicis Principibus ſubſignato, ſpopondit; *Adjutores etiam erimus ad retinendum, & ad defendendum Eccleſiæ Romanę Regnum Siciliæ, cum omnibus ad ipſum ſpectantibus, tam citrà Pharum, quam ultrà &c.* (a).

31. Sed quia ipſe Fridericus II. proptèr infinitas ejus iniquitates meruit ſolemnitèr ab Innocentio Papâ IV. privari *honore Imperii, Regno Siciliæ, Ducatu Apuliæ, & Principatu Capuæ, generali ſuper hoc Lugdunenſi Concilio approbante* (b); Linea *Svevica* citò exaruit, & utraque Sicilia ad Familiam *Andegavenſem* pertranſivit, in perſonam Caroli I. Comitis Provinciæ, cum quo in tractatu conceſſionis ità fuit conſtitutum: *In primis idem Comes &c. præſtabit &c. Domino Papæ, & Eccleſię Romanę juramentum fidelitatis. Eidem D. Papæ faciet homagium ligium &c. & tam ipſe, quam heredes ſui legitimi, Regnum, & terras prædictas tenebunt à D. Papâ, & Eccleſiâ Romanâ in feudum* (c). De Cenſu annuo fuit hoc modo conventuum: *pro toto vero generali cenſu ipſorum Regni, & terrę, octo millia unciarum auri, ad pondus ipſius Regni, in feſto B. Petri &c. ipſi Romano Pontifici, & Romanæ Eccleſiæ annis ſingulis perſolvetur* (d). Et in actu, quo Carolus I. Regiam coronam ſuſcepit, ligium homagium Clementi PP. IV. hoc modo fecit, *Nos Carolus Dei gratiâ Rex Sicilię, Ducatus Apulię, & Principatus Capuę &c. in manibus veſtris*, Legatorum Papæ, *vice, & nomine ipſius D. Clementis Papæ IV. & ejus ſucceſſorum, ac prędictę Romanę Eccleſiæ, ligium homagium facimus pro Regno Siciliæ, ac totâ terrâ, quæ eſt citrà Pharum, uſque ad confinia terrarum ejuſdem Romanæ Eccleſię, quem utique Regnum, & Terram, exceptâ Civitate Beneventanâ, cum toto territorio, & omnibus diſtrictibus, & pertinentiis ſuis, nobis, & heredibus noſtris prædicta Eccleſia Romana conceſſit &c.* (e).

32. Carolo I. Rege defuncto ſucceſſit Carolus II. ejus filius, cognomine Claudus, qui ligium homagium, & fidelitatis juramentum Nicolao Papę IV. in hunc modum exhibuit: *Ego Carlous II. Dei gratiâ Rex Siciliæ &c. ligium homagium facio tibi Domino meo Nicolao Papæ IV. tuiſque ſucceſſoribus canonicè intrantibus, & ipſi Romanæ Eccleſiæ, pro Regno Siciliæ, & totâ terrâ, quę eſt citrà Pharum, uſque ad confinia Terrarum ejuſdem Eccleſiæ, quod utique Regnum, & Terram &c. claræ memoriæ Carolo Regi Siciliæ Patri meo, & hæredibus ſuis, cujus ego heres exiſto, Eccleſia Romana conceſſit &c.* (f). Sed quia volumen creſceret in immenſum, ſi cunctorum Regum acta eſſent individualiter exſcribenda, parcimus majori numero illorum hic inſerendo. Unum eſt, quod Reges Dynaſtiæ Andegavenſis multiformitèr ſunt profeſſi, ſe Regnum Neapolis à Summo Pontifice adeptos eſſe, quod non ut liberum, ſed tamquam feudale Sedis Apoſtolicæ tenuerunt, homagium ligium, & juramentum fidelitatis Romanę Eccleſiæ exhibendo, annuum cenſum eidem ſolvendo, & cuncta faciendo, quæ neceſſaria ſunt ad feudum conſtituendum.

33. Linea Andegavenſi deſcendentium à Carolo I. extinctâ, in perſonâ Joannę II., poſt varias difficultates, tandèm Regnum Neapolis ad lineam *Aragonenſem* pervenit, cujus primus fuit Alphonſus I. Siciliæ quoque ultrà Pharum poſſeſſor, cui Eugenius Papa IV. Inveſtituram Regiam conferendo, ait, *Nos &c. Regnum Siciliæ prædictum, cum terrrâ, quæ eſt citrà Pharum, uſque ad confinia Terrarum Romanæ Eccleſiæ, exceptâ Civitate Beneventanâ &c. Tibi chariſſimo filio noſtro Alphonſo Regi &c. pro tè, tuiſque hæredibus deſcendentibus tenore præſentium concedimus &c.* (g). Et ipſe Alphonſus juramentum fidelitatis correſpectivè interpoſuit ſub hac formulâ. *Ego Alphonſus, Dei gratiâ, Rex Siciliæ, plenum homagium ligium, & vaſſallagium faciens Vobis Domino meo Eugenio Papæ IV. & Eccleſię Romanæ pro Regno Siciliæ, & totâ terrâ, quæ eſt citrà Pharum, uſque ad confinia Terrarum ipſius Eccleſiæ, exceptâ Civitatè Beneventanâ &c. Ab hac horâ in anteà fidelis, & obediens ero &c.* (h). Idem fecit Julius PP. II. concedens Inveſtituram Ferdinando V. ultimo ex lineâ Aragonenſi: ait enim: *Regnum Siciliæ, cum totâ terrâ citrà Pharum, uſque ad confinia terrarum ejuſdem Eccleſiæ Romanæ, excepta*

Civi-

(a) *Vid. ſupr. in hoc Capit. n. 9. & 10.*

(b) *Martin. PP. IV. contr. Secul. turbat. ſ. ſanè Bzov. de Pontif. c. 41 f. 570.*

(c) *Odoric. Raynald. an. 1253. n. 3.*

(d) *Idem Raynald. an. 1265. n. 18.*

(e) *Ex libr. Cenſ. Manuſc. Vatic. f. 307.*

(f) *Inter epiſtolas Nicol. IV. lib. 2. epiſt. 378.*

(g) *Hiſtoria della Monarchia di Sicilia c. 33 fol. 399.*

(h) *Ap Bzovium de Rom. Pontif. c. 38.*

Civitate noſtrâ Beneventanâ &c. dicto Ferdinando Regi, pro sè, ejuſque in Regno Aragoniæ hæredibus &c. cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, ac cenſu annuo &c. in feudum perpetuum concedimus, & elargimur (*a*).

34. Cum Ferdinando autem V. moriente, paritèr interiit linea *Aragonenſium*, & Regnum fecit tranſitum ad *Auſtriacos*: quorum primus fuit Carolus V. Imperator, inveſtiturâ Regiâ inſignitus à Leone Papâ X. anno 1521. Poſt quem eandem accepit Philippus II. ejus filius à Julio PP. III., qui aliquandò Proregi Neapolitano hæc inter cætera Hiſpanico idiomate ſcripſit: *Anſi miſmo avei de onrar, acatar, y ſervir à nueſtro muy Sancto Padre, y a la Sancta Sede Apoſtolica, anſi per la obligation, que en general para ello todos tenemos, por tener el lugar de Dios en la tierra, como en particular por ſer à quel Reyno feudo de la Ygleſia Romana &c.* (*b*). Eandem inveſtituram receperunt Philippus III. Hiſpaniæ Rex à Clemente Papâ VIII. anno 1599. Philippus IV. à Gregorio XV. anno 1521. & Carolus II. ab Alexandro VII. anno 1666. Omneſque iſti Principes Regnum Neapolis, non tamquam liberum, ſed velut feudale, à præfatis Pontificibus acceperunt, inveſtiturâ ſuſceptâ, hominio, vaſſalagio, & juramento fidelitatis exhibito, cenſu tandèm annuo quotannis perſoluto, uſque ad mortem noviſſimi Regis Caroli II., in quo deſiit linea *Auſtriaca* Hiſpaniarum. Quibus actibus, penè centies repetitis, tàm claris, rutilantibus, & nunquam interruptis, quid evidentius deſiderari poteſt ad probandum, Regnum Neapolis eſſe feudum Romanæ Eccleſiæ. Et ſi documentis adeò fortibus, & expreſſis, Regni præfati feudalitas non probatur; dicant quæſo Contradictores, quomodò ſit probanda feudalis qualitas? Quomodò ſupremum dominium Sedis Apoſtolicæ ſit probandum? Si eorum Princeps, vel alius Rex terrenus, haberet ſuper aliquo Principatu, non tot, quot allegavimus pro Apoſtolicâ Sede rationes, ſed ſolam decimam illarum partem; numquid paterentur dominium talis Monarchæ ſuper Principatu illo negari?

35. Cæterùm datâ, ſed non conceſsâ hypotheſi, quod Sedis Apoſtolicæ dominium ſuper Neapolitano Regno poſſet unquam in dubium rationabilitèr revocari; nullis magis hoc inferret præjudicium, quam Dominis Neapolitanis: nam ſequeretur, quod illud Regnum non potuiſſet per Pontifices in legitimum feudum Regibus, ibi dominantibus conferri, quippè nec Pontifices rectum dominium habuiſſent, nec Reges utile acquiſiſſent, quorum unum neceſſariò eſt apud Dominum feudi, & alterum apud Feudatarium (*c*). Reges quoquè ipſi, vel tyranni, vel ſtulti fuiſſent, vel fidem publicam fefelliſſent, recipiendo uti feudum Regnum, quod feudale non fuiſſet: totieſque periurium incurriſſent, toties sè, & alios decepiſſent, quoties Inveſtituras feudales ſuſceperunt, & jusjurandum ligium Romanis Pontificibus ſpoponderunt. Demùm Reges non ritè ſubinfeudaſſent tot Ducatus, Principatus, Marchionatus, Comitatus &c. quibus Magnates, ac Titulati Neapolitani Regni potiuntur, tali, ac tanto decore, ut Aloyſius Riccius de illis non dubitaverit affirmare, *quod ipſi Titulati, tamquam perpetuò inveſtiti, cenſendi ſunt ſupremi. Principes in eorum titulis, & omnia poſſunt, quæ poteſt Imperator in toto Orbe* (*d*). Ad veritatem ergò tuendam, ad ſalvanda Imperatorum, & Regnum diplomata, & ad Magnatum Neapolitani Regni prærogativas ſuſtinendas, oportet neceſſariò fateri, Regnum Neapolitanum eſſe feudale Romanæ Eccleſiæ, & Contradictores hoc irridentes, veritatem agnitam denegare; proprium Principem vaniloquiis hiſce ludificare; cunctiſque Magnatibus Regni injuriam manifeſtiſſimam irrogare, dum res eo perducunt, ut in dubium debeat revocari, an hi ritè fuerint inveſtiti Principatibus, & Ducatibus, atque aliis titulis, quibus non ſinè magno totius Italiæ, imò & Europæ, ornamento, à multis jam hinc Sæculis decorantur.

(a) *Jul. II 5. non Julii 1510. eſt in Archiv. Vatican.*

(b) *Regni Neapolitani &c. Religio §. 58. f. 123.*

(c) *Borel. ſum decif. to. 1. tit. 34 n. 515.*

(d) *Aloyſ. Riccius p. 1. reſol. 427. n. 2.*

CAPUT XXVII.

In quo manifeſtum fit , quod Regnum Neapolis , illiuſque Ordines, non mandarunt, nequè promovent Actionem Excluſionis Clericorum extraneorum ab Eccleſiaſticis Beneficiis ipſius Regni.

SUMMARIUM.

1 *Regnum Neapolis , longè latèque patet . In eo quando agitur de rè magni momenti convocandum eſt Parlamentum totius Regni .*

2 *Sedilia Neapolis plura facere poſſunt nomine Regni, non tamèn hoc poſſe videntur, ubi agitur de præjudicio omnium Ordinum Regni .*

3 *Debebat ergò convocari Parlamentum prò rè tanti momenti , prout aliàs factum eſt in ſimili negotio , etiam in terminis arctioribus .*

4 *In qualibet actione legitimanda eſt perſona , quod hic non fit : nec legitimari poteſt, niſi convocentur in Parlamento omnes Regni Ordines, intereſſe habentes.*

5 *Quot Urbes , Terras , Populationes , & Cathedrales contineat Regnum Neapolis . In rè gravi omnium Ordinum neceſſaria eſt deliberatio.*

6 *Omnium Ordinum Regni jura tangit hoc negotium, tollens libertatem Papæ, Regis , Epiſcoporum, Baronum, & Patronorum , habentium beneficia .*

7 *Ad promovendam itaque hanc actionem , opus fuiſſet Comitiis, in quibus conveniſſent omnes Ordines Regni , prout aliis vicibus factum eſt .*

8 *Comitia, & Status Regni Neapolis , nunquam coaluere , quod ſciatur , ad promovendam actionem excluſionis extraneorum à beneficiis .*

9 10 *Auctor allegatur , dicens , Regnum Neapolis non promovere excluſionem extraneorum , & Magiſtratus inhibuiſſe curſum libris Contradictorum .*

11 *Alter Auctor teſtatur, præfatos libellos ſinè mandato legitimo prodiiſſe , ac Neapolitanos iiſdem non conſentire .*

12 *Si ergò ſolâ privatâ aliquorum confidentiâ propoſita eſt præfata excluſio , jam ex defectu legitimè intentatæ actionis corruit conatus Contradictorum.*

13 *Qui , & quales Ordines Regni habeant locum in Parlamento . Reges Neapolis nunquam aſſentiri voluerunt excluſioni extraneorum à beneficiis .*

14 & 15 *Quænam ſint beneficia , in Regno Neapolis conſtituta , quæ ad Regium patronatum pertinent , ex fœdere inter Clementem VII. & Carolum V.*

16 *Nunquam poterit obtineri , quod beneficia ad ſolos indigenas reſtringantur , niſi etiam Rex patronalia ſua beneficia eodem modo reſtringat .*

17 *Reges Neapolis valdè ſemper obſtiterunt, nè præfata libertas eiſdem eriperetur . Rex Ferdinandus II. quid ſuper hoc reſcripſerit .*

18 *Verba Rex Ferdinandus II. diverſa dedit à factis . Sub Rege Friderico II. Ferdinandi patruo , res iterum tentata eſt, quidque tunc fuerit reſcriptum?*

19 *Quo tempore Neapolis Regnum pervenit ad Ferdinandum V. operâ Magni Capitanei Conſalvi; Neapolitani prò eàdem rè ſupplicarunt , ſed perperàm.*

20 *Subindè Oratores direxerunt Segoviam, ut idem à Rege poſtularent . Rex nullo edito decreto, ſpei multum , effectus nihil contulit .*

21 *Satis declaravit Rex , non poſſe ſine aſſenſu Papæ abſcindere à sè libertatem deferendi beneficia Regii patronatus etiam Viris extraneis .*

22 *Rex*

22 *Rex idem Ferdinandus V. Neapolim petens, interpellatus ut ſuprà, verbis viſus eſt annuere, ſed facta diverſum exitum habuerunt.*

23 *Carolo V. Regi, & Imperatori, Oratores poſteà miſſi ſunt Ratiſponam, eandem gratiam petentes. Carolus eos a ſè aridis, & involutis verbis expedivit.*

24 *Reſtricta deindè fuit petitiò ad beneficia, in ſolis ſex provinciis Regni poſita: Cui petitioni reſcripſit Rex verbis magis implexis quàm anteà.*

25 26 *Neapolitani miſſis Oratoribus Carolo V. iteràm ſupplicarunt, ut excluderentur extranei à beneficiis Regii patronatus.*

27 *Affertur tenor decreti, ſivè reſcripti, à Carolo V. noviter ſuper hac rè editi, de dictis beneficiis alternatim dandis indigenis, & extraneis.*

28 *Rurſus Neapolitani preces porrigunt, auri millione munitas, Philippo II. Regi, prò auferendâ alternativâ. Rex implicatis verbis reſcripſit.*

29 *Ità per duo Sæcula ſuper hac rè laborantes, & milliones auri fundentes, nil niſi alternativam obtinuerunt, prò ſolis beneficiis Regii patronatibus.*

30 *Et Reges conſtantèr præfatæ excluſioni obſtiterunt: quem tamen negare non potuiſſent, ſi valerent jura, à Contradictoribus exaggerata.*

31 *Et in his decem conatibus nunquam fuit ſermo, niſi de beneficiis Regii patronatus. Quoàd reliqua, ſemel habitum fuit verbum ſinè tamen concluſione.*

32 *Ex variis circumſtantiis patet, quod Papa, Rex, Prælati, & Patroni beneficiorum, ſemper in libertate fuerunt admittendi ad ea etiam extraneos.*

33 *Tentarunt Neapolitani excludere extraneos à beneficiis, & Commendis Ordinum militarium. Fit ſermo de inclytâ Religione S. Joannis Hieroſolymitani.*

34 *Carolus V. interpellatus, ut ageret, quod Commendæ Melitenſes, Regni Neapolitani, ſolis Equitibus Regnicolis conferrentur, ſed irrito conſilio.*

35 *Neapolitani perperam ſupplicarunt Philippo II. Regi, nè literis Hieroſolymitani Ordinis, Commendas dantis Equitibus extraneis, executio traderetur.*

36 *Interpellatus quoquè fuit idem Rex prò Commendâ Ordinis S. Jacobi de Spatha. Philippus II. verbis ambiguis negativam dedit.*

37 *Si Reges noluerunt ſuæ cedere libertati admittendi extraneos, neque idipſum ab aliis poſcere, quomodò eſt de jure extraneorum excluſio?*

38 *Si Reges, plurium millionum compenſatione ſuſceptâ, noluerunt propriam libertatem à ſè abſcindere; cur hæc tollenda gratis eſt Papæ & aliis?*

39 *Prælati Regni aſſenſum non dederunt conatui Contradictorum: qui dandus fuiſſet ab eis, non ſingulariter, ſed collegialiter in Parlamento.*

40 *Barones quoquè, ac Civitates demaniales aſſenſum non præſtiterunt conatui Contradictorum; adeòque Regnum non promovet excluſionem extraneorum.*

1. EX duodecim Provinciis componitur Regnum Neapolis (*a*), vel Siciliæ citrà Pharum, dictum etiam olim Regnum Apuliæ (*b*), quæ ſimul unum dominium conſtant, & Principatum illum Regium, qui nùnc communitèr Regnum Neapolis nuncupatur (*c*). De jure autem, & de conſuetudine fuit, eſtque adhùc, & ſemper erit, vel ſaltèm eſſe debet, quod quoties de aliquâ rè magni momenti, & omnes tangente, agitur, convocetur totius Regni Parlamentum, & in eo res, ipſa, quæ ſuper tapete ponitur, proponatur, conſideretur, ventiletur, tandemque communi ſenſu deliberetur. Cum etenim Regnum ipſum longè, ac latè pateat (*d*), juſtum eſt, ut omnium in rebus arduis, & vox audiatur, & habeatur aſſenſus. De modo ſedendi in hoc Parlamento agitur in libro, cui titulus: *Privilegi, Capitoli &c. conceſſi alla Fedeliſſima Città di Napoli, e Regno &c.* (*e*). Formam habendi Parlamentum ipſum legere eſt in uno, quod celebratum fuit tempore Ferdinandi I. Nothi, in quo Rex ipſe dicit, ſe juſſiſſe, ut omnes Prælati, omneſque Proceres, & Barones, necnon & Syndici Civitatum, Terrarum, ac Locorum demanialium,

(a) *Marin. Freccia de Subfeudis lib. 1. tit. de Provinc. Regni n. 1.*
(b) *Card. de Luca de feud. diſc. 36. n. 3.*
(c) *Freccia ubi ſupr. de offic. mag. Juſtitiar. num. 16.*

(d) *Card. de Luca de præemin. diſc. 32. num. 25. Freccia loco citat. tit. de Provinc. Regni.*
(e) *Privileg. della Città di Napoli.*

convenirent in terrâ Foggiæ: quod auditis propoſitionibus, à Secretario Regio factis, Archiepiſcopus Acheruntinus requiſivit voluntatem Prælatorum, Procerum, Baronum, & Syndicorum, qui petierunt aliquas horas ad conſultandum inter ſe, poſteà rè diſcuſsâ redierunt, & Franciſcus de Baucio Dux Andrię prò dictis ordinibus reſpondit. Specificat Rex, adſuiſſe illi Parlamento Cardinalem Aquenſem Legatum Apoſtolicum: memoratque aliud Parlamentum fuiſſe Neapoli celebratum (*a*). Non ſolent autem crebrò hęc Parlamenta celebrari: attamen diebus noſtris habitum eſt, ut audivimus, quando Catholicus Philippus V. Rex Hiſpanię, Neapolim petiit, & ibi in Regem agnitus fuit anno 1701.

(a) *Ap. Ughel. Ital. Sacr. to. 9 in Archiep. Cuſentin. num 35.*

2. Scimus vocem circumreſonantem, quod Sedilia Neapolis, vel ſi qui alii ſunt cum eis, hoc habent, ut poſſint nomine totius Regni actiones inſtituere, ac quod bonum ipſi cogitant, operari. Sed pace iſtorum Dominorum, cogimur dicere, nos ex ore plurium Regnicolarum audiſſe, hanc poteſtatem in dubium revocari: quam nos tamèn in talibus colloquiis tuiti ſumus, tamquam opportunam, & neceſſariam: quippè cum non poſſit quotidiè haberi Parlamentum; præſtat, ut aliqui ſint muniti facultate agendi nomine Regni ea, quę ſit proficuum operari. At quod iſti ſoli valeant ex sè, independentèr à toto Regno, & à duodecim Provinciis ejus, aggredi negotia maximi momenti, & omnes tangentia, quale eſt illud, de quo hic agitur (dent veniam præfati Domini) *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire* (*b*). Agitur hic de *præjudicio Regis*, qui eſt, & ſolet eſſe extraneus: cui famulantur multi extranei: cujus intereſt ponere in Regno aliquos Præſules extraneos; ità ut ejus Anteceſſores, ut mox videbimus, nunquam voluerint cedere libertati præſentandi ad beneficia Regii patronatus etiam Clericos extraneos. Agitur *de præjudicio Epiſcoporum*, quorum eſt in Regno Neapolitano numerus ingens, qui interdùm, vel ſunt extranei, vel ſi ſunt Regnicolę, habent quandoque Conſanguineos extrà Regnum; quibus utile eſt, ut etiam extranei ſerviant, & in eorum neceſſitatibus pręſto ſint, adeoque poſſint illos aliquo beneficio munerare. Agitur de *pręjudicio Baronum*, ex quibus non pauci ſunt extranei, & multò plures habent Conſanguineos extraneos, vel familiares ſibi famulantes aliundè natos: quibus omnibus proficuum eſt poſſe gratitudinis officia reddere, exhibitione alicujus beneficii, ad eorum Juſpatronatus pertinentis. Agitur de *pręjudicio Regnicolarum* omnium ordinis inferioris, Nobilium, Civium, Artificum, Ruricolarum, & generalitèr cunctorum ex Regno habentium beneficia ſui Juriſpatronatus, quorum infiniti tenent Conſanguineos extraneos, vel amicos, aut familiares, aut benefactores, vel fautores extraneos, cum quibus bonum eſt, ut ab iis poſſit gratitudo in opportunitatibus exerceri, nominando illos ad beneficia ſui patronatus. Agitur demum de *pręjudicio Sedis Apoſtolicæ*, Dominę directæ Regni, quæ indiget Miniſtris, Nuntiis, Officialibus, etiam extraneis à Regno: & Regnicolas cunctos Romę admittit ad omnia beneficia, nedum inferioris, ſed etiam altioris ordinis, ad Abbatias, ad Prælaturas, ad Cardinalatus, & ad Papatum, tantâ liberalitate, ut nùnc etiam multi eiſdem rutilent dignitatibus, & ultimus Papa, qui deceſſit, fuit Sanctæ memoriæ Innocentius XII. Neapolitanus. Quod autem iſti omnes, Rex, Epiſcopi, Barones, Regnicolæ, Papa, debeant propriâ libertate nudari, quâ uſque modo potiti ſunt, munerandi ſuos conſanguineos, familiares, miniſtros, amicos, fautores extraneos exhibitione beneficiorum, à ſuâ collatione, vel reſpectivè nominatione dependentium, abſque eo quod audiantur, & intelligantur: itàut in poteſtate ſit illorum tantum, qui componunt Sedilia Neapolis, hos inauditos, & etiam invitos, præfatâ libertate ſpoliare, ac ſpoliare Eccleſias, & eccleſiaſticos viros, inauditos, & etiam invitos juribus ſuis: certè durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?

(b) *Joann. capit. 6. num. 61.*

3. In rè itàque tanti momenti, tàm univerſali, tot, & tales tangente, Eccleſias, & eccleſiaſticos viros ſpoliante juribus ſuis, & libertatem eccleſiaſticam diripiente; opus fuit, & omninò eſt Parlamento generali totius Regni. Accedit quod ideò inſtituta fuit celebratio Parlamenti, ut cuncti Ordines Regni ad illud vocentur ec-

cle-

cleſiaſtici, & ſæculares, *ut ſi quid fortè proponitur, tractatur, aut diſcutitur, quod ad ipſorum intereſſe, vel damnum verſat, opponant, contradicant, proteſtentur, ac diſſentiant; ſæpè enim perſpeximus eorum diſſenſum, ratione conſuetudinis, aut privilegiorum, quæ prætendunt, in quorum poſſeſſione exiſtunt* (*a*). Cumque præfati intereſſe habentes in libertate præficiendi beneficiis Regni etiam Clericos extraneos, præter Juris communis diſpoſitionem, habeant prò ſe conſuetudinem ineluctabilem, & nunquàm interruptam; nunquid audiri in Parlamento non debuerunt? Creſcit ulterius ratio, quià quando aliis temporibus tractatum eſt de agendo deprecativè apud Regem, ut eſſet contentus reſtringere ad indigenas largitionem illorum ſolum beneficiorum, quæ ad Regiam pertinent diſpoſitionem; id fuit factum per viam Parlamenti, ut infrà videbimus, oblatis etiam Regi pluribus millionibus in recompenſationem diminutionis libertatis, quę ab eo poſtulabatur. Nunquid ergò non debuit nùnc per viam Parlamenti promoveri actio excluſionis extraneorum à cunctis beneficiis, nedùm ad Regem, ſed etiam ad Papam, ad omnes Epiſcopos, ad multos Barones, ad infinitos demum Regnicolas, quà collationis, & quà reſpectivè, præſentationis titulo pertinentium: & quidem nullâ oblatâ ipſis Collatoribus, vel Nominatoribus, & Patronis beneficiorum compenſatione libertatis, quà ſunt ſpoliandi? Ponderet hoc benignus lector, & judicet.

4. Notum eſt quod nulla ritè promovetur actio, nullum judicium rectè formatur, niſi legitimetur perſona, quæ cauſam urget: nè quæ fraus occurrat, nullique ſit fas sè jactitandi prò tali, qualis non eſt; vel proſequendi actionem, quæ ſibi non competit (*b*). Perperàm ergò in oppoſitum declamatur nomine Regni Neapolitani, prò excluſione cunctorum extraneorum à beneficiis eccleſiaſticis, intrà duodecim ejus Provincias erectis; niſi legitimetur perſona, mandato neceſſario munita, cui competat hanc actionem proponere, ac promovère. Perſona autem hìc legitimari non poteſt ſinè Parlamento generali, quod nunquàm fuiſſe celebratum ad iſtum effectum auditum eſt, neque quod in eo propoſitum, ponderatum, & deliberatum fuerit excluſionem ipſam inſtituere, ac urgere. Quarè ſi nec Papa Dominus directus Regni: non Rex ejuſdem Dominus utilis: non Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Prælati: non Barones: non Urbes demaniales: neque alii Regnicolæ præmemorati, intereſſe habentes in causâ, & vocem habentes in Parlamento, formitèr, & cum debitis ſolemnitatibus huic inſtantiæ auctoritatem publicam indiderunt; ſalvâ ſemper rerum veritate dicendum erit, quod ex defectu legitimationis perſonæ conatus iſte, ac petitio diſpungitur, reſolvitur actio, & prætenſio tota evaneſcit: Ità ut nec etiam ratificari valeat, utpotè ab Auctoribus, & procuratoribus illegitimis intentata, ſed remaneat actio inſubſiſtens petitio improvida, conatus carens effectu: prætenſio tandèm *novandis, quam gerendis rebus aptior*, ut ait Curtius in Alexandro (*c*).

5. Si ergo ſincerè, ſinè fuco, ſinè adulatione loqui volumus, Regnum Neapolitanum non eſt illud, quod promovet excluſionem Clericorum extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis, vel ut pro illis repellendis agatur, quià Regnum ipſum, non ex unâ tantum Urbe, nec ex paucis Urbibus, Oppidis, & Populationibus componitur, ſed continet duodecim Provincias, & uti de illo brevitèr ait Alphonſus Loſchius, *dilatato s'aggira in* 1500. *miglia di circuito, longhezza* 450., *larghezza maggiore* 150. *&c. E ripieno di* 2700. *Popolationi, trà quali* 20. *Arciveſcovati* 129 *Veſcovati*, 1400. *Terre: trè millioni, e più d'Anime. Hà* 12. *Prencipati*, 24. *Ducee*, 25. *Marcheſati*, 90. *Contee*, *&* 800. *Baronaggi* (*d*). De ipſomet Regno inquit ſub aliis terminis Cardinalis de Luca: *In prędicto Regno, longitudinis milliarum* 450. *latitudinis* 140., *& circuitus* 1468., *& quod conſtituitur ex* 143. *Civitatibus, ex quibus* 121. *ſunt Epiſcopatus*, 22. *Archiepiſcopatus, & ex aliis* 1830. *circitèr Oppidis, Caſtris, & locis, ſolum* 40. *circitèr Civitates, & Oppida, hodie ſunt de demanio Regis* (*e*). Marinus quoque Freccia, ſupputans totum, quod continetur in Regno Neapolis, poſt recenſitas ſigillatim ejus Provincias, concludit: *computatis* omni-

(a) *Marin. Freccia de ſubfeudis lib.* 1. *tit. At ſubfeudaris habeant vocem* [illegible] *n.* 17

(b) *Leg. ſi quæramus ff. de teſtam. l. non, non ignoret C. qui accuſare non poteſt*

(c) *Quintus Curtius de Geſtis Alexand. l.* 4

(d) *Loſchi Compend. Iſtor. nella Caſa d'Auſtria f.* 117

(e) *Cap. de Luca de Præem. diſc.* 32 *n.* 25.

omnibus terris, & locis hujus Regni; Terræ, & Civitates ſunt 1563. *inter quas ſunt Civitates Archiepiſcopales* 20. *& Civitates Epiſcopales* 107. (*a*), Non concordant præfati Auctores in numero locorum, quià fortè unus diverſimodè ab alio eadem computavit. Sed tamen conveniunt in eo, quod patefacit amplitudinem ipſius Regni. Ut ergò tanti, & tam vaſti Regni nomine, legitimè aliquid procuretur, non unius Urbis, non paucorum Incolarum, eſt ſufficiens opinio; ſed omnium Ordinum, omniumque Statuum eſt neceſſaria deliberatio: qui legitimè convocati, legitimiſque procuræ mandatis inſtructi, coaleſcant in unum, & cunctarum Provinciarum, ac totius Regni corpus componant, *fiantque in unum collati, quaſi homo unus, qui multos pedes habeat, multas manus, multoſque ſenſus* (*b*).

(a) *Marin. Freccia de ſubfeud. tit. de provinc. &c. Regn. n.* 14

(b) *S. Joan. Chryſoſt. homil. de ferenda reprehenſ.*

6. Profectò in hoc negotio, ut innuimus, non agitur de ſolo intereſſe paucorum, ſed de totius Regni, omniumque Ordinum convenientiâ, quorum alterum Clerus, alterum Populus componunt; Clerus nempe inferior, & ſuperior: Populuſque majoris, & minoris qualitatis; ſeù ut melius dicamus, tres Status Regni, nempè Prælati, Barones, & Civitates demaniales. Agitur de novitate maximi ponderis, quæ ingentem turbationem, mutationes, & motus in Regno gignere valet. Agitur de libertate tollenda cunctis Eccleſiaſticis, atque Laicis, ad quos ſpectat beneficia, vel pleno jure conferre, vel reſpectivè ad ea nominare. Agitur de intereſſe Regis, & Regum omnium, qui in perpetuum eidem præerunt Regno, propter plura beneficia, quæ ad Regiam diſpoſitionem, atque nominationem attinent. Agitur demum de intereſſe Papæ, tàm uti ſupremi Domini Regni Neapolitani; quam uti ſupremi Pontificis Eccleſiæ Dei: non ergò ità facilè aliquorum tantum eſt arbitrio relinquendum, imò & nec permittendum, non paucis Laicis, non paucis Clericis cujuſcumque qualitatis, ut prò eorum libito talem conatum adverſus extraneos agant, cunctiſque Regnicolis, ac Regni Epiſcopis, Regi, atque Papæ liberis beneficiorum Collatoribus, ac reſpectivè Patronis, libertatem priſtinam abſcindant, non enim Privatorum, imò & nec Magnatum eſt, ſi de genere ſubditorum ſint, negotia tanti ponderis, prò eorum cupiditate decernere, ac Eccleſiæ, Patronorum, Principum, Antiſtitum, Regis, & Papæ, jura irrita facere: *Principibus enim ſummum rerum judicium Dii dederunt, ſubditis obſequii gloria relicta eſt*, inquit Tacitus (*c*).

(c) *Cornel. Tacitus libr.* 4.

7. In rè itàque tantæ conſequentiæ, nec debuit, neque potuit inconſultè procedi; neque privatâ quorumcumque hominum auctoritate, hujuſmodi conatus repellendi Clericos extraneos ab eccleſiaſticis beneficiis, potuit, nec unquam poterit, promoveri, niſi fiat à Statibus, & Comitiis Regni, in Parlamento generali legitimè convocatis, & ad quos concurrant Deputati præfatorum trium Ordinum Regni, ex unaquaque Provinciâ coacciti, ac mandatis ſufficientibus communiti: qui intentionem ſuorum Ordinum explicantes, unà ſimùl decernant, promovendam eſſe actionem præfatam excluſionis extraneorum coram legitimo ſuperiore, prout de facto quando aliis temporibus tractatum eſt de Rege interpellando, ut Regia beneficia ſolis Regnicolis conferrentur, de hac rè in Regni Parlamentis eſt actum, uti paulò infrà patebit. Quarè quidquid nùnc agitur, & uſque modo in hoc negotio eſt operatum, pace eorum, qui talia operati ſunt, videtur quod attentatum ſit, & prorſus viribus vacuatum; utpotè non publicâ totius Regni auctoritate, ſed privatis motibus excitatum; etiam ſi una, vel altera Provincia; una, vel altera Civitas; tametſi Metropolis id ſanxiſſet: Non enim eſt unius, vel alterius Urbis; non unius, vel alterius Provinciæ, totius Regni Neapolitani, ex duodecim Provinciis compoſiti, perſonam repreſentare, illiuſque nomen in causâ tàm gravi, ac tantæ conſequentiæ proponere; nec ſe prò integro Regno gerere, cujus non eſt niſi portio quotitativa.

8. Status autem Regni Neapolitani, uti dicebamus, & neceſſarium eſt, ſemel, atque iterùm replicare; Parlamentum Regni ejuſque generalia Comitia nunquam coaluere, quod ſciatur, ad promovendam actionem excluſionis extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis, neque ad coarctandos Clericos, & Laicos bene-

ficio-

ficiorum Collatores, vel reſpectivè ad ea Nominatores, nè illa prout antè, valeant etiam Clericis extraneis impertiri: ſed claſſicum qui cecinere, privatâ auctoritate id fecerunt: Strepitus, ſcriptiones, volumina, nonniſi ex paucorum libito in propatulo poſita ſunt; quod nos certè ex noſtrâ mente non comminiſcimur, ſed à pluribus Regnicolis aſſeri audivimus, & altis vocibus inculcari. Quinimò & jam typis impreſſi ſunt libri, quorum fragmina mox afferemus, in quibus docti Regnicolæ, ac rerum illius Regni benè periti, totiuſque iſtius motus optimè conſcii, rotundis verbis, & literis cubitalibus, univerſo orbi faciunt manifeſtum, quod conatus excludendi extraneos, non à Regno, neque ab ejus Provinciis concorditèr intentatur, ſed à ſolis privatis quibuſdam: reprobantibus cæteris ſapientioribus, & æquioribus, ac diſciplinæ eccleſiaſticæ peritioribus, tantam, & talem novitatem, Libroſque, ac Scripturas ſuper hujuſmodi rè promulgatas, deteſtantibus, & nè divulgarentur obſtantibus: quippè fortè conſcii, quod Martinus Papa V. ex gente Columnia, unà de præcipuis familiis, quę in Regno Neapolis Baronalia loca poſſident, reſcripſit Uladiſlao Regi Poloniæ, decretum excluſivum extraneorum à beneficiis Polonicis, in magnum illius *Regni dedecus* redundare (*a*) cenſuerunt, non poſſe quid ſimile ſine magnâ ignominiâ Regni Neapolis ibi ab aliquibus intentari, qui tantam commotionem excitarunt, ac illà orbem penè totum ſuſſurrationibus repleverunt, non ſecus ac in Regno ipſo, aliàs religioſiſſimo, Romanæ Eccleſiæ feudali, Clericis, & Eccleſiis luculentiſſimo, eccleſiaſtica libertas communi nomine comprimatur, & Pontificia quoquè Romani Papę facultas talitèr impetatur, ac tantâ verborum acerbitate plectatur, ut non poſſit Regnum Neapolis non pudere, quod ſuo nomine talia venditentur, contrà Hierarcham Eccleſiæ, contrà ſupremum, & directum ſuum in temporalibus dominium, quod hucuſque incolæ ipſius Regni reverentiſſimè faſſi ſunt, & quod tùm gladio, tùm calamo, in opportunitatibus defenſarunt.

(a) *Odoric. Raynald. an. 1429. num. 3 3.*

9. Auctores hujuſce ſenſus nos non ſumus, ſed ab aliis pronuntiata referimus. Itàque audiatur Auctor libri, cujus titulus eſt, *Regni Neapolitani ergà Petri Cathedram religio, adversùs calumnias Anonymi vindicata* (*b*), qui & ipſe Regni Neapolis incola, & iſtius negotii uberrimè conſcius eſt, ac omnium ad illud pertinentium inſtructus, atque uti talis adversùs Anonymum Auctorem libri, cujus hæc eſt facies, *Ragioni del Regno di Napoli nella Cauſa de' ſuoi beneficii eccleſiaſtici*, ità perorat: *Rex Catholicus, cui arma Deus induit, ut Eccleſiæ jura defendat, huc vertere debet aciem auctoritatis ſuæ, ut ſcripta procaciora contrà Romanę Eccleſiæ dignitatem, inulta eſſe non patiatur. Ea proptèr Regis Magiſtratus ægerrimè tulerunt, ac rejecerunt, pro ſuâ fide, & officio, Anonymi libellum, & ad inauditam hominis confidentiam, omnes Civitatis Ordines exhorruerunt. Pudebat etiam in religioſiſſimâ urbe, cujus integerrimam fidem Pontificia ſæpè oracula commendaverant, debitam Apoſtolicæ Sedi reverentiam, diſputationibus, & ſcriptis eſſe vindicandam; imò quod eſt graviſſimum, ex eâdem fideliſſimâ urbe ſcripta prodire, tantis conviciis, & erroribus contrà Petri Cathedram redundantia, ut vix è Gebennenſibus lacunis aura peſtilentior efflari poſſit. Dolebant quod Anonymus non ſolùm crimini verteret Clementi XI. quod eo jure uteretur, quo Sanctiſſimi Pontifices hactenùs uſi ſunt, ſed etiam injuſtitię daret Regi noſtro, ſi eâ conditione Regnum Neapolitanum gerere vellet, quâ ſuperiores Reges Auſtriaci illud adminiſtrarunt. Quod illud tanti Pontificis facinus ferro, & igni expiandum deſignaret. Quid ſi novis id legibus, & contrà præteritorum temporum conſuetudinem Clemens invexiſſet? Quid ſi jugum aliquod decreto ſuo ſuſcepiſſet imponere? Quam atrocitèr ille, quantaque verborum accerbitate debacchatus eſſet?* Si Regii Magiſtratus *ægerrimè tulerunt*; Si Neapolitanæ *Civitatis Ordines exhorruerunt* ad publicationem ſcriptionum, quæ pro repellendis extraneis fuerunt evulgata; Regnum ergò ipſum hujuſmodi conatum non promovet, ſed horreſcit.

(b) *Regni Neapolitani &c. fol. 56. 57.*

10. Proſequitur idem Auctor, & ait: *Nunquàm tamen Chriſtiani homines ità*

in

Digitized by Google

in Vicarium Chriſti, & Sanctum Domini animati ſunt, neque ullâ unquam ſuſpicione injuriæ ab amore, & cultu Romanę Eccleſiæ divelli potuerunt. In memoriam Beati Petri Apoſtoli (aurea verba ſunt Caroli Magni, viro Principe, & Catholico digna) honoremus S. Romanam Eccleſiam, & Apoſtolicam Sedem, ut quę nobis Sacerdotalis Mater eſt dignitatis, eſſe debeat eccleſiaſticæ Magiſtra rationis. Quarè ſervanda eſt cum manſuetudine humilitas; & licèt vix ferendum ab illâ S. Sede imponatur jugum, tamèn feramus, & piâ devotione toleremus. Concil. Triburien. can. 30. Itâ Rex magnus, & Imperator Summus de S. Sede loquitur, ſi jugum imponatur vix ferendum: non itâ loquitur Anonymus, cum Apoſtolicæ traditiones, & vera inſtituta ſervantur. Et infrà: *Nihil eſt igitùr, quo Anonymus Summo Pontifici, tamquam Eccleſiæ perturbatori, & incorrigibili intentet vim, & arma, neque ulla injuria eſt, à quâ Neapolitanos debeat Rex Catholicus vindicare, niſi hæc ipſa, quod libellus Neapoli, Regi, Eccleſię, & Pontifici injurioſus, Jura Regni Neapolitani inſcriptus ſit, quo in ſuſpicionem propè adducta fuiſſet incontaminata illa, & à Petro accepta ergà Apoſtolicam Majeſtatem reverentia Neapolitanorum, niſi privatę unius viri confidentiæ omnes undique reclamaſſent, & Magiſtratus libellorum vulgandorum curſum inhibuiſſent* (a). Si Magiſtratus

(a) Regni Neapolitani &c. Religio &c. f.68.

inhibuerunt curſum ſcriptis, excluſionem præfatam urgentibus; quomodò quæſo dici poteſt, quod Regnum illam promoveat?

11. Conſonat & alter Scriptor, itidem Regnicola, Auctor alterius libri, vernaculo ſermone conſcripti adversùs eundem Anonymum, ſub hoc titulo, *Riſpoſta alla Scrittura publicata a dì* 18. *Giugno* 1708. *col titolo, Ragioni del Regno di Napoli &c.* Qui hac quæ ſequitur apoſtrophe Anonymum ipſum exagitat. *Non voglio laſciar d'avvertirvi, che non v'havea fatto Procuratore il Regno di Napoli; onde haveſte potuto allargarvi tanto in parlare in ſuo nome, ſino à rinunziare l'unione con la Chieſa Romana. Trapaſſaſte ſoverchio i limiti del voſtro mandato, ſe pure haveſte mandato d'intromettervi in queſta faccenda. Sono inorriditi in udir ſomiglianti parole i Religioſi Napolitani; e rivolti al Sommo Pontefice, col venerabil Pietro di Clugni gridano a lui concordamente, nihil nos à Paſtore, nihil à Petro, nihil à Chriſto, quæ omnia in te uno habemus, ſeparare poteris. Geloſi eſſi dell'altro pregio della loro antichiſſima, e ſempre incorrotta pietà, fanno a piedi del Beatiſſimo Padre Clemente, il ſolenne proteſto, che l'anno* 1459. *fecero già col Pontefice Pio II. gl'Ambaſciadori della Bertagna, nazione ſempre mai obedientiſſima alla S. Sede. Majores noſtri, poſt accepta ſemèl Chriſti Sacra, nunquam apoſtatarunt: vixere Romanis legibus, nec unquàm primæ Sedis mandatis adverſati ſunt: Pragmaticam ſanctionem, Galliæ Gentis inventum, reſpuerunt, Prędeceſſoribus tuis conſtanti animo adhæſerunt* (b).

(b) Riſpoſta alla Scrittura &c. f.87.

12. Si ergò ſolâ privatâ aliquorum confidentiâ, cunctis Civium Ordinibus eam exhorreſcentibus, & Magiſtratibus libellorum curſum inhibentibus, ſuper tapete poſita eſt excluſio extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis; jam ex defectu legitimæ perſonæ, quę promoveat ipſam excluſionem, corruit conatus Contradictorum: hique omninò debebunt à limine judicii, juſtitiâ depoſcente, repelli: quippè teſte utroque Concivium ſuorum, quorum ſcripta mox allegavimus, Contradictores audactèr, & attentatè; nec publicâ auctoritate, ſed ſolâ privatâ quorundam voluntate nomen Regni Neapolis uſurparunt, neſcientis, non petentis, & quinimo eorum conatui reſiſtentis. Quapropter quoniam hucuſque in toto Regno Neapolitano, & in duodecim ejus Provinciis, & in prolixâ congerie illius Urbium, Locorum, & Oppidorum, ſemper etiam extraneis, non ſecus ac indigenis, patens fuit aditus ad eccleſiaſtica beneficia; nec Status illius Regni, neque ipſius Ordines, in Comitiis generalibus legitimè congregati, decreverunt intentandam eſſe actionem præmemoratæ excluſionis; ſed quidquid inibi in contrarium actum eſt, illicitè, ac paucorum privatâ auctoritate eſt peractum; dicendum eſt, quod ibi ſtat ut anteà libertas Collatorum, & Nominatorum ad eccleſiaſtica beneficia, ut ea poſſint

Cle-

Digitized by Google

Clericis ſibi benè viſis, etiam extraneis impertiri. Hæc quoad Regnum Neapolitanum. Nunc aliqua dicamus quoad perſonas, Regnum ipſum componentes, quæ intereſſe quodcumque habere valeant in tractatu excluſionis Clericorum extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis.

13. Cum actio procurandi, ut obtineatur excluſio Clericorum extraneorum à beneficiis eccleſiaſticis Regni Neapolitani, promoveri non valeat, ut oſtendimus, ſine ſcientiâ, & conſenſu generalis Parlamenti, & Comitiorum Regni; ſi conatus Contradictorum, vel eorum, à quibus ipſi cauſam habent, legitimè interponitur; non poterit provenire, niſi ab habentibus partem in ipſo generali Parlamento, & Regni Comitiis: hi autem ſunt præcipue Rex, Prælati, Barones Regni, & Civitates Demaniales, ac ſub iſtis, ſuo quilibet in ordine, Clerici, atque Laici, patroni beneficiorum, vel tamquam ad Eccleſias Prælaticias, vel tamquam ad ipſas Civitates Demaniales, vel tamquam ad Loca Baronalia pertinentes. At hi mandatum iſtud non dederunt, actionem iſtam non promovent, conatum non inculcant excluſionis extraneorum. Non Rex, quia nullus ex Regibus, ad uſque noſtram ætatem, permittere unquam voluit ſibi minui libertatem preficiendi etiam Clericos extraneos beneficiis ſui Regii patronatus, ut mox videbimus: Multò magis ergò non eſt fas credere, quod voluerit eam nedùm ſibi ſubtrahi, ſed etiam cunctis Prelatis Regni, & Baronibus, aliiſque Clericis, aut Laicis, beneficiorum, vel Collationis, vel reſpectivè Patronatus titulo diſpenſatoribus. Profectò ſi Rex hanc generalem excluſionem tentari, ac promoveri voluiſſet; id expreſſiſſet in ſcriptis, & Regalis ſuæ voluntatis intentum, vel per Edictum, quod cunctis innoteſceret, vel per aliud publicum Programma, ſivè ut vocant, *per ſuo Reale diſpaccio*, ad notitiam omnium deduxiſſet: Neque Contradictores omiſiſſent, vel ſaltem omittere non debuiſſent, hanc juſſionem, ſi facta fuiſſet, ſuis voluminibus interſerere, abſque eo quod ex illâ vel apex minimus deperiret. Cum igitur hoc factum non fuerit; ſatis benè quiſque coniiciet, quod conatus iſte à mandato Regis Neapolis non procedit.

14. Porrò ad integram veritatis notitiam percipiendam, ſciat benignus Lector, quod Neapolitanus Rex habet plura beneficia, tum Epiſcopalia, tum alia, ut audivimus, ordinis inferioris, quæ ſpectant ad ſuum juſpatronatus. Eorum autem præciſum numerum nos neſcimus, multi enim multa dicunt (*a*), ſed verè quoad Epiſcopatus, Marta, vir Neapolitanus, hęc affirmat. *In fædere inito inter Clementem VII. & Carolum V. de anno* 1529. *fuit data facultas ipſi, tamquam Regi Neapolis, nominandi, & præſentandi Prælatos ad* 24. *Eccleſias Regni Neapolis* (*b*). Rem ad aliud tempus refert Joannes de Ponte, dicens: anno 1532. *mediante perſonâ Regentis Muſceptulæ, Oratoris in Romanâ Curiâ, fuit inter Pontificem, & Imperatorem Carolum V. negotium hoc ſedatum, videlicèt, quod vigintiquatuor Eccleſiæ Regni Archiepiſcopatuum, & Epiſcopatuum, eſſent ad Regis præſentationem: reliquæ verò ad abſolutam Pontificis collationem, licet Lambert. Epiſcop. in tract. de jurep. in* 11. *quæſt. principali primæ partis primi libri, in ſecundo articulo n.* 14. *dixerit, quod Rex noſter in hoc regno habet nominationem in quadraginta Cathedralibus Eccleſiis principalioribus, & ut plurimum maritimis, pro tuitione Status, ex Privilegio Summi Pontificis: ſed fallitur, quia Eccleſiæ non ſunt plus, quam vigintiquatuor* (*c*).

15. Præter Lambertinum, etiam Anaſtaſius Germonius Pedemontanus, & Julianus Vivianus Etruſcus, diſcrepant in numero Epiſcopatuum Regni, pertinentium ad Regiam nominationem (*d*). Non eſt tamèn diſcedendum à Joanne de Ponte præfato, qui eoſdem individualitèr nominat, ſubjungens: *Et Eccleſiæ ad præſentationem Regis reſervatæ fuerunt infraſcriptæ, Salerno, Regio, Taranto, Brindiſi, Oria, Otranto, Trani, Aquila, Gaeta, Lanciano, Cotrone, Tropea, Monopoli, Gallipoli, Caſtel à mare, Caſſano, Mottola, Acerra, Pozzuolo, Ugento, Mattera, Potenza, Trivento, Giovenazzo. Eſt benè verum, quod aliquæ Eccleſiæ particulares, & beneficia remanſerunt, prout hodiè ſunt, abſolutę ad Regis* colla-

(a) *Anaſtaſ. Germonius de ſacror. Immun. l.* 3. *c.* 12. *n.* 30. *Vivian. de Jurepatron. p.* 1. *l.* 3. *c.* 1. *n.* 39.

(b) *Marta de Juriſd. p.* 2. *c.* 40. *n.* 5.

(c) *Joannes de Ponte dec.* 12. *n.* 14.

(d) Germonius, & Vivianus locis mox citatis.

collationem, ut ſunt Eccleſia Sancti Nicolai de Baro, Eccleſia Altemuræ, Canonicatus, & beneficia Civitatis Luceriæ, & aliæ quædam. Quo verò ad penſiones domorum, affictus molendinorum, herbagiorum, & ſimilium, ex quibus quotidiè fructus percipiuntur, ſpectare uſque ad diem mortis ad Cameram Apoſtolicam, tamquam ſuccedîtricem Prælati, poſt mortem verò ad ſucceſſorem in beneficio.

16. Cenſemus, nec ſinè ingenti, ac rationabili fundamento, ſalvo ſemper meliori judicio, quod difficultèr ullus Rex Neapolis poterit obtinere: vel ut verius loquamur, nullus unquam eorum probabiliter obtinebit, quod Summus Pontifex, & Epiſcopi, atque alii omnes Eccleſiaſtici, aut Laici, beneficiorum illius Regni Collatores, vel ad ea Nominatores, eademmet ſolis Clericis indigenis elargi teneantur, extraneis ablegatis; niſi prius ipſemet Rex, conſimili à sè libertate divulsâ, sè ſpontè obſtringat debito dilargiendi ſolis indigenis memorata beneficia, ad ſuum patronatum Regium pertinentia; non enim eſt major ratio, cur ei liberum eſſe debeat, poſſe beneficia, ad ſe ſpectantia, etiam Clericis extraneis impertiri, non vero id liceat Papæ, Epiſcopis, aliiſque Clericis, & Laicis præfatorum beneficiorum Collatoribus, vel reſpective ad ea Nominatoribus: Nec ullus ex Monarchis, qui Regnum præfatum teneat, unquam prudentèr, & rationabilitèr, à Papâ, Epiſcopis, & Clero, & Populo prædictis exiget, ut putamus, quod in diſpenſatione beneficiorum regulam imprævaricabiliter teneant; quam ipſe renuat obſervare: ſed potiùs ipſe debebit ſe priùs vinculis irretire, quibus vult alios vivere adſtrictos, juxtà nunquam ſat laudatum epiphonema magni Cæſaris Theodoſii: *Digna vox Majeſtate Regnantis, legibus alligatum ſe Principem profiteri* (a).

17. Reges autem Neapolis, qui prò tempore viguerunt, vigiles multum, & valdè cauti fuerunt, ne libertas eis præfata diriperetur; ſed ut ſemper poſſent prò eorum libito beneficia, ad illorum patronatum pertinentia, Clericis ſibi magis gratis, largiri; ſive extraneis, ſivè indigenis. Hoc evidentiſſimè patet ex Pragmaticis Regni, & ex plurimis aliis actibus, non ſemèl, ſed penè centies ſuper hac rè per plura ſæcula replicatis. Nàm uſque ab anno 1495. regnante Ferdinando II. vulgo *Ferrandino*, Neapolitani libellum ei ſupplicem porrexerunt, in quo diverſas ab illo gratias poſtulabant: inter quas hæc quoque comprehendebatur, quod inpoſterum beneficia eccleſiaſtica Regii patronatus, vel nominationis, aut diſpenſationis, deberent ſolis Regnicolis, & maxime incolis Urbis Neapolitanæ conferri. Novus erat Rex ille in Regno, quod mox receperat, ceſſione Alphonſi II. genitoris ſui (b). Magnis quoque premebatur anguſtiis, propter Gallos, Regno ipſi inſidiantes, tantamque patiebatur auri penuriam, ut pro mutuo accipiendâ pecuniâ, loca quædam Regni Venetis dederit in pignus, ſuo tempore redimenda (c): Ratus ergò *Principem, rebus valdè afflictis, ſpecioſa dictis, & uſu neceſſaria ſequi* debere (d), ne poſtulatam gratiam petentibus denegare videretur, quorum ſubſidiis indigebat; reſcripſit: *Placet, atque eo libentius, quod majeſtas ſua decrevit benemeritos Regnicolas, & Subditos ſuos proſequi, non ſolum officiis, verùm etiam beneficiis, honoribus, & regalibus munificentiis* (e). En *primus* Neapolitanorum conatus, vel inſtantia, vel operatio, ſivè ſollicitudo, aut quocumque modo vocanda ſit actio ſuper negotio beneficiorum, de quo loquimur, propoſita, reſpiciens beneficiorum Regiæ diſpoſitionis tantum reſtrictionem ad ſolos Regnicolas, ac præſertim cives inclytæ Urbis Neapolitanæ.

(a) *Apud Juglaris Annal. di Vercel. Vercel. 2 § 2.*

(b) *Odoric. Raynald. ann. 1496. n. 9.*
(c) *Idem Raynald. loc. cit. n. 10. & 35.*

(d) *Quintus Curtius l. 3. in vit. Alexand.*

(e) *Ex libro intitulus, Privilegi, e Capitoli &c. della Città di Napoli &c. f. 21. c. 4.*

18. Pompatica tamen, nec niſi verbis turgida, effectibus autem exinanita fuit hæc gratia; nàm Rex, quod ſpopondiſſe videbatur ſermone, operibus nullatenus adimplevit. Illo proindè citò per mortem ſublato (f), rurſus Neapolitani eandem gratiam à *Friderico II.* novo Rege, Ferrandini Patruo, & ſucceſſore (g), inſtantiſſimè popoſcerunt: qui paritèr anguſtiis gravibus conſtrictus, & ſubditorum ſuppetiis indigens adverſus Gallos (h), petita non negavit, reſcribens ſupplici Libello: *Placet* (i). Et en *ſecundus* Conatus. Sed quod verbis Rex conceſſit, factis poſteà

(f) *Jovius l. 4. Raynald. ann. 1496. 11.*
(g) *Idem Raynald. an. 1496. n. 13.*
(h) *Idem Odoricus Raynald loc. cit.*
(i) *Ex d. lib Privileg. e Capitol. f. 32. c. 6*

ſteà exequi detrectavit. Et quamvis non de cunctis Regni beneficiis eccleſiaſticis tunc ageretur, ſed de illis ſolis, quorum diſpoſitio ad Coronam Regiam pertinebat; nihilominus Reges Ferrandinus, & Fridericus, urgentiſſimè interpellati, verba quidem dederunt, ſed non verborum effectum: & quidquid eſſet de promiſſionibus, quas ex motivis politicis ore pollicebantur; facto tamen docebant, ſe nolle propriâ libertate nudari, ſed velle Coronam Regiam ab omni ſervitutis implicamento ſartam tectam ſervare; ut quemadmodum anteà fuerant, ſic inpoſterum liberi eſſent Reges, in diſpenſando beneficia ad ſe pertinentia, nullâ ratione originis attentâ, ſed ſolius meriti, benemerentiæ, ſervitii Eccleſiæ, & Regno præſtiti, probitatis tandem, & doctrinæ titulis conſideratis. Irrita igitur conſilii fuerunt conamina Dominorum Neapolitanorum ſub Regibus Aragonenſibus lineæ Ferdinandi I. Nothi, dicti communitèr *Ferrando*, ſivè *Ferrandone*, illorumque Conatus totaliter evanuerunt.

19. Regno deindè ad Aragonios lineæ legitimæ translato, in perſonam Ferdinandi V. Regis Aragoniæ Catholici, qui operâ Conſalvi de Cordubâ, dicti il *Gran Capitano*, Fridericum Regem pepulit à toto Regno (*a*), & Gallos, partem Regni ipſius ſperantes, non tàm vi, quàm arte militari deluſit (*b*); Neapolitani prefatum Conſalvum anno 1503. ſupplici libello interpellarunt, ut Gratias confirmare vellet Urbi, & Regno Neapolis, à præcedentibus Regibus conceſſas, tametſi tales, quod eaſdem nec Urbs ipſa, neque Regnum actualitèr poſſiderent, & inter has quoque reſtrictivam diſpenſationis beneficiorum eccleſiaſticorum, ad Regiam Coronam pertinentium, comprehenderunt. En *Tertius* Neapolitanorum Conatus, non ad cuncta beneficia Regni dilatatus, ſed ad patronalia tantum Regis reſtrictus. Conſalvus verò, quantumlibet ſatis anxius Regnum novitèr acquiſitum ſavoribus proſequendi, cum non deeſſent, qui acquiſitionem ipſam attentatam, ac illegitimam pronuntiarent; attamen dulcibus verbis confirmationem petitam protrahebat, quam deindè in ſcriptis edidit, confirmans conditionalitèr Oratoribus gratias petitas, nempè quatenus in earum exiſterent poſſeſſione, & quoad beneficia expreſsè reſcripſit, *de beneficiis autem interponet partes ſuas eum his, ad quos ſpectat* (*c*). Diſplicuit Dominis Neapolitanis reſponſio Magni Capitanei Conſalui, adeoque Regem ipſum eſſe directè ſuper hac rè intenſiſſimis ſupplicationibus fatigandum, deliberarunt.

(a) *Bemb. Hiſt. Venet. l. 6. Sabel. Ennead. 11. l. Raynald. an. 1501. n. 73. 75.*
(b) *Guiciard l. 5. Jo. Mariana l. 28. c. 3. Surita tom. 5. l. Raynald. an. 1503. n. 4. 5. 6.*

(c) *Ex d. lib Privilegi, e Capitoli conceſſi alla fedeliſ. Città di Napoli f. 49. c. 24.*

20. Quarè ſpeciales Oratores anno 1505. Segoviam direxerunt, qui nomine Regni, & Urbis Neapolitanæ, ipſimet Regi Ferdinando V. Catholico ſupplicarent inter alia, ut beneficia eccleſiaſtica, ad nominationem, vel diſpoſitionem Regiam pertinentia, deberent inpoſterum ſolis Regnicolis diſpenſari. Rex ſuper hac rè decretum edere recuſavit, ſed verba lenia dedit, ſpeique multum, effectus nihil: ſic autem arte artem deluſit, Oratoribus dando Cedulam, ſivè Literas, memorato Conſalvo Duci directas, in quibus hæc, quæ ſubſequuntur jubebat: *Entre las otras coſas, que nos ſido ſupplicadas, por parte de la nueſtra fideliſſima Ciudad dè Napoles, y ſus Ambaſciadores, ha ſeido, que doveſſemos memoria, e nel proveher de los Beneficios, che vacaren en eſte Reyno à naturales dè à quel; y porque cierto noſtra intention, y volundad es de farzelo aſſi; Por tanto vos ingargamos, y mandamos, que ſequendoſe la tal vacatione de beneficios, tengai accuido de los naturales de eſte nuoſtro Reyno, y Cuidad, proviendo los que vos parezeran abiles, y ſuſſicientes; y ſerivendo ſi neceſſario ſarà à Franceſco de Bojas noſtro Ambaſciador en Corte dè Roma, paraque procure, y obtenga dà noſtro muy Santo Padre el Diſpachio neceſſario, che mucho enello nos ſervireis.* En *Quartus* ipſorum Dominorum Neapolitanorum conatus (*d*).

(d) *Ex d. lib. Privilegi, e Capitoli delle Città di Napoli &c. f. 73.*

21. Summa igitur Conceſſionis Regię fuit juſſio, Proregi facta, quod in proviſionibus beneficiorum, à Coronâ dependentium, Regnicolarum merita ponderaret, ac eorum benemerentiam cordi haberet, ſed promiſſis executio non reſpondit; Et Rex verbis Cedulæ ſatis dclaravit, in poteſtate ipſius non eſſe, ſine aſſenſu

Pontificio, reſtringere diſpenſationem dictorum beneficiorum ad ſolos Regnicolas; quippè cum Regnum ſit feudale Romanæ Eccleſiæ, & Ferdinandus V. illud recepiſſet, ſtipatum liberâ poteſtate largiendi Clericis ſibi benè viſis, tàm Regnicolis, quàm Extraneis, beneficia Regiæ diſpenſationis; in ejus facultate non erat hanc libertatem perdendi, & pretioſiſſimam gemmam à Regali ſuo Diademate diſcerpendi, niſi una ſimul cum eo in hoc aſſenſum præberet Romanus Pontifex, Dominus directus ejuſdem Regni. Quem ſenſum non ambigimus habuiſſe etiam cæteros Reges, Ferdinandi ſucceſſores, pluries interpellatos, ut præfatam gratiam concederent, quàm ſemper concedere recuſarunt. Et ſi de facto aliquis eandem contuliſſet, invalida ex defectu poteſtatis fuiſſet, & ad illam obſervandam Rex nullum debitum habuiſſet, ſaltem jure regio: quidquid ſit, an tanquam perſona privata teneretur, vitâ ſuâ durante, ſtarc promiſſioni, præſertim juramento vallatæ.

22. Incaſſum itàque abeunte quarto iſto dominorum Neapolitanorum conatu, nullum effectum cernentium ſpei, quam ex memoratâ Cedulâ Regali conceperant, mutandum cenſuerut ſyſtema, in ſupplicatione tenendum: & ubi prius de ſolis beneficiis Regii patronatus preces porrigendo, ex ſe ipſis gratiam depoſcebant; Ex tunc peroptantes officia ſupplicationis extendere ad cuncta Regni beneficia, etiam ad Papam, Epiſcopos, atque alios omnes pertinentia; rati ſunt, tantam petitionem abſque generalibus Regni Comitiis, & Parlamenti pleno aſſenſu, non poſſe proponi. Occaſione igitur adventus ipſius Ferdinandi V. Neapolim (*a*), dum ibi generale Parlamentum haberetur, menſe Januario anni 1507. communi Ordinum Regni aſſenſu Regi fuit inſtantiſſimè ſupplicatum, inter alia *primò*, quod omnia beneficia, ad Regiam præſentationem, vel diſpoſitionem pertinentia, ſolis Regnicolis traderentur. *Secundò*, quod Rex officia ſua interponeret cum Romano Pontifice, & cum aliis quibuſcumque, ad quos pertineret Beneficia, in Regno Neapolis conſtituta, conferre, ut in poſterum ipſa beneficia, Prælaturas, & Commendas, cujuſcumque Ordinis, Nominis & Dignitatis, non deberent, niſi ſolis Regnicolis impertiri. En *Quintus* conatus, editus ſuper negotio excluſionis extraneorum: quintus quidem in ordine ad beneficia Regii patronatus, ſed *primus* in ordine ad cetera Papalis, & Epiſcopalis collationis, ac patronatus Laicorum, aut Clericorum: primus inquàm nomine Regni propoſitus, quià in generali Parlamento deliberatus; ſinè quo nomine ipſius Regni proponi non potuiſſet. Vexabant Regem ſuſpiciones ingentes, quas conceperat de memorato Conſalvo, quod ad Regnum Neapolis aſpiraret: ideoque illum ab officio depoſuit (*b*). Anxiabatur quoque ob diffidentias, inter ipſum Regem, & Philippum Auſtriacum Generum ſuum, exortas: qui tametſi jam fuiſſet præcipiti morte ſublatus (*c*), nec in Caſtellæ tamen, nec in Regno Neapolis deerant Magnates, tàm Conſalvo, quam Philippo adhærentes, adeoque in Ferdinandum parum propenſi: quem inſuper non latebat, vigere adhuc intrà ipſum Regnum Neapolis viros in Gallicanum Regem acclines, ideoque Ferdinandus in illis temporum circumſtantiis blandiendos eſſe cenſens Neapolitanos, ac Regnicolas ſupplicantes, ſed re vera non exaudiendos; eorum petitioni reſpondit: *Placet Regiæ Majeſtati* (*d*).

23. Reſpondit inquam ità verbotenus: nàm ex effectibus apparuit, ſe nec officia cum Pontifice, neque cum aliis beneficiorum diſpenſatoribus interpoſuiſſe: & quoad beneficia Regia, ſe plenâ libertate uti velle patefecit, pergens eadem prout anteà, non minus Clericis extraneis, quam Regnicolis dilargiri: non quod in eo *nec promittendi modus, nec promiſſa frangendi pudor ullus eſſet* (*e*), ſed quod nollet Eccleſiam, & sè propriâ libertate nudare. Succeſſit Ferdinando *Carolus V.* Imperator, & Rex Neapolis, à Leone Papa X. (*f*), vel, ut aliis placet, à Clemente Papa VII. diſpenſatus, ut Regnum ipſum poſſet cum Imperio retinere, contra pacta in Inveſtiturâ Regni conventa, cujus annuum Cenſum poſuit ad *ſeptem millia* ducatorum (*g*), Neapolitani ergò Ratiſponam quaſdam petitiones, & Capitula ad eundem Carolum tranſmiſerunt anno 1532. inter quę unum hoc erat, quod beneficia,

(a) *Raynald. an.* 1506 *n.* 36.

(b) *Joan. Mariana Rer Hiſp. l.* 28. *c. ult. Raynald. an.* 1506 *n.* 36

(c) *Anton. Fereſ Map Hiſt. in Joanna Reg.* 78. *Hiſpan.*

(d) *Ex d. lib. Privil. e Capitul. f.* 77 *c.* 11.

(e) *Franciſc. Petrarca de remed. Dial.* 100

(f) *Odoric. Raynald. ann.* 1521. *n.* 80.

(g) *Pallavicin. hiſt. del Concilio di Trento* . 2. c 3 n 1

ficia, ad Regiam diſpoſitionem, vel pręſentationem pertinentia, ſolis Regnicolis conferrentur, juxtà pręfatum Capitulum, per quod viſus eſt Ferdinandus V. illius Avus gratiam ipſam ſupplicantibus policeri: quam gratiam eo fiducialius impetrare poſſe ſperabant, quo libentiùs eidem Imperatori plura centena millia aureorum, imò, & plures auri milliones, Regnum libentiſſimè contribuerat. Carolus tamèn, nec milliorum munere attento, nec Avi reſcripto, ſivè Capitulo ponderato, ſe hac aridâ, parciſſimâ, & involutâ gratificatione expedivit: *Placet Regiæ Majeſtati ea ut plurimum conferri Regnicolis* (a). En *Sextus* Neapolitanorum Conatus, non (a) *Ex d.lib.Privilegi, e Capituli f. 119. cap.2.* ad cuncta Regni beneficia dilatatus, ſed ad illa ſola Regii patronatus: concomitante ſupplicationem præfatorum exhibitione milliorum auri; qui gratiam petitam compenſarent.

24. Ægrè audierunt Domini Neapolitani Regiam reſponſionem, jamque penè deſperantes poſſe plenum intentum, toties petitum, obtinere, minuendam petitionem duxerunt, & augendam ſupplicantium auctoritatem, facientes, ut Ordines Regni, in Parlamento congregati, petitionem authorizarent, nomineque totius Regni ſupplicatio Principi præberetur. Itàque venienti Carolo V. Neapolim, anno 1536. atque ibi generale Parlamentum celebranti, nomine quò ſuprâ ſupplicarunt, ut quià quoàd gratiam Regiorum beneficiorum, Regnicolis conferendorum, in incerto verſabantur, proptèr verbum illud *Ut plurimùm*, dignaretur Majeſtas ſua, ſaltem hoc liberalitèr indulgere, ut beneficia Regiæ diſpoſitionis, in medietate Regni conſtituta, nempè in *ſex Provinciis, Terræ Laboris, inclytâ Urbe Neapolis, Calabriæ citrà, Calabriæ ultrà, Principatus citrà, Terræ Hydrunti, & Terrę Barii*, ſolis Regnicolis conferrentur. Cætera verò beneficia ſimilia, in reliquâ Regni medietate, ſeù in ſex aliis Provinciis erecta, nempè *Principatus ultrà, Aprutii citrà, Aprutii ultrà, Baſilicatæ, Capitanatæ, Apuliæ, & Comitatus Moliſii*, eſſent liberæ, & plenæ diſpoſitioni Regię reſervata. Verum Carolus, ejuſve miniſtri, petitioni annuere detrectarunt, novâ reſponſione obſcurum per obſcurius involuendo, ſub terminis implexis, quos dixeris reſponſis Tyberii ſimillimos, de quò Tacitus: *cujus verba rimantes, ſemper in obſcuro magis, ac magis in incerto implicabantur*: unumque eſt, quod ſupplicationi ſequens factum eſt reſcriptum, cujus pars poſterior deſtruebat, quod in priori ſui parte concedere videbatur: inquit etenim, *Placet Cæſareę, & Catholicæ Majeſtati gratiam Regis Catholici confirmare, jubetque illam obſervari diligentèr: curabitque ut Regnicolæ, quemadmodum cæteris in rebus, ità etiam in hoc propenſum ſuæ Majeſtatis animum ad eorum commodum, & exiſtimationem cognoſcant* (b). En *Septimus* Conatus, præce- (b) *Ex d.lib.Privilegi, e Capitoli f.139.* dentibus reſtrictior, utpotè ad ſolam medietatem beneficiorum Regii patronatus arctatus, & nihilominus à generali Parlamento Regni approbatus, ut poſſet Regni nomine præfato Regi hac de rè ſupplicari.

25. Tali obtento reſcripto ſupplicantes ſe triumphaſſe fortè cenſebant, ſed ex effectibus agnoverunt, rem ſemper eſſe ab initio, ac Regem nolle ſibi propriam abſcindere libertatem. Quaproptèr fortunam iterum tentandam rati, anno 1550. Carolo Imperatori, ac Regi, Bruxellas uſque miſerunt quędam Capitula, in quibus legitur, ut ſubſequitur: *Item atteſo che l'immortal memoria del Rè Catolico, Avo di Voſtra Ceſarea Maeſtà, eſſendo ſupplicato, che tutti gli Officii del Regno ne provedeſſe i Napolitani, e Regnicoli, detta ſupplicazione fù decretata nel modo ſeguente, videlicet. Placet Regię Majeſtati providere Neapolitanis, & aliis Regnicolis idoneis de dictis officiis, come appare per Capitolo eſpedito in Segovia. Dopoi eſſendo Voſtra Maeſtà in Napoli, in Parlamento generale, fù ſupplicata del medeſimo, e detta Supplicazione fù decretata che detti offizii, ut plurimùm ſe ne provedeſſero Napolitani, e Regnicoli, per lo che è cauſato, che detti Napolitani, e Regnicoli ſono rimaſti deſraudati di detta grazia, primo loco conceſſa per Sua Catolica Maeſtà, nè mai hanno poſſuto goderla integratamente, atteſo che, ut plurimùm, di detti offizii ne ſono ſtati proviſti Foraſtieri, e non Napolitani, e Regnicoli, per lo che*

bantur: habitoque ſuper ea rè ſupplicantium recurſu ad Carolum V. Imperatorem, ac Regem, ejus Patrem, non aliud tandem fuerat per illos obtentum, niſi quod prò dimidiâ parte reſtringeretur largitio beneficiorum ad ſolos Regnicolas, prò aliâ verò dimidiâ diſponeret Rex de illis ad beneplacitum cum alternativâ. Quarè Majeſtatis Suę Clementiæ, & Magnanimitati ſe committentes, ſimulque de propriâ benemerentiâ confidentes, ob ingentem ſummam millionis auri, quâ Majeſtati Suæ obſequium exhibebant, & proptèr ſervitia, quę Patri ſuo Carolo jam pręſtiterant, & ſibi etiam erant in poſterum prędtituri, vitam ei, bona, & ſanguinem, ſi opus eſſet prò ejus ſervitio pollicentes, enixè precabantur, ut *ſublatâ alternativâ*, & beneplacito præfatis, cuncta omninò beneficia Regiæ diſpoſitionis deberent ad ſolos Indigenas coarctari. Ad quæ Rex Philippus II. ſolum reſcripſit, confirmandam gratiam à Carolo V. conceſſam anno 1550. ſic decernens. *Placet Regię, & Catholicæ Majeſtati illud potiſſimum Capitulum firmitèr obſervari, quod anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo per Cæſaream Majeſtatem conceſſum fuit, cui è memoria non excidet Oriundos in dicto Regno, eâ ſemper gratiâ proſequi, quam eorum fides, & ſtudium promerentur* (a). En *Nonus* Conatus, iterum reſtrictus ad cuncta beneficia Regii patronatus, & nihilominus non exauditus, tametſi exhibitio millionis auri poſſet compenſare effectum gratiæ poſtulatę.

(a) Ex d.lib. Privilegi, e Capitoli f.155. cap.1.

29. Fruſtrata per hoc inexpectatum reſcriptum remanſit ſpes ſupplicantium, qui nihilominus quadriennio poſt iterum eundem Philippum II. Regem adjerunt, rogantes, ut ex gratiâ, tàm arbitrium, quàm alternativam prememoratas è medio tolleret: attentâque multitudine Clericorum benemerentium, quibus Regnum abundabat, ſimulque decebat, ac juſtum erat, ut ipſi beneficiis eccleſiaſticis munerarentur, & naturales extraneis pręferrentur, pręſertìm cum eadem beneficia, nec multà eſſent, nec pinguia; decerneret, ad hæc non niſi Regnicolas admittendos: Rex verò Philippus II. cunctis benè auditis, intellectis, ac ſeriò trutinatis, ex Matrito reſpondit anno 1561. ſervari Capitula, quæ Carolus V. Imperator ejus Pater conceſſerat Bruxellis anno 1550. in quibus medietas beneficiorum, quæ vocant Regiæ Collationis, vel præſentationis reſervabantur, junctà alternativâ, de qua ſupradictum eſt (*b*). Et en *Decimus* Conatus Dominorum Neapolitanorum, qui laborantes per bina ferè Sæcula, & auri theſauris, atque Oratoribus ad Reges miſſis, ſupplicationibuſque interpoſitis, ac nullo non adhibito medio ad promerendam gratiam excluſionis extraneorum à ſolis Regiis beneficiis; tandem non niſi ęgrè illam prò medietate conſequi potuerunt, nec liberam, ſed cum alternativâ, & utinam hanc quoquè adeò mutilatam ſemper vidiſſent ad effectum perduci.

(b) Ex d.lib. Privilegi, e Capitoli f.164. cap.1.

30. Cernit hic Doctiſſimus Lector Conſtantiam, quâ cuncti Reges Neapolis, tàm lineæ naturalis, quàm legitimæ, *Aragonenſium*, necnon & *Auſtriacæ*, per ducentos annos, & ultrà, renuerunt arctare ſuam libertatem in diſpenſatione beneficiorum, ad ſe pertinentium: & quod reluctantiam agnoſcentes Neapolitani, tandem petitionem reſtrinxerunt ad ſolam medietatem ipſorum beneficiorum, in ſex Regni Provinciis erectorum; adhucque petita obtinere integralitèr non potuerunt: & tamen ſi Patres decantati, ſi Canones, ſi Concilia, ſi Fundatorum interpretata voluntas, ſi demum cuncta Iura, Divinum, naturale, & humanum, in ſententiâ Contradictorum, expoſcunt, quod beneficia debeant ſolis Indigenis diſpenſari, non potuiſſent Reges gratiam petitam denegare. In quâ ſanè poſcendâ, hæc ſuppoſita Jura ſilverunt. Nec Neapolitani excluſionem ipſam tamquam Juribus hiſce conſentaneam, & debitam popoſcerunt, ſed ut ex gratia, & ex ſpeciali favore, vel uti remuneratoriam, & promeritam ob fidelitatem Regi exhibitam, ſervitiaque multa Coronæ impenſa, & proptèr notabilem contributionem plurium millionum auri, multoties repetitam, quibus titulo quodammodò oneroſo, non tàm gratiam petitam implorare, quàm emere videbantur, & Regi compenſare præjudicium libertatis, quam in diſtributione Regiorum beneficiorum illi adimere ſatagebant. Ità res ſe habuit quoàd beneficia Regii patronatus, Regiæquæ diſpenſationis. Nunc

verò

verò ex propoſito perpendamus, quomodo ſe habuerit quoàd alia beneficia eccleſiaſtica, ad liberam Summi Pontificis diſpoſitionem ſpectantia, vel ad Epiſcopos, Archiepiſcopos, Prælatoſve alios Ordinis inferioris: Perpendamus inquam quomodo, & Reges, & Neapolitani quoàd ipſa ſe geſſerint.

31. In decem præmemoratis Conatibus, vel inſtantiis, vel operationibus, aut actionibus, quocumque nomine vocari debeant, nunquam factus eſt ſermo de beneficiis, ad Sedem Apoſtolicam pertinentibus, vel ad aliorum Præſulum diſpenſationem, vel ad patronatum Clericorum, aut laicorum, quia viſa eſt petitio ab æquitatis tramite aliena: nihilominùs quando de anno 1507. fuit rogatus à Neapolitanis Ferdinandus V. Catholicus Rex, ut cuncta beneficia, quæ vocant Regiæ Collationis, & Patronatus ſolis Regnicolis diſtribuenda eſſe decerneret, eundem quoquè Regem interpellatum fuiſſe legimus, ut Regalia ſua *Officia interponeret cum Romano Pontifice, & cum quibuslibet aliis*, ad quos opus eſſet, ne Prelaturas, Beneficia, Commendas, cujuſcumque Ordinis, Nominis, & Dignitatis, aliis inpoſterum quàm Clericis Regnicolis largirentur; hæcque poſtulatio, non privatâ alicujus particularis hominis, vel Civitatis, operatione facta eſt, ſed auctoritate generalis Parlamenti, quod eam in illis rerum circumſtantiis proponendam eſſe deliberavit. Ad illam nihilominùs inſtantiam Rex reſcripſit: *Placet Regiæ Majeſtati* (a). Vel autem promiſſa officia Rex de facto non interpoſuerit, ne rem incongruam poſtularet; vel interpoſita caruerint effectu; nullum in antiquis memoriis veſtigium occurrit, quod nobis innoteſcat, hujuſce officioſitatis cum Papâ per Ferdinandum Catholicum interpoſitę. Cum aliis paritèr Prælatis inferioribus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, nunquam legimus, Reges ullum interpoſuiſſe officium, ut beneficia eorum liberæ Collationis ſolis Regnicolis impertirent; & multò minus cum Patronis Eccleſiaſticis, aut Laicis, ne ad beneficia ſui Patronatus alios Clericos, quàm Regnicolas præſentarent.

(a) *Ex d. lib. Privilegi. Capitoli f. 77. cap. 1.*

32. Nec eſt probabile, Reges hoc egiſſe, res etenim de ſe nimium videtur incongrua: quam ſi quis Regum promovere aggreſſus eſſet, facillimè à Patronis, à Prælatis, & à Pontifice audiſſet; quid vis nobis libertatem noſtram abſcindere, & tu tuam intactam ſervare? Quid noſtras collationes, & reſpectivè præſentationes ad ſolos Regnicolas coarctare, & tu tuas ad omnes Clericos cujuſcumque Orbis partis extendere? Quid tu libertati tuę frenum imponere detrectas, etiam pluribus auri millionibus compenſatus; & nos noſtram vis gratis profundere libertatem? *Impera tibi ipſi, non magis quàm cæteris, idque maximè Regium putato &c.* (b). Porrò notabile eſt hoc factum Neapolitanorum, Regem deprecantium, ut ſua officia interponeret cum Papâ, & cum aliis, ad quos ſpectabat beneficia eccleſiaſtica diſpenſare, nempè Prælatis, & Patronis. Notabile quoquè eſt factum Regis, hæc officia non interponentis. Notabilis itidem eſt conſecutiva obſervantia duorum, & ultra ſęculorum, cuſtoditę per Prelatos, Patronos, & Pontificem ſuæ libertatis in diſpenſando beneficia etiam clericis extraneis, dum Reges interìm pulſarentur, ut beneficia Regii patronatus ad ſolos indigenas coarctarent. Demùm eſt notabile, quod à Regibus poſtulata non fuit per Neapolitanos reſtrictio collationis omnium Regni beneficiorum, ſed illorum tantum, quę ad Regiam præſentationem, vel diſpoſitionem pertinent: nam hę quatuor circumſtantię ſingularitèr, & multò magis conjunctim ponderatæ, pluſquam ad evidentiam declarant libertatem Eccleſiæ in ſuorum beneficiorum diſpenſatione: Et quod Papa, Epiſcopi, Archiepiſcopi, Ordinarii, Prelati, & Patroni, uſque ab eo tempore erant, & ſemper fuerunt in conſtanti, pacificâ, & fundatiſſimâ poſſeſſione largiendi beneficia, non tàm Clericis Regnicolis, quàm etiam Extraneis. Adde quod tunc poſtulatio illa, ut poſſet fieri nomine Regni, opus fuit, quod deliberaretur in Parlamento, ut agnoſcas, nulli fas eſſe nomine Regni excluſionem extraneorum à beneficiis promovere, niſi eam Ordines Regni, in Parlamento congregati, communi ſenſu deliberaſſent.

(b) *Iſocr. in Oration. de Regno.*

33. Sed ſi ab anno 1507. poſt ætatem Ferdinandi V. Domini Neapolitani quieverunt

verunt, & petitionem reſtrictionis beneficiorum ſæcularium, à Regià diſpoſitione non dependentium, intermiſerunt; beneficia tamen regularia Ordinum Militarium pulſare non omiſerunt. Habet inclytus Ordo Equitum S. Joannis Hieroſolymitani plures Prioratus, Ballivatus, & Commendas, in Regno Neapolis conſtitutas, quas Eminentiſs. Magnus Magiſter, cum Conſilio Coaſſiſtentium ſibi Equitum, juxtà regulas ſui Ordinis, occurrente vacatione diſpenſat. Componitur autem Religio ex tot Athletis, quot Equites ejuſdem ſunt cruce candidâ decorati: nobilitate inſignibus, inſignioribus virtute militari, quâ, & ſtrenuitati honorem, & ſibi gloriam immortalem accumulant: adeò proſpero rerum ſucceſſu, ut jam Catholicis Nationibus generale afferant ornamentum; dùm Chriſtianæ Fidei Adverſarios, & irruentes ſuſtinent, & pugnantes debellant, & de illis loquentes vel ipſo eorum nomine terrefaciunt. Dividitur verò in octo Linguas, vel magnas Provincias, aut diverſarum Gentium Categorias: quarum *prima* eſt Lingua Provinciæ in Galliâ, cujus Caput eſt magnus totius Ordinis Commendator. *Secunda* Arverniæ, itidem in Galliâ, cujus Caput eſt magnus Ordinis Mareſciallus. *Tertia* Galliç, cujus Caput eſt magnus Hoſpitalarius. *Quarta* Italiæ, cujus Caput eſt magnus Admiralius. *Quinta* Aragoniæ, cujus Caput eſt magnus Conſervator. *Sexta* Alemaniæ, cujus Caput eſt magnus Ballivus. *Septima* Caſtellç, cujus Caput eſt magnus Cancellarius. *Octava* demùm *Angliæ*, cujus Caput eſt magnus Turcopolerius, ſivè Equeſtris militiæ Colonellus *(a)*. Singulæ autem ex his Linguis ad varias Provincias ſe dilatant. In Hiſpaniâ tamen, & Galliâ, Prioratus, Ballivatus, & Commendæ hujus Ordinis, non cunctis illarum Nationum Equitibus communes fiunt, ſed ſolis peculiarium Provinciarum Originariis: ita ut Caſtellani, ut audivimus, Commendas, & Prioratus, ac Ballivatus, non poſſint conſequi in Aragoniâ: Neque Aragonenſes in Cataloniâ, neque Catalani in Aragoniâ, & Caſtellâ: ſicque de aliis, tametſi eidem Linguæ ibi ſubjectis, proptèr peculiares leges ipſius Ordinis, ſic ſtatuentes.

34. In Linguâ verò Italicâ Equites Itali promiſcuè ad dicta beneficia, ubicumque ſita ſint, intrà totam Italiam, promoventur: & quamvis beneficia ipſa, de naturâ ſua ſint manualia, & ammovibilia *(b)*, tamen manualitas ipſa ſine causâ evenire non debet, & vix unquam ad praxim redigitur *(c)*. Quibus ità ſe habentibus, Domini Neapolitani anno 1540. inter Capitula, quç Carolo V. Imperatori, & Regi Neapolis tranſmiſerunt uſque Gandavum, hoc inſerverunt, quod ſicut in Hiſpaniâ, & Galliâ, Prioratus, Ballivatus, & Commendç Ordinis Equitum Melitenſium, non cunctis ejuſdem Linguç Equitibus diſpenſabantur, ſed illis tantum, qui ad peculiares Provincias pertinebant; ità Cæſarea Sua Majeſtas idem faceret quoàd Regnum Neapolis obſervari. Partes proindè ſuas Auguſtales cum Magno Magiſtro dicti Ordinis Melitenſis, ſeù Hieroſolymitani efficacitèr interponeret, ut præfati Prioratus, Ballivatus, & Commendæ, in Regno Neapolis conſtitutæ, non poſſent, niſi ad Equites Regnicolas pervenire, prorsùs excluſis aliis Equitibus Linguç Italicæ. Importuna ſatis viſa eſt Cçſari hæc poſtulatio: Nihilominùs politicè diſſimulandam eam ratus, ipſi ſupplicationi reſponſum dedit æqivocam, multç apparentiæ, ſed non æqualis effectus: Reſcripſit etenim: *Cæſarea Majeſtas ſcribet ad Reverendiſſimum Magiſtrum S. Joannis Hieroſolymitani, & ejus Conventum, & ad hoc omnem favorem impartietur, ut ſupplicationes ad effectum deducantur (d).*

35. Cum verò tanti verborum apparatus, nullus cerneretur effectus, ann. 1557. apud Regem anxiè replicarunt, eidem exponentes, quod non ſinè injuriâ Regni cernebant, Prioratus, Ballivatus, & Commendas, ibidem erectas, Ordinis Hieroſolymitani, Equitibus extraneis concedi, prætermiſſis indigenis, cum tamen in cunctis Hiſpaniæ Regnis, nec Equitibus Caſtellanis daretur acceſſus ad beneficia ejuſdem Ordinis, apud Aragonios conſtituta; neque Aragonenſibus ad Biſcaina; neque Biſcainis ad Luſitanica; & ſic de aliis. Petebant igitur ut inpoſterum negaretur executio literis, ſive Bullis Religionis Hieroſolymitanæ, favore extraneorum expeditis,

Rex-

(a) *Blaſius Terzi Siciæ Sacræ l.2.c.39.*

(b) *Card. de Luca, de Regular. diſc.4.n.7.*

(c) *Idem de Luca de Juriſd. diſc.2.n.12.*

(d) *Ex d. lib. Privilegi, e Capitoli &c. fol.180.c.7.*

Rexque partes ſuas efficaciſſimas interponeret, cum Magno Magiſtro, ne amplius Prioratus, Ballivatus, & Commendę illius Ordinis, aliis Equitibus conferrentur, quam Regnicolis, juxta illorum antianitatem, & benemerentiam. Ad hæc audita Philippus II. tramitem Caroli V. Genitoris ſui calcans, promiſſa dedit magnifica, ſed & ipſa effectu ſperato exinanita: reſcripſit namque: *Regia, & Catholica majeſtas partes ſuas adhibebit apud Admodum Reverendum Magnum Religionis Magiſtrum; cui quam enixè poterit, ſcribet, ut in demandandis dictis Prioratibus, Balivatibus, Præceptoriis, aliiſque dictæ Religionis beneficiis, ſive Commendis, ut vulgò ajunt, Incolarum habeat rationem.* An Rex Officia hęc de facto interpoſuerit; anne interpoſita profuerint ad intentum, obſervantia 160. annorum, qui jam ex tunc decurrerunt, id manifeſtat, cum nunquam negata fuerit literis Religionis executio poſtulata: & Commendas, Prioratus, ac Balivatus in Regno Neapolis, Equites cujuſcumque Provinciæ Italię ſemper adepti ſint, & modo quoque ſinè contraverſiâ adipiſcantur.

36. Supererat tentanda Religio S. Jacobi de Spatha, Ordo militaris in Hiſpaniâ florens, cujus Magnus Magiſter eſt Rex Catholicus Hiſpaniarum, prò tempore in Throno ſedens, ex plurimum Romanorum Pontificum conceſſioue (*a*). Habet hic Ordo in Regno Neapolis Commendam notabilis proventus: dicti autem Neapolitani Philippum II. Regem interpellantes ut ſuprà, prò Commendis, Prioratibus &c. Religionis Hieroſolymitanę; ſupplicarunt quoque, ut Commenda præfata S. Jacobi non niſi alicui Equiti Regnicolæ conferri deberet: idemque fieret de aliis Commendis, ſi quas erigi accideret in futurum. Sed Rex tali petitioni aridum hoc adjecit reſponſum, tacitam in ſubſtantiâ continens excluſionem, dicens: *In reliquo verò quoad Prȩceptoriam Divi Jacobi de Spatha attinet, hujus ſupplicationis meminerit, prout ipſius Civitatis, & Regia obſequia promerentur, cum de eâ providendâ agetur.* En motus, & curſus, quem habuerant ab initio uſque ad noſtram ætatem, Conatus, inſtantiæ, ac petitiones Dominorum Neapolitanorum, quoad beneficia in Regno Neapolis erecta, ſive Pontificiæ collationis, ſive Regiæ diſpoſitionis, ſive ad Prȩlatos, & Patronos pertinentia, ſive tandem ad militares Ordines attinentia, ut ſolis Regnicolis conferrentur. Viſa eſt ſemper petitio hæc ab æquitate diſſona, prȩjudicialis Eccleſiæ, Collatoribus beneficiorum, & Nominatoribus ad illa, nimium infeſta: pernicioſa tandem eccleſiafticę libertati, & ideò nunquam optatum conſecuta eſt effectum, niſi pro medietate Epiſcopatuum Regiæ nominationis, prò quibus promiſſa fuit proviſio alternativa indigenarum cum extraneis: an autem ſemper fuerit obſervata; norunt periti rerum ipſius Regni.

(a) *Theatr. Vit. bum V. Equites fol. 332 & 833.*

37. Nos hic autem ponderamus, quod ſi Reges, tametſi plurium millionum auri muneribus provocati, noluerunt ſuæ libertati cedere, admittendi etiam extraneos, ſaltem alternatim ad beneficia: neque voluerunt interponere, vel neſcitur quod interpoſuerint efficacitèr, ut rogabantur, officia ſua cum Papâ, cum Epiſcopis, & Prælatis, atque Patronis beneficiorum, necnon cum Ordinibus Militaribus, ut beneficiorum, ad illos ſpectantium, collatio ad ſolos Regnicolas coarctaretur; neſcimus videre, quo fundamento, quo titulo, quâ ratione Contradictores, eorumque Auctores inculcare audeant, quod beneficia eiſdem Regnicolis tantummodò de jure debeantur, & quidem de Jure divino, naturali, & humano. Nunquid Reges, præfatam ſuam libertatem tuentes, & ſua Officia denegantes, eorumque Conſiliarii, & Aſſeſſores, hæc jura non cognoverunt? Nunquid tàm exuberans auri profuſio ſufficiens non fuit ad Scriptores, Cauſidicos, & Allegationes conſiſcendas; quibus perſuaderetur Regibus, eorumque Conſiliariis, juſtum, & rationabile prorſus eſſe, quod interponerent petita officia, & libertatem ſępefatam dimitterent? Prȩtereà ſi Reges abnuerunt officia merè verbalia cum Pontifice, atque cum aliis præmemoratis interponere, ne rem injuſtam, & ab æquitate alienam promoverent; quomodò quæſo Contradictores, eorumque Auctores, nunc audent Regem interpellare, ut non jam officia, & preces interponat, ſed vim: & jam potentiâ laicali

cali extorquere geſtiat, quod æquitatis, & juſtitię debito deſperatur? Sed ſi vis adhibenda eſt, cur contrà Pontificem incitatur Rex, & non contrà magnos Magiſtros Ordinum militarium, atque Regni Prælatos &c? Quamquam rè vera, dum contrà Pontificem provocatur vis Principis, indirectè actio promovetur etiam contrà Regni Epiſcopos, Archiepiſcopos, & Prælatos, necnon coutrà infinitos Barones laicos, & eccleſiaſticos, quibus paritèr, ac Pontifici, libertas hucuſque fuit, & ineſt adhùc, immenſum numerum beneficiorum, vel per viam collationis, vel reſpectivè per viam prſentationis, non modo Clericis Regnicolis, verum etiam extraneis, conſanguineis ſuis, vel familiaribus, fautoribus, benevolis, vel quomodocumque de ſe benemerentibus, etſi origine extraneis, impertiri.

38. Et quoad beneficia, quę vocant Regię collationis, vel Patronatus, attendat queſo benignus Lector, quot ambagibus, atque technis, ac reſponſis ambiguis, & obſcuris, vel pompaticis tantum, & effectu prorsùs exinanitis, Reges declinarunt annuere votis Neapolitanorum ſupplicantium, ut vel cuncta, vel ſaltèm dimidia pars Regiorum illorum beneficiorum, ſolis Regnicolis conferrentur, ne propriam Regalem libertatem perderent, vel minuerent, quantumlibet plurium millionum auri ſuſceptio potuiſſet aliquo titulo, vel remuneratorio, vel compenſatorio, imminutionem prfatę libertatls æquilibrare: quanto minùs ergò Reges adhibendam eſſe cenſuerunt vim, ut & Papam, & Epiſcopos, & Prælatos, & Magiſtros Ordinum Militarium, & Clericos demum, atque Laicos, beneficiorum Collatores, vel reſpectivè ad ea Nominatores, ad propriam ſibi abſcindendam adigerent libertatem? Qua ſanè juſtitiâ Papam, altum Regni Dominum, & ſupremum omnium beneficiorum diſpenſatorem, ingenitâ, & nativâ libertate Pontificali nudare, nullâ ei oblatâ compenſatione, nullo exhibito remunerationis compendio? Quâ æquitate hoc ab ipſo extorquere, non ſupplicando, ſed jubendo; non precibus, ſed minis; non officioſis verbis, ſed vi prępotentèr illatâ: & interim ſic agendo, profiteri, hoc fieri, non de facto, nec per potentiam, ſed de jure, & ſecundum juſtitiam? Porrò ſi hęc exhorruerunt agere prædefuncti Reges, in præjudicium eccleſiaſticæ, & Apoſtolicæ poteſtatis, quis non miretur ea nunc peti, & ut ad effectum perducantur omnia quæque injuſta moveri?

39. Reges igitur Neapolis, quorum perſona eſt prima, & principalis in Parlamento, ſine quo, nomine Regni, hæc actio non valet, uti vidimus, intentari, nunquam dederunt mandatum, neque promoverunt, ſed potius retuderunt Conatum, ſive inſtantiam, vel actionem ipſam excluſivam extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis. Reſtat videre, an alii, partem habentes in ipſo Parlamento, dederint iſtud mandatum, ſeu aſſenſum præbuerint ipſimet conatui, ad eandem excluſionem directo. Et quidem Archiepiſcopi, & Epiſcopi, aliique Ordinarii locorum, qui poſt Regem, prçipuum tenent locum in Parlamento, nec mandatum, neque aſſenſum præfatum præſtiterunt, ſed & nec præſtare potuiſſent, ſiuè magno eorum dedecore. Nàm de Prælatis Polonię, qui ſimilem aſſenſum præbuerant edicto Regis, excluſivo extraneorum à beneficiis Polonicis, Martinus Papa V. pronunciavit, talem actum eſſe *exorbitantem concluſionem*, cedentem in Regni dedecus, & in ipſorum *Prælatorum infamiam* (a). Nec ſinè magnâ ratione, quippè Præſules hoc facientes, libertati eccleſiaſticæ, juribuſque ſuæ Eccleſiæ præjudicium inferunt, quæ jurarunt prò poſſe tueri, & debent uſque ad profuſionem ſanguinis defenſare, ne ſponſam, quam liberam acceperuut, vertant in vilem pediſſequam. Hunc prętereà aſſenſum non potuiſſent ſingularitèr impertiri, ſed ab ipſis fuiſſet collegialitèr, atque in unum coaſſidentibus regulandus, viſis videndis, & conſideratis conſiderandis, quod accidere non potuit, niſi in publico Parlamento, nunquam ſuper hac rè celebrato. Sed de hoc aſſenſu Prælatorum ſuperfluum eſt diſputare, cum illum nunquam præſtiterint. Imò nos cognoſcimus aliquos ex pręfatis Prælatis, qui non obſtante conatu Contradictorum, eiſve cauſam dantium, libertatem ſuæ ſedis fortitèr tuiti ſunt, nedum verbis, ſed etiam factis, conferendo de facto, paucis ab hinc menſibus, beneficia ad ſe

(a) *Oderic.Raynald. ann.1429.n.33.*

Digitized by Google

ſe ſpectantia Clericis extraneis à Regno, de ſe benemerentibus, atque dignis, qui jam ipſis beneficiis ſinè contradictione fruuntur.

40. De Baronibus, altero membro Parlamenti Regni Neapolis, quod aſſenſum non præſtiterint conatui Contradictorum, ſat evincitur ex eo quod Parlamentum ipſum non fuit habitum, ſinè quo aſſenſus ab eiſdem præberi non valet: non enim ſingulariter, ſed collegialiter eſſet ad eiſdem interponendus, rebus prius ponderatis; an cum multi ex ipſiſmet Baronibus, atque ex illorum ſubditis, habeant beneficia Juris patronatus laicalis, & mixti, ſed ſimul habeant etiam conſanguineos, familiares, directores, fautores, benefactores, & amicos, extrà Regnum natos, quibus poſſunt ſe gratos reddere in opportunitatibus, præſentando illos ad beneficia ſui patronatus; expediat, his omnibus parvipenſis, introducere actionem, quâ imminuta remaneat omnium Patronorum libertas: & præſentatio ad ſolos Clericos Regnicolas coarctetur. Res hæc non eſt parvi momenti, quæ non indigeat magnâ ponderatione, utilitatem conferente cum damno, & damnum cum utilitate librante. Idem dicendum eſt de Civitatibus demanialibus, ultimum Parlamenti membrum componentibus, quarum intereſt libertatem, ſi quam ipſæ, vel earum Cives habent, in præſentando Clericos ad beneficia, ſartamtectam tueri. Ipſæ verò, earumve Syndici, ad Parlamentum non ſunt vocatæ, neque ad mandatum, vel aſſenſum huic petitioni præbendum, neque utrumque, neque alterutrum præbuerunt. Cum igitur nunquam celebratum fuerit Parlamentum, ſinè quo, & de jure, & de more, prout vidimus, actio excluſiva extraneorum ab *omnibus generalitèr* beneficiis intentari non ſolet, nec debet, neque poteſt nomine Regni; Hujuſque actionis, vel conatus introductioni, neque Rex, neque Epiſcopi, neque Barones, neque Civitates demaniales, Regnum, ſeu Ordines Regni componentes, mandatum, vel aſſenſum præbuerint, in præjudicium libertatis, quâ quilibet ipſorum, ac illorum ſubditi, & Cives, Clerici, aut Laici, beneficiorum Collatores, vel reſpectivè patroni, uſque modo potiti ſunt, conferendi eadem beneficia, vel ad ea nominandi, etiam Clericos extraneos, de ſe benemerentes, & dignos; evidentèr agnoſcitur, quod Regnum Neapolis non promovet excluſionem extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis: ſed quidquid fit, & factum eſt circà eam; privata auctoritate factum eſt, non vero nomine Regni.

CA-

CAPUT XXVIII.

In quo examinatur, quinam verè ſint Indigenæ, ac quot modis tales fiant: Quinamque ſint Extranei. Et in Regno Neapolitano, quinam pro talibus habeantur.

SUMMARIUM.

1 *Eccleſia Dei ſemper potita eſt libertate præficiendi beneficiis etiam Clericos extraneos, extrà loca, privilegio Apoſtolico munita.*

2 *Rationes hucuſque adductæ probant eandem libertatem, etiam pro Regno Neapolitano, nec rationes adverſariorum quidquam officiunt.*

3 *Non conveniunt inter ſe Contradictores in determinando, quinam pro indigenis, & quinam pro extraneis ſint habendi.*

4 *Sed licet ſint inter sè diſcordes; pro veritatis tamèn everſione concordant, & differentias ponunt inter voces exterus, & extraneus: foraſticus, & forenſis &c.*

5 *Quid ſentiant de indigenatu, vel extraneitate hominum Plutarchus, Paulus Oroſius, & S. Gregorius Nazianzenus. Terra ubi quis eſt, ejus patria eſt.*

6 *Omnes homines, aut ſunt Indigenæ, aut Advenæ, aut Convenæ. Roma eſt omnium Mater, & patria.* Primò *quomodò acquiratur indigenatus.*

7 *Vox indigenæ civilitèr eſt ſumenda. Quinam indigenarum nomine veniant. Aliqui Romani Senatores ruri habitabant.*

8 *Atilius, Cincinnatus, Curius in agro morabantur. Romani jus Civitatis cunctis Imperii ſubditis conceſſere. S. Paulus Romanus Civis fuit.*

9 *Etiam hoſtes in bello victi quandoque Romanâ Civitate donabantur. Et aliqui habebant pro patria tàm Romanam, quàm locum ſuæ originis.*

10 *Quia omnes Romano Imperio ſubjecti Romani Cives erant; etiam Neapolitani tales erant: undè & viciſſim idem eſſe debet apud illos.*

11 *Indigenatus acquiritur* Secundò *ratione fidei. Cuncti Clerici orbis conveniunt cum Neapolitanis in fide, adeoque in illo Regno erunt indigenæ.*

12 *Acquiritur* Tertiò *indigenatus ratione baptiſmatis. Quod locum habere debebit etiam in Regno Neapolitano, niſi aliud obſiſtat.*

13 Quartò *fit quis indigena loci ratione beneficii ibi poſſeſſi, ubi & poteſt ad ordines promoveri: quod obſervatur etiam in Regno Neapolis.*

14 *Indigenatus* Quintò *acquiritur ratione originis, tam propriæ, quam paternæ. Paterna origo facit filium Municipem quoad honores, ordines, & beneficia.*

15 *Ratione domicilii* Sextò *fit quis indigena; pro quo exigitur decennium apud Venetos, Gallos, & Neapolitanos.*

16 Septimò *Indigenatus acquiritur ratione Comprovincialitatis. Parochia olim ſignificabat Diœceſim: & Diœceſis provinciam eccleſiaſticam.*

17 18 *Indigenatus* Octavò *acquiritur aggregatione ad Cives alicujus Urbis, vel literis naturalitatis alicui à Principe conceſſis. De hac rè quid ſit in Regno & urbe Neapolis, & in aliis ejus urbibus Demanialibus.*

19 *Hoc apud Romanos vocabatur dare jus Civitatis Romanæ. Recenſentur plures homines, & populi, qui hoc jure donati fuerunt.*

20 *Imperatores quoque jure Romanæ Civitatis homines, imò & plurium Regionum populos decorabant, ut ex hiſtoriis habetur.*

21 *Exemplo Romanorum aliæ Urbes, & Principes ad jus propriæ Civitatis, vel Regionis extraneos aggregant, qui in Germaniâ vocantur Pſalburgeri.*

22 *Indicantur varii Principes, qui ſe fecerunt Civibus nonnullarum gentium aggregari. In Regno Neapolis aggregantur extranei.*

23 *Extraneos aggregare an poſſit Epiſcopus quoad res eccleſiaſticas. Epiſcopus eſt Princeps. In quolibet loco eſt duplex Principatus, ſacer, & profanus.*

24 *Nec eſt cur Princeps Vaſſallus extraneos juribus civitatis donare poſſit, non verò id poſſit Princeps ſupremus. Beneficiarius eſt Civis loci beneficii.*

25 Nonò *indigenatus acquiritur cooptatione in Clerum Romanæ Eccleſiæ, quæ mater eſt, & Caput aliarum: membra autèm Capitis, à membris Corporis non ſunt aliena.*

26 *Ex novem præfatis modis, beneficiorum diſpenſatores perpendant, an aliquis ſit indigena. Alicubi eſt privilegium Apoſtolicum arcens extraneos.*

27 *Si de hoc indulto obtinendo agendum eſt; non à privatis, ſed à cunctis Ordinibus Regni, in Parlamento congregatis, deliberandum eſt.*

28 *Non expedit Regnicolis hoc privilegium poſtulare, quia juribus Regis eſt nocivum, Clericiſque, ac Laicis beneficiorum diſpenſatoribus, damnoſum.*

(a) *Galat. IV. n. 31. S. Anſelm. l. 3. epl. 45. Goffrid. Vindocinenſ. opuſc. 2. 9. 6.*

1. ECcleſia Dei libera prorsùs, & ingenua à Chriſto Domino conſtituta eſt (*a*), & uti talis, à ſuis primordiis uſque ad noſtram ætatem, integrâ, & totali ſemper potita eſt libertate, diſpenſandi, pro ſuo arbitrio, eccleſiaſtica beneficia Clericis cujuſcumque Regionis, dummodo benemerentibus, tàm indigenis, quam extraneis: hancque libertatem ità ſe habuiſſe, de ſæculo, in ſæculum, & à primo uſque ad noviſſimum; ſuprà probavimus multiformitèr, infinitis propemodum rationibus, Scripturalibus, Theologicis, necnon depromptis ex Sacris Conciliis, & Sanctis Patribus; Legalibus tandèm, Hiſtoricis, & Politicis, quas jàm doctum Lectorem ſupponimus percurriſſe, & vidiſſe probatam libertatem ipſam efficaciſſimè, reſpectu ad omnes Chriſtiani Orbis Provincias, niſi ubi ſpecialia indulta Apoſtolica, poſterioribus ſæculis introducta, juſtiſque de cauſis, vel remunerationis, vel benemerentiæ, vel alterius tituli relevantis, conceſſa, aliud ex peculiari gratiâ, & privilegio depoſcunt.

2. Hæ autem omnes, & ſingulæ rationes, ut ſuprà congeſtæ, & per diverſa ſæcula diſtributæ, dum libertatem ipſam generalitèr probant, illam proculdubiò etiam probant pro cunctis particularibus locis, Apoſtolico privilegio, aliud decernente, non communitis: adeoquè, ut putamus, eandem affatim probant etiam pro Regno Neapolis, de quo nunc ſpecialitèr eſt locutio. Et quæcumque motiva in oppoſitum cumulentur, vel nihil probant, quia ſuppoſitis inſubſiſtentibus innituntur: vel pro nobis probant, quia retorquentur adversùs Contradictores: vel nimium probant, quia probant, quod beneficia ſint, non incolis totius Regni, ſed ſolis indigenis, & nativis particularis cujuſque Loci, Vici, Urbis, & Oppidi concedenda, uti patebit ex multis Reſponſionibus, quibus Objectiones in tertio Tomo uberrimè diſſolvemus. Et ſic quocumque ſe vertat ſermo Contradictorum, conatui eorum non proficit: nec indigenis, prout ab illis intelliguntur, favet; neque extraneis, uti ab eiſdem conſiderantur, ullum detrimentum impertit. Quæ ſi pauca ſunt pro Regno Neapolitano; alias adhùc rationes peculiares, ibi concurrentes, & extraneis ſubſervientes, hic ſucceſſivè adnectamus: ſed antequàm ad earum effectivam allegationem procedamus, operæ pretium eſt prius aliqualitèr perſcrutari, quinam rè vera ſint extranei, & quinam indigenæ in Regno Neapolitano, & quot modis ibi fiant indigenæ. Hoc enim, ait D. Hieronymus, *hoc &*

Tul-

Tullius, & antè illum in brevi, & ſolo volumine ſcripſit Antonius,primam Cauſam eſſe Victoriæ, diligenter Cauſam, prò quâ dicturus es diſcere (a).

(a) *Hieron. in Apolog. ad Pammach. c. 2.*

3. Et ut in hac re *ſic curramus, non quaſi in incertum, & ſic pugnemus, non quaſi aerem verberantes* (b), in claro ponendum eſt, qui ſint indigenæ, & qui extranei, præſertim, cum Contradictores ipſi in hac rè non conveniant, quippè alter eorum, qui edidit volumen, *De Rè beneficiariâ*, & alter, qui Auctor eſt libri, *Conſiderationi Teologico Politiche*, prò extraneis ſolos extrà Regnum ortos, vel in eo non commorantes, intelligunt. Alter verò qui binas edidit ſcriptiones, nomen præſeferentes, *Ragioni del Regno di Napoli*: Et *Conſiderationi ſopra al nuovo libro intitolato &c.* prò extraneis eos ſe profitetur accipere, qui in Regno beneficia poſſidentes; apud ea perſonalitèr non morantur: & ità habent alii *lateres prò ſaxis, alii bitumen adhibent prò cæmento* (c). Et ex eis unus & ipſe aliquos, modò indigenas vocitat, modò extraneos, de quo benè quidam Modernus ait, *cum recenſet tonſuetudines locorum, Alienigena dicitur, qui toti Regno exterus eſt: Indigenæ vero dicuntur, & ad beneficia vocantur, qui de Regno ſunt. Mox afferens Canones Ecclesiaſticos, indigenarum nomine eos appellat, qui vel de Canone Eccleſiæ, vel in ipſâ baptizati, & educati ſunt, quibus Canonum decretis illi ipſi excluduntur, qui anteà ab ipſo vocati ſunt indigenæ. Nunc denique prò indigenis illos obtrudit, qui in ſuis Eccleſiis reſident, ac miniſtrant; quo fit, ut qui anteà alienigenæ dicti fuerunt, & à beneficiis repulſi; poſtremâ hac notione indigenæ, ad beneficia adſpirent. Ità apud illum nihil ratum, fixumque, nihil conſtans, atque cohærens, ſed utcumque eſt ventus, exin velum vertitur. Quod ſicubi cordato homine indignum eſt, certè non eſt ferendum in ipſâ definitione indigenæ, hoc eſt in ipſo quæſtionis cardine, & ſummâ* (d). Dicas reſpexiſſe fortè Dominum ad Conatum Contradictorum, & dixiſſe, *venite deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unuſquiſque vocem proximi ſui* (e).

(b) 1. *Corinth.* 9. 26.

(c) *Geneſis cap.* 11. *num.* 4.

(d) *Arct. libri, cui titulus Regni Neapolitani, erga Petri Cathedram &c. f. 44.*

(e) *Geneſ. capit.* 11. *num.* 6.

4. Herclè mirum eſt, quâ fiduciâ Contradictores, in unâ rè diſcordes, in aliâ uniantur, pacemque, ut ait Tertullianus, libenter inter ſe miſceant, *nec intereſt quamvis diverſa tractantibus; dummodò ad unius veritatis everſionem conſpirent* (f). Neque minus mirum eſt attendiſſe, quot ſubtilitatibus, & vaniloquiis, verba hæc *Civis*, & *indigena*; *exterus*, & *extraneus*; *alienigena*, & *alienus*; *foraſticus*, & *forenſis &c.* interpretentur, & cavillent, Urbaque iſta hac illac, veluti tot folles impellant, multa de eis *tractantes, dividentes, definientes, ratiocinationes acutiſſimas concludentes, libros implentes &c.* uti ait de quibuſdam Philoſophis Auguſtinus (g), cum tamèn hæc verba ſint, ſervatâ reſpectivitate Synonima; & vel in idem reſonent, vel vix quidquam in eis differentiæ, etiam ſeveriores ipſi Ludimagiſtri, adhibito teloſcopio, diſtinguant: quibus nos differentiunculis perveſtigandis diuturniorem Micrologiam non impendimus; quippè nec officium, nec ſtudia noſtra, qualiacumque ſint, horis abundant, inutiliter dilapidandis.

(f) *Tertull. de præſcript. c. 41.*

(g) *S. Auguſt. tr. 45. in Joannem.*

5. *Natura*, inquit Plutarchus, *patriam nullam cuiquam fecit, ut neque domum, neque agrum, neque ærariam, ut Ariſto dicebat, neque medicam officinam: ſed fit, aut potius nominatur horum unumquodque quovis tempore ab eo qui poſſidet, & utitur &c. Quæ terræ pars ab altera longè poteſt diſtare, cum ipſam totam Mathematici demonſtrent, cum Cælo comparatam, puncti loco eſſe, nos autèm inſtar formicarum, aut apum: ſi ex uno formicarum nido, aut alveari ſumus, in mærore ſumus, & peregrinos eſſe factos ægrè ferimus, ignari omnia, ut ſunt noſtra putare, atque uſurpare* (h), Herculis omnis terra fuit patria. Socrates non loci uniùs civem ſe dicebat, ſed Coſmopolitem, tamquàm totiùs Orbis patricium (i), Paulus Oroſius ita dè ſua vitâ ſentiebat, *Inter Romanos Romanus: inter Chriſtianos Chriſtianus; inter homines homo: legibus imploro Rempublicam, religione conſcientiam, communione naturam: Utor temporariè terrâ, quaſi patriâ* (l). Si rationem ergò naturæ ſequamur, non eſt diſtinctio indigenæ, & extranei: & uti benè D. Gregorius Nazianzenus ait, *terrenæ hæ patriæ, atque generum diſcrimina, brevis hujuſce,*

(h) *Plutarc. opuſc. de exilio.*

(i) *Idem Plutarc. loc. cit.*

(l) *Paul. Oroſ. l. 5. contr. Paganos.*

ſce,

ſce, & caducę vitæ noſtræ, ac ſcenæ, ludi ſunt: quam enim quiſque terram &c. occupaverit, ea patria dicitur; cujus omnes æque hoſpites, & advenę ſumus; quantumlibet vocum appellatione ludamus (a).

6. Sed quoniàm hujuſmodi diſtinctiones, indigenæ, & extranei, apud homines aſſignantur; & à vaniloquentioribus magis avidè confoventur; videndum eſt, quot modis haberi poſſit indigenatus. Eumque dicimus novem modis poſſe haberi. Et *primò*, juxtà Civilem antiqui Juris diſpoſitionem, haberi poterit: nàm ut ait Seruius, omnes terræ habitatores, aut *Indigenę* ſunt, aut *Advenæ*, aut *Convenę* (b), Indigenæ ſunt indè geniti. Advenæ de alio loco venientes. Convenæ mixtim è diverſis locis alicubi convenientes. *Covenas* videre eſt Romæ, ubi incolæ ut plurimùm ſunt extranei, ex diverſis Orbis partibus, & Provinciis ad illam Urbem confluentes, tamquàm ad omnium viventium Patriam, atque Matrem (c), Quam *Orbis compendium* Athæneus, *& communem totius terræ Oppidum* Ariſtides nuncupavit (d). *Advenæ* illi ſunt, qui in alieno loco morantur, ibique temporaneam vitam agunt (e). Ac generalitèr ſub hoc nomine omnes comprehenduntur, qui non debent inter indigenas computari (f). *Indigenę* autèm ſunt illi, qui in eodem loco, in quo commorantur, vel ortum habuerunt, & dicuntur *Originarii* (g), vel ortum non habuerunt, ſed tamen ibi proptèr originem paternam debebant naſci; & dicuntur *Oriundi* (h), Tamque hi, quàm illi, nuncupantur indigenæ, quaſi indè geniti (i).

7. Veruntamèn vox Indigenæ (quidquid ſit de illius grammaticali ſenſu) in humanis, non rigorosè ſumitur, ſed civilitèr: ità ut indigenæ ſint nedùm, qui intrà mœnia loci alicujus commorantur, ſed etiàm illi, quorum Majores indè originem pertraxere: illi quoquè, qui aliquem ad locum, perpetuò ibi permanſuri, acceſſere: atque illi tandem, qui licet in præciſo loco, vel civitate aliquâ perſonaliter non commorentur; ad eam tamen alioquin ſpectant, vel quià territorium manſionis eorum cum præfatâ Urbe, aut loco in jurium communicatione conſentit: vel quià incolæ præfati commorantur in viciniis memoratæ Urbis, aut Loci. Et ità Prætores, quidam, & Senatores Romani, qui non æſtivandi gratiâ, ſed quotidianæ moræ titulo ruri commorabantur; ibique agros arabant, arva fodiebant, ac boves, & armenta paſcebant, de quibus etiam cecinit Poeta, *Jura dabat populis poſito modo Prætor aratro &c. Paſcebatque ſuas quiſque Senator oves* (l); iſti inquam, tametſi verè Romę non morarentur; ibi tamen pro indigenis debebant, non pro extraneis reputari.

8. Atilium ruri morantem; *qui adeum accerſendum à Senatu miſſi erant, ad imperium populi Romani ſuſcipiendum, feminaſpargentem viderunt*, inquit Valerius Maximus (m). Lucius Quintius Conçinnatus à Legatis Romani Senatus, eum invitantis ad armorum imperium capeſſendum, inventus eſt, *ſeu foſſam fodiens, bipalio innixus; ſcù cum araret, operi certè id quod conſtat agreſti intentus* (n), Marcus Curius, ter triumphator, ab Oratoribus Samnitarum ruri repertus eſt, ubi rapas in tugurio commorans, elixabat (o). Hi omnes inquam, & generalitèr alii quoque *prędivites, qui ab aratro accerſebantur, ut Conſules fierent* (p), tamquàm Romæ non commorantes, ſed vel in agro Urbis, vel longè ab eâ in pagis, & villis; erant indigenæ Romæ, non extranei. Profectò Romani jus Civitatis, quod indigenatum præfefert, nedùm incolis Urbis, ejuſque pagi, & circumjacentium locorum, ſed etiam cunctis intrà, & extrà Italiam, ac generaliter omnibus, in Ròmano Imperio commorantibus, liberaliſſimè conceſſere (q), quo fiebat, ut teſte D. Auguſtino, plurimi prò Senatoribus Romani Populi haberentur, qui nedum Romæ non erant, ſed nec unquàm Romanam Urbem aſpexerant (r), prout de facto S. Paulus Apoſtolus, vel Giſchali in Judæa natus (s), vel Tarſi in Cilicia, ſecundum alios, & hic ſine dubio educatus (t), qui nec adhuc Romanam Urbem aſpexerat, neque Italiæ fines fuerat unquam ingreſſus; sè Civem Romanum profeſſus eſt (u), & Civis Romani privilegiis eſt potitus, ne flagellis cederetur. Verberari

(a) S. Gregor. Nazianz. orat. 25.
(b) Vid. Nizol. Theſau. Ling. Latin: Verb. Advena.
(c) L. Roma ff. ad Municip.
(d) Lipſius de Magnitud. Romanor. lib. 1.
(e) L. hæres abſenſ. ff. de judiciis. l. omnes peregrini C. communia de ſucceſſ.
(f) Nizolius loc. citat.
(g) L. 1. & 3. C. de Incolis lib. 10. l. 1 ff. ad Municipal. Barboſ. tr. var. Appel, 180. 1.
(h) L. aſſumptio § 1. ff. ad Municip. Mandoſ. ad reg. 16. Canc. q. 40. Campan. diverſ. jur. Can. rub. 9. c 8 a 8.
(i) Gloſ. in cap ex parte Verb. Indigena de conſuetud.
(l) Ovid. Faſt. 1.
(m) Valer. Max. l. 4. cap. 4.
(n) Livius lib. 3. dec. 1.
(o) Plutarc. in Catone Major. & in Apophtegmat.
(p) Valer. Max. lib. 4 cap. 4.
(q) L in Urbe ff. de Stat. Hominum.
(r) S. Auguſt. de Civit. lib. 5. c. 15.
(s) S. Hieron. de Script. Eccleſ. c. 5. Honor. Auguſtodun. eod. tit n. 5.
(t) Sigiſmund. Laurent. Vita di S. Paolo in Princip.
(u) Actor. cap. 22. num. 27.

berari etenim Civem Romanum erat Legis Porciæ interdictione prohibitum, quæ ut ait Cicero, virgas ab omnium Civium Romanorum corpore amovit (*a*). Quinimo flagris percuti erat indicium Romanæ Civilitatis non aſſecutæ. Et ità Marcellus Conſul *Decurionem Novocomenſem virgis in foro pulſavit, ne ſe Romanum Civem alquando cenſeret* (*b*).

9. Nec ſolum incolis Orbis Romani, ſeù finium Romani Imperii, Romanæ Urbis indigenatus, ſeù jus Romanæ Civitatis eſt datum, ſed etiam hoſtibus in bello victis, quare Claudianus de Româ cecinit: *Hęc eſt in gremium victos, quę ſola recepit, humanumque genus communi nomine fovit, matris non dominæ ritu: civeſque vocavit, quos domuit, nexuque piò longinqua revinxit* (*c*). Quam receptionem hoſtium in Cives, tàm Romanis fuiſſe utilem, quàm fuerat perniciosa Lacedęmoniis, & Athenienſibus eorundem hoſtium à propriâ civilitate repulſio, ait Caludius Cæſar apud Tacitum: *quid aliud exitio Lacedęmoniis, & Athenienſibus fuit, quamquàm armis pollerent, niſi quod victos pro alienigenis arcebant? At Conditor noſter Romulus tantum ſapientiâ valuit, ut pleroſque populos eodem die hoſtes, dein cives haberet* (*d*). Hinc ſicuti quando Romani ad jus Civitatis populos admiſerunt, eorum crevit felicitas; ſic quando Lege Liciniâ, & Mutiâ quibuſdam Italię incolis jus eſt Romanæ Civilitatis ademptum, *ità alienati animi ſunt, ut principium belli Italici fuerit* (*e*), cui & mala infinita, & totidem incommoda ſucceſſere. Itaque Civium Romanorum, Tullio teſte, duplex erat patria, altera naturæ, nempè locus, in quo nati erant; & altera juris, nempè Roma, ad cujus erant Civilitatem aſſumpti (*f*). Erantque ſimùl Cives Romæ, ubi Senatoriâ dignitate fulgebant, & Cives patriæ, undè originariè prodierant: ſic ut loci utriuſque indigenatu potiri dicerentur, & utrobique domicilium habere; quarè & in Jure ſancitum legitur, *Senatores, licet in Urbe domicilium habere videantur, tamèn & ibi, undè oriundi ſunt habere domicilium intelliguntur* (*g*). An autem ſimul, & ſemel aliquis eſſe poſſit ex æquo, & eodem tempore, indigena duorum locorum, non ſine difficultate eſt, quam enodare non eſt hic locus, nec tempus. Memor ſit Lector, celebrem Pomponium Atticum, Ciceronis Amicum, recuſaſſe indigenatum ſibi oblatū Athenis (*h*), veritus nè jus Civitatis Athenienſis acceptans amitteret jus Romanę.

10. Igitur indigenatus in humanis, non grammaticalitèr, ſed civilitèr eſt ſumendus: & cum cum omnes, quotquot in Romano Imperio continebantur (quales nulli dubium eſt fuiſſe incolas Regni Neapolitani) Romani Cives fuerint, ibique indigenę, ac privilegiis Civium potientes, atque Romanis legibus viventes; ſequitur, quod, ſi ſumatur indigenatus, prout in antiquis, & civilitèr; ſicuti cunctis Neapolitanis fuit indigenatus communis cum omnibus Civibus Romanę Urbis, ità & omnibus Civibus Romanę Urbis debebit eſſe communis indigenatus cum cunctis Neapolitanis. Et quià totius Italiæ incolæ, nec non Galli, Hiſpani, Teutonici, & alii perplures populi, in Orbe Romano continebantur (*i*), fiet, quod hi omnes debebunt in Regno Neapolis prò indigenis reputari; & ſic hi licitè non valebunt ibi à beneficiis eccleſiaſticis reprobari. Si dicatur, Indigenatum Romanum, ſeù jus Romanæ Civitatis, cum Romano Imperio defeciſſe, jamque indigenatum ipſum, non à legibus illis antiquiſſimis eſſe repetendum, ſed à modernioribus, & à formâ, quâ nunc vivitur, non quâ antiquitus vivebatur: bene ſe habeat: ſed ſi antiquitas non eſt quoad iſtud ſervanda; ſervanda paritèr non erit quoad rationem antiquę pertinentię Regni Neapolitani ad Imperium Romanum, & quoad ſacra jura, ritus, canones, memorias, ac rerum fragmina, quæ ex ipſius antiquitatis magis curioſis promptuariis, & vetuſtioribus pinacothecis, à Contradictoribus depromuntur. Paritèr ſi indigenatus repetendus eſt à formâ, quâ nunc vivitur; cum hucuſque, aliundè nati, habiti ſint in Regno Neapolitano pro capacibus, adeoque quodammodo, prò indigenis, quoad beneficia conſequenda: ſit, quod etiàm in futurum juſtè non poterunt prò extraneis reputari, ſeù pro talibus, quibus non valeant beneficia, ut antè, conferri.

11. Se-

(a) *Cicer. pro C. Rabirio.*

(b) *Appian. bel. Civil. lib. 2. Plutar. in vit. Cæſar.*

(c) *Claudian. in Rom. Laud.*

(d) *Tacit. Annal. 40.*

(e) *Alex. ab Alex. genial. lib. 4. c. 10.*

(f) *Cicero de Legib. lib. 2.*

(g) *Lege Senatores ff. de ſenatoribus.*

(h) *Vid. Æmil Probum in Vit. Attici.*

(i) *Juſt. Lipſ. de Magnitud. Rom. l. 1. c. 3.*

11. *Secundò*, indigenatus habetur ratione fidei, quæ ſicuti tempore Legis Moſaicæ habuit; ſic tempore Legis Evangelicæ, cunctos de illâ participantes æquè habet prò indigenis, ubicumque, & undecumque ſint orti. In Exodo ità legitur, *ſi quis peregrinorum in veſtram voluerit tranſire coloniam, & facere phaſe Domini, circumcidetur prius omne maſculinum ejus, & tùnc ritè celebrabit, eritque ſicut indigena terræ* (a). Similia alibi in Lege Moyſis adnotantur (b). Filii Jacob, à Sichem, optante Dinam eorum Sororem in conjugem, nihil aliud popoſcerunt, niſi eandem in religione Moſaicâ communionem, & tùnc fieret Iſraelitarum cum Sichimitis unus populus, atque idem: *in hoc valebimus fœderari, ſi volueritis eſſe ſimiles noſtri, & circumcidatur in vobis omne maſculini ſexus: tùnc dabimus, & accipiemus mutuò filias veſtras, & noſtras, & habitabimus vobiſcum, eritmuſque unus populus* (c). Admitti Dominus præcepit ad ſacrificia peregrinos æque, ac indigenas, modo eandem ſcriptam ejus fidem profiterentur (d). Joſuè non minus advenas, quàm indigenas admiſit in conſpectu Sacerdotum, portantium Arcam fœderis Domini, eiſque indifferentèr ſanctiones Domini propoſuit obſervandas (e). Deinùm in Ezechiele juſſit Dominus, intrà terminos Terræ ſanctę recipi advenas, & ſimùl omnibus, inter Tribus inibi deſignatas, contribui poſſeſſiones (f). Ex quibus patet, quod juxtà Legem Divinam, illiuſque canones, & hiſtorias, Viri aliundè progeniti, fuere prò indigenis in Dei populo computati, quotiès unam & eandem fidem æquè, ac filii Iſrael obſervarent. Et quià quod typice tunc occurrit normam dedit etiàm diſciplinæ, tempore legis gratiæ utilitèr cuſtodiendæ; hinc fit, quod quemadmodum tunc, ſic etiàm nunc, prò quanto pertinet ad res ſacras, indigenatus eſt quoque remetiendus à fide; ſicque tot, quot eandem profitentur fidem, omnes ſunt ſimùl indigenæ. Cum igitur cuncti totius Orbis Clerici eandem teneant cum incolis Regni Neapolitani fidem, & religionem; ſequitur quod ibi, quoad res ſacras, omnes Clerici ſunt indigenæ, nullus eorum ibi prò extraneo habendus eſt; & conſequentèr Clerici, quantumvis aliundè nati, debent in illo Regno ad præbendas ſacras admitti, niſi aliud obſiſtat.

12. *Tertiò*, indigenatus habetur ex ſuſceptione Baptiſmatis, quod baptizatum reddit indigenam illius loci, in quo fuit ſpiritualiter regeneratus, uti communiter ſentiunt Doctores (g), & patefaciunt hiſtoriæ, hac de rè in faſtis Eccleſiaſticis eloquentes. In Concilio Carthaginenſi Epigonius Epiſcopus inconcuſsè defendit, sè potuiſſe Clericum ordinare, alibi quidem progenitum, ſed apud sè à puero coaltum, & in Eccleſiâ propriâ baptizatum (h). S. Paulinus Nolanus populo Barcinonenſi, eum ad Ordines poſtulanti, adhærere detrectabat, memor sè Burdigalæ batizatum, non alterius loci magis habendum eſſe indigenam, quam illius, ubi baptiſmum ſuſceperat (i). Actardus Nannetenſis dignus cenſitus eſt, qui ad Eccleſiam Turonenſem proveheretur; quià in eâ fuerat baptizatus. Et ut alios omittamus, quos in decurſu hujus operis memoravimus, inter cauſas, ob quas Gregorii Cappadocis improbata eſt provectio ad Eccleſiam Alexandrinam, hæc allegata eſt, quod in eâ non fuerat baptizatus; quaſi nihil ei obfuiſſet eſſe per 36. manſiones longè ab Alexandriâ natum, ſi fuiſſet inibi baptizatus (l). Baptiſmi ergò ſuſceptio indigenatum producit: quod & non dubitamus habere locum in Regno Neapolitano, ubi ſanctiſſimo huic Sacramento omnis cultus, omniſque honorificentia defertur, & cum inibi non pauci ex Judicibus, militibus, artificibus &c. extreneis, naſcantur filii, qui ibidem baptizantur, hoc baptizatis illis proficere debebit, ut ibi ſint prò indigenis reputandi, ſaltèm quoad res ſacras, niſi aliud obſiſtat.

14. *Quartò*, Indigenatus habetur poſſeſſione beneficii eccleſiaſtici; beneficiarius enim fit Civis, & indigena illius loci, in quo erectum eſt beneficium, uti communitèr ſentiunt Doctores (m). Et ratio eſt evidens, quià per ſuſceptionem beneficii, Beneficiarius intitulatur, copulatur, & innectitur vinculo perpetui fœderis cum beneficio, & inter ipſum ſuamque Eccleſiam, ac præbendam, ſpirituale contrahitur matrimonium (n). Undè etiàm fit, quod Beneficiarius evadit ſubditus Epi-

(a) *Exodi cap.* 12. *n.* 43.
(b) *Levit. cap.* 17. *num.* 15. *Numeri cap* 9 *num.* 14.
(c) *Geneſis cap.* 34. *num.* 15.
(d) *Numeri cap.* 15. *n.* 23. *&* 29.
(e) *Joſue cap.* 8. 33. 35.
(f) *Ezechiel. cap.* 47 *num.* 21.
(g) *Marchin. de ſacr. Ordin. tr.* 2. *p.* 5. *c.* 5. *n.* 14. *Gonzal. ad Reg* 8. *Canc gloſ.* 1. *à n.* 105. *ad* 115. *Rebuff. de pacif. poſſeſ. n.* 217.
(h) *Concil. Cart.* 3. *cap.* 44.
(i) *S. Paulinus epiſt.* 6. *&* 23.
(l) *Julius PP.* 1. *ap. D. Athanaſ. Apolog.* 2.
(m) *Bart. in l.* 1 *n.* 13. *ff. ad Municip. Felin. in cap. Rodulphus n.* 38. *de Reſcript. Boer. dec.* 260 *n* 20. *Marchin. de ſacr. Ordin p* 5. *c.* 8 *n:* 2 *tr.* 2. *Rocc. Pirr. Sicil. Sacr to.* 2; *notit.* 7 *n.* 37. *Belket. p.* 1. § 2. *n.* 15.
(n) *Cap. cum inter* 21 *de elect. cap. etſi unaniter* 6. *de poſtul. Prælc. ſicut vir* 7. *qu.* 1.

Epiſcopi illius Diœceſis, in quâ erectum eſt beneficium, & per conſequens rationem indigenæ ipſius loci in ſè contrahit. Hacque de causâ tametſi ad ſacros ordines nemo, niſi à proprio poſſit Epiſcopo promoveri; nomine tamen proprii Epiſcopi, tàm Epiſcopus originis intelligitur, quàm Epiſcopus domicilii, & beneficii (*a*). Ratio autem quare ab Epiſcopo beneficii promoveri poſſit, eſt hæc, quod Beneficiarius ſit indigena, & civis illius loci, ſeu diœceſis, in quâ ſuſcipit beneficium (*b*). Et ratio rationis eſt, quod propter ſpirituale connubium, inter Beneficiarium &, Eccleſiam intercedens, hi fiunt ſimùl unum corpus myſticum (*c*), eo modo, quo vir, & uxor per matrimonium corporale fiunt ſimul unum corpus; Et ſicut vir &, uxor non poſſunt eſſe alter ab altero extraneus, ita & Beneficiarius, & beneficium eſſe non poſſunt alter ab altero extraneus:& conſequenter beneficiarius in loco beneficii habet rationem indigenę. Hæc autem indigenatus ratio paritèr locum hebet in Regno Neapolitano, & à Doctoribus Regnicolis approbatur (*d*). Undè perperàm ibi excitatur contentio de indigenis ad beneficia admittendis, ſi omnes quotquot beneficia ſuſcipiunt, ſi non ſunt indigenæ ortu, & origine; per beneficiorum ſuſceptionem tales evadunt.

14. *Quintò*, indigenatus habetur ratione originis, tàm propriæ, quàm paternæ, uti diſertè in jure ſtatuitur (*e*), nedum etenim quilibet ex ſè originarius ex aliquo loco, habetur ibi prò indigenâ (*f*), ſed etiam, qui oriundus eſt ex origine paternâ: Paterna enim origo facit filium municipem, quoad honores, quos pater habebat, uti dixit Hoſtienſis (*g*), provectio autem ad ordines, & beneficia, ſinè dubio eſt aſſumptio ad maximos honores. Similitèr filius, tametſi alibi natus, & commorans, conſequitur civilitatem loci, ex quo Pater ejus ducit originem, uti docet Panormitanus (*h*), cum civilitate autem proculdubiò etiam rationem trahit indigenæ. Quapropter ſi filius, ex aliquo eventu ſit natus in alio loco, diverſo ab eo, undè illius Pater originem noſcitur habuiſſe; adhùc in ipſo loco paternæ originis rationem habet indigenæ, quià ibi rationem habet Oriundi (*i*). Hocquè, ut audivimus, obſervatur etiam in Regno Neapolitano; quamobrem in eo inter indigenas computantur, nedum ibidem nati, ſed etiam Oriundi propter paternam nativitatem.

15. *Sextò* indigenatus habetur ratione permanentię, ſive Domicilii in aliquo loco; nedum ſi quis illuc ſe recepit, animo ibidem perpetuo permanendi (de quo nulla eſt difficultas, cum liberum eſſe debeat unicuique homini, fraude ceſſante, ubicumque illi magis gratum eſt, ſuum conſtituere Domicilium) ſed etiam ſi ad aliquod notabile tempus ibi permaneat. Decennium ad hoc præfixerunt prudentiſſimi Veneti, dum jusjurandum à Thomâ Maurocæno exegerunt, nè quemquam Clericum beneficiis Patriarchalis Eccleſię Conſtantinopolis inſigniret, *niſi Venetum natione, vel qui continuè per decennium Venetiis habitaſſet* (*l*). In Galliis tantundem eſt temporis, juxtà monumentum, quod refert Thomaſſinus, dicens, *anno* 1408. *Comitiorum generalium Cleri Gallicani decreto, extraneis omnibus aditus interclusus eſt beneficiorum quorumcumque, niſi ſaltem decennium in publicâ alicujus Regni Univerſitatis paleſtrâ contrivìſſent* (*m*). Utraque hæc ratio ſimilitèr locum habet in Regno Neapolitano, ubi ad officia, & beneficia decernitur admittendos omnes *oriundos* &c. necnon *omnes qui habitaverint per annos decem*. Alibi dicitur ſaltem *per quinquennium* (*n*).

16. *Septimò*, indigenatus, vel quædam ſpecies ejus, habetur ratione Comprovincialitatis: Nàm Clerici ejuſdem provinciæ prò indigenis computantur, præſertim quoad beneficia conſequenda. Quod expreſsè patet in jure, ubi Ravennates, mortuo eorum Archiepiſcopo Guillelmo, elegerunt, ſive poſtularunt in ejus locum Epiſcopum Imolenſem, ex hac ratione, quod *tamquam ſuffraganeus Ravennatis Eccleſiæ ex ipſius gremio extaret* (*o*). Et quamquàm hæc poſtulatio non habuerit effectum, quià Imolenſis *Epiſcopus à minori, quàm tertiâ parte, fuit poſtulatus* (*p*), tamen patet, quod uti Comprovincialis habitus fuit prò indigenâ Ra-

(a) *Cap. cum nullus* 3. *de temp. Ordin.*

(b) *Barboſ. Felinus, Boerius, Marchinus locis cit. Sanchez opuſc. mor. l. 7. c. 3. dub.* 33. *Bellett. diſq. Cler. p.* 1. *de diſc. Cler.* §. 2. *n.* 15.

(c) *C. ſicut vir.* 7. *quæſt.* 1. *Bellettus diſquiſ. Cler. de Clerie debit.* § 3. *n.* 11

(d) *Marta de Juriſd. p.* 4 *cent* 1 *cap.* 59 *n.* 9 *Bellet. locis citat. cum aliis ab his allegat.*

(e) *Cap. Rodulfus & ibi DD. de reſcript. l. libertus l. filius C. de munic. l. aſſumptio ff. eodē Barboſ. appel.* 180 *n.* 2. *Marchin. tr.* 1 *p.* 1. *c.* 6. *n* 6 7 8. 9

(f) *Leg. Senatores ff. de Senatoribus*

(g) *Hoſtienſ. in ſum.* §. *quibus, ex cauſis n.* 6.

(h) *Panormit in cap. final. de Parochiis*

(i) *Campanil. Diverſ. Jur. can. rub.* 9. *c.* 8. *n.* 8. *Barboſ. loc. cit.*

(l) *Innoc. III epiſt. ap. Boſquet fol.* 82

(m) *Thomaſſin Vet. & nov. Eccl. diſc p.* 2. *lib.* 1. *c.* 103. *n.* 6. §. *Philippus*

(n) *Regit. Pragm. Regni tit. de offic. pro vis prag.* 1. §. *placet vid huc infrà n.* 18

(o) *Cap. bonæ memoriæ de poſtul. prel.*

(p) *Dicto cap. bonæ memoriæ de poſtul.*

vennæ, illamque fuiſſet Eccleſiam aſſecutus, ſi in eo eligentium ſuffragia prò majori parte conveniſſent. Comprobant hoc totum Hiſtoriæ. Nàm Epiſcopi provinciæ Tarraconenſis Nundinario Barcinonenſi optarunt ſubſtitui Irenæum, qui in eâdem provinciâ erat Epiſcopus, eâque de rè auctoritatem Hilari Pontificis implorarunt (*a*). Arnuſto Archiepiſcopo Narbonenſi privilegium contulit Stephanus Papa VI. ut in ejus ſuffraganeis Eccleſiis, ſi deeſſet vir, ad paſtorale officium idoneus, poſſet ex proprio Narbonenſi Clero Antiſtitem deputare (*b*). Hincmarus Remenſis, admonens Clerum, & Populum Bellovacenſem, dè electione eorum Antiſtitis, ſuggerit, ut eligant virum de propriâ Parochiâ, nempè Diœceſi: Parochia enim antiquitus idem quod nùnc Diœceſis ſignificabat (*c*). Sin minus, aliquem Comprovincialem eligerent, *alterum* inquiens, *de alterâ Diœceſeos noſtræ Eccleſiâ* (*d*). Sumptâ ibi Diœceſi, non prò territorio Epiſcopali, ſed prò totâ Metropolitani provinciâ.

17. *Octavò* indigenatus habetur aggregatione ad Cives alicujus Civitatis, vel literis naturalitatis, à Principe alicui ex gratiâ conceſſis (coinciditque iſte octavus modus in aliqua acceptione cum primò) Nam ſive Decuriones, & Cives Civitatis, aliquem eorum cætui adſocient, ſive Princeps literis ſuis patentalibus, illum pro Cive ſui Principatus declaret; ille idem inibi fit indigena. Satis locuti ſumus ſuperius de hiſce literis naturalitatis, atque de illarum viribus, & virtute. Nùnc adnotamus, quod hæc ratio indigenatus optimè locum habet in Regno Neapolitano, uti patet ex Pragmaticâ illius, ità ſanciente, *licet ab Illuſtriſſimis, & Sereniſſimis Regibus, & Reginis hujus Regni noſtri Siciliæ, prædeceſſoribus noſtris, ordinatum, & ipſorum temporibus, & noſtro obſervatum fuerit, in noſtrâ Civitate Neapoli, quod nullus ipſius noſtri Regni exterus, ſeu exteræ nationis, reciperetur, vel admitteretur in Civem, gaviſurus privilegiis, prærogativis, & exemptionibus, quibus ipſi Cives Neap. potiuntur, & gaudent, ac potiri, & gaudere ſoliti ſunt, & debent, ſine ſpecialibus Regiis literis, cum ſpeciali conſcientiâ Regum prædeceſſorum noſtrorum, quod adeò tenacitèr extitit ſuperioribus temporibus, & noſtro ſervatum, & etiam licet ipſi exteræ nationis noſtri Regni emiſſent bona ſtabilia in ipsâ Civitate Neapoli, & bonâ fide, & non in fraude transtuliſſent Domicilium, in eadem ducendo uxorem, inibique patriam, prætoriumque uxoris conſtituiſſent, non tamèn, ut Neapolitani Cives haberi, & tractari tales exteræ nationis conſueverunt, niſi ſpecialibus literis Regiis, & ipſorum Regum expreſſâ notitiâ ad id concederetur. Nos tamèn &c.* (*e*).

18. Et in aliâ Pragmaticâ, ubi agitur de officiis, & beneficiis, per ſolos indigenas, ſive oriundos ex Regno Neapolis poſſidendis, definitur: *Placet Cæſareæ, & Catholicæ Majeſtati concedere, quod ab indè officia, quæ vacaverint in dicto Regno, conferantur Regnicolis oriundis; modis tamèn, & formis infraſcriptis, intelligendo oriundos omnes etiam natos extrà Regnum, dummodò fuerint juxtà Privilegium fideliſſimæ Civitatis facti Cives Neapolitani, per magnificos electos, & pariformitèr alios Cives, factos per alias Civitates Demaniales dicti Regni, quæ ex Privilegiis Regiis, eis conceſſis, habent facultatem creandi Cives, dùm tamèn duxerint uxores Regnicolas, & habuerint domos proprias in dictis Civitatibus, in quibus fuerint facti Cives, & habitaverint in Regno, ſaltèm per quinquennium, & etiam omnes tenentes Baroniam, vel alia fæuda, & omnes, qui habitaverint per annos decem cum uxoribus, poſſidentes bona ſtabilia* (*f*).

19. Hoc olim dicebatur, dare jus Civitatis, apud Romanos, vel jus Italicum, quod tam Senatores, ac Cives Urbis, quam ejus Principes, & Auguſti contulere modo huic, modo illi, tum viris ſingularibus, tum Provinciis integris; tamque Italiæ incolis, quam aliis etiam trans montes, & maria conſtitutis. Sabino bello urgente, Romani juri Urbis Appium Claudium adſciverunt (*g*). Punico ardente, eundem honorem Murrhinæ Syracuſano contulerunt (*h*), necnon Merico Hiſpano (*i*), Julio Floro Trevirenſi (*l*), Theophani Mitileneo (*m*), Pythagoræ Samio

(a) *Epiſtola 2. inter epiſtolas Hilari PP. ap. Binium tom. 3. Conc. f. 570.*
(b) *Stephan. 6. epl ad Arnulph. Narbonenſ.*
(c) *Cap. Apoſtolicæ de Donation cap bonæ 12. qu 2 gloſ. in cap. 3. verb parochiæ de temp. ordin. in 6.*
(d) *Hincmar. Remenſ. Formul. 4.*
(e) *Revit. Pragmat. Regn. tit de Immun. Neap. Pragmat. 1.*
(f) *Revit. Pragm Regni. De offic. proviſ. Pragm. 1.*
(g) *Sabellic. lib. 8. Ennead 2.*
(h) *Livius decad. 2. Hiſtor.*
(i) *Livius lib. 26.*
(l) *Tacit. lib. 3.*
(m) *Valer. Max. lib. 8. c. 15.*

mio

mio (*a*), Archagato Medico (*b*), & aliis. Lege quoque Apulejâ tres ex ſingulis Coloniis Latinis fuerunt ad jus Civitatis aſſumpti (*c*). Lege Pompejâ idem jus Incolis Tranſpadanis eſt datum (*d*). Operâ Caii Marii, Camertes (*e*): Operâ Syllę, ſervi eorum, qui in bello ſibi faventes ceciderant, ſunt Civitate donati (*f*): Et ſic de aliis. Nam Tyrrhenis, & Umbris, nè ad hoſtes deficerent, Romani jus Civitatis ultrò contulere (*g*): Quod poſteà in cæteras Italię Provincias dilatatum eſt, Lucanis, & Samnitibus exceptis: qui quoque tamèn aliquandò illud idem jus ſunt adepti (*h*), & paulatìm Italis cunctis, Galliſque Ciſalpinis, & Venetis indultum eſt (*i*). Ac generalitèr Cajus Graccus Italos, & Romanos decrevit iiſdem juribus debere potiri (*l*). Nec hoc intrà montes conſtitit, nàm jus Civitatis uſque ad Pacenſes, & Emeritenſes in Hiſpaniâ ſe profudit (*m*).

20. Quod autèm Romani Senatores, & Cives votis communibus operati ſunt, ſidipſum eorum Imperatores propriâ auctoritate fecère. Nàm Cæſar hoc honore affecit Cratippum Peripateticum (*n*), & univerſam illam bellatorum Legionem, ex tranſalpinis viris conſcriptam, quam Allaudæ nomine vocitavit (*o*). Demùm omnes medicinam profeſſos, & liberalium artium Doctores, præcipui muneris loco Romanâ Civitate donavit (*p*). Otho paritèr Imperator Lingonibus univerſis (*q*): Claudius, & ipſe Imperator, Græcis, Gallis, Hiſpanis, Britannis, jus Civitatis indulſit (*r*). Severus Cęſar Theſſalonicenſibus idem contulit (*s*). Et generalitèr ſub Imperatoribus Hiſpanis, Thracibus, & Africanis, incolæ illarum Regionum ſunt Romanæ Urbis jure donati. Demumque cuncti, qui Romano Imperio ſuberant, Cives Romani facti ſunt (*t*), ità ut cum ab initio omnes, prȩter Romanos, & Græcos, barbari dicerentur; paulatìm cunctis, intrà Romani Imperii fines agentibus, hæc nota dirempta ſit, ob jus Romanæ Urbis acceptum. Poſterioribus demùm temporibus expreſsâ lege Honorii, & Theodoſii Cæſarum, Cives, & Patritii Urbis Conſtantinopoleos, fuerunt hoc privilegio decorati, *Urbs Conſtantinopolitana, non ſolum juris Italici, ſed & ipſius Romæ veteris prærogativâ lætetur* (*u*).

21. Ex quâ Romanæ Urbis, ejuſque Cæſarum, diſciplinâ, didicerunt aliæ Urbes, illarumque Cives, & Principes, ad jus Civitatis, vel Regionis ſuæ viros extraneos aggregare: jamque hoc paſſim fit, tam ab Urbibus independentèr à Principe, quam à Principe independenter ab Urbibus, niſi aliqua peculiaris ratrio fortè reſiſtat. Et quidem de Principe, quod jus habeat admittendi ad Civitates ſibi ſubjectas viros extraneos, nullum eſt dubium, cum continuata praxis id ſuadeat. De Magiſtratibus quoque, ac Decurionibus, & Civibus uniuſcujuſque Civitatis, præſertim Municipalis, in controverſiam non revocatur, quod valeant, etiam abſque juſſu, & ſcientiâ Domini territorialis, non tamèn eo invito, viros extraneos, modo non ſuſpectos aſſumere in Cives, & illis jus Civitatis concedere (*x*). Quâ rè nihil olim frequentius in Germaniâ, ubi iſti extranei ſic aggregati, ſivè admiſſi, vocantur *Pſalburgeri*, homines nempè liberi, ſubditi Imperatoris, vel alterius Principis, qui ab Urbibus pariter liberis Germaniæ jus Civitatis impetrant, & sè aliis Civibus ejuſdem Civitatis faciunt adſcribi, non amittentes jura propriæ Civitatis, ſed ſub diverſo reſpectu, illo quoque honore aucti, aſſecutionis Civitatis alienæ (*y*). Nihilominus ſi Cives alicujus liberæ Urbis ſe facerent in numerum Civium alterius Urbis ſubditę acciri, mos olim erat, quod prioris Civitatis jura amitterent. Et ità S. Pomponius Atticus Romanus Civis, jus Civitatis Athenienſium reſpuit, ne amitteret jus Civitatis Romanæ, aliâ adſcitâ (*z*).

22. Fuit inquam hęc admiſſio ſatis olim frequens in Germaniâ, & quoàd Viros etiam, & Principes magnæ dignitatis exercita. Nam Henricus Comes Lutzeburgenſis, & Joannes Comes de Spanheim, facti ſunt Cives Auguſtę Trevirorum (*aa*). Adolphus Comes Naſſovienſis, qui poſteà electus eſt Imperator, fuit Civis Norimbergenſis (*bb*). Comites Mansfeldenſes facti ſunt Cives Magdeburgenſes. VVilhelmus Hollandiæ Comes, qui fuit poſteà in Romanorum Imperatorem electus, Ultra-

(a) *Plutarc. in Numa.*
(b) *Plin. lib. 29 cap. 1.*
(c) *Cicero pro Cornel. Balbo.*
(d) *Appian. lib. 1. Plutarc. in C. Grac.*
(e) *Valer. Max. l. 5. c. 2. Plutarch. in Mario.*
(f) *Plutar. in Sylla.*
(g) *Diodor. l. 37. Sabell. l. 2. Ennead. 6.*
(h) *Iidem qui ſupr.*
(i) *Strabo. Geogr. l. 5.*
(l) *Alexand. ab Alex. genial. l. 4. c. 10.*
(m) *Paul. in leg. ult. in princip. ff. de Cenſibus.*
(n) *Plutarc. in Cicerone.*
(o) *Sveton. in Cæſar. c. 42.*
(p) *Sveton. ibidem cap. 24.*
(q) *Tacit. lib. 17. Hiſtor.*
(r) *Idem Tacitus lib. 12.*
(s) *Alexand. ab Alexan. Genial. lib. 4. c. 10.*
(t) *Leg. in Urbe ff. de ſtat. Romin.*
(u) *L. Urbſ. C. de privil. Urbſ. Conſtantinopol.*
(x) *Beſold. theſ. pract. verb. Burger. Knipſchild. de jur. & privil. Civit. Imper. l. 2. c. 29. n. 2.*
(y) *Limneus ad Aur. Bull. Carol. IV. c. 16. §. 1. obſer. 5. & 8.*
(z) *Emilius Probus in S. Pompon. Attico.*
(aa) *Kiriander. Annal. Trevirenſ. par. 27. fol. 202. & 212.*
(bb) *David. Citræus lib. 19. Chron. Saxonic. f. 438.*

Ultrajectenſibus Civibus eſt aggregatus (*a*). Ludovico II. ac Succeſſoribus Francorum Regibus, Helvetæ jura propriæ Civitatis dedere (*b*), & ſic de aliis. Sed quid loquimur de Germanis, quid de Helvetis, quid de cujuslibet Regionis, Regni, Provinciæ, vel Civitatis more circà hoc? Satis eſt nobis, quod in Regno Neapolitano in poteſtate, nedum Regis, ſed etiam Baronum, & Civitatum eſt aggregare viros extraneos, illoſque ad Jura Urbium illius Regni admittere, uti expreſsè decernitur in Pragmaticis, paulò ſuperius enunciatis: & uti paſſim conſpicimus exerceri, tàm in Civitate Neapolis, quàm in aliis Civitatibus Demanialibus, & etiam in Baronalibus, quoàd jura Civilitatis, ad Baronales Urbes pertinentis. Nec unquam audivimus circà hoc ullam fieri controverſiam, niſi forte admitterentur, ſivè aggregarentur viri, Regi, & Regno probabili ratione ſuſpecti: nec aliud in oppoſitum eſt in Regno, quod nobis innoteſcat.

23. Verùm hic intrat non exigua difficultas, cur in qualibet Urbe Demaniali, & reſpectivè Baronali, valeant Decuriones, & Cives, valeantque Princeps ſupremus, & etiam ut ſuprà reſpectivè Baronales, viros extraneos ad jura eorum Civitatum admittere, & illos quoàd temporalia, Civium, & Indigenarum Ordini adſcire: non autem id poſſit facere Papa, tamquam Summus Pontifex Eccleſiæ Dei, per totum Orbem extenſæ; ac Epiſcopus localis, de Clericis extraneis, quoàd ſpiritualia? In unàquaque Civitate, Oppido, & loco, duplex eſt Principatus, Eccleſiaſticus & temporalis (*c*). Temporalis Principatus eſt apud Principem laicum, rebus ſecularibus præſidentem. Principatus verò Eccleſiaſticus, ultrà Papam, qui habet totum Orbem prò ſuo territorio, eſt apud Epiſcopum, qui rerum ſacrarum eſt præſes, ac negotia Spiritualia diſponit. Ideòque Epiſcopus quoquè Princeps vocatur (*d*), & inter Principes computatur (*e*), Habetque Imperium, Territorium, Fiſcum, Carcerem, Familiam armatam, & Miniſtros, atque executores ad carcerandum, & pœnis delinquentes plectendum (*f*), quæ omnia ſunt jura Principis, & Principatus, illaque habet Epiſcopus, etiam ſi careat Dominio temporali locorum ſuæ Diœceſis (*g*). In quibus exiſtens nedum exercere poteſt jura Principatus Eccleſiaſtici, puniendo ſubditos, ordinis inferioris, ſed etiam puniendo ipſos Principes temporales eorundem locorum (*h*): Quamvis hoc non debeat, vel non poſſit facere quoàd Reges, quia hi dicuntur eſſe perſonali Privilegio Apoſtolico communiti, vetante, nè Epiſcopi eos valeant excommunicatione innodare (*i*). Valde ergò eſſe abſonum, & incongruum videtur, quod Decuriones Urbis, & qui vix ullam habent in eâ juriſdictionem, & Baro, vel Princeps, qui in eâ ſolum habet Principatum temporalem, poſſit extraneum facere Civem, vel indigenam quoàd Sæcularia; non verò illum facere poſſit quoàd ſpiritualia, tàm Papa, quàm Epiſcopus, qui in illo, & eodem loco, habet Principatum Eccleſiaſticum.

24. Rurſus non levis eſt difficultas, cur Princeps temporalis, etiam juribus alti Dominii præditus, vulgo *Sovranità*, ſed Feudatarius Imperatoris, vel Regis; poſſit extraneos aggregare numero Civium ſuæ Civitatis, vel alterius loci ſui Principatus; non verò id poſſit facere Imperator, aut Rex, ejuſdem loci Supremus Dominus. Et ità ſinè ingenti difficultate videtur tranſire non poſſe, quod Rex Neapolis prò tempore exiſtens, Feudatarius, & Vaſſallus Summi Pontificis, valeat prò ſuo arbitrio virum extraneum Regnicolarum numero adſcire, civemque, indigenam, & nationalem declarare; non verò id poſſit facere ipſe Summus Pontifex, ejuſdem Regni Supremus Princeps, & altior Dominus; præſertim ſi indigenatum conferat extraneo, ipſi Regi probabilitèr, ſivè rationabilitèr non ſuſpecto. Sed de hoc jam alibi ſatis. Certè hucuſque Romanus Pontifex ſemper potuit liberè Eccleſiis Regni Neapolitani Epiſcopos undecumque præficere, quod idem eſt ac illos creare Cives locorum, quibus præſunt: nunquid enim Epiſcopus non eſt primarius Civis Urbis, paſtorali ſuæ curæ commiſſæ? Si eſt ejus Princeps, ut oſtendimus, multò magis eſt Civis. Paritèr ſemper potuit beneficia inferiora ipſius Regni viris aliundè natis conferre, hocque ſimilitèr idem eſt, ac Cives creare, cum

per

(a) *Lehman. Chron. Spirenſ. l. 4. c. 90.*
(b) *Bodinus de Republ. lib. 1. cap. 6. f. 87.*
(c) *Cap. Duo ſunt diſt. 96.*
(d) *S. Clemens PP. I. in Conſtit. Apoſtol. l. 2. cap. 30. & ibi Carol. Bovius in Scholiis. S. Ignat. Antioc. epl. 7.*
(e) *Gloſs. in c. Eccleſiæ diſt. 30. Barboſ. Jur. Eccleſ. Univ. l. 1. c. 8. num. 35. & 52.*
(f) *Del Bene de Immun. c. 6. dub. 14. ſec. 3. n. 7. & cap. 10. dub. 2 n. 3. Dian. p. 1. tr. 2. reſ. 88 Barboſ. de offic. Epiſc p. 3. alleg. 107. n. 1. Bellet. Campanil. & alii.*
(g) *S. Congr. ap. del Bene loc. cit. dub. 8 n. 9*
(h) *Cap. duo ſunt & ibi gloſ. margin. 10. diſt. 96. cum cap ſequ. del Bene de Immun. cap. 14. dub. 18. ſec. 5. num. 5.*
(i) *Del Bene loc. cit. n. 6. & cap. 9. dub. 26. ſect. 2. nu. 2. Alterius de Cenſur. tom. 1. diſp. 10. l. 3. c. 4.*

per beneficiorum aſſecutionem quiſque fiat Civis loci,ubi erectum eſt beneficium (*a*). Quod & proportionaliter habet locum in aliis omnibus terræ partibus, ubi Papa beneficia liberè impertit. Nec minus habuit olim locum in aliis cunctis Regionibus; donec quaſdam ex illis privilegio Apoſtolico, arcente viros extraneos, communivit. Et ità ubi indultum ſimile deeſt, negari non poſſe prò veritate videtur, quin Summus Pontifex, quoàd res Sacras, poſſit viros extraneos in indigenas commutare: quod & paritèr, proportione ſervatâ, locum habere videtur in aliis Prælatis, liberis beneficiorum Collatoribus.

25. *Nono* Indigenatus, vel ſpecies ejus, habetur aſſumptione ad Prælaturas Aulæ Romanæ, ſeù cooptatione in Clerum Romanæ Eccleſiæ: quatenùs cum hæc ſit omnium Orbis Eccleſiarum Mater, & Caput (*b*), ejus Clerici, ſivè membra, non ſecus, ac illa, debent ubilibet indigenatum habere, *non enim decet à Capite membra diſcedere* (*c*), *nec membra Capitis à membris Corporis cenſeri debent aliena* (*d*). Et ideò Clerici, in Romanâ Eccleſiâ, univerſali Eccleſiæ famulantes (*e*), omnium locorum, omnium Eccleſiarum totius Orbis indigenæ reputantur. Et uti tales debere cenſeri, patet evidentiſſimè in Jure: Nàm in *cap. bonæ memoriæ 3. de Poſtulat.* continetur, quod Canonici Ravennates ad beneficium Archiepiſcopale illius urbis poſtularunt Guillelmum Cardinalem S. Praxedis, ut eſſet eorum Antiſtes (*f*), nec illi extraneitatem obſiſtere cogitarunt, quippè erat Clericus Romanæ Eccleſiæ. Et quamquàm Pontifex illius electionem admittere recuſaverit, ex hac ratione, *cogitavimus quod ejuſdem Cardinalis præſentia utilior ſit, non ſolum Romanæ Eccleſiæ, ſed etiam Eccleſiæ generali* (*g*); tamen patet, quod præciſo hoc reſpectu, Cardinalis ille, uti Romanæ Eccleſiæ Clericus, ab Eccleſiâ Ravennate non habuiſſet extraneitatis obſtaculum, prò dicto Archiepiſcopali beneficio conſequendo. Hancque rationem habere locum in Regno Neapolitano patet ex alio Canone, corpori Juris inſerto, ubi Subdiaconus Eccleſię Romanę fuit à Capitulo Capuano ad beneficium Epiſcopale illius Eccleſiæ promotus, & illud obtinuit, quià uti Clericus Romanæ Eccleſiæ, à Capuanâ non cenſebatur extraneus (*h*). Scimus gloſſari hoc factum à Contradictoribus, tamquam ideò taliter ad effectum perductum,quià Capuani indigenę ceſſerant juri ſuo favore ipſius Subdiaconi:Sed nos alibi hoc objecticulum affluentiſſime diluimus (*i*) undè ſuperfluum eſt illi diſſolvendo hic modò immorari: remanetque inconcuſſum, quod Clerici Romanæ Eccleſiæ, ubilibet prærogativâ indigenę perfruuntur.

26. Ex *novem* igitur titulis ſupradictis Virî, alias extranei, fiunt indigenæ, & in ipſo Regno Neapolis indigenarum privilegiis perfrui debere videntur, præſertim quoàd beneficia eccleſiaſtica conſequenda. Spectat ergò ad Collatores beneficiorum, ſivè ad Inſtituentes Præſentatos in eis, dum vel liberè, ac pleno jure; vel ad præſentationem patronorum, beneficia ipſa diſpenſant; perpendere, an in Clericis promovendis, aliquis ex præfatis titulis concurrat, per quem vel ſint indigenæ, vel ibi ſint prò talibus reputandi: niſi doceant Contradictores de ſpeciali Apoſtolico privilegio, titulos illos arcente, ſeù alitèr extraneos à beneficiis Eccleſiaſticis repellente: quemadmodum vigere dicitur in *Galliâ* ſecundum Rebuffum (*l*). In *Hiſpaniâ*, ſecundum Gonzalez (*m*). In *Portugalliâ*, & *Navarrâ* ſecundum Barboſam (*n*), & alibi ſecundum alios. Quod privilegium ſi habent Regnicolæ, debent illud exhibere, & ut obſervetur inſtare; Si non habent, debent illud, ſi merentur, & poſſunt, formis ſupplicibus impetrare, quo modo ſe geſſerunt Valentini Regni Cives apud Sixtum V. (*o*). Sardi apud Clementem VIII. (*p*), & alii apud alios Pontifices (*q*): non verò illud vi extorquere, vel tamquam ſibi de jure debitum uſurpare: & potentialitèr velle, quod tot aliæ nobiliſſimæ, & ſapientiſſimæ Nationes, earumque Reges, non niſi ut ex gratia, & tamquam ex ſpeciali favore conſequi potuerunt (*r*).

27. Quod ſi adhùc de tàm notabili indulto conſequendo agendum erit; non id permitti oportet, ut fiat à paucis, vel particularibus viris, neque ab unâ, vel ab

alterâ

(a) *Bartol. Felinus, Boerius, Bellettus, Marchinus ſuprà hic citati n. 13.*

(b) *Cap. non decet 3 diſt. 12.*

(c) *Dicto cap. non decet diſt. 12.*

(d) *Innoc III. epiſt. ad Cler Raven*

(e) *Cap. bonæ memoriæ 3 & ibi Gloſ. Verb. generali de poſtul. Præl.*

(f) *Rubeus Hiſt. Raven. lib. 6.*

(g) *Cap bonæ memoriæ 3 de poſtul.*

(h) *Cap. cum nobis 19. de Elect.*

(i) *Vide ſupr tom. 1. ſæcul. 13. c. 38 à n. 19.*

(l) *Rebuff. prax benef. in reg. 20. Cancel. quod quis intelligat idioma.*

(m) *Gonzal. in c. te nobis 5 de Cler peregr.*

(n) *Barboſ in cap. bonæ memoriæ n 8 & 11. de poſtul.*

(o) *Sixtus PP. V. Conſtit 64.*

(p) *Lotter. de rè benef. l 2. qu 31 n. 121.*

(q) *Barboſ. in cap. ad decorem 5. de Inſtit & in c. bonæ memoriæ 2 de poſtul præl.*

(r) *Eman Gonzal. in d. cap. te nobis de Cler. peregr.*

alterâ Regni Urbe,ſed à toto ſimùl Regno, nempè ab ejus tribus Ordinibus, Clero,
Baronibus,& UrbibusDemanialibus,qui per ſuos Deputatos,ex ſingulis Provinciis ri-
te transmiſſos,ac Mandatis legitimis conſtipatos, per Regem ad Comitia vocentur.
Nam ſi quando uſque nunc fuit aliquis ex Regibus noviter deprecandus, ut vellet
ad ſolos Regnicolas coarctare proviſionem illorum beneficiorum, quę vocantur
Regię collationis, & patronatus, id factum eſt priùs opportunè convocato generali
Regni Parlamento, & ita factum eſt in hujuſmodi conatu, tentato cum Ferdinan-
do V. cum Carolo V. cum Philippo II. ut evidentèr ſuperius demonſtravimus (a),
cur & non idem faciendum erit, quando de precando Romano Pontifice agatur,
ut beneficiorum collationes ad ſolos arctet Regnicolas? Quid minus habet Papa,
in hac rè, tam uti ſupremus diſpenſator rerum Eccleſiæ, quam etiam uti ſupremus
Dominus Regni, eo quod habeat Rex prò tempore, Dominus quidem Regni, ſed
utilis, & Sedis Apoſtolicæ Vaſſallus? Oportet ergò convenire Parlamentum Re-
gni, & quod Parlamentarii ſimul junctis ſenſibus, ac ſuffragiis, prius rè diſcuſsâ,
ac iterùm, atque iterùm ventilatâ, perpendant, an rè vera expediat, vel non, ut
in Regno Sicilię citrà pharum, Clerici extranei à beneficiis Eccleſiaſticis repellan-
tur: Et quatenus affirmativè; tunc agendum erit de modo, ad effectum conſequen-
dum idoneo: ſepultâ inter latebras oblivionis, ſi fieri poſſet, irregulari, atque ab-
ſurdâ illâ methodo, quâ res incepta eſt, & uſque ad præſentem ſtatum perducta.

28. Rè vera autem hujuſmodi excluſionem nunquàm remur eſſe à Regno Nea-
polis, ejuſque incolis exoptandam, & multò minùs poſtulandam: tùm quià incon-
gruam, tùm quià ipſius Regis juribus noxiam, utpotè quæ illi priſtinam liberta-
tem in diſpenſandis beneficiis proprii patronatus abſcinderet. Tùm quià Papæ quo-
què, & Epiſcopis, aliiſque beneficiorum Collatoribus; item & Principibus, ac Ba-
ronibus ipſius Regni, atque quibuſcumque Laicis, & Clericis, beneficiorum patro-
nis, damnoſa eſſet, quippe libertatem eorum in agendis collationibus, & reſpe-
ctivè in exercendo jure patronatus arctaret. Tùm demùm quià Clero, & populo
ejuſmet Regni præjudicialis ex eo foret, quod ſi Clerici extranei eſſent ibi à bene-
ficiis Eccleſiaſticis repellendi, vice verſa quoquè Regnicolæ eſſent à Papatu, Car-
dinalatu, Epiſcopatu, Abbatiis, Parochiis, Canonicatibus, aliiſque inferioribus be-
neficiis, poſitis extrà Regni limites, repellendi: quod an eis expediat, quiſque
prudens rerum ponderator definiat. Igitur cum deſit legitima perſona, quæ actio-
nem expulſionis extraneorum à beneficiis promoveat: cum deficiat Apoſtolicum
privilegium, eoſdem extraneos à beneficiis ipſis repellens: cumque demùm neque
Papæ, neque Regi, neque Epiſcopis, neque Baronibus, neque Clericis, neque
Laicis Regni Neapolitani,habentibus jura patronatus,expediat eadem extraneorum
excluſio;concludendum eſt,quod in eodem Regno Neapolitano bonum eſt,ut inta-
cta cuſtodiatur, conſerveturque libertas, quæ hucuſque ibi fuit, præficiendi eccle-
ſiaſticis beneficiis Clericos, non modo Regnicolas, verùm etiam extraneos, habi-
les tamen, benemerentes, & dignos.

(a) *Vid. hic cap. præced. n. 11.*

CA-

CAPUT XXIX.

In quo ex paritate admiſſionis Laicorum extraneorum ad munia, & Officia Sæcularia Regni Neapolitani; probatur, Clericos quoque extraneos eſſe ad Beneficia Eccleſiaſtica ejuſdem Regni admittendos.

SUMMARIUM.

1 *Beneficium eccleſiaſticum diſtat ad officio laicali, in aliquibus tamen conveniunt, valetque argumentum ab uno ad aliud. Beneficium datur propter officium.*

2 *Inter Eccleſiam, & Regnum mutua debet eſſe concordia. Juſtum non eſt, quod Clerici ſint deterioris conditionis laicis.*

3 *Laici alienigenæ poſſunt in Regno Neapolis adipiſci Urbes, & Baronatus in feuda: etiam Clerici ergò extranei debent poſſe conſequi beneficia.*

4 *Ex ſeptem primariis Regni officiis, tria indiſpenſabilitèr ab extraneis exercentur. Alia minora officia quoque pro magna parte habent extranei.*

5 & 6 *Pragmatica Caroli V. diſponis de multis officiis Regni Neapolis, partim dandis Regnicolis partim extraneis.*

7 *Vicerex Neapolis eſt ſemper extraneus, ejuſque proventus immenſi ſunt; innuitur donum ingens, factum à Duce Metimnæ las Torres Vicerege.*

8 *Si officium Regis, Viceregis, & alia primaria officia poſſunt ab extraneis in Regno Neapolis obtineri; eccur non etiam Epiſcopatus, Abbatię, & beneficia?*

9 *Arbor, ſeu ſeries ponitur, Comitum, Ducum, & Regum, qui Regno Neapolis dominati ſunt, ex quinque Familiis, vel Dynaſtiis extraneis.*

10 *Innocentius Papa II. Regium titulum, cum Regno Sicilię, Ducatu Apuliæ, & Principatu Capuæ, confert Rogerio: cujus refertur diploma.*

11 *Rogerius cæpit in bello Innocentium, quem honoravit, & ab eo Regium titulum obtinuit: Tuncque Neapolis, anteà reſiſtens Regi, ſe illi ſubmiſit.*

12 *Antequam Regis titulum haberent Normanni, Regno Neapolis dominantes, potiebantur titulo Ducis, & adhùc anteà Comites vocabantur.*

13 *Normanni, vel attenta Italorum imbecillitate, vel ut eis opem ferrent contrà Saracenos, & Græcos, paulatim Apuliam occuparunt.*

14 *Guillelmus Gemmeticenſis loquitur de Drogone, Umfrido, & Roberto Guiſcardo fratribus Normannis, qui Apuliam, Calabriam, & Siciliam ſibi ſubjugarunt.*

15 16 & 17 *Ingreſſum Normannorum in Regno Neapolis narrat Leo Oſtienſis; quomodò, & quâ occaſione venerint.*

18 *Similia habet Ordericus Vitalis, & Petavius. Guiſcardus hæc loca in feudum habuit à Gregorio Papa VII., quem adjuvit contrà Henricum Imperatorem.*

19 *Quo jure Normanni potuerint Terras illas ſibi ſubigere? Neapolis olim erat Reſpublica. Romani loca interdum invadebant ſinè causâ.*

20 *Non poſſunt poſt 700. annos allegari cauſæ, quas habuerunt ſubjugandi ſibi Regnum Neapolis. Amplus erat olim ducatus Beneventanus, cum Principatibus Capuę, ac Salerni.*

21 *Normanni ſe Apulię infuderunt, ut auxiliarii contrà Saracenos, & Græcos: indè arma contrà eos, quibus auxilium porrexerant, converterunt.*

22 *Ob ſtipendia negata, ob Ducem eorum in inſidiis poſitum, ob alium Ducem trucidatum, Normanni cauſas habuerunt armis Apulos ſubjugandi.*

23 *Græci*

23 *Græci antè adventum Normannorum in Apulia, & Calabria, Urbes, & loca poſſidebant, non tamen pacificè, ut ex Lupo Protoſpata patet.*

24 *Othones I., & II. Imperatores armis pulſarunt Græcos, & Saracenos Apuliæ. Papa Benedictus VIII. S. Henricum Imperatorem contrà Græcos vocavit.*

25 *Græci non erant juſti domini Apuliæ, & Calabriæ. Deliquerant etiam novos Saracenos ibi introducendo, & tyrannicè populos illos premendo.*

26 *Saraceni ab anno circitèr 820. in Siciliam, indè in Regnum Neapolis ſe receperunt, ubi infinita mala patrarunt.*

27 *Ipſi Principes Chriſtiani, tàm Græci, quàm Regnicolæ, utebantur Saracenis, ad alios Chriſtianos Principes fatigandos, ut fecit Dux Neapolitanus.*

28 *Ludovicus II., & Othones I. II. III. Imperatores, & alii gravibus cladibus Saracenos affecerunt. Normanni quoque idipſum fecerunt.*

29 *Prolixum temporis ſpatium dominia præſcribit. Romanum Imperium apud Græcos deſtructum fuit à Mahomete II. Turcarum Sultano.*

30 *Etſi Principatus Normannorum ab initio fuiſſet Tyrannicus; tempora evaſit juſtus. Satque eſt, quod jam ſaltem à 700. ann. Papa hæc loca, ut ſuum feudum poſſedit.*

31 Normanni *in Apuliam venientes, ibi regnarunt, etſi extranei, nec defuerunt, qui eorum nothos regnare maluerint, quam aliquem indigenam,*

32 *Normannis ſucceſſere* Svevi *ex Germania, quorum primus Conſtantiam Regis filiam uxorem duxit, & Regnicolas omni immanitate vexavit.*

33 *Poſt Suevos regnarunt* Audegavenſes, *natione Galli, per 170. annos. Poſt hos regnarunt* Aragonenſes: *quomodò, & à quo tempore?*

34 *Deficientibus Aragonenſibus ſucceſſerunt* Auſtriaci. *Si extraneitas non obeſt prò Regno obtinendo, cur obeſt prò beneficiis aſſequendis?*

35 *Mirum eſt, quod in Regno Neapolis laici extranei poſſint eſſe Reges; Clerici verò extranei eccleſiaſtica non valeant conſequi beneficia.*

1. BENEFICIUM Eccleſiaſticum, & officium laicale, tanto intervallo inter ſe diſtant, quanto differunt ſacrum à profano; & res Deo dicata, à rè, ſolo ſervitio hominum deſtinatâ (*a*): longâ inquam dimenſione hæc inter ſè ſunt diſcreta, quià beneficium eccleſiaſticum eſt quid ſacrum, Deo dicatum, & religionis cultui deputatum; Officium verò laicale eſt quid profanum, mundanis rebus addictum, & ſimplici hominum uſui mancipatum. Verum hæc tanta diverſitas non niſi ad ſubſtantiam, & entitatem utriuſque refertur: Cæterum quoad alia, illorum modum reſpicientia, beneficium in multis cum officio convenit, alterumque conſecutivè pergit ad aliud: undè & communi voce dicitur, quod beneficium datur propter officium (*b*): propter officium nempè eccleſiaſticum, non laicale. Nihilominus officium etiam laicale in multis cum beneficio eccleſiaſtico conformatur, & è converſo, beneficium eccleſiaſticum in multis cum officio conſonat laicali. Hinc fit, quod tàm valeat argumentum, à beneficio ad officium (*c*), quam viceversà, ab officio ad beneficium (*d*), congruâ ſemper proportione ſervatâ. Prodeſt hic ergò capitulum præſens conſcire, ut traducto ab officiis ſæcularibus Regni Neapolis argumento, providè percipiamus, quid ibidem ſentiendum ſit etiam de eccleſiaſticis beneficiis.

2. Profectò cum inter Eccleſiam, & Regnum, mutua debeat eſſe concordia (*e*), *neſcierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant* (*f*), quicumque cogitant, ſæcularia officia ab eccleſiaſticis talitèr eſſe diſcreta (*g*), ut unum non congruè poſſit analogari cum alio, & alterum alteri dare methodum procedendi: *ſicut enim ſæpè per Regnum terrenum, cœleſte Regnum proficit* (*h*); Sic ex ſæcularibus actibus non ſemel quomodò in rebus eccleſiaſticis agi debeat, innoteſcit. Ad judicandum ergò quid de expulſione Clericorum extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis, ſit in Re-

(a) Cap. cum ad verum 6. diſt. 96

(b) *Cap. quid per ambitioſam 15. de reſcript. in 6 Jo: Gerſon. to. 2. f. 20. Garcia de benef. p. 2. c. 2. n. 60 p. 7 c. 11. n. 1. Barboſ. Axiom. 36. n. 7. & Jur. Eccleſ. univ. l. 3. c. 4. n. 14*

(c) *Mandoſ. ad reg. 32. & aut. q. 2. n. 2. Barboſ. in var. loc. 14 n. 3*

(d) *Olıban de Jur. fiſci c. 13. n. 61 Barboſ. ubi ſuprà loc. 77. n. 1.*

(e) *Arnulph. Lexovienſ. ep. ad Alexand. III. Papam*

(f) *Pſalm 81 num. 4*

(g) *Cap. cum ad verum 6 diſt. 96*

(h) *Cap. Principes 23. quæſt. 5*

Regno Neapolitano ſentiendum, optimum eſt perſcrutari, qualitèr ibi quoad officia ſæcularia procedatur. Nec enim rationabilitèr prætendi poteſt, ut inibi alia regula prò ſacris muneribus teneatur, quam quæ prò laicalibus obſervatur: nec debent ibi eſſe deterioris conditionis Clerici, quoad res eccleſiaſticas; quam ſint Laici quoad profanas (a). Cum autèm cunctis laicis extraneis in eodem Regno pateat acceſſus ad officia merè ſæcularia; conſequens eſt, ut etiam Clericis extraneis aditus pateat ad eccleſiaſtica beneficia. Res extrà aleam ponetur, ſi principaliora Regni officia meditantes, inveniemus, illa non minus ab extraneis, quam ab indigenis poſſideri: & hoc patefacto, negari omninò non poterit, quin etiam eccleſiaſtica beneficia debeant Clericis extraneis, non ſecus ac indigenis diſpenſari.

3. Enim verò nullus eſt laicus, tametſi longè, tametſi aliorſum progenitus; qui ſi nummis, aut meritò abundet, non poſſit titulo emptionis, vel dotis, vel hereditatis &c. aut alias fortunâ Duce, non valeat inquam, in Regno Neapolitano etiam titulo donationis, vel conceſſionis, Urbes, Oppida, Caſtra, vel alia loca, & bona, feudalitèr adipiſci: quod idem eſt ac dicere, beneficia ſæcularia conſequi; feudum enim eſt beneficium ſæculare (b). Et jam ex 12. Principatibus, 24. Ducatibus, 25. Marchionatibus, 90. Comitatibus, & 800. Baronatibus, qui dicuntur intrà præfati Regni limites contineri (c), pars eorum non exigua poſſidetur ab Equitibus Romanis, Genuenſibus, Inſubribus, Florentinis, aliarumque Italiæ partium Incolis, & Nativis, necnon & ab Aragonenſibus, Caſtellanis, Teutonicis, aliorumque Regnorum Originariis; & fortè à talibus, qui nec Regnum Neapolis, neque loca, quibus præſunt, ſunt unquam intuituri: hique omnes, tamquam feudum poſſidentes, & ſub Baronum nomine comprehenſi, in Regno non prò extraneis reputantur, ſed expreſsè prò indigenis, juxtà Pragmaticam, ſic ſancientem, *intrlligrndo oriundos &c. rtiàm omnes tenentes Baroniam, vel alia feuda* (d). Si ergò cuncti laici, quantumvis longè exorti, laicalia officia, & beneficia, ſeù Baronias, liberè valent in Regno Neapolis adipiſci; etiam cuncti Clerici, undecumque ſint orti, debent eſſe beneficiorum eccleſiaſticorum, ſitorum in eodem Regno, capaces.

4. Preterà Reges Neapolis, pro eorum adjutorio in regimine Regni, ſeptem erexerunt majora officia, & majores conſtituerunt Officiales, *Magni* denominatione notatos, *iſtique ſunt* Magnus Comeſtabilis *pro rrbus militaribus*. Magnus Cancellarius, *qui Secrtarius rssrt Regis, rjuſqur proviſiones, & privilegia ſcriberet*. Magnus Juſtitiarius, *qui appellationes, & recurſus ſubditorum à localibus, & provincialibus Gubrrnatoribus, & Præſidibus reciprrrt, atque juſtitiam adminiſtraret, illud rrgendo Tribunal, tam ſupremum, quod magnæ Curiæ dicitur, hodie unitum cum altrro, quod tractu temporis introductum fuit, Vicariæ appellatum, Curiæ ſcilicèt illius Vicarii, qurm Rrx quandoqur deputarr ſolebat*. Magnus Admiratus, *tamquam Grntralis Maris, pro regimine, & adminiſtrationr Maritimę Claſſis*. Magnus Protonotarius, *pro Notariorum crratione, & cura Archiviorum, & Scripturarum, & per cujus organum Conſtitutionrs, & Leges fieri ſolrbant*. Magnus Seniſcalcus, *pro gubrrnio, & adminiſtratione Regii Palatii, cum ejus dependentiis, nrmpè Villis, aliiſqur locis delitioſis, nec non ſilvis, & lacubus, provenationibus, & piſcationibus. Et demum* Magnus Camerarius, *qui curam, regimen, & adminiſtrationem habrret publici Ærarii, ſeu Regii Patrimonii* (e), de quibus ſeptem officiis latius Marinus Freccia in ſuo opere de ſubfeudis (f), & alii. Ex his autem primariis Regni Officiis, ſcilicet magni *Comeſtabilis*: magni *Juſtitiarii*: magni *Admirati*: magni *Camerarii*: magni *Srnrſchalchi*: magni *Cancrllarii*: & magni *Protonotarii*, tria ab extraneis indiſpenſabilitèr poſſidentur. Item *Rrgentes* Cancellariam, pro majori parte ſunt extranei. *Præſides* Conſilii Collateralis, & Conſiliarii ejuſdem Conſilii, pro tertiâ parte ſunt extranei. Extranei ſunt *Locumtenens* Cameræ Summariç, & tertia pars Præſidentium. *Rrgrns* paritèr magnç Curiæ Vicariæ, alternis annis: *Judicrſque* illius, pro mediâ parte. *Advocatus*, & *Procurator* Fiſci: *Capitanei* deputati ad cuſtodiam Civitatis Neapolis, alternis vicibus.

(a) *Thomas del Bene de Immunit. cap. 5. dub. 4. ſec. 16. n. 4.*

(b) *Freccia de ſubfeud. l. 2. tit. quis dicatur ſubfeudatar. n. 8.*

(c) *Loſchi Compend. Iſtor. nella Caſa d'Auſtria dopo Filippo IV.*

(d) *Revit. Pragmat. Regur tit. de offic. prov. pragm. 1.*

(e) *Card. de Luca de præemin. diſc. 46. n. 7.*

(f) *Freccia de ſubfeudis F'ia*

bus, *Capitanei* quoque annales Terrarum Demanialium, prò tertiâ parte ſunt extranei. *Caſtellani*, & Capitanei Armigerorum, & peditum, ac Triremium: *Dohanerius* Dohanæ pecudum Apuliæ: Alii demùm Regni Officiales, qui penè majorem, & potiorem partem officiorum laicalium abſorbent, ac ingentes reditus indè percipiunt; tot inquam, & tanti officiales ſunt extranei, & tamèn nullus adverſus illos inclamat, nullus claſſicum inſonat, pro illis à Regno Neapolis expellendis. De extraneitate prædictorum officialium patet in ejuſdem Regni Pragmaticâ, ſic ſonante,

5. Forma erit hujuſmodi in conferendis officiis &c, *In primis officium Vice-Regis, Locumtenentis, & Capitanei Generalis, ad beneplacitum Cęſareę Majeſtatis. Septem verò officia, videlicèt magni Comeſtabilis, Magiſtri Juſtitiarii, & magni Admirati, Protonotarii, magni Camerarii, magni Cancellarii, & magni Seneſcalchi, quatuor ex eis conferantur Regnicolis, cum vacaverint, & tria conferantur ad beneplacitum Cæſareæ Majeſtatis, vel quando vacuerint, alternis vicibus, incipiendo à dictis Regnicolis, prout Suæ Majeſtati videbitur. In Collaterali Concilio, cum vacaverint loca Baronum, ſeù Militum Regnicolarum, eligantur, & creentur Regnicolæ, & ſimilitèr obſervetur vacantibus locis Regentium Cancellariam, & in loco Regnicolę creetur Regnicola, cæteri verò eligantur ad beneplacitum Cæſareę Majeſtatis. Similitèr Theſaurarius generalis, & Secretarius, Scriba portionis eligantur Regnicolæ. In Sacro verò Concilio Pręſidens providebitur ad beneplacitum Cęſareæ Majeſtatis, Conſiliarii tamen debent eſſe pro duabus partibus Regnicolæ, & pro tertiâ reſervantur arbitrio Cęſ. Majeſtatis, & cæteri officiales dicti Concilii debeant creari Regnicolæ tantùm. In Camerâ Summariæ, Locumtenens ponatur ad beneplacitum Cęſareæ Majeſtatis, Præſidentes verò prò duabus partibus eligantur Regnicolæ tantùm. Regens magnæ Curię Vicariæ debeat provideri ſingulis annis, alternis vicibus, videlicet uno anno Regnicola, & alio ad beneplacitum. Advocatus Fiſci, & Procurator, ad beneplacitum. Magiſtri actorum, ſubactarii, & cæteri officiales dictę Curiæ, debeant creari Regnicolæ tantùm.*

6. Proſequitur eadem Regni Pragmatica, & ait: *Capitanei deputati ad cuſtodiam dictæ Civitatis Neapolis, alternis vicibus, cum vacaverint, videlicet unâ provideatur Regnicola, & aliâ ad beneplacitum Cęſareæ Majeſtatis. Capitanei annales terrarum damanialium, ſimilitèr pro duabus partibus provideantur Regnicolæ, & pro tertiâ provideantur ad beneplacitum Cæſareæ Majeſtatis; & idem ſervetur in Aſſeſſoribus dictorum Capitaneorum. Caſtellani, Capitanei armigerorum, & peditum, & triremium, ad beneplacitum Cæſareę Majeſtatis. Magiſtrorum, Portulanorum, & Secretorum officia cum vacaverint, conferantur pro medietate Regnicolis, & pro aliâ medietate ad beneplacitum Cęſareæ Majeſtatis. Dohanerius Dohanę pecudum Apulię, ad beneplacitum Cęſareę Majeſtatis. Auditor, Credenzerii, Cavallarii, & cęteri officiales omnes dictę Dohanę, providcantur Regnicolę Perceptores verò Provinciarum pro duabus partibus eligantur Regnicolę, prò tertiâ ad beneplacitum Cęſareę Majeſtatis. Dohanerii, & Credenzerii aliarum omnium Dohanarum, & Fundicorum, & cæteri omnes officiales dictarum Dohanarum, debeant creari, & provideri Regnicolæ tantùm. Magiſtri actorum Sacri Concilii, Scribę mandati, & regiſtri, & Magiſtri Cameræ per Provincias omnes debeant creari Regnicolæ. Magiſter Siclę, Credenzerii, & cæteri officiales omnes dictæ Siclæ debeant eſſe Regnicolę, Magiſtri, Rationales, Judices, Perceptor, & cæteri Officiales omnes Regiæ Siclę, debeant creari Regnicolę tantùm (a).*

(a) *Rovitus Pragmatic. Regni loco citat.*

7. Porrò Vicerex Regni Napolitani ſemper, & ubique eſt extraneus: tantanque in sè continet dignitatem, & auctoritatem; ut omnia penè poſſit; ac tanta indè percipit emolumenta, ut citrà hiperbolem dici valeat, non reditus percipere, ſed theſauros, Dux Metimnę las Torres Vicerex, medio ſæculo prætergreſſo, donis, proſequi aſſuetus Gaſparem de Guzman dè Olivares, vulgò *il Conte Duca*, Privatum, ſivè Primarium Miniſtrum Philippi IV. Regis Hiſpaniarum, ſemèl etiam

xenio

xenio aliquo voluit munerare Henricum, dicti Gaſparis filium; munuſque tale fuit, ut ducentorum millium aureorum valorem exceſſerit (*a*). Ex ungue ergò Leonem diſcat peritiſſimus Lector, & ex immenſitate unius hujus donarii, facti filio notho primarii Aulæ Hiſpaniæ Miniſtri, ſubinſerat, quid ipſi Gaſpari primario Miniſtro, quid Regi, quid Reginæ, quid cæteris Aulicis eſſet ſolitus dono dare. Quæ donaria, cum ſit valdè probabile congeſſiſſe ex munere publico, quod tunc actualiter exercebat; agnoſcat inde Lector, quanti ſint reditus, qualia emolumenta, quot proventus Viceregis Neapolis. Profectò ex cunctis ſimùl eccleſiaſticis beneficiis, quæ in toto Regno Neapolis ſunt; vel ſaltem ex iis, quę inibi ab exteris poſſidentur, detractis neceſſariis impenſis, quæ inevitabiliter intrà Regni limites debent fieri; non tam magna pecuniarum copia congeritur, nec tot proventus annualiter ad omnium ſimùl extraneorum beneficiariorum manus perveniunt; quantum quolibet anno, ſoli Proregi extraneo, & alienigenæ, officium Proregale fructificat, & cum ejus diſceſſu ad illius patriam prætercurrit.

(*a*) *Alphonſ. Loſchi Compend. Hiſtor. nella Caſa d'Auſtria dopo Filippo IV.*

8. Cum ergò tale, tantum, ac tot alia primaria Regni Neapolis Officia, quę inexauſta divitiarum flumina extra Regnum perducunt, ſemper, & ad ſemper, conferantur extraneis; eccur quæſò parvula eccleſiaſtica beneficia, inibi erecta, ſunt Clericis extraneis denegaṅda? Cur non potius eis denegantur præfata officia politica, multo majores opes extrà Regnum trahentia? Mirum ſanè, quod laicus extraneus ad luculenta illa, & magnifica officia *Proregis*, *Comeſtabilis*, *Juſtitiarii*, *Admirati*, *Seneſcalchi &c.* valeat pervenire; non verò valeat Clericus extraneus parvulum beneficium eccleſiaſticum, Abbatiam, Epiſcopatum, qui tenuis utplurimum ſunt proventus (*b*), acquirere. In Regno igitur Neapolis deterioris conditionis eſſe decernuntur Clerici, Chriſti ſervitio mancipati; laicis famulantibus mundo, contra omnia jura, oppoſitum diſponentia, dum quod magis favendum ſit Eccleſiaſticis, quam Laicis, verbis ſanciunt manifeſtis (*c*). Sed quid dicimus de officio Vice-Regis, Comeſtabilis, Juſtitiarii, Admirati, Seneſcalchi, & aliis, quæ ſuprà recenſuimus? Ipſa dignitas Monarchica, vel Regalis, ex eo tempore, quo Sicilia citrà pharum Regale nomen obtinuit, nunquam, niſi ab extraneis eſt poſſeſſa. Quinque ſiquidem ſunt Dynaſtiæ, ſive familiæ, ſive ſtemmata, quæ ibi regnarunt: *Normanni*, *Suevi*, *Andegavenſes*, *Aragonii*, *& Auſtriaci*, quorum ſucceſſio en hic per modum Arboris explicata, incipiendo a Tancredo de Altavillâ, quem aliqui dicunt fuiſſe primum ex Normannis, qui cum duodecim filios maſculos haberet, à quibuſdam ex eis comitatus, in Italiam venit, ubi militari fortitudine prævalens, ac nonnullorum præliorum fortunâ felicitatus, multam ſibi famam conciliavit, Principibuſque Salernitano, & Capuano bello laceſſitis, aliqua ſibi loca in illis partibus acquiſivit, quibus velut Comes præfuit, ac Dynaſta. Nihilominus alii primum Normannorum Comitem in Apulia dicunt fuiſſe Turſtinum (*d*). Fortè, quod is idem fuerit ſub diverſo nomine, ſive agnomine, cum Tancredo. Nec deſunt qui cenſent, Trancredum in Normanniâ remanſiſſe: fortè quod poſt primas acquiſitiones, in patriam remeaverit, & ſecum domi uno ex filiis retento, cæteros ad proſequendam expeditionem Apulam delegaverit. Utcumque ſit, in tantâ rerum confuſione, ac varietate nominum, vel agnominum primorum Normannorum, quæ ab Auctoribus memorantur; aliis fortè ponentibus agnomen pro nomine, aliis è contrà; ita ut ſub diverſis vocibus eędem perſonę quandoque repræſententur; nos retento primo themate, Arborem, ſeriem, atque Catalogum Comitum, Ducum, & Regum, de quibus loquimur, ab ipſo Tancredo duximus inchoandum.

(*b*) *Card. de Luca de præemin. diſc. 6. n. 6. diſc. 26. n. 25. & de Juriſd. diſc. 96 n. 19.*
(*c*) *Leg. ſunt perſonę ff. de relig. & ſumpt. funer. dei Bene de immun. c. 5. dub. 7. ſect. 16. n. 4. & 8.*

(*d*) *Vide Volaterran. Geograph. l. 6 in Sicilia Villelm. Gemmeticenſ. Hiſtor. Normann lib. 7. cap. 30. Leo. Oſtienſ. l. 2. c. 37. Dionyſ. Petavii Ration. Temper. l. 8. c. 17. Orderic. Vital. Hiſtor. Eccleſ. lib. 3. ſub ann. 1050. & in ſede.*

Digitized by Google

A R B O R

9. Seù Series Comitum, Ducum, & Regum, qui Regno Neapolis, & reſpectivè Siciliæ ultrà Pharum, dominati ſunt: tam quando hæc Regna fuerunt unita ſub eodem Principe, quam quando fuerunt diviſa. Incipiens à tempore Normannorum, qui ex parvis initiis, brevi Monarchiam hanc dilatarunt, & propagarunt: priùs inſigniti titulo COMITIS; poſteà DUCIS; & demùm REGIS.

C O M I T E S.

1\. *Tancredus de Altavilla. Comes* 1.
2\. *Guillelmus* I. *Ferrabrachius. Comes* 2.
3\. *Drogo. Comes* 3.
4\. *Unfredus. Comes* 4.
5\. *Gaufredus. Comes* 5.
6\. *Bellegradus. Comes* 6.

D U C E S.

7\. *Robertus Guiſcardus. Dux* 1.
8\. *Rogerius* I. *Bruſa. Dux* 2.
9\. *Guillelmus* II. *Dux* 3.

R E G E S.

10\. *Rogerius II. Silius. Rex* 1.
11\. *Guillelmus III. Malus. Rex* 2.
12\. Guillelmus *IV. Bonus. Rex* 3.
13\. *Tancredus II. Nothus. Rex* 4.
14\. *Rogerius III. Puer. Rex* 5.
15\. *Guillelmus V. Puer. Rex* 6.
16\. *Conſtantia I. Regina* 7.

Hi omnes fuerunt ex Familia NORMANNICA.

17\. *Henricus VI.* Imperator. *Rex* 8.
18\. *Fridericus* II. *Imperator. Rex* 9.
19\. *Conradus Caputus.* Rex 10.
20\. *Manfredus Nothus.* Rex 11.

Hi omnes fuerunt ex Familia SUEVICA.

21. *Carolus* I. *Andegavenſis Rex* 12.

Hi omnes ſupradicti regnarunt in utraque Sicilia.

REGES NEAPOLIS tantùm, ſivè Siciliæ citrà Pharum.	REGES TRINACRIÆ tantùm, ſivè Siciliæ ultrà Pharum.
22. *Carolus II. Claudus. Rex* 13.	22. *Conſtantia II. filia Manfredi Regina* 13.
23 *Robertus Sapiens. Rex* 14.	23. *Petrus* I. *Aragonius. Rex* 14.
24. *Joanna I. Regina* 15.	24. *Jacobus . Rex* 15.
25. *Andreaſcus . Rex* 16.	25. *Fridericus I. Rex* 16.
26. *Ludovicus Tarentinus. Rex* 17.	26. *Petrus II. Rex* 17.
27. *Carolus III. de Dyrrachio . Rex* 18.	27. *Ludovicus. Rex* 18.
28. *Ladislaus. Rex* 19.	28. *Fridericus II. Rex* 19.
29. *Joanna II. Regina* 20.	29. *Maria. Regina* 20.
	30. *Martinus. Rex* 21.
	31. *Blanca . Regina* 22.
	32. *Ferdinandus. Rex* 23.

Hi omnes fuerunt ex Familia Andegavensi. — Vt ſuprà ex Familia Svevica. — Hi omnes fuerunt ex Familia Aragonensi.

30. *Alphonſus I. Aragonius Rex Neapolis* 21. *& Trinacriæ, ſeu Siciliæ ultrà Pharum* 24.

31. *Ferdinandus I. Nothus. Rex* 22.	
32. *Alphonſus II. Rex* 23.	34. *Joannes. Rex* 25.
33. *Ferdinandus II. Rex* 24.	
34. *Fridericus. Rex* 25.	

35. *Ferdinandus V. Catholicus Rex, tàm Neapolis, quàm Siciliæ* 26.

36. *Joanna Uxor Philippi I. Auſtriaci, Regina utriuſq; Siciliæ* 27.

Hi omnes fuerunt ex Familia Aragonensi.

37. *Carolus V. Auſtriacus Imperator, & Rex utriuſque Siciliæ* 28.

38. *Philippus II. Rex Hiſpaniarum: ac utriuſque Siciliæ* 29.

39. *Philippus III. Rex Hiſpaniarum: ac utriuſque Siciliæ* 30.

40. *Philippus IV. Rex Hiſpaniarum: ac utriuſque Siciliæ* 31.

41. *Carolus II. Rex Hiſpaniarum: ac utriuſque Siciliæ* 32.

Hi omnes fuerunt ex Familia Austriaca.

10. Poſt

10. Poſt obitum Caroli II. qui accidit anno Chriſti 1700. præfuit Regno Neapolis per aliquot annos Majeſtas Philippi V. Regis Hiſpaniarum. Nunc eidem præeſt Auguſtiſſimus Imperator Carolus VI. Scimus ab aliquibus ſub aliquali diverſitate notari ſeriem, ordinem, & numerum præfatorum Principum, eorumque nominum, quià forte alitèr eos computant; ſed cenſemus hanc, quam nos poſuimus magis veritati cohærere, ſalvo ſemper meliori judicio. Itaque Regnum, cui præfati Principes dominati ſunt, ab initio, tàm Siciliam ultrà pharum, quam illam citrà, communi titulo complectabatur, ſub nomine Regni Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ. Regiamque hanc dignitatem primò invexit Rogerio II. Silivo Innocentius Papa II. hoc diplomate: *Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, chariſſimo in Chriſto filio Rogerio illuſtri, & glorioſo Siciliæ Regi, ejuſque hæredibus in perpetuum. Quos diſpenſatio Divini Conſilii ad regimen, & ſalutem populi ab alto eligit, & prudentiâ, juſtitiâ, aliarumque virtutum decore decentèr ornavit, dignum, & rationabile eſt, ut Sponſa Chriſti Sancta, & Apoſtolica Romana Mater Eccleſia, affectione ſincerâ diligat, & de ſublimibus ad ſublimiora promovebat. Manifeſtis ſiquidem probatum eſt argumentis, quod egregiæ memoriæ ſtrenuus, & fidelis miles B. Petri Robertus Guiſcardus, prædeceſſor tuus, Dux Apuliæ, magnificos, & potentes hoſtes Eccleſiæ virilitèr expugnavit, & poſteritati ſuæ dignum memoriâ nomen, & imitabile probitatis exemplum, reliquit. Pater quoque tuus illuſtris recordationis Rogerius, per bellicos ſudores, & militaria certamina, inimicorum Chriſtiani nominis intrepidus extirpator, & Chriſtianæ religionis diligens propagator, utpotè bonus, ac devotus filius, multimoda obſequia Matri ſuæ. S. R. E. impertivit, undè & Prædeceſſor noſter religioſus, & prudens Papa Honorius, nobilitatem tuam, de prædictâ generoſitate deſcendentem, intuitus, plurimùm de te ſperans, & prudentiâ ornatum, juſtitiâ munitum, atque ad regimen populi tè idoneum eſſe credens, valdè dilexit, & ad altiora provexit. Nos ergò ejus veſtigiis inhærentes, & dè potentiâ tuâ ad decorem, & utilitatem Sanctæ Dei Eccleſiæ ſpem, atque fiduciam obtinentes, Regnum Siciliæ, quod utique (prout in antiquis refertur hiſtoriis) Regnum fuiſſe non dubium eſt, tibi ab eodem Anteceſſore noſtro conceſſum, cum integritate honoris Regii, & dignitate Regibus pertinente, excellentiæ tuæ concedimus, & Apoſtolicâ auctoritate firmamus. Ducatum quoque Apuliæ, tibi ab eodem collatum, & inſuper Principatum Capuanum integrè nihilominus noſtri favoris robore communimus, tibique concedimus. Et ut ad amorem, atque obſequium B. Petri Apoſtolorum Principis, & noſtrum, & ſucceſſorum noſtrorum vehementiùs aſtringaris, hæc ipſa, ideſt Regnum Siciliæ, Ducatum Apuliæ, Principatum Capuæ, hæredibus tuis, qui nobis, & ſucceſſoribus noſtris (niſi per nos, & ſucceſſores noſtros remanſerit) ligium homagium fecerint, & fidelitatem, quam tu juraſti, juraverint, tempore videlicet competenti, in loco non ſuſpecto, ſed tuto nobis, & ipſis, atque ſalubri, duximus concedenda: eoſque ſuper his, quæ conceſſa ſunt, Deo propitio manutenebimus. Quod ſi per eos fortè remanſerit, iidem heredes tui nihilominùs teneant, quod tenebant, ſinè diminutione. Cenſus autèm ſic ut ſtatutum eſt, ideſt ſexcentorum ſchifatorum à tè tuiſq; hæredibus, nobis, noſtriſque ſucceſſoribus ſingulis annis reddatur, niſi fortè impedimentum interveniat: removente verò tè impedimentum nihilominùs perſolvetur &c.* (a).

11. Hic eſt *Rogerius*, cognomine *Silivus*, qui præfatum Innocentium, armis adversùs sè proruentem, & ſervandis D. Petri Juribus incumbentem, cæpit in bello, atque ad ſua caſtra perduxit: non illum tamen contumeliis afficiens, neque tractans uti captivum, ſed obſequiis honorans, veluti Dominum ſupremum ipſius ſui Regni, nec non eum tamquam Vicarium Salvatoris honorans (*b*), paceque inter eos initâ, Rogerius Regale diploma præfatum ab eo, tamquam lagitimo Petri Succeſſore ſuſcepit, cum illud anteà ab Anacleto Antipontifice ſuffuratus fuiſſet (*c*). Tùnc autèm, & non prius, Rogerius Urbem Neapolis ſuis habuit juribus obſequentem; cum hæc anteà, nè dicto Principi ſubeſſet, ſtrenuiſſimè repugnaret (*d*).

(a) *Card. Baron. an. 1139. tom. 12. f. 284. Rocc. Pirr. Sicil. Sacr. tom. 1. in Chronol. Regu Sicil.*

(b) *Card. Baron. an. 1139. n. 10.*

(c) *Idem Card. ann. 1130. n. 51. 52.*

(d) *Idem ann. 1136. & 1140. 14.*

In

In his diebus, inquit Falco Beneventanus, *Cives Neapolitani venerunt Beneventum, & Civitatem Neapolitanam ad fidelitatem Domini Regis tradentes, Ducem filium ejus duxerunt, & ejus fidelitati colla ſubmiſerunt* (*a*). Merita, & virtutes memorati Rogerii honorificis encomiis proſequitur Petrus Cluniacenſis, gratulatorias ei dirigens literas, de regali titulo adepto, & de pace cum Eccleſiâ compactatâ (*b*). Tùm in aliâ epiſtolâ, hæc quę ſequuntur de illo dictat elogia: *Gratias omnipotenti Regi Regum, qui ſublimitatem veſtram inter univerſos Chriſtiani Orbis Reges, & Principes, quodam ſpecialis magnificentiâ glorię inſignivit, quadam glorioſi nominis famâ ſingularitèr exaltavit. Intantum, ut eum plures Regii nominis habeatis conſortes; magnanimitate, prudentiâ, probitate, nullos, aut penè nullos habere inveniamini pares. Judicat hoc Sitilia, Calabria, Apulia, & non modicâ ſui parte in quibuſdam aliis Regionibus ſubjecta vobis Italia. Quę cum antè veſtra tempora, vel receptacula eſſent Saracenorum, vel foveæ prædonum, vel ſpeluncæ latronum, nunc gratiâ miſericordis Dei, incitante ſtudia veſtra, juvante labores veſtros, factæ ſunt pacis domicilium, tranquillitatis hoſpitium* (*c*).

12. Antequam Regale nomen à Sede Apoſtolicâ fuiſſent formiter aſſecuti, Normanni Principes, in utrâque Siciliâ dominantes, non Regis, ſed Ducis titulo potiebantur; quorum primus illum eſt adeptus à Nicolao Papa II. Robertus Guiſcardus (*d*), cum anteà illius Prædeceſſores, non Ducis, ſed Comitis titulo eſſent tantummodo decorati. Hic autem Robertus, ac memorati illius Prædeceſſores, neque ortu, neque origine Neapolitani fuerunt, vel Apuli, aut Calabri, ſivè Salentini, ex ullove alterutrius Siciliæ loco progeniti, ſed ortu, & origine Normanni fuerunt, quorum altior origo ſic deſcribitur à Petavio: fuiſſe *Danici generis illos ferunt, atque à Scanciâ profectos, quam Northuvegiam appellant, qui jam tum imperante Carolo Magno, circum borealem oram Gallię populabundi navigare inſtituerant, ac Friſonum, & Scotorum infeſtare litora* (*e*). Horum ingreſſus in Regno utriuſque Siciliæ, primuſque adventus in Apulia à diverſis diverſimodè recenſetur. Nos aliquorum ex Hiſtoricis antiquis teſtimonia afferemus, & aliquem ex recentioribus illi adnectemus, normam ſequentes *Patris familias, qui profert de Theſauro ſuo nova, & vetera* (*f*).

13. Ex antiquis, adeſt Sigebertus, qui vixit anno 1101. (*g*) ſcripſitque, *Normanni ad invadendam Apuliam fortitudine ſuâ, & Italorum imbecillitate animati, Caſtellis, & Urbibus, aut dolo, aut virtute captis, in Apuliâ potenter agunt, viciniſque gentibus terrorem ſui nominis incutiunt* (*h*). Sed melius *Gulielmus Gemeticenſis*, alias Vuillelmus Calculus Monachus, natione Normannus, qui floruit anno 1160. (*i*), & ſuæ Gentis Hiſtoriam octo libris contexuit (*l*). Ait autem: *Temporibus Henrici Imperatoris, filii Cononis, & Roberti Normannorum Ducis, Oſmundus Drengotus audax miles Apuliam adiit, cum quibuſdam aliis Normannis: Nam Vuillelmum, cognomento Repoſtellum, militem clariſſimum, in venatione in præſentiâ Roberti Ducis* (Normanniæ in Gallia) *occiderat, metuenſque animoſitatem Ducis, & inſignis Equitis nobilium parentum iras, in Apuliam ſeceſſit, & propter magnam probitatem ejus, à Beneventanis honorificè detentus eſt. Deindè prefati Drengoti exemplo, agiles Normannorum, ſeù Britonum tyrones incitati, Italiam diverſis temporibus expetierunt, & primò juvare Longobardos contrà Saracenos, ſivè Grecos, viriliter cęperunt, Barbaros bello ſepiùs protriverunt. Undè cunctis eorum vires expertis, formidabiles facti ſunt, Longobardi verò, adeptâ ſecuritate, cęperunt Normannos deſpicere, eiſque debita ſtipendia ſubtrahere. At illi, ut hoc animadverterunt, quendam ex ſuis ſuper ſè Principem conſtituerunt, & contra Longobardos arma verterunt. Deindè muniſiones cæperunt, & incolas terrę ſibi fortitèr ſubegerunt. Primus Apulienſibus Normannis, dum adhuc, ut advenæ Vuaimalchi Ducis Salernii ſtipendiarii erant, præfuit Turſtinus, cognomento Scitellus, vir in multis probitatibus admodum expertus &c.* Longobardos vocat Magnates illarum partium, tamquam à Longobardis deſcendentes.

(a) *Falco Benev. in Chron. ann.* 1139. *f.* 333

(b) *Petrus Cluniac. lib.* 4. *epiſt.* 54.

(c) *Idem Petrus l.* 5. *epiſt.* 45.

(d) *Joan. Buſier. Floſc. Hiſt. ad ann.* 1059.

(e) *Dionyſ. Petav. Ration. temp. l.* 8. *c.* 11.

(f) *Matth. cap.* 13. *num.* 52.

(g) *Anton. Poſſevin. in Apparat. Sacro.*

(h) *Eſt apud Andr. Ducheſne in Hiſtor. Normanner.*

(i) *Bellarm. de Script. Eccleſ. in Sigebert.*

(l) *Sigebert in Chronograf. ann.* 1038.

14. Et poſt quędam, proſequitur Gemmeticenſis: *Defuncto autem Turſtino, Normanni Principes ſibi Ranulſum, & Riebardum elegerunt, quibus Ductoribus mortem Turſtini ulciſcentes, contrà Longobardos aſperè rebellarunt. Poſt aliquod tempus, Conſtantinienſis Drogo, filius Taneredi de Altavillâ, Princeps Normannorum in Apuliâ factus eſt. Hic Chriſtianâ religione, & militari probitate laudabilis extitit. Quem Vvazo Napolitanus Comes, compater ejus, dum vigilias in Eccleſiâ B. Laurentii IV. Idus Auguſti agerent, coràm altari, Deum, & S. Laurentium invocantem, trucidavit. Porrò Umfridus frater ejus in Principatu ei ſucceſſit, totamque Apuliam Normannis ſubegit. Qui poſtquam finem vitæ ſibi adeſſe perſpexit, Abailardum filium ſuum Roberto fratri ſuo, quem pro verſutiis Vviſchardum cognominaverat, cum Ducatu Apuliæ commendavit. Robertus autem fratres ſuos, qui omnes Duces, vel Comites fuerunt, virtute, & ſenſu, ac ſublimitate tranſcendit. Nam totam Apuliam, Calabriam, ac Siciliam ſibi ſubjugavit, & tranſmeato mari, maximam partem Græciæ invaſit, & Alexium Imperatorem, qui contrà Dominum ſuum Michaelem Auguſtum nequitèr rebellaverat, bello turpitèr cum immenſo exercitu victum, fugavit. Hic verò multa beneficia, Epiſcopatus, & Abbatias plures reſtauravit* (a). Tantam ditionem, & Principatum in Regno Neapolis nacti ſunt Normanni, tametſi alienigenæ, ac prorsùs extranei.

(a) *Vvillelm. Gemmaticenſ. Hiſtor. Norman. lib. 7. c. 30. fol. 284*

15. Poſt Gemmeticenſem audiamus *Leonem Oſtienſem*, qui pariter antiquo tempore ſcripſit; præceſſit etenim ipſum Gemmeticenſem, florens anno 1101. (*b*), & potuit etiam vidiſſe aliquos ex primis Normannis, qui Apuliam ſunt ingreſſi: loquitur namque: *Hujus Abbatis anno ſeptimo* (nempè Athenulphi Abbatis Caſſinenſis, anno Chriſti 1018.) *cœperunt Normanni, Melo Duce, expugnare Apuliam: qualitèr autem, vel quâ occaſione Normanni ad has partes primò devenerint, & quis, vel undè hic Melus fuerit, & quâ de causâ eiſdem Normannis adhæſerit, opportunè referendum videtur. Antè hos circitèr ſexdecim annos, quadraginta numero Normanni, in habitu peregrino* (*utpotè à Hieroſolymis, ubi causâ Orationis perrexerant, revertentes*) *Salernum applicuerunt: viri equidem, & ſtaturâ proceri, & ſpecie pulchri, & armorum experientiâ ſummi. Quam à Saracenis obſeſſam reperientes, accenſis nutu Dei animis, à Guaimario majore, qui tunc Salerni principabatur, equis, armiſque expoſtulatis, inopinatè ſuper illos irruunt, & pluribus eorum peremptis, cæteriſque fugatis, mirabilem victoriam, Deo præſtante, adepti ſunt. Attolluntur ab omnibus in triumphum, donis à Principe ampliſſimis honorantur, utque ſecum manere debeant multis precibus invitantur. Illi verò sè amore tantùm Dei, & Chriſtianæ Fidei, hoc ſe feciſſe aſſeverantes, & dona recuſant, & ibi manere poſſe ſe denegant.*

(b) *Bellarmin. de Script. Eccleſ. in Leon. Oſtienſ.*

16. Proſequitur idem Auctor, & ſubdit. *Tandem itaque prædictus Princeps conſilio habito, ſimul cum eiſdem Normannis Legatos ſuos in Normanniam dirigit, & veluti alter Narſes, poma per eos cedrina, amygdala quoque, & deauratas Nuces, ac pallia imperialia, necnon & equorum inſtrumenta, auro puriſſimo inſignita, illuc tranſmittens, ad terram talia gignentem illos tranſire, non tam invitabat, quam & trahebat. Per eos dies duo magnates partis illius, Giſelbertus ſcilicèt, qui & Buttericus, & Gulielmus, cognomento Repoſtellus, acritèr intrà ſe diſſidentes, ad id tandem excidii devenerunt, ut Giſelbertus Gulielmum occideret. Quod cum Robertus, Comes Terræ ipſius* (ideſt Comes, ſeù Dux Normandiæ) *comperiſſet, vehementèr iratus, mortem Giſelberto interminatus eſt. Giſelbertus igitur, iram Domini ſui præcavens, aſſumptis quatuor fratribus ſuis Rainulfo, Aſclittino, Oſmundo, atque Rodulfo, & aliquot aliis, cum equis tantum, & armis, juncti noſtrorum Legatis, aufugiunt, & Capuam tandem perveniunt, ubi eo tempore prædictus Melus cum Pandulfo Principe morabatur. Hic itaque Melus* (*ut retrò aliquantulo redeam*) *Barenſium Civium, imò totius Apuliæ primus, ac clarior erat, ſtrenuiſſimus valdè, ac prudentiſſimus vir, ſed cum ſuperbiam, inſolen-*

tiam-

Digitized by Google

tiamque, atque nequitiam Græcorum (qui non multò antè, tempore ſcilicèt primi Ottonis, Apuliam ſibi, Calabriamque, ſociatis in auxilium ſuum Danis, Ruſſis, & Gualanis, vendicaverant) Apuli ferre non poſſent, cum eodem Melo, & cum Datto quodam æquè nobiliſſimo, ipſius Meli cognato, tandem rebellant.

17. *Melus igitur inter iſta, Capuæ commorans, cognito prædictorum Normannorum adventu, mox illos accerſit, eorumque causâ diligentèr perquiſitâ, & cognitâ, illis de more militiæ protinus fœderatur, & è veſtigio Salernum, ac Beneventum repedans, multos ſibi, tàm Græcorum odio, quam ſui gratiâ addictos aſſociat, ſtatimque Græcorum terram ingreſſus, expugnare repugnantes virilitèr cæpit. Tribus itaque vicibus cum Græcis, primâ apud Arenolam, ſecundâ apud Civitatem, tertiâ apud Vacariciam, campeſtri certamine dimicans, tribus eos vicibus vicit, multoſque ex his interficiens, & uſque Tranum eos conſtringens, omnes ex hac parte, quas invaſerant Apuliæ Civitates, & Oppida recepit. Quartà demum pugnâ apud Cannas, Romanorum olim clade famoſas, Bolani Catapani inſidiis, atque ingeniis ſuperatus, univerſa, quæ facilè receperat, faciliùs perdidit. Feruntur in eâ pugnâ Normannorum ex ducentis quinquaginta numero, decem tantummodò cecidiſſe, de Græcis autem innumerabilem turbam occubuiſſe. Melus autem cernens auxiliis militum ſe deſtitutum, Normannos ſuperſtites, partìm apud Guaimarum, partìm apud Pandulfum conſtituens, ipſe ultrà montes ad prædictum Imperatorem abiit, ut ad expellendos Græcos, vel ipſum pro sè ad has partes venire ſuaderet, ſi poſſet, vel militum ab eo auxilia acciperet, ſi non poſſet (a).* Sic paulatìm Normanni, non obſtante extraneitate, Principatum in Regno Neapolis ſunt adepti.

(a) *Leo Oſtienſ. Chron. Caſſin. lib. 2. c. 37. recogn. à Mattheo Laureti.*

18. Conſimilia refert *Ordericus Vitalis*, Natione Anglus, qui natus eſt anno 1075. (*b*), & ex recentioribus Petavius (*c*), adjangens, *præclarum ac fidele obſequium Romano Pontifici præſtitere Northmanni, Duce Roberto Vviſcardo: cum jàm Apuliam Græcis ereptam ad ſuam poteſtatem adjunxiſſent, ex anno 1041. quo Arduinus quidam Longobardus Doclianum Græcorum Ducem, alioſque Northmannorum auxilio ſuperavit, undè factum, ut illi Apuliâ potirentur. Ac primum Gulielmus, de quo ſuprà mentionem attigi, Tancredi filius: tùm Drogo gentis Principes fuerunt. Drogoni Hunfridus ſucceſſit, huic Robertus Vviſcardus, qui omnes Fratres fuerunt. Robertus Apuliâ minimè contentus, Calabriam, & Siciliam, ſubegit armis. Ob id ſacrorum uſu à Gregorio VII. Romano Pontifice interdictus anno 1074. ac ſeptimo poſt reconciliatus anno, qui fuit 1080. provincias illas omnes beneficiario ab eo jure, ac vectigales obtinuit. Pacem hanc ſecundiſſimus rerum curſus excepit. Sequenti anno cum millibus armatorum quindecim, trajecto mari, contrà Græcorum Imperatorem Alexium contendit in Thraciam: occurrentemque ſibi cum centum, ac ſeptnaginta millibus, prælio ſuperavit &c. Robertus poſt calendas Majas cum exercitu ad Urbem advolans, Henricum* (Germanorum Imperatorem, ordine IV.) *ità perterruit, ut is raptim ex Urbe fugiens, contento curſu in Germaniam properaret. Robertus rebelli Urbe direptâ, & incendio magnâ ex parte conſumptâ, Gregorium ex arce detraxit incolumen, ac Salernum abduxit: ubi & mortuus eſt. Robertus quoque circà idem tempus exceſſit, menſe Julio &c. Magno, & excelſo fuit animo, ac militari laude præcellens: perbrevi ſpatio res ſuas majorem amplificavit in modum. Commendatur & illius in Deum, Sanctoſque pietas, quam multis, & ingentibus donariis teſtatam reliquit (d).*

(b) *Orderic. Vital. Hiſt. Eccleſ. l. 3. ſub an. 1050. § in ſede f. 472.*

(c) *Dionyſ. Petav. Ration. temp. l. 8. c. 17. § ſcribit.*

(d) *Petav. Ration. temp. l. 8. c. 17. § præclarum.*

19. Jure, an injuriâ Guillelmus, ejuſque Pater, & alii Succeſſores Normanni, paulatìm Apuliam, Calabriam, & Siciliam occupaverint, ad eos nullatenus anteà pertinentes, tamquam advenas, & extraneos, nunc difficilè eſt definire; vel tàm poſſibile, quam poſſibile eſt ſtabilitèr affirmare, an jure, vel injuria antiqui Romani Imperatores, Cæſaris Succeſſores, Neapolitanam Urbem cum ſuo diſtrictu, occupaverint, quæ pridem erat Reſpublica, proprii juris, & talitèr à Romano Imperio divulſa, ut Octavianus Auguſtus, optans Capreæ Inſulam adipiſci, *eam cum Republicâ Neapolitanorum permutaverit, Ænariâ datâ (e).*

(e) *Sueton. in Octavian. cap. 92.*

Habuerunt hoc in more preſci illi Romani, ut non ſemèl arma moverent, & pugnas cierent, non propulſandi ſtudio injurias acceptas, ſed ambitu dilatandi confinia, & terras occupandi, quæ hoc uno titulo Romana in sè prælia concitabant, quod vel divites, vel fortes eſſent, vel aliâ conſimili ratione Romanis poſſent utilitatibus deſervire. Hoc expreſsè profeſſus eſt Florus, dum de ſubactâ Cretâ ſic ſcripſit, *Creticum bellum, ſi vera volumus poſcere, nos fecimus, ſolâ vincendi nobilem Inſulam cupiditate* (*a*). Hoc quoque forte jure fuiſſe à Romanâ potentiâ Neapolim ſubjugatam, potuit accidiſſe. Jure, quod *Jus in Armis* vocabat Brennus. Utcumque res sè habeat: ſi jus in armis, ſi ſola cupiditas imperandi, fuit ſufficiens cauſa Romanis, pro alienis Regionibus occupandis; potuiſſet eſſe quoque Normannis obtentus, ne dicamus ratio ſufficiens, pro ſibi terris præfatis utriuſque Siciliæ ſubigendis, quatenùs meliori titulo caruiſſent.

(a) *Julius Florus Hiſt. Roman l. 3. c. 7.*

20. Si dicatur habuiſſe fortè Romanos cauſas juſtas occupandi Neapolim, nunc nobis ignotas, & ob prolixum temporis ſpatium, non ſatis benè perſpectas; tantundem dicimus & nos dè Normannis, habuiſſe nimirùm juſtas cauſas, & rationes occupandi terras utriuſque Siciliæ, ſivè Græcis, ſivè Saracenis ademptas: nec poſſe nos modò, neque nunc debere, poſt ſpatium 700. annorum, eas individualiter allegare. Sanè ſatis eſſet aſſerere, Normannos recepiſſe has Terras à Romano Pontifice in feudum: quis enim titulus hoc poteſt melior allegari? Sed & aliæ cauſe non deſunt. Triplici hominum ſpeciei Normanni bellum intulerunt: *Apulis*, ſeu eorum Principibus generis Longobardi: *Saracenis*, & ſimilitèr *Græcis*, ibi tyrannidem exercentibus. An his autem juſtè bellum intulerint, & provincias, quas ipſi tenebant, ſibi ſubegerint, nunc ſeriò perpendamus, pro quanto ex antiquis poteſt erui monumentis. Guillelmus Gemmeticenſis affirmat, illos deſcendiſſe in Apuliam uti auxiliarios Longobardorum contrà Saracenos, & Grecos (*b*). Qui Normanni preterea, teſte Orderico Vitali, *non ſimul, ſed diverſo tempore, ſub ſpecie peregrinorum, peras, & baculos portantes, ne à Romanis caperentur, in Apuliam abierunt: omneſque variis eventibus aucti, Duces, aut Comites in Apuliâ, ſeu Calabriâ, vel Siciliâ effecti ſunt* (*c*). Profectò ità inermes procedendo, non potuerunt niſi ut Auxiliarii adproperare, arma ab auxilium petentibus, ad ineunda prelia, recepturi: nempè à Ducibus, & Principibus Beneventi, Salerni, & Capuę, qui erant genere Longobardi, dominantes illi Ditioni, quę prius componebat Ducatum Beneventanum, unum ex triginta Ducatibus, in quę partitum erat Regnum Longobardorum (*d*). Inter quos Ducatus, quatuor erant pręcipui (*e*), qui & diutius perdurarunt; eorum verò unus erat Beneventanus: qui ſanè aliquandò effuſius dilatatus, protendebatur per Samnium, Lucaniam, Calabriam, & magnam Apulię partem, ſed poſteà diviſum eſt à Lothario Auguſto, ità ut unam partem haberet Adelgiſus Dux *Beneventanus*, & aliam Siconolphus *Salerni* Princeps (*f*), cum paulò anteà incępiſſet *Capuæ* Principatus, in perſonam Landolphi (*g*). Sed & Apulię ditio Regiones quaſdam extrà sè complectebatur, nempè Lucaniam, Salentinos, & quoſdam quoque tractus Samnii, atque Campanię (*h*).

(b) *Vuillelm. Gemmet Hiſt. Norman. lib. 3. c. 10.*

(c) *Orderic. Vital. Hiſt. Eccleſ. l. 2. ſub an. 1061. & defuncto f. 481*

(d) *Anton. Caraciol. in Antiq. Chronol. in Prapyrea fol. 1. Sigon. de Regn. Ital. lib. 1. ad an. 575 Fareſt. Mapamand. Iſtar. in Reg. Longob. poſt Clephum,*

(e) *Sigon. ubi ſupr. lib. 5. ad an. 862, Freccia de Subfeud. lib. 1. tit. de antiq. ſtat Regni n. 15 circ. fin.*

(f) *Herempert. ad ann 850. Caraciol loc. cit. in Salerni Principibus.*

(g) *Anton. Caraciol. ubi ſupr. fol. 11. & 15.*

(h) *Idem Caraciol. loc. cit. in Nomenclat. verb Apulia.*

21. Leo paritèr Oſtienſis diſertè docet, Normannos ſe Apuliæ partibus infudiſſe, uti auxiliarios Guaimarii Principis Salernitani, (quem Gemmeticenſis Vvaimalchum nominat) eique contrà Saracenos, & ſubindè Melo Barenſi, Apulorum Viro primario, contrà tyrannidem Græcorum, ſuppetias contuliſſe (*i*). Quod ſi poſteà, rebus mutatis, arma contrà eoſmet, quibus auxilia contulerant, aſſumpſerunt; nil mirum: hoc etenim frequentiſſimum legitur in Hiſtoriis; & ità Vandali Africam, Burgundi Galliam, Viſigothi Hiſpaniam, Turcæ Thraciam, & alii populi alias Regiones occuparunt, armis adverſus eos converſis, quibus juvandis fuerant advocati. Et nè ad aliena vertamus ſermonem, nonnè Romani Rhegium in Regno Neapolis occuparunt, quod ut à Pyrrho, & Carthaginenſibus defenderent, fuerant accerſiti (*l*)? Et nonnè totum ipſum Regnum Neapolis arma Ferdinandi V, Re-

(i) *Leo Oſtienſ. lib. 2. cap 17.*

(l) *Polybius Hiſtor. lib. 1. f. 15.*

Regis Aragoniæ occuparunt, quæ in auxilium fuerant à Frederico Rege vocata (*a*)?

22. Accedit, quod Normanni gladios evaginarunt adverſus Principes, à quibus fuerant invitati, quià hi *cæperunt Normannos deſpicere, eiſque debita ſtipendia ſubtrahere &c.* quià *Longobardi ex invidia commoti, mortem* machinati ſunt Turſtino Scitello, Normannorum Duci: & Drogonem hujus in officio ſucceſſorem *Vuazo Neapolitanus Comes, Compater ejus, dum vigilias in Eccleſià S. Laurentii IV. Idus Auguſti agerent, coram altari, Deum, & S. Laurentium invocantem, trucidavit* (*b*). Normanni ergò his, & fortè aliis *exortis ſimultatum cauſis, eos quibus anteà ſerviebant impugnaverunt, & Pſalernum, atque Barum Capuamque cum totà Campanià, & Calabrià virilibus armis ſibi ſubegerunt. In Sicilià quoque Panormum, urbemque Cathanenſem Caſtrumque Joannis, cum aliis Urbibus, & præclaris Oppidis &c. obtinuerunt* (*c*). Quoad Apulos ergò, ſeu eorum Principes generis Longobardi, à quibus Normanni contumelias acceperant adeò relevantes, & negati ſtipendii, & Ducis in inſidiis poſiti, & alterius Ducis, àntè altare barbarè trucidati; pluſquam gravem habuerunt rationem armis eos aggrediendi, expugnandi, ac bello victas illorum Civitates, & Oppida retinendi.

23. Quoad *Græcos* nulli dubium eſt, quod paulò antè adventum Normannorum Apuliam, vel partem ejus, & Calabriam poſſidebant (*d*), non tamen legitimè, ſed per vim, ac tyrannicè, ut ſuprà fuſius oſtendimus (*e*). Et quià Provincias illas, ſive partes earum, vel ea quæ in illis loca tenebant, injuſtè poſſidebant; hinc fiebat, quod nec ea poſſent pacificè retinere, magnis ſemper contradictionibus exagitati, donec tandem fuerunt expulſi. Notat Lupus Protoſpata, quod anno 860. *comprehenſa eſt Civitas Barum ab Imperatore Conſtantinopolitano* (*f*): ſignum quod eam anteà non habebat. Quindecim poſt annos exponit, quod *intraverunt Græci Barum* (*g*): Signum quod ab eo præventivè fuerant deturbati. Undecimo poſt anno ſubdit, *facta fuit proditio in Baro &c. quando Princeps fecit prælium cum Stratigo Trapezi, & Græcis* (*h*): Signum quod ibi quietè Græci dominium non tenebant. Quinquennio poſt ſpecificat, quod Græci intraverunt Beneventum, & Sipontum (*i*): Signum quod neutram illarum Urbium anteà retinebant. Alibi brevitèr innuit, quod *obſederunt Græci, Aſculum, & obtinerunt* (*l*). Decennio anteà ſcribit factum eſſe *prælium in Materà à Græcis cum Longobardis* (*m*). Succeſſivè poſt aliud tempus adjungit: *Introivit Nichiphorus Magiſter in Civitatem Bari* (*n*). Ex quibus clarè patet, quod Græci, ſive Imperator Conſtantinopolitanus pauca loca in Regionibus illis habebant, nec ea pacificè poſſidebant: cum earum partem non exiguam occuparent Saraceni, uti paulò infrà oſtendemus.

24. Otho Magnus Imperator, dulcibus verbis ab ipſis Græcis deceptus, paſſus eſt internectionem partis ſui exercitus. Quarè ad injuriam ulciſcendam exercitum contra eos direxit, quibus Calabriam, & Apuliam ademit (*o*). Barum tamen, irrito conatu tentatum, tunc nullatenus expugnavit (*p*). Et non multò poſt *Baſilius, & Conſtantinus Imperatores turperati ſè vetere tot annorum Apuliæ, & Calabriæ fuiſſe poſſeſſione dejectos, Saracenis, quos nuper Cretà exegerant, magnà mercede conductis, Italiam invaſerunt, & Barlo, ac Materà Urbibus expugnatis, Apuliam primum, deindè nemine prohibente, Calabriam receperunt* (*q*). Biennio poſt Otho II. Imperator, junctis armis cum Romanis, Beneventanis, Capuanis, Neapolitanis, & Salernitanis, Græcos adorſus eſt, Saracenorum auxilio ſtipatos, in Apulia, præliumque atrox commiſſum eſt, quo inſtante, Romani, & Beneventani receſſerunt, undè Cæſar inopinatè præſidio illorum valido deſtitutus, fuſus, fugatuſque eſt, & vix è prælio per mare profugit, ac natans diſcrimini ſe ſubtraxit. Proptereà *Apuliam, & Calabriam receptas Græci ſeveriore poſt Imperio, novo Catapani Magiſtratu impoſito habuerunt* (*r*). Poſt hæc Benedictus Papa VIII. S. Henricum Imperatorem in Italiam vocavit *adferendas ſuppetias Eccleſiæ Romanæ adverſus Græcos, qui pedetentim jam ſibi cuncta uſque ad Romanos fines vindicaverant* (*s*). Subindè præter ſollicitudines, per Pontificem interpoſitas, etiam Regnicolæ pro-

(a) *Guiciardin. lib. 4. Bembo. hiſt. Venet. l. 6. Sabel. Ennead. II. l. 1.*

(b) *Willelm. Gemmetic. hiſt. Normannor. lib. 7. c. 10*

(c) *Order. Vital. hiſt. Eccl. ſub anno 1059. & in ſede*

(d) *Sigon. de Regno Ital. l. 4. f. 90. 6, & lib. 8 f. 190. 30*

(e) *Vide ſupr. in hoc Tomo cap. 25*

(f) *Lupus Protoſp. Chron. ann. 860*

(g) *Idem ad an. 875.*

(h) *Idem ann. 886.*

(i) *Idem ann. 891*

(l) *Idem an. 950.*

(m) *Idem ann. 940*

(n) *Idem ann. 966.*

(o) *Sigon de Regno Ital. l. 7. an. 959 f. 173.*

(p) *Lupus Protoſp. in Chron. an. 969.*

(q) *Sigon. ubi ſuprà lib. 7. an. 979. f. 180*

(r) *Idem Sigon. cit. ann. 982.*

(s) *Card. Baron. an. 1019. §. 4.*

pria ſtudia adhibuerunt, ut Græcos ipſos de ſuis finibus protelarent. Nàm Ardoinus magnus, & pręcipuus vir de genere Longobardorum, ad ulciſcendam injuriam, quam à Ducliano Duce Gręcorum acceperat, Normannos accivit, & ad Apuliam ſecum invadendam accinxit (*a*).

25. Ipſum Pontificem aſſenſum introductioni Normannorum, ad Gręcos debellandos prębuiſſe cenſemus, pręſertim cum Paſchalis Papa II. qui per illa tempora vixit, Robertum Guiſcardum laudet, quod ejus victoriis Gręcorum tyrannica ceſſaſſet invaſio (*b*). Invaſores ergò erant Gręci Apulię, ſeu locorum, quę in Regni partibus retinebant, non verò eorum juſti Domini: qnippè Regiones illæ ad Sedem Apoſtolicam pertinebant. Et ulterius certum eſt, quod ipſi Græci in duobus peccaverant, primò quod novos Saracenos in Apuliam, & Calabriam traduxiſſent, qui Provincias illas deſolabant, ut inferius intuebimur; & ſecundò quod tyrannicè Provincias ipſas regerent, Populiſque, non ut Principem decet, pręeſſent; ſed tyrannorum more mala plurima inferrent. Tyrannidis qua Gręci premebant, Apulos, atque Calabros, memoriam faciunt inter Antiquos hiſtoricos Leo Oſtienſis (*c*), & inter recentiores Sigonius (*d*); Ambo aſſerentes, quod *cum ſuperbiam inſolentiamque, atque nequitiam Græcorum Apuli ferre non poſſent, cum eodem Melo, atque Datto quodam ęquè nobiliſſimo, ipſiuſque Meli Cognato, tandem rebellant*, Meluſque apud Beneventanos, Salernitanos, Capuanos, & Normannos, nulli ſtudio pepercit, *quin modis omnibus ſatageret, qualiter Gręcorum dominationem abiiceret, atque ab eorum tyrannide ſuam poſſet patriam liberare* (*e*). Sanè tyrannicum regimen Principis alioquin legitimi, eſt juſta cauſa illius dominium excutiendi: multò magis Principis invaſoris, & illegitimi. Apuli ergò juſtè, & licitè potuerunt Gręcorum tyrannidem à sè longius protelare: ergò etiam Normanni, tamquam Auxiliarii Apulorum, juſtum Bellum inferentium, Græcos expugnare licitè potuerunt, prout eos conſertis armis feliciter expugnarunt (*f*), ſicque ex hac parte juſto, & legitimo titulo proceſſerunt Normanni in expulſione Græcorum.

26. Quodemum ad *Saracenos*, per utramque Siciliam diſtributos, Herempertus affirmat, quod ab anno 812, Agareni *ad inſtar examinis apum* In Siciliam properarunt (*g*). Leo Oſtienſis id refert ad annum 820. (*h*). Cardinalis Baronius cenſet, hoc non accidiſſe ante annum 827. (*i*). Utcumque ſit, ex illo tempore peſtilentiſſima hæc gens, è Siciliâ citò etiam per Calabriam, & Apuliam ſe diffudit, & infinitas Chriſtianorum carnificinas exercuit (*l*). Anno 865. jam Barium poſſidebant, Duce Leodano (*m*). Anno 877. occupaverant Tarentum, & circumiacentia loca acrius infeſtabant (*n*). Anno 901. Coſentiam, & Calabriam inundarunt, ſub Rege Abraham (*o*). Anno 924. Oriam cęperunt, & interfectis mulieribus, reliquos in Africam captivos duxerunt (*p*), ad quam etiam poſt 55. annos redierunt, & cunctum vulgus in Siciliam deduxerunt (*q*). Anno 927. Tarentum exciderunt, & Cives, quos gladius non interemit, Saraceni in Africam deportarunt (*r*). Anno 988. depopulaverunt vicos Barenſes, & viros, ac mulieres captivos in Siciliam tranſtulerunt (*s*). Anno 1016. Salernum per mare, & per terram obſederunt, quod & de aliis Urbibus fecerunt (*t*). Quid plura? *Saraceni de Africâ in Apuliam navigio ſingulis annis veniebant, & per ſingulas Apuliæ Urbes vectigal quantum volebant à deſidibus Longobardis, & Græcis, Calabriam incolentibus, accipiebant* (*u*).

27. Et quod ſinè admiratione referri non poteſt, ipſi Chriſtiani Saracenis utebantur, ad alios Chriſtianos Principes, eorumque urbes deturbandas; & ità Gręci Saracenos adhibuerunt ad invadendam Calabriam, & Apuliam (*x*). Aliâ vice Princeps Beneventanus inſtigavit Saracenos, Bari commorantes, ut agrum Capuanum, & Neapolitanum popularentur, & incenderent (*y*). Itidem aliâ vice Salernitani, Melfitani, Neapolitani, Cajetani, fędere cum iiſdem Saracenis icto, Romam uſque deprędationibus exagitandam profecti ſunt. Quarè Joannes PP. VIII auxi-

(a) *Leo Oſtienſ. lib. 2. c. 67. Sigonius & Lup. Protoſp. an. 1041.*

(b) *Ughel. Ital. Sacr. tom 9 in Epiſc. Squillac n 9. f. 597*

(c) *Leo Oſtienſ. Chron. Caſſin. l. 2. c. 37. juxtà Matt. Lauretum*

(d) *Sigon. de Regno Ital. an. 1016 f 190. 30*

(e) *Leo Oſtienſ. loc. citato*

(f) *Leo Oſtienſ. & Sigon. loc. cit. Lupus Protoſpat. in Chron. an. 1042. 1046.*

(g) *Herempert. Epitom. Chronol. poſt ann. 817 f. 35.*

(h) *Leo Oſtienſ. lib. 1. c. 20, vel 23.*

(i) *Baron. an. 820. n. 20. & poſtil in margine Leonis Oſtienſ.*

(l) *Luitprandus l. 2 cap. 12.*

(m) *Sigon. de Regn. Ital. l. 5 an 865. f. 127. 55.*

(n) *Leo Oſtienſ. l. 1. c. 39, vel 42.*

(o) *Lupus Protoſpat. Chron, ani. 901*

(p) *Idem ann. 924.*

(q) *Idem ann. 977.*

(r) *Idem ann. 927.*

(s) *Idem ann. 988*

(t) *Idem ann. 976, & 1016.*

(u) *Orderic Vital. Hiſt Eccl l. 3. ſub anno 1050 f 472. B.*

(x) *Sigon. de Regno Ital. l 7. an. 979*

(y) *Idem ſub an. 865*

auxilium contrà eos à Carolo Calvo Imperatore popoſcit, præfatis Chriſtianis injungens, ut à Saracenorum fædere deſilirent, quod Salernitani obtemperantes egerunt, cæteri verò in propoſito conſtiterunt, undè Sergius Dux Neapolitanus excommunicatione à Papa pulſatus, cæcitate quoque percuſſus eſt ab Athanaſio Archiepiſcopo fratre ſuo, qui Ducatu Neapolis aſſumpto, pacem, ſive fædus cum Saracenis ipſis firmavit, eoſque juxtà Neapolim collocavit, quibus & Beneventum Capuam, Salernum, & Romanas quoque oras, non eum puduit deſolare (*a*). Similitèr quando Neapolitani bellum cum Athenolpho Principe nono Capuæ habuerunt, Saracenos ſuis phalangibus miſcuerunt, ut adverſarium Principem debellarent: irrito tamen conſilio; nam ipſi potius magna clade percuſſi ſunt (*b*).

28. Porrò Occidentales Imperatores, in auxilium uti ſuprà vocati, pluries contrà eos arma ſumpſerunt. Nàm Ludovicus II. anno 870. (*c*). Otho Magnus anno 967. eos ſanguinoſo prælio diſpeſcuit, interfecto Bulcaſino illorum Rege (*d*). Otho II. quadraginta mille ex ipſis in Calabriâ trucidavit (*e*). Otho III. novo pręlio apud Capuam illos fudit (*f*). Normanni è Hieroſolymis redeuntes, multa Saracenorum millia propè Salernum, reliquis fugatis, interemerunt (*g*). Robertus Guiſcardus, itidem Normannus, à Siculis in auxilium vocatus, perfidos indè Saracenos pepulit, eiſque detractam regionem illam ſuo ſubjugavit Imperio (*h*). Et ità Normanni juſtiſſimas habuerunt cauſas procedendi, tum contrà *Saracenos*, tum contrà *Græcos*, tum tandem contrà Principes generis Longobardi, loca Regni Neapolis, & reſpectivè inſulam Siciliç, tenentes, illorumque dominatu expuncto, ibi novum ſibi imperium conſiſcendi, pręſertim annuente Pontifice, vel tacitè, vel expreſsè. Quibus cauſis alias adjungit Auctor Vitæ S. Nili, fundatoris Monaſterii S. Mariæ de Patirio, Diœceſis Roſſanenſis, dicens, quod Principes Normanni, & inter eos Robertus Guiſcardus, loca illa à gravi ſervitutis jugo, quo à Saracenis premebantur eripuerunt: cum jam Provinciæ illæ ſuppetias accipere deſperarent *à Græco Principe &c. qui & inteſtinis, & externis præpeditus bellorum incommodis, exhauſto theſauro, declinantibus ab ejus animo Provinciis ſubditis, vel neceſſitate, vel voluntate, vel parte etiam cadentis Imperii deſpectu, his malis occurrere nequibat* (*i*). In tantâ itàque rerum anguſtiâ, tametſi per hypotheſim, quæ non ſubſiſtit, Græci Cęſares ullum jus ſuper terris, quas in Regno Neapolis occupabant, verè habuiſſent; cum jam eiſdem in opportunitatibus non eſſent præſto, non eas defenderent, non tuerentur, non adjuvarent, ſed potius uti deſertas, & contemptas eas negligerent, publiciſque infortuniis expoſitas, in ſqualore, ac mærore lugere ſinerent, atque ingemiſcere deſolatas; benè potuerunt Populi auxilium Normannorum implorare, & Normanni cum aliis præmemoratis rationibus, hanc quoque ultimam habuerunt, per quas juſtificata remanet introductio illorum Principatus in utrâque Siciliâ.

29. Ità res ſe habuit. Sed quatenus etiam cauſæ præfatę non adfuiſſent, jam nihil obſtaret, tum quia prolixum temporis ſpatium dominia præſcribit (*l*), tùm quià Imperium Romanum, in Græciâ tùnc ſubſiſtens, cui Regiones præfatę ſupponuntur eſſe ſubtractæ, jàm penitus interiit, à Mahomete II. Turcarum Rege deſtructum (*m*), cùm cæſo Conſtantino XII. Dragaſe Imperatore, Conſtantinopolim occupavit, Imperii Metropolim, Regiamque Græcorum, ac Urbem, quæ *jàm antè mille, & centum annos Orientis caput, tot victoriis, triumphiſque clara, in prædam ceſſit immani Tyranno, deſiitque Græcorum Imperium in Conſtantino 12. Joannis Paleologi filio, cui datum eſt prò patriâ occumbere, nec extincto Regno ſupereſſe* (*n*). Interiit inquam Imperium, & tota Imperialis Proſapia, quam convivio exceptam, ſub ſpecie honoris inferendi, fecit Mahometes à Satellitibus trucidari (*o*). Quod ſi quis, ad lenocinanda dicteria impugnantium veritatem, diceret, adeſſe adhùc aliquem in Græciâ, qui ſecretò Conſtantinopolitani Imperatoris ſibi denominationem appropriet; breviter reſpondemus, hunc, tantum juris ad Imperium Græcum retinere; quantum juris in Regnis Juda, & Iſrael retinet ille Hebræus, quem à Rab-
binis

(a) *Leo Oſtienſ. lib.* 2 *c.* 39. *vel* 42. *Herempert. Epiſt. Chron. f.* 57. *&* 60.

(b) *Anton. Caraciol. Quat. Chronolog. in Propylea f.* 13. *&* 9.

(c) *Herempert. loc. cit an* 870 *f* 51.

(d) *Lupus Protoſpat. in Chron. an.* 967.

(e) *Idem ann.* 981.

(f) *Sigon. l.* 7. *ann.* 1001.

(g) *Order. Vital. hiſt. Eccl. l.* 3. *ſub an.* 1050. *fol.* 472.

(h) *Leo Oſtienſ. lib.* 3. *c.* 44.

(i) *Vit. S Nili ap. Ughel Ital. ſacr. to.* 9. *in Epiſc. Roſſanenſ. n.* 1

(l) *Marta de Juriſd. p.* 1. *c.* 32. *n.* 28

(m) *Georg. Franza, & Leonic. Chalchondiles in eor. Hiſtor. Bapt. Egnat. Rom. Princ. l.* 2. *in Conſtantin.*

(n) *Buſſer. Floſcul. Hiſt. p.* 2. *c.* 5. *an.* 1453

(o) *Georg. Franza, & Egnat. loc. cit. Loſchi in Mahomete II.*

binis quibuſdam audivimus, clandeſtinè per Judæos tali nomine decorari, nè videatur deſtructum eorum Regnum; indeque inferatur, nondum adveniſſe Meſſiam, quem antè diremptionem Regni Juda mittendum eſſe ſacræ paginæ ſpoponderunt (*a*). Hæc ſanè ad ludificandos incautos excogitantur, non ſunt; & quatenus etiam eſſent, bene ad rem noſtram inquit Marta, *licet apud Græcos ſit etiam Imperator, qui dicitur Conſtantinopolitanus; tamen ipſe eſt ſicut Rex Schaccorum* (*b*). Rex nomine, ſed ſinè Regno; & Imperator, ſed ſinè Imperio.

(a) *Geneſ.49.10. & ibi Interpretes.*
(b) *Marta de Juriſd. p.1.c.21.n.29.*

30. Præterquam quod quantumvis illapſus Normannorum in Regiones Siculas fuiſſet injuſtus, & in ſui primordio tyrannicus; quid inde? Nonne hoc eſt conſuetum exordium ferè omnium Regnorum? Quatuor majora Orbis Imperia, Aſſyriorum, Macedonum, Medorum, & Romanorum, nonnè traxerunt originem à tyrannide (*c*)? *Inferre bella finitimis*, ait D. Auguſtinus, *& indè in cætera procedere, ac populos ſibi non moleſtos, ſolâ regnandi cupiditate conterere; quid aliud quam grande latrocinium nominandum eſt* (*d*)? Hæc initia habuerunt plurima Regna (*e*) hæc habuerunt præfata quatuor primaria Orbis Imperia, quæ nihilominùs progreſſu temporis in legitimas Dynaſtias tranſierunt; ex quibus Romana ſignantèr, ab ipſo Divino eloquio approbationem aliquam reportavit, dùm Phariſæis Chriſtus in Evangelio præcepit, *reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo* (*f*). Demùm ſi juſtitia Regni Normannorum in utrâque Siciliâ, in feudum per ipſos à Papâ ſuſcepti, & etiam ſaltem per ſeptingentos annos à Sede Apoſtolicâ directo jure poſſeſſi, vocanda eſſet in dubium; oporteret & dè juſtitiâ Regnorum Galliæ, Hiſpaniæ, Angliæ, Luſitaniæ, Scotiæ &c. diſputare: quippè conſtat, hæc fuiſſe partes quotitativas Imperii (*g*): potiebatur enim Imperium Romanorum intrà Europam *Italiâ, Auſtriâ, Dalmatiâ &c. Hiſpaniâ, Galliâ, Alemaniâ inferiori, infrà Rhenum, Angliâ, Scotiâ &c.* (*h*). Sed de his jam ſatis.

(c) *Marta loc. cit. p.1.c.4.per totum.*
(d) *S. Auguſt. de Civit. l.4.*
(e) *Marta p.1.cap.4. num.34.*
(f) *Matth.22.21.*
(g) *Juſtus Lipſius de magnitud. Romanorum l.1.c.3.*
(h) *Marta de Juriſd. p.1.c.4.n.18.*

31. Itaque Normanni, origine Norvegi, *poſtquam annis ferè centum, magnam Europæ partem, imprimiſque Galliam, piraticis excurſionibus infeſtam habuerant, tandem certum in ea domicilium adepti ſunt*, inquit Petavius (*i*), addens, *Ubi in Italiam pervenerunt, ad Pandulphum Capuæ Dynaſtam adjunxere ſeſè, ac ſub eo aliiſque Principibus ſtipendia facientes, contrà Græcos, & Saracenos utilem, & glorioſam navarunt operam. Nec ſuas res interim neglexerunt. Nam Apuliæ potiti Oppidis aliquot, ſuæ gentis Duces ſibi præfecerunt &c. Ex his Guillelmus Ferrabrachius ab aliis Normannis, qui Apuliam incolebant, Dux eligitur, qui Saracenos pariter, Græcoſque debellavit &c.* (*l*). Ex quibus initiis paulatìm ad Regiam dignitatem utriuſque Siciliæ pervenerunt, & per annos 184. vel 192. (*m*), ſexdecim ex hac progenie Principes, quà Comitis, quà Ducis, quà Regis titulo, DynaſtiamSiculam tenuerunt;nec quidquam eis præjudicii unquam ingeſſit,eſſe indè toto cœlo extraneos: Nam non obſtante extraneitate regnarunt, & hæreditariè regnarunt (*n*), & tantâ inconvulſibilitate regnarunt, ut donec viguit linea legitima Tancredi de Altavilla, ſtipitis Normannorum, nullus alius, niſi ex eâ, ſolium conſcenderit: quâ demùm in Guillelmo IV. Bono deficiente, non defuerunt, qui potiùs Tancredum Rogerii nothum, ejuſque poſteros regnare voluerint (*o*), quam quod aliquis Indigena ad Regale Sceptrum manus extenderet.

(i) *Petavius Ration. Temp. l.8.c.21. & adhunc.*
(l) *Idem lib.8. c.17. § Tanto.*
(m) *Freccia de ſubfeud. lib.1 tit. de antiq. Stat. Regni n.46.*
(n) *Franciſcus de Balboa de Monarchia Regum qu. 2. par. 3. num.80 f.145.*
(o) *Idem loc. cit. nu.84. Baron. an.1189. 24. Foreſt. Map. Hiſtor. to Reg. Siciliæ in Tancred.*

32. Normannis exciſis ſucceſſere *Suevi*, quorum primus Henricus VI. Imperator, Aſper communi agnomine, à morum ruditate vocatus (filius fuit Friderici I. Imperatoris, à mento croceo dicti univerſalitèr Enobardi) natione Germanus, provinciâ Svevus, nec quidquam cum Siculis commune habens, niſi quod ſibi matrimoniali lege conjunxit Conſtantiam Rogerii II. filiam legitimam Regis Siculorum (*p*), quos ipſe Henricus tanto eſt odio proſecutus, ut Conſtantia ipſa quandoque Subditos tuitura, & arma corripuerit, & bellum adverſus Virum inſtruxerit (*q*): qui Rex *Henricus*, inquit Egnatius, *acceptâ Conſtantiâ Rogerii Normanni filiâ in uxorem, mox etiam Imperator à Pontifice dictus, ut major illi auctoritas accederet acquirendi Regni, ductis in Tancredum copiis, qui impari Matre natus*

(p) *Card. Baron. an. 1186. 21. Volater. l.6. Geographi in Sicilia Balbo loc. cit. n.85.*
(q) *Baron. an. 1198. 1 Foreſt. loc. citat.*

Digitized by Google

natus, Regnum ſibi vendicabat, reclamantibus etiam Pontificibus, Neapolim fruſtrà obſidet (*a*). Evenere hæc anno Chriſti 1186. juxtà computum Petavii, qui de præfato Henrico tradit, *Henricus mortuo VVillelmo Rogerii filio, Apuliam, & Calabriam, & Siciliam recepit, atque in Siculos præſertìm omne genus immanitatis exercuit* (*b*). Poſt hunc Regem ſucceſſere alii quatuor ejuſdem Stemmatis Reges, quà legitimè, quà per invaſionem, Regalia jura exercentes, omnes origine extranei, utpotè dè Sveviâ Germaniæ, ex Friderico I. progeniti, & per 78. circitèr annos utriuſque Sicilię diademate coronati.

(a) *Baptiſt Egnatius Rom Princ. l. 2. in Henrico Frideric. filio.*

(b) *Petav. Ration. temp. l. 8. c. 20. § Henricus.*

33. Poſt Svevos Regnum ſuſcepere *Andegavenſes*, origine Galli, ex lineâ Capetinâ, ductâ ab Hugone Capeto, qui Hugonem Pariſienſem patrem habuit (*c*). Ex hac namque ſtirpe adversùs Manfredum, Friderici II. nothum, utramque ſibi Siciliam uſurpantem, Clemens Papa IV. Carolum Ducem Andegavenſem, D. Ludovici IX. Francorum Regis germanum fratrem, accivit, & Regem conſtituit (*d*), qui *trajectis Alpibus, quum diù variis præliis cum Manfredo concurreret, eum tandèm apud Beneventum ſuperatum interfecit &c. Itaque ſuperatis hoſtibus, vindicatoque ſibi citrà, ultràque pharum Siciliæ Regno, Romam venit &c.* (*e*). Carolus hic nomine I. habuit ex sè deſcendentes alios octo Reges, uſque ad obitum Joannæ II. per ann. 172. Regale ſolium tenentes, tametsì origine eſſent extranei (*f*). Arefacto arbore Andegavenſium, in Regno quoquè Neapolis ſucceſſere *Aragonenſes*, qui jam diù à Veſperis uſque Siculis, per totum Orbem reſonantibus, anno 1282. in Regno Siciliæ ultrà pharum ſe inconvulſibilitèr confovebant (*g*). Primus ex Aragonenſibus, qui Neapoli regnavit, fuit Alphonſus, Ferdinandi Aragonii filius, de quo hæc Petavius, Joanna II. Regina Neapolis *Martini V. Pontificis alienatum à sè animum, & Sfortiæ Ducis fortiſſimi converſa in sè arma metuens, Alphonſum Aragoniæ, Siciliæque Regem, in auxilium evocat, quo cum de adoptione, ac Regni ſucceſſione paciſcitur* (*h*). Ex quâ progenie uſque ad Ferdinandum V. Aragonium, cognomento Catholicum, ſex Reges, & ſi non omnes rectâ lineâ deſcendentes, per annos 79. vel ſecundum alios 82. ſibi ordinatim ſucceſſere; Principes natione Hiſpani, genere Aragonenſes, omnibuſque numeris à Siciliâ citrà pharum, ſivè à Neapolitano Regno prorsùs extranei, nihil eis obſiſtente extraneitate nè regnarent.

(c) *Foreſt. Map. Iſtor. to. 4. p. 2. l. 6. in Hugo. Capet. Rè Franc.*

(d) *Platin. in Urban IV. Balboa de Monarchia Regum qu. 2. p. 3. n. 89. 90. Raynald. an. 1253. 2. 1261. 78. 1264. 4.*

(e) *Volater. Geogr. l. 6. in Sicilia.*

(f) *Loſchi comp. Iſtor. della Caſa d'Auſtria ne' Rè di Napoli.*

(g) *Freccia de ſubfeud. lib. 1. tit. de antiq. Stat. Regni n. 48 Volater. Loſchi & Foreſt. locis citat.*

(h) *Petav. ration. temp p. 2. l. 9. c. 8. § Joanna.*

34. Quibus extinctis, Regnum per Joannam, præfati Ferdinandi V. primogenitam, pervenit ad *Auſtriacos* (*i*). Nempè ad Carolum V. Imperatorem, qui ex eâ, & Philippo I. Auſtriaco, Maximiliani I. Imperatoris filio, natus eſt (*l*), ex quo ad alios quatuor Reges ordine ſucceſſivo pertranſiit, uſque ad Carolum II. defunctum anno 1700. Et ſic Regali ſolio Neapolis inſederunt per annos 184. Reges Dynaſtiæ Auſtriacæ, à Rodulpho I. Imperatore, vel adhùc altius rem repetendo, à Theodeberto Comite Abſpurgenſe, deſcendentes (*m*), cui cognomen dederat Caſtrum Abſpurga, inter Baſileam, & Zurigum poſitum, in Alſatiâ, dictique poſteà Auſtriaci, ob Auſtriam, à Rodulpho præfato ſucceſſivè Alberto filio conceſſam (*n*), Principes origine, & natione Germanici, incolatu Hiſpani, totoque cœlo à Regno Neapolitanorum extranei. Itaque ſi tot Reges, quot in Sicilia citrà pharum Regale ſolium tenuerunt, omnes fuerunt extranei, *Norvegi, Galli, Germani, Aragonenſes, Hiſpani*, quid eſt quod laici extranei eo uſque poſſunt in illo Regno procedere, ut etiam ad Regale faſtigium valeant pervenire; non autem poſſint Clerici extranei exiguas prebendas, mediocres Abbatias, tenues Epiſcopatus, etſi abundantes meritis adipiſci? Mirantur Hiſtoriæ fortunæ luſum in Franciſco Ximenio, qui vitæ Clericali operam dans, repulſam eſt paſſus à beneficio, ſivè Præbendâ Eccleſię Toletanæ poſſidendâ, non ſecus ac ſi in illo non eſſet meritum prò tali gradu aſſequendo; & ſucceſſivè poſteà uſque adeò aſcendit, ut & Cardinalatum Romanæ Eccleſiæ, & ipſius metropolis Toletanæ Archiepiſcopatum ſit felicitèr aſſecutus, ac tamquam Archiepiſcopus fuerit honorandus in loco, ubi fuerat à Præbendâ ſimplici reprobatus (*o*).

(i) *Surit. to. 6. l. 10. c. 99. Marian. l. 30. c. 27 Raynal. an. 1516. n. 39.*

(l) *Foreſt. Mapp. Iſtor. to. 4. p. 2. l. 8. in Joanna Reg Hiſpaniæ.*

(m) *Loſchi Arbor. di Caſa d'Auſtr.*

(n) *Foreſt. tom. 2. l. 22. in Rido lf. I. Imper.*

(o) *Vide Gomez de rebus Card. Ximenii.*

35. Ma-

35. Magis autem mirandum profectò erit, & mirabitur totus peritorum chorus: mirabuntur Hiſtorici, Theologi, Juriſconſulti, Politici, & generalitèr omnes non exiguè mirabuntur fortunam laicorum extraneorum, qui in Regno Neapolitano valeant uſque ad culmen Regię magnitudinis properare: viceverſa verò infortunium Clericorum, paritèr extraneorum, qui ibidem, nequè ad præbendulas Eccleſiaſticas, nequè ad ullas Eccleſias beneficiales poſſint accedere. *Obſtupeſcite Cœli ſuper hoc, & portæ ejus deſolamini vehementèr dicit Dominus* (a); Proh dolor! In Regno Neapolitano, feudali Romanæ Eccleſiæ, pio, Catholico, fervore Religionis, ut putamus, nulli ſecundo; ex quo multi Romani Pontifices prodiere, pluresque centuriæ Cardinalium Romanæ Eccleſiæ; necnon Epiſcoporum numerus infinitus; ubi Eccleſiæ abundant; Viri Eccleſiaſtici amantur, & Clericatus ipſe multis perfruitur beneficiis; in iſto inquam Regno, deterioris conditionis eſſe Clerici declarantur, quam ſint laici; dùm laici extranei uſque ad Regalis Majeſtatis valent celſitudinem evolare; Clerici autem extranei, nec etiam ſerptitando per humum, ad fortunam poſſunt exigui benefitioli pervenire! Pudeat talia effutientes, ex quibus tàm vituperabilis conſequentia neceſſariò debeat eliquari. Ergò ſi in Regno Neapolitano laicis, quantumlibet extraneis, ad excelſa quæque officia, & beneficia ſæcularia, atque ad ipſum culmen Regalis dignitatis, patet acceſſus; nè ibi deterioris conditionis Clerici ſint, quam laici; oportet quod Clericis quoque pateat acceſſus ad eccleſiaſtica beneficia. Et ſic rè totâ benè penſatâ, & ad juſtitiæ rimam libratâ, neceſſario concludendum eſt, quod ſtante legitimo argumento, rite deducto ab officio ad beneficium (b), in Regno Neapolitano liberum eſſe debet etiam Clericos extraneos beneficiis eccleſiaſticis inſignire.

(a) *Jerem. cap. 2. num. 12.*

(b) *Barboſ. tract. var. loc. 77. n. 2. cum aliis ibi alleg.*

C A P U T XXX.

In quo ex Pragmaticis *Regni Neapolitani, & ex Inveſtituris Principum lineæ Regalis* Normannicæ, *oſtenditur, non ſolùm Clericos indigenas, verùm etiàm extraneos, in Regno præfato eſſe ad Eccleſiaſtica Beneficia admittendos.*

S U M M A R I U M.

1 *Pragmaticæ Regni Neapolis ſunt leges municipales, quibus ibi vivitur. Una Caroli V. extraneos admittit. Hęc quod lineam* Auſtriacam.

2 *Quoad lineam* Svevicam, *edidit aliam Pragmaticam Fridericus II. Imperator, & Rex, modum præſcribens, in electionibus obſervandum.*

3 *Quidquid ſtatuitur de beneficiis Epiſcopalibus, à paritate rationis eſt verum de aliis quoque beneficiis, ordinis inferioris.*

4 *Biennio poſt idem Princeps aliam edidit Conſtitutionem, à Principibus Germaniæ ſubſcriptam, pro liberâ electione Prælatorum.*

5 *Dictio* liberè *importat plenum arbitrium operantis, & in beneficialibus excludit omnem reſtrictionem, adeoque tam indigenas, quam extraneos, dummodo idoneos, admittit.*

6 *Ta-*

6 Tametſi in dictis Pragmaticis ſit ſermo ſolum de electione, verificantur tamen etiam de collatione beneficiorum, collatio enim habet vim electionis.

7 Ex lineâ Andegavenſi Carolus Claudus Pragmaticam edidit, caventem, ne quis laicus ſe intromittat in electionibus, vel collationibus beficiorum.

8 Hanc pragmaticam Honorius PP. III. confirmavit: cujus vi ſi collatio beneficiorum ad ſolos indigenas coarctetur, læditur Eccleſiæ libertas.

9 Libertas admittendi etiam clericos extraneos ad beneficia, vel ſit de jure, vel ex privilegio, ſervari debet, etiam vi hujus Pragmaticę.

10 Ex lineâ Aragonenſi; Ferdinandus nothus confirmavit Pragmaticam Claudi, cujus vi Eccleſiæ ſua libertas illæſa ſervanda eſt.

11 Nedum ergo de jure communi, ſed etiam ex Pragmaticis municipalibus, in Regno Neapolis admitti debent Clerici extranei ad beneficia.

12 Normanni, ex quâ gente fuerint, & undè in Apuliam profecti ſint, ſpectantem ad Sedem Apoſtolicam. Ab his linea Normannica regnare incæpit.

13 S. Leo PP. IX. primus Normannos, tametſi vaſſalagium pro terris acquiſitis ei offerentes, cenſuris, & bello appetiit, infauſto tamen exitu.

14 Idem S. Leo terras præfatas Normannis in feudum conceſſit. Inde Nicolaus PP. II. adverſus eoſdem Normannos cenſuras vibravit.

15 16 Seriem harum rerum narrat Leo Oſtienſis. Juramentum fidelitatis Robertus Guiſcardus exhibuit Nicolao PP. II. atque promiſit annuum tributum.

17 Succeſſivè idem Robertus exhibuit juramentum fidelitatis S. Gregorio PP. VII. qui eidem viciſſim brevem contulit inveſtituram.

18 Robertus Guiſcardus ſpondet liberas relinquere Papæ omnes Eccleſias, ad quas nedum indigenas, verum etiam extraneos Pontifex admiſit, & admitti fecit.

19 Rogerius Burſa ab Urbano PP. II. indè Guillelmus ejus filius, à Paſchali II. & Calliſto II. Inveſtituram acceperunt, eo modo quo Guiſcardus.

20 Rogerius Silivus Rex Inveſtituram accepit ab Honorio PP. II. quam quia ab Innocentio II. ſumere contemnebat, arma mota ſunt contrà eum.

21 Rogerius Rex præfatus electiones Antiſtitum liberas nolebat ſinere, ſed eas ad ſe trahebat, quæ etiam cauſa fuit belli, eidem per Innocentium illati.

22 Neapolitani, qui sè Rogerio Regi ſubmittere recuſabant, audito, quod Papa Rogerio inveſtituram dederat, ſe illi ſubjecere.

23 Acceperat Rogerius Regalem inveſtituram à Pſeudopapa Anacleto, qui quædam beneficia Epiſcopalia in eâ ſibi reſervavit.

24 Rex ipſe sè ingerebat in beneficiorum diſtributione, pecuniam indè ſuſcipiens; Quæ poſteà res à Papis correcta fuit.

25 Oſtenditur, quod etiam Rogerius Rex libertatem Eccleſiæ redintegravit, quoad diſpenſationem beneficiorum, quibuslibet conferendorum.

26 Affertur pars Regalis inveſtiturę, per Innocentium II. Rogerio Regi collatæ: & ex eâ deducitur libertas Eccleſię in beneficiorum diſpenſatione.

27 Guillelmus Malus Rex contentiones habuit cum Hadriano PP. IV., à quo cenſuris, & armis fuit fatigatus, infelici tamen exitu quoad Papam.

28 29 30 Tenor conventionis inter Hadrianum PP. IV. & Guillelmum malum Regem initæ, in quâ admittitur libertas diſpenſationis beneficiorum.

31 Conventio præfata favet extraneis: tum propter translationes Antiſtitum, tum propter conſecrationes, & benedictiones eorum, liberè Papæ relictas.

32 Tempore Guillelmi Boni Regis, Angli, & Galli, & conſequenter etiam aliarum Nationum Clerici, adipiſci poterant in utraque Siciliâ beneficia.

33 Petrus Bleſenſis Gallus teſtatur, ſe fuiſſe pluries deſignatum Epiſcopum in Regno imò & Archiepiſcopum Neapolitanum, etſi eſſet extraneus.

34 Agitur de literis naturalitatis, an eas dare poſſit Papa, & Epiſcopus pro beneficiis, uti poteſt illas dare Princeps, vel Civitas.

35 *Principes Dynaſtiæ* Normannicæ *tenuerunt Regnum Neapolis, uti feudum Romanæ Eccleſię, & vi Inveſtiturarum, liber eſt acceſſus extraneis ad beneficia.*

1. POst commenſurata officia Clericalia cum Laicalibus Regni Neapolitani, & deductam indè proportionem favore Clericorum extraneorum, placeat nunc *Pragmaticas* perluſtrare, quibus in eodem Regno vivitur; & indè peſcrutari, an aliquid adſit, quod ipſis Clericis extraneis acceſſum præbeat ad eccleſiaſtica beneficia. Cum etenim Pragmaticæ illæ ſint jura municipalia, & Conſtitutiones, facientes in Regno Jus commune (*a*), nullibi melius, quam ex eis poterit comprehendi juſtitia, vel injuſtitia admiſſionis eorundem extraneorum ad eccleſiaſtica beneficia. Reſpectu ad Dynaſtiam *Auſtriacam*, ſuperiùs allegavimus Pragmaticam Caroli V. Imperatoris, uti Regis Neapolis, ſic ſancientem: *Quo verò ad beneficia eccleſiaſtica, videlicet Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Abbatiæ, Prioratus, Canonicatus, Præbendæ, & cætera beneficia quæcumque, ſpectantes, & ſpectantia ad collationem, ſeù nominationem, & præſentationem Cæſareę Majeſtatis, conferantur pro medietate Regnicolis, pro aliâ ad beneplacitum; & cum vacaverint alternatim provideantur, prout ſervatur in Regno Siciliæ ultrà Pharum: hoc videlicet modo, & formâ, quod beneficia per exteros quomodolibet vacantia, Regnicolis conferantur, cum verò per Regnicolas vacare contigerit, provideantur ad Cæſareæ, & Catholicæ Majeſtatis arbitrium, & beneplacitum* (*b*). Ex quibus patet, quod beneficia eccleſiaſtica Juriſpatronatus Regii, tùm Clericis extraneis, tùm indigenis ſunt tradenda: & hæc eſt praxis, quæ dictam Pragmaticam eſt ſecuta; viguitque ſemper ex eo tunc, & viget adhuc in Regno. Quod ſi verum eſt de beneficiis Juriſpatronatus Regii; eccur verum non erit de beneficiis patronatuum inferiorum? Et ſi eſt verum de Patronatibus univerſaliter, tàm Regiis, quà Pravatorum; cur quæſo non erit verum etiam de aliis beneficiis, quæ omninò liberè conferuntur, vel à Papa, vel ab Epiſcopis, vel ab aliis illorum collatoribus?

(a) *Camill. Borel. ſum. deciſ. to. 1. tit. 13. n. 10. Matth. de Afflict. deciſ. Neapol. 404. n. 2.*

(b) *Rovit. Pragm. Reg. tit. de offic. proviſion. pragm. 1.*

2. Pariter quoad Dynaſtiam *Suevicam*, aliam Pragmaticam edidit diù antè Fridericus II. paritèr Imperator, & Rex Siciliæ, tàm citrà, quàm ultrà Pharum, promulgatam anno 1211., in quâ, ad tollenda jurgia, quæ poterant inter Eccleſiam, & Regem ob electiones Antiſtitum proſilire, formam ſtatuit, in eiſdem impręvaricabiliter obſervandam, tenoris ut ſequitur, *In nomine Dei ęterni, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti Amen. Reverendiſſimo Patri, & Domino chariſſimo Innocentio Dei gratia S. R. E. Summo Pontifici, Fridericus, Dei gratiâ, Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ. Nè ulla de cætero inter vos, vel ſucceſſores veſtros, & nos, vel hæredes noſtros, ſuper electionibus celebrandis, diſſenſio ſuſcitetur, quę nonnunquam inter Eccleſiam, & Regnum rancoris, & indignationis fomitem miniſtrabant, modum, & ordinem electionis in poſterum faciendæ, præſentibus literis curavimus explicare, in quibus ſic Canonicæ libertati deferimus, ut dignitatem Regiam non lædamus. Sancta Sede vacante Capitulum ſignificabit nobis, & hæredibus noſtris, obitum deceſſoris; deindè convenientes in unum, invocatâ Spiritus Sancti gratiâ, ſecundum Deum, eligent canonicè perſonam idoneam, cui requiſitum à nobis præbere debeamus aſſenſum, & electionem factam non differant publicare: electionem verò factam, & publicatam, denuntiabunt nobis, & noſtrum requirent aſſenſum. Sed antequam aſſenſus Regius requiratur, non inthronizetur electus, nec decantetur laudis ſolemnitas, quæ inthronizationi videtur annexa, nec antequam auctoritate Pontificali fuerit confirmatus, adminiſtrationi ſè ullatenùs immiſcebit* (*c*).

(c) *Odoricus Raynal. ann. 1211. n. 5.*

3. Proſequitur eadem Pragmatica: *Volumus igitur, & concedimus, ut ſecundum*

[C]um prædictam formam, electiones dè cætero per totum Regnum noſtrum liberè celebrentur, nullo prorsùs obſtante reſcripto, à Sede Apoſtolicâ impetrato. Ad hujus autem conceſſionis noſtræ memoriam, & robur perpetuò valiturum, præſens reſcriptum per manus boni hominis dè Gajeta Notarii, & fidelis noſtri ſcribæ, & bullâ aureâ typariâ noſtræ Majeſtatis impreſſâ, præcipimus communiri, anno, menſe, & indictione ſubſcriptis. Datum in Civitate Meſſanenſi, anno Dominicæ Incarnationis MCCXI. menſis Februarii XI. Ind. Regni verò Domini noſtri Friderici, Dei gratiâ glorioſiſſimi Regis Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuę anno 13. feliciter. Amen. Sermo eſt ibi tantummodo de beneficiis Epiſcopalibus: Sed quia quoàd libertatem diſpenſationis ſacrarum Præbendarum eadem eſt ratio Eccleſiæ, tàm pro inferioris, quam pro ſuperioris ordinis beneficiis (*a*); quidquid ibi de Epiſcopatibus Pragmaticâ Regali decernitur; à paritate rationis, etiam de aliis beneficiis intelligitur definitum (*b*). Et ſic cum inibi plena libertas pro electionibus Antiſtitum ſtatuatur, plena autem libertas non ſit, ſed limitata, & circumciſa, niſi ſuffragetur etiam admiſſioni extraneorum, prout fit indigenarum, ad eccleſiaſtica beneficia; patet quod vi Pragmaticæ præfatæ Friderici Imperatoris, atque Regis utriuſque Siciliæ, tum Clerici extranei, tum indigenæ liberè ad ſacras præbendas in Regno Neapolitano debent admitti.

4. Biennio poſt idem Princeps aliam edidit Conſtitutionem, Sanctionem, ſivè Pragmaticam, eidem Innocentio Papæ III. directam, à Principibus Germaniæ ſubſcriptam, tum eccleſiaſticis, tum ſecularibus, in quâ, inter cætera ſic habet: *Illum igitur volentes abolere abuſum, quem quidam Prædeceſſorum noſtrorum exercuiſſe dignoſcuntur, decretum in electionibus Prelatorum concedimus, & ſancimus, ut electiones Prelatorum liberè, & canonicè fiant, quatenus ille preficiatur Eccleſiæ viduatę, quem totum Capitulum, vel major, & ſanior pars illius duxerit eligendum, dummodò nihil deſit ei de Canonicis inſtitutis &c. Illum quoque dimittimus, & refutamus abuſum, quem in occupandis bonis decedentium Prelatorum, aut etiam Eccleſiarum vacantium, noſtri conſueverunt Prædeceſſores admittere, pro motu propriæ voluntatis, omnia nos ſpiritualia vobis, & aliis Eccleſiarum Prælatis relinquimus liberè diſponenda, ut quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo, rectâ diſtributione reddantur* (*c*). Hæc eſſe conſentanea Inveſtituræ, quam Fridericus ab ipſo Innocentio receperat cum Conſtantia Matrę ſuâ, videbimus capitulo ſubſequenti.

5. Itàque Rex ipſe ſemel, & repetitè decernit, quod tam electiones illorum, qui beneficiis Prælatitiis præficiendi ſunt, *liberè* fiant, quam quod omnia Spiritualia *liberè* per Summum Pontificem, & Eccleſiæ Præſules diſponantur. Jus diſpenſandi eccleſiaſtica beneficia, citrà controverſiam eſt jus Spirituale; ergò cadit ſub diſpoſitione præſentis Regiæ Conſtitutionis: *liberè* igitur exerceri debet hoc jus, tam uti res *Spiritualis*, quam uti res ſub *electionis* nomine comprehenſa. Quid autem ſibi vult hæc dictio *liberè*? Agunt de illâ plures Doctores (*d*), ipſiuſque vis ad arbitrium operantis refertur: ità ut *liberè* aliquid facere, idem ſit, ac pro libito, & arbitrio agentis illud exercere (*e*), vel ſinè impedimento, ſinè contradictione, ſinè onerè, vel gravamine, aut obſtaculo, ac ſinè reſtrictione, vel diminutione illud exequi poſſe (*f*). Ità ut cui competit aliquid liberè facere, competat etiam id facere pro ſuo abſoluto beneplacito, & voluntate, abſque ullâ limitatione, ac nullius prorsùs requiſito conſenſu (*g*). Et individuè in eo, qui preditus eſt jure conferendi liberè beneficium, dictio illa *liberè* importat, ut beneficium ipſum prò ſuâ integrâ, plenâ, totalique voluntate conferre poſſit, abſque ullâ perſonarum limitatione, aut reſtrictione (*h*). Quarè vi utriuſque Pragmaticę Friderici Regis præfati, Diſpenſatores beneficiorum, in Regno Neapolis exiſtentium, liberè valent beneficia ipſa cuicumque, ſibi magis grato, impertiri, ſivè indigenæ, ſivè extraneo, dummodò idoneo, ſecundum jura: Dictio etenim *liberè* non excludit qualitates à jure requiſitas (*i*).

(a) *Leſſius de juſt. & jur. l. 2. c. 34 dub 14 num 64 Guymer. in Pragm. Sanct. V. externum tom. 1 f. 35.*

(b) *Auguſtin. Barboſ. Vot. deciſ. l. 2. Vot. 33. n. 4.*

(c) *Ex libr. Privil. Eccl. Rom. lib. Cenſ. Cod. Vatic.*

(d) *Card. Tuſc. tom. 3 lit. D. Concl. 306 Gonzal. ad Reg. 8 Canc. gloſ. 53. nu 2. Farinac. Conſ. 8. n. 10. Conſ. 119. n. 13.*

(e) *Barboſ. Trac. Var. dict. 190 n. 10.*

(f) *Gloſ. & DD. in cap. Epiſcopus de off. ordin. & in c 1. de regul. jur. in 6. Alex. Conſ. 214 n 4.*

(g) *Pariſ. Conſ. 26. n. 26 vol 4 Menoch. de arbitr. l 1 q. 17 nu. 31. Tuſc. loc. cit. Concl 106 n. 12. Cravet. Conſ. 142 n 5.*

(h) *Rota in Valliſol. praemin. 14 Novembris 1603 cor. Pamphil. Barboſ. loco citato n. 11.*

(i) *Menoch. de arbitr. l 1. qu. 7 n. 36. 37. Barboſ. ubi ſupr. n. 11.*

6. Nec obſtat, quod in memoratis Pragmaticis ſermo ſit de electione, quę jam receſſit ab aulâ: quippè noſtrâ ætatę beneficia eccleſiaſtica Regni Neapolis, non per electionem, ſed per liberam collationem, vel ad patronorum præſentationem, à Papa, ab Epiſcopis, & ab aliis poteſtatem habentibus, diſpenſantur. Non inquam hoc obſtat, ſiquidem proviſio beneficiorum, quæ modò fit ab Ordinariis locorum, & à Papa, vim in ſe continet electionis, nominationis, & confirmationis (*a*), quam vim etiam habet collatio (*b*), ideoque quidquid dicitur de electione, locum habet quoque in collatione, Præſertim cum nulla ſit ratio, quæ depoſcat majorem libertatem in electione, quam in collatione: ſed potius ratio urget oppoſitum. Major etenim debet eſſe libertas in ſuperiore, agente collationem pleno jure, ac miniſtrante ex ſe principalitèr, & directè bona Eccleſiæ, quorum de jure eſt adminiſtrator; quam in electoribus, inſtrumentalitèr tantum deſignantibus electum, & admiſſis ex gratiâ, ſolumque participativè, ad miniſtrationem beneficiorum electivorum, egentem adhùc confirmatione eccleſiaſtici Superioris. Prætereà cum proviſio beneficiorum, per viam electionis Canonicę, non ſit de jure divino, ſed humano; hinc fit, quod juſtis ex cauſis potuit abrogari (*c*), & poſtquam ſublata eſt, Prelatus conferens beneficia, vel pleno jure, vel reſpectivè, ad præſentationem habentium juſpatronatus; gerit vicem electorum, illorumque in locum agnoſcitur ſubintraſſe. Quia verò ex tritâ regulâ ſubrogatum ſapit naturam ejus, in cujus locum ſubrogatur (*d*), ideò ſequitur, quod Pragmaticæ præfatæ, ſuggerentes, beneficia per electionem eſſe liberè diſpenſanda, ità ut ſinè ullâ reſtrictione ad aliquod genus perſonarum eligentes valeant quemlibet, undecumque originem ducentem, ad ea provehere; declarant etiam, quod beneficia, ſolita per liberam collationem, vel ad aliorum præſentationem, conferri, poſſunt liberè quibuslibet Clericis idoneis, abſque ullâ indigenarum, vel extraneorum limitatione, præberi.

(a) *Fagnan. In Cap. nullus 2. n. 22 de elec. 11. Barboſ. de Off. Epiſcopi p. 2 tit. 2. c. 4. n. 8.*
(b) *Proſper Fagnan. loc. cit. n. 25.*
(c) *Bellarmin tom 1. Contr. 5. l. 1. c. 8 & 10 2 Contr 2. l. 1. c. 8 Fagnan. ubi ſupr. n. 3.*
(d) *Leg. ſi eum § qui ff. ſi quis caut Natior. diſcept forenſ c 624. n. 9. Barboſ. Axiom. 213.*

7. Paritèr quoad Lineam, ſive Dynaſtiam *Andegavenſem*, ſubſiſtit alia Pragmatica, ſatis celebris, quam edidit Carolus Claudus, Caroli I. utriuſque Siciliæ Regis, filius, tunc Princeps Salernitanus, & pro Patre abſente, Regni Vicarius, in quâ plures Sanctiones, & Capitula continentur, ad bonum Regni regimen promulgata, & in perpetuum valitura. Unum ex ipſis capitibus ità præcipit. *Item quod Officiales, Comites, Barones, vel aliæ quæcumque perſonæ Laicales, non intromittant sè de electionibus Prælatorum, vel collationibus præbendarum, ſeu quorumlibet eccleſiaſticorum beneficiorum, directè, vel indirectè, nec de aliis, ad Spiritualia pertinentibus, niſi quantum, ratione juriſpatronatus, aliquibus competit, vel ex privilegio eſt conceſſum: nec proptèr Prelatos, Capitula Eccleſiarum, ſeù Conventus piorum locorum, ipſorum conſanguinei, ſeù vaſſalli quomodolibet moleſtentur &c. Item quod privilegia, & jura conceſſa Eccleſiis, & perſonis eccleſiaſticis à Catholicis, & antiquis Regibus Siciliæ, in quorum poſſeſſione ſunt, ſerventur illeſa: de illis verò, in quorum poſſeſſione non ſunt, fiat eis ſinè difficultate juſtitia in Curiâ competenti* (*e*).

(e) *Raynald. an. 1285. n. 43. 44. & 62.*

8. Pragmaticam hanc Bullâ Apoſtolicâ confirmavit Honorius PP. III. tamquam utilem bono ſtatui Eccleſiarum Regni præfati, ſanciens. *Nos itaque, cum fratribus noſtris deliberatione præhabitâ, premiſſa in favorem Eccleſiarum Dei, & miniſtrorum ipſius attendentes inducta, de ipſorum fratrum aſſenſu, ac plenitudine poteſtatis, perpetuæ firmitatis robur ſtatuimus obtinere, ipſaque perpetuis temporibus inviolabilitèr obſervari* (*f*). Vi ergò hujus Pragmaticæ, Regali auctoritate factæ, ac Apoſtolicæ confirmationis munimine roboratæ, nulli Laico, etiam Officiali Regio, fas eſt sè de electionibus Antiſtitum immiſcere, vel de collationibus beneficiorum, vel de quibuslibet aliis rebus, ad Spiritualia pertinentibus, horumque omnium libertatem directè, vel indirectè violare. Igitur nec etiam ulli eſt licitum collationem beneficiorum, & Epiſcopatuum, ad ſolos indigenas coarctare, quatenùs reſtrictio hęc eſt de rè ſpirituali, & ad ſpiritualia partinente:

(f) *Honor. Papa III. lib. 1. epiſt. 93.*

eſt

eſt intromiſſio Laicorum in electionibus Prelatorum: eſt tandem læſio directa, vel indirecta, libertatis eccleſiaſticę, in prefatâ Pragmaticâ verbis diſertiſſimis interdicta.

9. Rurſus hæc Pragmatica mandat ſervari Eccleſiis illæſa privilegia, in quorum ſunt poſſeſſione, ergo implicitè jubet etiam, eiſdem ſervari prorſus illæſam libertatem, quâ uſque modo Eccleſiarum Prælati, ac Sedes Apoſtolica, nec non Clerici omnes, & Laici, beneficiorum juriſpatronatus titulo diſtributores, potiti ſunt, præficiendi eccleſiaſticis beneficiis, tum Clericos extraneos, tum indigenas. Nam certè Eccleſia à ſui primordio, uſque ad noſtram ętatem, & in eâ omnes beneficiorum Collatores, atque ad ea Nominatores, hac libertate potiti ſunt in Regno Neapolitano. Quæ libertas ſi Eccleſiæ competit de jure, jam ei abſcindi non poteſt: ſi ei competit ex privilegio, jam vi præſentis Pragmaticæ illi ſervanda eſt illæſa: ergò quocumque modo res ſumatur, quâcumque ex parte conſideretur, ſemper verum eſt, quod vi hujuſmodi Regalis Pragmaticæ, Clerici extranei licitè repelli non poſſunt ab eccleſiaſticis beneficiis, in Regno Neapolis conſtitutis.

10. Quoad Dynaſtiam *Aragonenſem*, quæ Andegavenſi ſucceſſit, habemus aliam claram, & rutilantem Pragmaticam, à Ferdinando Notho, Rege Neapolis editam, anno 1469. quę incipit, *Felicis memorię Carolus &c.* (*a*) in quâ Conſtitutionem, paulò anteà nominatam, Caroli Claudi, filii, & Vicarii Caroli I. Regis, ab Honorio PP. III. approbatam, inſervit, mandans, ut quæcumque in eâ continentur, integrum, & totalem ſortiantur obſervationis effectum. Quarè ſtante hac Ferdinandi ſanctione, recurrit argumentum, hic numero antecedenti propoſitum, pro libertatę Eccleſiæ, quæ talis, ac tanta eſſę debet in Regno Neapolitano, quoad beneficiorum diſpenſarionem, ut nulla ſæcularis poteſtas eam valeat impedire: nimium autem eam impedit, ſi ubi prius patebat etiam extraneis, dummodò idoneis, aditus ad beneficia, nunc ad ſolos Clericos indigenas ipſorum beneficiorum capacitas coarctatur: adeoque infringitur, imminuitur, lęditur, ac enormiter libertas ipſa turbatur: hocque ſi fit à privatis perſonis, evidenter attentatus eſt eorum conatus. Si fit auctoritate publicâ, ab exercentibus publicam poteſtatem, ſole clarius hic diſcernitur, ipſum conatum directè violare Pragmaticas Regni: quę ſi conſiderentur tamquàm jura; jam conatus eſt contra jus. Si verò conſiderentur tamquam privilegia Eccleſię collata; jam contrà illorum diſertam diſpoſitionem fides publica conculcatur, & Eccleſia inaudita, neque ullius compenſationis ſubrogatione redintegrata, ſuis juribus, & privilegiis, contrà omnem juſtitiam ſpoliatur.

(a) *Revit. Pragm. Regnitit. de Cleric. in Diac. pragmat. 19.*

11. Itaque in Regno Neapolitano, nedum juxtà ſacros canones & juris communis expreſſas definitiones, verum etiam ſecundum leges municipales, & Pragmaticas ipſius Regni, liberè poſſunt, & debent beneficia eccleſiaſtica cujuſcumque ordinis; inferioris vel ſuperioris, Clericis dignis, & benemerentibus diſpenſari, abſque eo qnod ullus laicus, ulla ſæcularis poteſtas, licitè valeat illorum collationem ad ſolos indigenas coarctare; quippe ſub tali reſtrictione beneficia non amplius liberè conferuntur: Libertas enim, plenaria, & integra manifeſtè non eſt, niſi tum ad extraneos promovendos, tum ad indigenas sè dilatet (*b*). Adeoque ceſſant decantata illa Jura divinum, naturale, & humanum, quæ in ſenſu Contradictorum, arcent Clericos extraneos ab eccleſiaſticis beneficiis, cum potius ex Familiis, quæ Regno Neapolis præfuerunt, adſint Reges *Normanni*, *Suevi*, *Andegavenſes*, & *Aragonenſes*, admiſſionem Clericorum extraneorum ſuis ſanctionibus conſoventes. Hucuſque de Pragmaticis Regni. Nunc de Inveſtituris Regum, ſivè Principum primæ lineæ Regalis, quæ fuit *Normannica*.

(b) *Rot. in Vallisolet. pręemin. 24. Novemb. 1603. cor. Pamphilio.*

12. Normanni, inquit Hermannus Contractus, *Gens à temporibus prioris Henrici Imperatoris, in Calabriæ, Samniæ, Campaniæque partes, paulatim ex Gallici oris Oceani adventitia confluebat: & quia bellicoſior Italicis gentibus videbatur, primò gratanter accepta, crebrò indigenis adverſus Græcorum, & Saracenorum*

norum incurſiones audaciter prćliando auxiliabantur, poſteà verò, pluribus eorum ad uberem terram accurrentibus, viribus adauctis, ipſos indigetes bello premere, & juſtum dominatum invadere ceperunt (a). Juſtum inquam dominatum Sedis Apoſtolicæ, nam Græci incurſiones quidam ibi faciebant, ſed juſtum dominium, ut ſuprà oſtendimus, non habebant. Imperatoees quoque Romano-Germanici, ſeù aliqui eorum, dominium illarum Provinciarum non ei tradideeant, ſed adeptum antequam ipſum Impeeium excitaretur à Leone Papa III. confirmaverant Summo Pontifici, prout ſuprà paritèe indicavimus (b). Ex his Normannis Familia Tancredi de Altavillâ Peincipatum in Apuliâ, & Calabriâ ſibi erexit, prævalentibus ibi vi armorum, & fortunâ militari ſupee alios Connationales ſuos, Guillelmo Ferribeachio, Drogone, Unfrido, & Robeeto Guiſcardo, ejuſdem Tanceedi filiis, taliter ut nedum Peincipatum ſuæ gentis in Regno Neapolis exeecerent, verum etiam ditionem illam independentee à Sede Apoſtolicâ ſibi eetinère præſumerent; quare Summi Pontifices neceſſarium cenſuerunt, non modo cenſuris eccleſiaſticis, veeum etiam aemis ſæcularibus eoſdem coeeceee, & ad ſubjectionem ſibi debitam, juſtitiâ depoſcente, conſtringere.

(a) *Herman. Contract. in Chron. ann. 1053.*

(b) *Vid. hic ſup. e. 15 à n. 43. uſque ad finem.*

13. Primus omnium Pontificum S. Leo IX. gladium ſpirltualem, ac tempoealem conteà Normannos exemit, anno 1053. (c). Quâ de eè Hermannus Contractus, *Dominus Papa, habitâ poſt Paſcha Synodo, contrà Northmannos, ut propoſuerat, exercitum movit. Cumque illi, pacem petentes, ſubjectionem, ſervitiumque ipſi promitterent, & quę prius injuſtè ſibi uſurpantes invaſerant, ejus beneficio, gratiâque retinere velle ſe dicerent; idque Papa abnegans, vi, & injuriâ raptas res S. Petri repoſceret, eoſque perperam pervaſo cedere loco juberet; illi quia numero longè præſtabant, quaſi rem impoſſibilem ſibi propoſitam refutantes, ſe potiùs bello obviam ituros, armiſque acquiſitam patriam armis defenſuros, vel morte occubituros denuntiant* (d). Itaque ad prælium deſcenſum eſt, cujus exitus ità deſceibitue à Leone Oſtienſi: *Inito certamine, in planitie maximâ, quæ Civitati* Beneventi *adjacet, paulatim ſe ſubducentibus, fugientibuſque Noſtratibus, & ſolis, qui cum Papâ venerant, amicis, propinquiſque remanentibus, cum diù ab his acritèr pugnatum eſſet, omnibus tandem in ipſa pugnâ trucidatis, Northmanni, Dei judicio evaſere victores* (e).

(c) *Card. Baron. an. 1053. n. 3. 4.*

(d) *Herm. Contract. in Chron. an. 1053. Baron. eod. ann.*

(e) *Leo Oſtienſ. lib. 3. cap. 88.*

14. Rebus igitur ad hæc exteema peeductis, S. Leo PP. IX. neceſſitate coactus, & anathema, quo Normannos percuſſeeat, eelaxavit (f), & Terras D. Petei, ab ipſis jam detentas, in feudum *Hunfrido* eorum Duci conceſſit. Poſt S. Leonem Nicolaus PP. II. adveeſus eoſdem Normannos, & *Robertum Guiſcardum* eoeum Principem, Hunfridi defuncti fratrem, terras præfatas abſque Apoſtolicâ inveſtiturâ tenentem, cenſuras vibravit, & occupata reſtituere adegit, quæ poſteà in emphytenſim ei conceſſit (g). Memoeiam hujùs eeifacit Nicolaus Cardinalis Aragonius, natione Neapolitanus, & rerum illius Regni optimè conſcius, dicens de Papâ, quod *accedentes Normannos ad pręſentiam, & reſtitutis omnibus terris B. Petri, quas abſtulerant, in liberâ poteſtate Summi Pontificis, à vinculo excommunicationis abſolvit, & in gratiam Sedis Apoſtolicæ paternè recepit: quià verò potentia, & vires eorum tunc temporis in Urbe Romanâ Magnates cęteros ſuperabant, in cauſis Eccleſiæ contrà illos, qui Apoſtolicæ Sedis jura violenter occupaverant, Romano Pontifici magnum ſolatium, & opportunum auxilium manu validâ poterant exhibere; omninò fidelitate ab eis ſuſceptâ (prćter Beneventum) totam Apuliam, & Calabriam eis conceſſit* (h).

(f) *Herm. Contract. loc. cit.*

(g) *Leo Oſtienſ. lib. 3. c. 15. Baron. ann. 1059. num. 2. 3.*

(h) *Nicol. Card. Arag. ap. Baron. ann. 1059. tom. 11. f. 167.*

15. Rerum harum ſeeiem, ac ſucceſſus eventum, hiſtoeiæ conſignavit etiam Leo Oſtienſis, qui affirmat, Papam Roberto Guiſcardo, Apuliæ, Calabriæ, & Siciliæ ditionem confirmaſſe, prærecepto ab eo juramento fidelitatis, & deſignato cenſu, per annos ſingulos perſolvendo (i). Tenoeem feudalis inveſtituræ, per Nicolaum PP. II. ipſi Robeeto Guiſcaedo collatæ, nos non vidimus: nequè etenim uſque nunc ad manus noſtras peevenit, Veruntamèn legimus Juramentum fideli-

(i) *Leo Oſtienſ. lib. 3. c. 15. Baron. loc. cit. Binius to. 7. Concil. p. 2. in Vit. Nicol. II.*

tatis

tatis præfatæ, cujus tenor eſt ſequens. *Ego Robertus, Dei gratiâ, & S. Petri, Dux Apuliæ, & Calabriæ, & utroque ſubveniente, futurus Sicilię, ab hac horâ, & deinceps ero fidelis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & tibi Domino meo Nicolao Papæ. In conſilio, vel in facto, unde vitam, aut membrum perdas, aut captus ſis malâ captione, non ero &c. Sanctę Romanæ Eccleſię ubique adjutor ero ad tenendum, & acquirendum Regalia S. Petri, ejuſque poſſeſſiones, pro meo poſſe, contra omnes homines, adjuvabo tè, ut ſecurè, & honorificè teneas Papatum Romanum, Terramque S. Petri, & Principatum nec invadere, nec acquirere quæram, nec etiam deprędari præſumam, abſque tuâ tuorumque ſucceſſorum, qui ad honorem S. Petri intraverint, certâ licentiâ, pręter illam, quam tu mihi concedes, vel tui conceſſuri ſunt ſucceſſores. Penſionem de Terrâ S. Petri, quam ego teneo, aut tenebo, ſicut ſtatutum eſt, rectâ fide ſtudebo, ut illam annualitèr Romanâ habeat Eccleſiâ. Omnes quoque Eccleſias, quæ in meâ perſiſtunt dominatione, cum earum poſſeſſionibus dimittam in tuâ poteſtate, & defenſor ero illarum, ad fidelitatem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ &c. Hæc omnia ſupraſcripta obſervabo S. R. E. & tibi cum rectâ fide, & hanc fidelitatem obſervabo tuis ſucceſſoribus, ad honorem S. Petri ordinatis, qui mihi firmaverint inveſtituram, à te mihi conceſſam. Sic me Deus &c.* (a). (a) Card. Baron ann 1059. n. 9

16. Sequitur promiſſio annui tributi, ſivè cenſus feudalis, hoc modo: *Ego Robertus, Dei gratiâ, & S. Petri, Dux Apuliæ, & Calabrię, & utroque ſubveniente futurus Sicilię, ad confirmationem traditionis, & recognitionem fidelitatis, de omni terrâ, quam ego propriè ſub dominio meo teneo, & quam adhuc ulli Ultramontanorum unquam conceſſi, ut teneat, promitto mè annualiter pro unoquoque jugo bovum penſionem, ſcilicet duodecim denarios Papienſis monetę perſoluturum B. Petro, & tibi Domino meo Nicolao Papæ, & omnibus ſucceſſoribus tuis, aut tuorum ſucceſſorum Nuntiis. Hujus autem penſionarię redditionis erit ſemper terminus finito vere Anno, ſancto Reſurrectionis die dominico: ſub hac conditione hujus perſolvendę penſionis, obligo me, & omnes meos ſivè hęredes, ſivè ſucceſſores tibi Domino meo Nicolao Papę, & ſucceſſoribus tuis. Sic me Deus adjuvet &c.* (b). Elucet (b) Card. Baron. an. 1059. n. 9. hinc dominium temporale Sedis Apoſtolicæ ſuper Locis Apuliæ, atque Calabriæ, nunc Regnum Neapolis componentibus. Attendat autem Lector, quod hic peomittitur Papæ libeea poteſtas Eccleſiarum, in dictis locis conſtitutarum. Hæc autem libera poteſtas proculdubio ſtare non poteſt cum eeſtrictione collationis beneficiorum, vel nominationis ad illa, ſolos ad indigenas limitatâ, quemadmodum evidenter paulò ſuperius patefecimus.

17. Aliquot poſt annos idem Robertus Guiſcardus, ex lineâ Normannicâ Dux, præfatum fidelitatis, & homagii juramentum exhibuit S. Gregorio PP. VII. qui electus fuit anno 1073. ſic: *Ego Robertus, Dei gratiâ, & S. Petri, Apulię, & Calabriæ, & Siciliç Dux, ab hac horâ, & deinceps, ero fidelis S. R. Eccleſiæ, & Apoſtolicæ Sedi, & tibi Domino meo Gregorio univerſali Papæ. In conſilio, vel facto &c. Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, tibique adjutor ero ad tenendum, acquirendum, & defendendum Regalia S. Petri, ejuſque poſſeſſiones pro meo poſſe, contrà omnes homines (exceptâ parte Firmanę Marchiæ, & Salernii, atque Amalphi, undè adhuc facta non eſt definitio) & adjuvabo te, ut ſecurè, & honorificè teneas Papatum Romanum: terram S. Petri, quam nunc tenes, vel habiturus es, poſtquam ſcivero tuæ eſſe poteſtatis, nec invadere, nec acquirere quæram &c. pręter illam, quam tu mihi concedes, vel tui conceſſuri ſunt ſucceſſores. Penſionem de terrâ S. Petri, quam ego teneo, aut tenebo, ſicut ſtatutum eſt, rectâ fide ſtudebo, ut illam annualiter Sancta Romana habeat Eccleſia. Omnes quoque Eccleſias, quę in meâ perſiſtunt dominatione, cum illarum poſſeſſionibus dimittam in tuâ poteſtate, & defenſor ero illarum ad fidelitatem S. R. Eccleſię* (c). Statimque Geegoeius ipſi Roberto ſubjunxit: *Ego Gregorius Papa inveſtio te Roberte Dux, de terrâ, quam tibi conceſſerunt Anteceſſores mei ſanctæ memoriæ Nicolaus, & Alexander. De illâ autem terrâ, quam injuſtè tenes, ſicut eſt Salernus, & Amalphia, & pars Marchię* (c) Baron. ann. 1080 n. 30 - Bin. tom. 7. Concil. p. 1. f. 331.

Fir-

binis quibuſdam audivimus, clandeſtinè per Judæos tali nomine decorari, nè videatur deſtructum eorum Regnum; indeque inferatur, nondum adveniſſe Meſſiam, quem antè diremptionem Regni Juda mittendum eſſe ſacræ paginæ ſpoponderunt (*a*). Hæc ſanè ad ludificandos incautos excogitantur, non ſunt; & quatenus etiam eſſent, benè ad rem noſtram inquit Marta, *licet apud Græcos ſit etiam Imperator, qui dicitur Conſtantinopolitanus, tamen ipſe eſt ſicut Rex Schaccorum*(*b*). Rex nomine, ſed ſinè Regno; & Imperator, ſed ſinè Imperio.

30. Præterquam quod quantumvis illapſus Normannorum in Regiones Siculas fuiſſet injuſtus, & in ſui primordio tyrannicus; quid inde? Nonne hoc eſt conſuetum exordium ferè omnium Regnorum? Quatuor majora Orbis Imperia, Aſſyriorum, Macedonum, Medorum, & Romanorum, nonnè traxerunt originem à tyrannide (*c*)? *Inferre bella finitimis*, ait D. Auguſtinus, *& indè in cætera procedere, ac populos ſibi non moleſtos, ſolâ regnandi cupiditate conterere; quid aliud quam grande latrocinium nominandum eſt* (*d*)? Hæc initia habuerunt plurima Regna (*e*) hæc habuerunt præfata quatuor primaria Orbis Imperia, quæ nihilominùs progreſſu temporis in legitimas Dynaſtias tranſierunt; ex quibus Romana ſignantèr, ab ipſo Divino eloquio approbationem aliquam reportavit, dùm Phariſæis Chriſtus in Evangelio præcepit, *reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo* (*f*). Demùm ſi juſtitia Regni Normannorum in utrâque Siciliâ, in feudum per ipſos à Papâ ſuſcepti, & etiam ſaltem per ſeptingentos annos à Sede Apoſtolicâ directo jure poſſeſſi, vocanda eſſet in dubium; oporteret & dè juſtitiâ Regnorum Galliæ, Hiſpaniæ, Angliæ, Luſitaniæ, Scotiæ &c. diſputare: quippè conſtat, hæc fuiſſe partes quotitativas Imperii (*g*): potiebatur enim Imperium Romanorum intrà Europam *Italiâ, Auſtriâ, Dalmatiâ &c. Hiſpaniâ, Galliâ, Alemaniâ inferiori, infrà Rhenum, Angliâ, Scotiâ &c.* (*h*). Sed de his jam ſatis.

31. Itaque Normanni, origine Norvegi, *poſtquam annis ferè centum, magnam Europæ partem, imprimiſque Galliam, piraticis excurſionibus infeſtam habuerant, tandem certum in ea domicilium adepti ſunt*, inquit Petavius (*i*), addens, *Ubi in Italiam pervenerunt, ad Pandulphum Capuæ Dynaſtam adjunxere ſeſè, ac ſub eo aliiſque Principibus ſtipendia facientes, contrà Græcos, & Saracenos utilem, & glorioſam navarunt operam. Nec ſuas res interim neglexerunt. Nam Apuliæ poſiti Oppidis aliquot, ſuæ gentis Duces ſibi præfecerunt &c. Ex his Guillelmus Ferrabrachius ab aliis Normannis, qui Apuliam incolebant, Dux eligitur, qui Saracenos pariter, Græcoſque debellavit &c.* (*l*). Ex quibus initiis paulatim ad Regiam dignitatem utriuſque Siciliæ pervenerunt, & per annos 184. vel 192. (*m*), ſexdecim ex hac progenie Principes, quà Comitis, quà Ducis, quà Regis titulo, Dynaſtiam Siculam tenuerunt; nec quidquam eis præjudicii unquam ingeſſit, eſſe indè toto cœlo extraneos: Nam non obſtante extraneitate regnarunt, & hæreditariè regnarunt (*n*), & tantâ inconvulſibilitate regnarunt, ut donec viguit linea legitima Tancredi de Altavilla, ſtipitis Normannorum, nullus alius, niſi ex eâ, ſolium conſcenderit: quâ demùm in Guillelmo IV. Bono deficiente, non defuerunt, qui potiùs Tancredum Rogerii nothum, ejuſque poſteros regnare voluerint (*o*), quam quod aliquis Indigena ad Regale Sceptrum manus extenderet.

32. Normannis excisis ſucceſſere *Svevi*, quorum primus Henricus VI. Imperator, Aſper communi agnomine, à morum ruditate vocatus (filius fuit Friderici I. Imperatoris, à mento croceo dicti univerſalitèr Enobardi) natione Germanus, provinciâ Svevus, nec quidquam cum Siculis commune habens, niſi quod ſibi matrimoniali lege conjunxit Conſtantiam Rogerii II. filiam legitimam Regis Siculorum (*p*), quos ipſe Henricus tanto eſt odio proſecutus, ut Conſtantia ipſa quandoque Subditos tuitura, & arma corripuerit, & bellum adverſus Virum inſtruxerit (*q*): qui Rex *Henricus*, inquit Egnatius, *acceptâ Conſtantiâ Rogerii Normanni filiâ in uxorem, mox etiam Imperator à Pontifice dictus, ut major illi auctoritas accederet acquirendi Regni, ductis in Tancredum copiis, qui impari Matre*

natus

(a) *Geneſ. 49. 10. & ſui Interpretes.*
(b) *Marta de Juriſd. p. 1. c. 21. n. 29.*
(c) *Marta loc. cit. p. 1. c. 4. per totum.*
(d) *S. Auguſt. de Civit. l. 4.*
(e) *Marta p. 1. cap. 4. num. 34.*
(f) *Matth. 22. 21.*
(g) *Juſtus Lipſius de magnitud. Romanorum l. 1. c. 3.*
(h) *Marta de Juriſd. p. 1. c. 4. n. 18.*
(i) *Petavius Ration. Temp. l. 8. c. 12. § adhunc.*
(l) *Idem lib. 8. c. 17. § Tanto.*
(m) *Freccia de ſubfeud. lib. 1. tit. de antiq. Stat. Regni n. 46.*
(n) *Franciſcus de Balboa de Monarchia Regum qu. 2. par. 3. num. 80 f. 145.*
(o) *Idem loc. cit. nu. 84. Baron. an. 1189. 24. Foreſt. Map. Hiſtor. to Reg. Siciliæ in Tancred.*
(p) *Card. Baron. an. 1186. 25. Volater. l. 6. Geographi in Sicilia Balboa loc. cit. n. 85.*
(q) *Baron. an. 1198. 1 Foreſt. loc. citat.*

natus, Regnum ſibi vendicabat, reclamantibus etiam Pontificibus, Neapolim fruſtrà obſides (*a*). Evenere hæc anno Chriſti 1186. juxtà computum Petavii, qui de præfato Henrico tradit, *Henricus mortuo VVillelmo Rogerii filio, Apuliam, & Calabriam, & Siciliam recepit, atque in Siculos præſertìm omne genus immanitatis exercuit* (*b*). Poſt hunc Regem ſucceſſere alii quatuor ejuſdem Stemmatis Reges, quà legitimè, quà per invaſionem, Regalia jura exercentes, omnes origine extranei, utpotè dè Sveviâ Germaniæ, ex Friderico I. progeniti, & per 78. circitèr annos utriuſque Siciliȩ diademate coronati.

(a) *Baptiſt. Egnatius Rom Princ. l. 2. in Henrico Frideric. filio.*

(b) *Petav. Ration. temp. l. 8. c. 20. § Henricus.*

33. Poſt Svevos Regnum ſuſcepere *Andegavenſes*, origine Galli, ex lineâ Capetinâ, ductâ ab Hugone Capeto, qui Hugonem Pariſienſem patrem habuit (*c*). Ex hac namque ſtirpe adversùs Manfredum, Friderici II. nothum, utramque ſibi Siciliam uſurpantem, Clemens Papa IV. Carolum Ducem Andegavenſem, D. Ludovici IX. Francorum Regis germanum fratrem, accivit, & Regem conſtituit (*d*), qui *trajectis Alpibus, quum diù variis præliis cum Manfredo concurreret, eum tandèm apud Beneventum ſuperatum interfecit &c. Itaque ſuperatis hoſtibus, vindicatoque ſibi citrà, ultraque pharum Siciliæ Regno, Romam venit &c.* (*e*). Carolus hic nomine I. habuit ex sè deſcendentes alios octo Reges, uſque ad obitum Joannæ II. per ann. 172. Regale ſolium tenentes, tametsì origine eſſent extranei (*f*). Areſacto arbore Andegavenſium, in Regno quoquè Neapolis ſucceſſere *Aragonenſes*, qui jam diù à Veſperis uſque Siculis, per totum Orbem reſonantibus, anno 1282. in Regno Siciliæ ultrà pharum ſe inconvulſibilitèr confovebant (*g*). Primus ex Aragonenſibus, qui Neapoli regnavit, fuit Alphonſus, Ferdinandi Aragonii filius, de quo hæc Petavius, Joanna II. Regina Neapolis *Martini V. Pontificis alienatum à sè animum, & Sfortiæ Ducis fortiſſimi converſa in sè arma metuens, Alphonſum Aragoniæ, Siciliæque Regem, in auxilium evocat, quo cum de adoptione, ac Regni ſucceſſione paciſcitur* (*h*). Ex quâ progenie uſque ad Ferdinandum V. Aragonium, cognomento Catholicum, ſex Reges, & ſi non omnes rectâ lineâ deſcendentes, per annos 79. vel ſecundum alios 82. ſibi ordinatim ſucceſſere; Principes natione Hiſpani, genere Aragonenſes, omnibuſque numeris à Siciliâ citrà pharum, ſivè à Neapolitano Regno prorsùs extranei, nihil eis obſiſtente extraneitate nè regnarent,

(c) *Foreſt. Map. Iſtor. to. 4. p. 1. l. 6. in Hugo. Capet. R.ͤ Franc.*

(d) *Platin. in Urban IV. Balboa de Monarchia Regum qu. 2. p. 3. n. 89. 90. Raynald. an. 1251. 2. 1263. 78. 1264. 1.*

(e) *Volater. Geogr. l. 6. in Sicilia.*

(f) *Loſchi comp. Iſtor. della Caſa d'Auſtria ne' Rè di Napoli.*

(g) *Preccia de ſubfeud. lib. 1. tit. de antiq. Stat. Regni n. 48. Valater. Loſchi & Foreſt. locis citat.*

(h) *Petav. ration. temp. p. 1. l. 9. c. 8. § Joanna.*

34. Quibus extinctis, Regnum per Joannam, præfati Ferdinandi V. primogenitam, pervenit ad *Auſtriacos* (*i*). Nempè ad Carolum V. Imperatorem, qui ex eâ, & Philippo I. Auſtriaco, Maximiliani I. Imperatoris filio, natus eſt (*l*), ex quo ad alios quatuor Reges ordine ſucceſſivo pertranſiit, uſque ad Carolum II. defunctum anno 1700. Et ſic Regali ſolio Neapolis inſederunt per annos 184. Reges Dynaſtiæ Auſtriacæ, à Rodulpho I. Imperatore, vel adhùc altius rem repetendo, à Theodeberto Comite Abſpurgenſe, deſcendentes (*m*), cui cognomen dederat Caſtrum Abſpurga, inter Baſileam, & Zurigum poſitum, in Alſatiâ, dictique poſteà Auſtriaci, ob Auſtriam, à Rodulpho præfato ſucceſſivè Alberto filio conceſſam (*n*), Principes origine, & natione Germanici, incolatu Hiſpani, totoque cœlo à Regno Neapolitanorum extranei. Itaque ſi tot Reges, quot in Sicilia citrà pharum Regale ſolium tenuerunt, omnes fuerunt extranei, *Norvegi, Galli, Germani, Aragonenſes, Hiſpani*, quid eſt quod laici extranei eo uſque poſſunt in illo Regno procedere, ut etiam ad Regale faſtigium valeant pervenire; non autem poſſint Clerici extranei exiguas prȩbendas, mediocres Abbatias, tenues Epiſcopatus, etſi abundantes meritis adipiſci? Mirantur Hiſtoriæ fortunæ luſum in Franciſco Ximenio, qui vitæ Clericali operam dans, repulſam eſt paſſus à beneficio, ſivè Præbendâ Eccleſiȩ Toletanæ poſſidendâ, non ſecus ac ſi in illo non eſſet meritum prò tali gradu aſſequendo; & ſucceſſivè poſteà uſque adeò aſcendit, ut & Cardinalatum Romanæ Eccleſiæ, & ipſius metropolis Toletanæ Archiepiſcopatum ſit felicitèr aſſecutus, ac tamquam Archiepiſcopus fuerit honorandus in loco, ubi fuerat à Præbendâ ſimplici reprobatus (*o*).

(i) *Surit. to. 6. l. 10. c. 99. Marian. l. 30. c. 17 Raynal. an. 1516 n. 39.*

(l) *Foreſt. Mapp. Iſtor. to. 4 p. 2. l. 8. in Joanna Reg. Hiſpaniæ.*

(m) *Loſchi Arbor. di Caſa d'Auſtr.*

(n) *Foreſt. tom. 2. l. 22. in Ridolf. I. Imper.*

(o) *Vide Gomes de rebus Card. Ximenii.*

35. Ma-

35. Magis autem mirandum profectò erit, & mirabitur totus peritorum chorus: mirabuntur Hiſtorici, Theologi, Juriſconſulti, Politici, & generalitèr omnes non exiguè mirabuntur fortunam laicorum extraneorum, qui in Regno Neapolitano valeant uſque ad culmen Regię magnitudinis properare: viceverſa verò infortunium Clericorum, paritèr extraneorum, qui ibidem, nequè ad præbendulas Eccleſiaſticas, nequè ad ullas Eccleſias beneficiales poſſint accedere. *Obſtupeſcite Cæli ſuper hoc, & portæ ejus deſolamini vehementèr dicit Dominus* (*a*); Proh dolor! In Regno Neapolitano, feudali Romanæ Eccleſiæ, pio, Catholico, fervore Religionis, ut putamus, nulli ſecundo; ex quo multi Romani Pontifices prodiere, pluresque centuriæ Cardinalium Romanæ Eccleſiæ; necnon Epiſcoporum numerus infinitus: ubi Eccleſiæ abundant; Viri Eccleſiaſtici amantur, & Clericatus ipſe multis perfruitur beneficiis; in iſto inquam Regno, deterioris conditionis eſſe Clerici declarantur, quam ſint laici; dùm laici extranei uſque ad Regalis Majeſtatis valent celſitudinem evolare; Clerici autem extranei, nec etiam ſerptitando per humum, ad fortunam poſſunt exigui benefitioli pervenire! Pudeat talia effutientes, ex quibus tàm vituperabilis conſequentia neceſſariò debeat eliquari. Ergò ſi in Regno Neapolitano laicis, quantumlibet extraneis, ad excelſa quæque officia, & beneficia ſæcularia, atque ad ipſum culmen Regalis dignitatis, patet acceſſus; nè ibi deterioris conditionis Clerici ſint, quam laici; oportet quod Clericis quoque pateat acceſſus ad eccleſiaſtica beneficia. Et ſic rè totâ benè penſatâ, & ad juſtitiæ rimam libratâ, neceſſario concludendum eſt, quod ſtante legitimo argumento, rite deducto ab officio ad beneficium (*b*), in Regno Neapolitano liberum eſſe debet etiam Clericos extraneos beneficiis eccleſiaſticis inſignire.

(a) *Jerem. cap. 2. num. 12.*

(b) *Barboſ. tract. var. loc. 77. n. 1. cum aliis ibi alleg.*

C A P U T XXX.

In quo ex Pragmaticis *Regni Neapolitani, & ex Inveſtituris Principum lineæ Regalis* Normannicæ, *oſtenditur, non ſolùm Clericos indigenas, verùm etiàm extraneos, in Regno præfato eſſe ad Eccleſiaſtica Beneficia admittendos.*

S U M M A R I U M.

1 *Pragmaticæ Regni Neapolis ſunt leges municipales, quibus ibi vivitur. Una Caroli V. extraneos admittit. Hęc quod lineam* Auſtriacam.

2 *Quoad lineam* Svevicam, *edidit aliam Pragmaticam Fridericus II. Imperator, & Rex, modum præſcribens, in electionibus obſervandum.*

3 *Quidquid ſtatuitur de beneficiis Epiſcopalibus, à paritate rationis eſt verum de aliis quoque beneficiis, ordinis inferioris.*

4 *Biennio poſt idem Princeps aliam edidit Conſtitutionem, à Principibus Germanię ſubſcriptam, pro liberâ electione Prælatorum.*

5 *Dictio* liberè *importat plenum arbitrium operantis, & in beneficialibus excludit omnem reſtrictionem, adeoque tam indigenas, quam extraneos, dummodo idoneos, admittit.*

6 *Ta-*

6 *Tametſi in dictis Pragmaticis ſit ſermo ſolum de electione, verificantur tamen etiam de collatione beneficiorum, collatio enim habet vim electionis.*

7 *Ex lineâ* Andegavenſi *Carolus Claudus Pragmaticam edidit, cavenſem, ne quis laicus ſe intromittat in electionibus, vel collationibus beficiorum.*

8 *Hanc pragmaticam Honorius PP. III. confirmavit: cujus vi ſi collatio beneficiorum ad ſolos indigenas coarctetur, læditur Eccleſiæ libertas.*

9 *Libertas admittendi etiam clericos extraneos ad beneficia, vel ſit de jure, vel ex privilegio, ſervari debet, etiam vi hujus Pragmaticę.*

10 *Ex lineâ* Aragonenſi; *Ferdinandus nothus confirmavit Pragmaticam Claudi, cujus vi Eccleſiæ ſua libertas illæſa ſervanda eſt.*

11 *Nedum ergo de jure communi, ſed etiam ex Pragmaticis municipalibus, in Regno Neapolis admitti debent Clerici extranei ad beneficia.*

12 *Normanni, ex quâ gente fuerint, & undè in Apuliam profecti ſint, ſpectantem ad Sedem Apoſtolicam. Ab his linea* Normannica *regnare incæpit.*

13 *S. Leo PP. IX. primus Normannos, tametſi vaſſalagium pro terris acquiſitis ei offerentes, cenſuris, & bello appetiit, infauſto tamen exitu.*

14 *Idem S. Leo terras prefatas Normannis in feudum conceſſit. Inde Nicolaus PP. II. adverſus eoſdem Normannos cenſuras vibravit.*

15 16 *Seriem harum rerum narrat Leo Oſtienſis. Juramentum fidelitatis* Robertus Guiſcardus *exhibuit Nicolao PP. II. atque promiſit annuum tributum.*

17 *Succeſſivè idem Robertus exhibuit juramentum fidelitatis S. Gregorio PP. VII. qui eidem viciſſim brevem contulit inveſtituram.*

18 *Robertus Guiſcardus ſpondet liberas relinquere Papæ omnes Eccleſias, ad quas nedum indigenas, verum etiam extraneos Pontifex admiſit, & admitti fecit.*

19 Rogerius Burſa *ab Urbano PP. II. indè* Guillelmus *ejus filius, à Paſchali II. & Calliſto II. Inveſtituram acceperunt, eo modo quo Guiſcardus.*

20 Rogerius Silivus *Rex Inveſtituram accepit ab Honorio PP. II. quam quia ab Innocentio II. ſumere contemnebat, arma mota ſunt contrà eum.*

21 *Rogerius Rex præfatus electiones Antiſtitum liberas nolebat ſinere, ſed eas ad ſe trahebat, quæ etiam cauſa fuit belli, eidem per Innocentium illati.*

22 *Neapolitani, qui ſè Rogerio Regi ſubmittere recuſabant, audito, quod Papa Rogerio inveſtituram dederat, ſe illi ſubjecere.*

23 *Acceperat Rogerius Regalem inveſtituram à Pſeudopapa Anacleto, qui quædam beneficia Epiſcopalia in eâ ſibi reſervavit.*

24 *Rex ipſe ſè ingerebat in beneficiorum diſtributione, pecuniam indè ſuſcipiens; Quæ poſteà res à Papis correcta fuit.*

25 *Oſtenditur, quod etiam Rogerius Rex libertatem Eccleſiæ redintegravit, quoad diſpenſationem beneficiorum, quibuslibet conferendorum.*

26 *Affertur pars Regalis inveſtiturę, per Innocentium II. Rogerio Regi collatæ: & ex eâ deducitur libertas Eccleſię in beneficiorum diſpenſatione.*

27 *Guillelmus Malus Rex contentiones habuit cum Hadriano PP. IV., à quo cenſuris, & armis fuit fatigatus, infelici tamen exitu quoad Papam.*

28 29 30 *Tenor conventionis inter Hadrianum PP. IV. &* Guillelmum *malum Regem initæ, in quâ admittitur libertas diſpenſationis beneficiorum.*

31 *Conventio prefata favet extraneis: tum propter translationes Antiſtitum, tum propter conſecrationes, & benedictiones earum,* liberè *Papæ relictas.*

32 *Tempore* Guillelmi *Boni Regis, Angli, &* Galli, *& conſequenter etiam aliarum Nationum* Clerici, *adipiſci poterant in utraque Siciliâ beneficia.*

33 *Petrus Bleſenſis* Gallus *teſtatur, ſe fuiſſe pluries deſignatum Epiſcopum in Regno imò & Archiepiſcopum Neapolitanum, etſi eſſet extraneus.*

34 *Agitur de literis naturalitatis, an eas dare poſſit Papa, & Epiſcopus pro beneficiis, uti poteſt illas dare Princeps, vel Civitas.*

Digitized by Google

35 *Principes Dynaſtiæ* Normannicæ *tenuerunt Regnum Neapolis, uti feudum Romanæ Eccleſię, & vi Inveſtiturarum, liber eſt acceſſus extraneis ad beneficia.*

1. POST commenſurata officia Clericalia cum Laicalibus Regni Neapolitani, & deductam indè proportionem favore Clericorum extraneorum, placeat nunc *Pragmaticas* perluſtrare, quibus in eodem Regno vivitur; & indè peſcrutari, an aliquid adſit, quod ipſis Clericis extraneis acceſſum præbeat ad eccleſiaſtica beneficia. Cum etenim Pragmaticæ illæ ſint jura municipalia, & Conſtitutiones, facientes in Regno Jus commune (*a*), nullibi melius, quam ex eis poterit comprehendi juſtitia, vel injuſtitia admiſſionis eorundem extraneorum ad eccleſiaſtica beneficia. Reſpectu ad Dynaſtiam *Auſtriacam*, ſuperiùs allegavimus Pragmaticam Caroli V. Imperatoris, uti Regis Neapolis, ſic ſancientem: *Quo verò ad beneficia eccleſiaſtica, videlicet Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Abbatiæ, Prioratus, Canonicatus, Præbendæ, & cætera beneficia quæcumque, ſpectantes, & ſpectantia ad collationem, ſeù nominationem, & præſentationem Cæſareę Majeſtatis, conferantur pro medietate Regnicolis, pro aliâ ad beneplacitum; & cum vacaverint alternatim provideantur, prout ſervatur in Regno Siciliæ ultrà Pharum: hoc videlicet modo, & formâ, quod beneficia per exteros quomodolibet vacantia, Regnicolis conferantur, cum verò per Regnicolas vacare contigerit, provideantur ad Cæſareæ, & Catholicæ Majeſtatis arbitrium, & beneplacitum* (*b*). Ex quibus patet, quod beneficia eccleſiaſtica Juriſpatronatus Regii, tùm Clericis extraneis, tùm indigenis ſunt tradenda: & hæc eſt praxis, quæ dictam Pragmaticam eſt ſecuta; viguitque ſemper ex eo tunc, & viget adhuc in Regno. Quod ſi verum eſt de beneficiis Juriſpatronatus Regii; eccur verum non erit de beneficiis patronatuum inferiorum? Et ſi eſt verum de Patronatibus univerſaliter, tàm Regiis, quà Pravatorum; cur quæſo non erit verum etiam de aliis beneficiis, quæ omninò liberè conferuntur, vel à Papa, vel ab Epiſcopis, vel ab aliis illorum collatoribus?

(a) Camill. Borel. ſum. decif. to. 1. tit. 13. n. 10. Matth. de Affl. & decif. Neapol. 404. n. 2.

(b) Rovit. Pragm. Reg. tit. de offic. proviſon: pragm. 1.

2. Pariter quoad Dynaſtiam *Svevicam*, aliam Pragmaticam edidit diù antè Fridericus II. paritèr Imperator, & Rex Siciliæ, tàm citrà, quàm ultrà Pharum, promulgatam anno 1211., in quâ, ad tollenda jurgia, quæ poterant inter Eccleſiam, & Regem ob electiones Antiſtitum proſilire, formam ſtatuit, in eiſdem imprævaricabiliter obſervandam, tenoris ut ſequitur, *In nomine Dei ęterni, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti Amen. Reverendiſſimo Patri, & Domino chariſſimo Innocentio Dei gratia S. R. E. Summo Pontifici, Fridericus, Dei gratiâ, Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ. Nè ulla de cætero inter vos, vel ſucceſſores veſtros, & nos, vel hæredes noſtros, ſuper electionibus celebrandis, diſſenſio ſuſcitetur, quę nonnunquam inter Eccleſiam, & Regnum rancoris, & indignationis fomitem miniſtrabant, modum, & ordinem electionis in poſterum faciendæ, præſentibus literis curavimus explicare, in quibus ſic Canonicæ libertati deferimus, ut dignitatem Regiam non lædamus. Sancta Sede vacante Capitulum ſignificabit nobis, & hæredibus noſtris, obitum deceſſoris; deindè convenientes in unum, invocatâ Spiritus Sancti gratiâ, ſecundum Deum, eligent canonicè perſonam idoneam, cui requiſitum à nobis præbere debeamus aſſenſum, & electionem factam non differant publicare: electionem verò factam, & publicatam, denuntiabunt nobis, & noſtrum requirent aſſenſum. Sed antequam aſſenſus Regius requiratur, non inthronizetur electus, nec decantetur laudis ſolemnitas, quæ inthronizationi videtur annexa, nec antequam auctoritate Pontificali fuerit confirmatus, adminiſtrationi ſè ullatenùs immiſcebit* (*c*).

(c) Odoricus Raynal. ann. 1211. n. 5.

3. Proſequitur eadem Pragmatica: *Volumus igitur, & concedimus, ut ſecun-*

dum

Digitized by Google

dum prædictam formam, electiones dè cætero per totum Regnum noſtrum liberè celebrentur, nullo prorsùs obſtante reſcripto, à Sede Apoſtolicâ impetrato. Ad hujus autem conceſſionis noſtræ memoriam, & robur perpetuò valiturum, præſens reſcriptum per manus boni hominis dè Gajeta Notarii, & fidelis noſtri ſcribæ, & bullâ aureâ typariâ noſtræ Majeſtatis impreſſâ, præcipimus communiri, anno, menſe, & indictione ſubſcriptis. Datum in Civitate Meſſanenſi, anno Dominicæ Incarnationis MCCXI. menſis Februarii XI. Ind. Regni verò Domini noſtri Friderici, Dei gratiâ glorioſiſſimi Regis Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ anno 13. fœliciter. Amen. Sermo eſt ibi tantummodo de beneficiis Epiſcopalibus: Sed quia quoàd libertatem diſpenſationis ſacrarum Præbendarum eadem eſt ratio Eccleſiæ, tàm pro inferioris, quam pro ſuperioris ordinis beneficiis (*a*); quidquid ibi de Epiſcopatibus Pragmaticâ Regali decernitur; à paritate rationis, etiam de aliis beneficiis intelligitur definitum (*b*). Et ſic cum inibi plena libertas pro electionibus Antiſtitum ſtatuatur, plena autem libertas non ſit, ſed limitata, & circumciſa, niſi ſuffragetur etiam admiſſioni extraneorum, prout fit indigenarum, ad eccleſiaſtica beneficia; patet quod vi Pragmaticæ præfatæ Friderici Imperatoris, atque Regis utriuſque Siciliæ, tum Clerici extranei, tum indigenæ liberè ad ſacras præbendas in Regno Neapolitano debent admitti.

4. Biennio poſt idem Princeps aliam edidit Conſtitutionem, Sanctionem, ſivè Pragmaticam, eidem Innocentio Papæ III. directam, à Principibus Germaniæ ſubſcriptam, tum eccleſiaſticis, tum ſecularibus, in quâ, inter cætera ſic habet: *Illum igitur volentes abolere abuſum, quem quidam Prædeceſſorum noſtrorum exercuiſſe dignoſcuntur, decretum in electionibus Prælatorum concedimus, & ſancimus, ut electiones Prælatorum liberè, & canonicè fiant, quatenus ille præficiatur Eccleſiæ viduatæ, quem totum Capitulum, vel major, & ſanior pars illius duxerit eligendum, dummodò nihil deſit ei de Canonicis inſtitutis &c. Illum quoque dimittimus, & refutamus abuſum, quem in occupandis bonis decedentium Prælatorum, aut etiam Eccleſiarum vacantium, noſtri conſueverunt Prædeceſſores admittere, pro motu propriæ voluntatis, omnia nos ſpiritualia vobis, & aliis Eccleſiarum Prælatis relinquimus liberè diſponenda, ut quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo, rectâ diſtributione reddantur* (*c*). Hæc eſſe conſentanea Inveſtituræ, quam Fridericus ab ipſo Innocentio receperat cum Conſtantia Matre ſuâ, videbimus capitulo ſubſequenti.

5. Itàque Rex ipſe ſemel, & repetitè decernit, quod tam electiones illorum, qui beneficiis Prælatitiis præficiendi ſunt, *liberè* fiant, quam quod omnia Spiritualia *liberè* per Summum Pontificem, & Eccleſiæ Præſules diſponantur. Jus diſpenſandi eccleſiaſtica beneficia, citrà controverſiam eſt jus Spirituale; ergò cadit ſub diſpoſitione præſentis Regiæ Conſtitutionis: *liberè* igitur exerceri debet hoc jus, tam uti res *Spiritualis*, quam uti res ſub *electionis* nomine comprehenſa. Quid autem ſibi vult hæc dictio *liberè*? Agunt de illâ plures Doctores (*d*), ipſiuſque vis ad arbitrium operantis refertur: ità ut *liberè* aliquid facere, idem ſit, ac pro libito, & arbitrio agentis illud exercere (*e*), vel ſinè impedimento, ſinè contradictione, ſinè onerè, vel gravamine, aut obſtaculo, ac ſinè reſtrictione, vel diminutione illud exequi poſſe (*f*). Ità ut cui competit aliquid liberè facere, competat etiam id facere pro ſuo abſoluto beneplacito, & voluntate, abſque ullâ limitatione, ac nullius prorsùs requiſito conſenſu (*g*). Et individuè in eo, qui præditus eſt jure conferendi liberè beneficium, dictio illa *liberè* importat, ut beneficium ipſum prò ſuâ integrâ, plenâ, totalique voluntate conferre poſſit, abſque ullâ perſonarum limitatione, aut reſtrictione (*h*). Quarè vi utriuſque Pragmaticæ Friderici Regis præfati, Diſpenſatores beneficiorum, in Regno Neapolis exiſtentium, liberè valent beneficia ipſa cuicumque, ſibi magis grato, impertiri, ſivè indigenæ, ſivè extraneo, dummodò idoneo, ſecundum jura: Dictio etenim *liberè* non excludit qualitates à jure requiſitas (*i*).

(a) *Leſſius de juſt. & jur. l. 2. c. 34. dub. 14. num. 64. Gusmer. in Pragm. Sa. B. V. externum tom. 1. f. 35.*

(b) *Auguſtin. Barboſ. Vot. deciſ. l. 2. Vot. 33. n. 4.*

(c) *Ex libr. Privil. Eccl. Rom. lib. Conſ. Cod. Vatic.*

(d) *Card. Tuſc. tom. 5. lit. D. Concl. 306. Gonzal. ad Reg. 8 Canc. gloſ. 53. nu. 1. Farinac. Conſ. 8. n. 10. Conſ. 119. n. 13.*

(e) *Barboſ. Trac. Var. dict. 190. n. 10.*

(f) *Gloſ. & DD. in cap. Epiſcopus de off. ordin. & in c. 2. de regul. jur. in 6. Alex. Conſ. 214. n. 4.*

(g) *Pariſ. Conſ. 26. n. 26. vol. 4. Menoch. de arbitr. l. 1. q. 17. nu. 33. Tuſc. loc. cit. Concl. 106. n. 12. Cravet. Conſ. 188. n. 5.*

(h) *Rota in Valliſol. præmin. 24. Novembris 1603. cor. Pamphil. Barboſ. loco citato n. 13.*

(i) *Menoch. de arbitr. l. 1. q. 7. n. 36. 37. Barboſ. ubi ſupr. n. 11.*

6. Nec obſtat, quod in memoratis Pragmaticis ſermo ſit de electione, quę jam receſſit ab aulâ: quippè noſtrâ ætate beneficia eccleſiaſtica Regni Neapolis, non per electionem, ſed per liberam collationem, vel ad patronorum præſentationem, à Papa, ab Epiſcopis, & ab aliis poteſtatem habentibus, diſpenſantur. Non inquam hoc obſtat, ſiquidem proviſio beneficiorum, quæ modò fit ab Ordinariis locorum, & à Papa, vim in ſe continet electionis, nominationis, & confirmationis (*a*), quam vim etiam habet collatio (*b*), ideoque quidquid dicitur de electione, locum habet quoque in collatione, Præſertim cum nulla ſit ratio, quæ depoſcat majorem libertatem in electione, quam in collatione: ſed potius ratio urget oppoſitum. Major etenim debet eſſe libertas in ſuperiore, agente collationem pleno jure, ac miniſtrante ex ſe principalitèr, & directè bona Eccleſiæ, quorum de jure eſt adminiſtrator; quam in electoribus, inſtrumentalitèr tantum deſignantibus electum, & admiſſis ex gratiâ, ſolumque participativè, ad miniſtrationem beneficiorum electivorum, egentem adhùc confirmatione eccleſiaſtici Superioris. Præterea cum proviſio beneficiorum, per viam electionis Canonicę, non ſit de jure divino, ſed humano; hinc fit, quod juſtis ex cauſis potuit abrogari (*c*), & poſtquam ſublata eſt, Prelatus conferens beneficia, vel pleno jure, vel reſpectivè, ad præſentationem habentium juſpatronatus; gerit vicem electorum, illorumque in locum agnoſcitur ſubintraſſe. Quia verò ex tritâ regulâ ſubrogatum ſapit naturam ejus, in cujus locum ſubrogatur (*d*), ideò ſequitur, quod Pragmaticæ præfatæ, ſuggerentes, beneficia per electionem eſſe liberè diſpenſanda, ità ut ſine ullâ reſtrictione ad aliquod genus perſonarum eligentes valeant quemlibet, undecumque originem ducentem, ad ea provehere; declarant etiam, quod beneficia, ſolita per liberam collationem, vel ad aliorum præſentationem, conferri, poſſunt liberè quibuslibet Clericis idoneis, abſque ullâ indigenarum, vel extraneorum limitatione, præberi.

(a) *Fagnan. in Cap. nullus 1. n. 22 de elec. § 1. Barboſ. de Off. Epiſcop. p. 1 tit. 1. c. 4 n 8.*
(b) *Proſper Fagnan. loc. cit. n. 25.*
(c) *Bellarmin tom 1. Contr. 5. l. 1. c. 8 & to 2 Contr 2. l. 1. c. 8 Fagnan. ubi ſupra 3.*
(d) *Leg. ſi eum § qui ff. ſi quis caut Natar. diſcept forenſ c 624. n. 9. Barboſ. Axiom. 213.*

7. Paritèr quoad Lineam, ſive Dynaſtiam *Andegavenſem*, ſubſiſtit alia Pragmatica, ſatis celebris, quam edidit Carolus Claudus, Caroli I. utriuſque Siciliæ Regis, filius, tunc Princeps Salernitanus, & pro Patre abſente, Regni Vicarius, in quâ plures Sanctiones, & Capitula continentur, ad bonum Regni regimen promulgata, & in perpetuum valitura. Unum ex ipſis capitibus ità præcipit. *Item quod Officiales, Comites, Barones, vel alię quæcumque perſonæ Laicales, non intromittant sè de electionibus Prælatorum, vel collationibus præbendarum, ſeu quorumlibet eccleſiaſticorum beneficiorum, directè, vel indirectè, nec de aliis, ad Spiritualia pertinentibus, niſi quantum, ratione juriſpatronatus, aliquibus competit, vel ex privilegio eſt conceſſum: nec proptèr Prelatos, Capitula Eccleſiarum, ſeù Conventus piorum locorum, ipſorum conſanguinei, ſeù vaſſalli quomodolibet moleſtentur &c. Item quod privilegia, & jura conceſſa Eccleſiis, & perſonis eccleſiaſticis à Catholicis, & antiquis Regibus Sicilię, in quorum poſſeſſione ſunt, ſerventur illeſa: de illis verò, in quorum poſſeſſionę non ſunt, fiat eis ſinè difficultate juſtitia in Curiâ competenti* (*e*).

(e) *Raynald an. 1285. n. 43. 44. & 62.*

8. Pragmaticam hanc Bullâ Apoſtolicâ confirmavit Honorius PP. III. tamquam utilem bono ſtatui Eccleſiarum Regni præfati, ſanciens. *Nos itaque, cum fratribus noſtris deliberatione præhabitâ, premiſſa in favorem Eccleſiarum Dei, & miniſtrorum ipſius attendentes inducta, de ipſorum fratrum aſſenſu, ac plenitudine poteſtatis, perpetuæ firmitatis robur ſtatuimus obtinere, ipſaque perpetuis temporibus inviolabilitèr obſervari* (*f*). Vi ergò hujus Pragmaticæ, Regali auctoritate factæ, ac Apoſtolicæ confirmationis munimine roboratæ, nulli Laico, etiam Officiali Regio, fas eſt sè de electionibus Antiſtitum immiſcere, vel de collationibus beneficiorum, vel de quibuslibet aliis rebus, ad Spiritualia pertinentibus, horumque omnium libertatem directè, vel indirectè violare. Igitur nec etiam ulli eſt licitum collationem beneficiorum, & Epiſcopatuum, ad ſolos indigenas coarctare, quatenùs reſtrictio hęc eſt de rè ſpirituali, & ad ſpiritualia pertinente: eſt

(f) *Honor. Papa III. lib. 1. epiſt. 93.*

eſt intromiſſio Laicorum in electionibus Prelatorum: eſt tandem læſio directa, vel indirecta, libertatis eccleſiaſticę, in pręfatâ Pragmaticâ verbis diſertiſſimis interdicta.

9. Rurſus hæc Pragmatica mandat ſervari Eccleſiis illæſa privilegia, in quorum ſunt poſſeſſione, ergo implicitè jubet etiam, eiſdem ſervari prorſus illæſam libertatem, quâ uſque modo Eccleſiarum Prælati, ac Sedes Apoſtolica, nec non Clerici omnes, & Laici, beneficiorum juriſpatronatus titulo diſtributores, potiti ſunt, præficiendi eccleſiaſticis beneficiis, tum Clericos extraneos, tum indigenas. Nam certè Eccleſia à ſui primordio, uſque ad noſtram ętatem, & in eâ omnes beneficiorum Collatores, atque ad ea Nominatores, hac libertate potiti ſunt in Regno Neapolitano. Quæ libertas ſi Eccleſiæ competit de jure, jam ei abſcindi non poteſt: ſi ei competit ex privilegio, jam vi præſentis Pragmaticæ illi ſervanda eſt illæſa: ergò quocumque modo res ſumatur, quâcumque ex parte conſideretur, ſemper verum eſt, quod vi hujuſmodi Regalis Pragmaticæ, Clerici extranei licitè repelli non poſſunt ab eccleſiaſticis beneficiis, in Regno Neapolis conſtitutis.

10. Quoad Dynaſtiam *Aragonenſem*, quæ Andegavenſi ſucceſſit, habemus aliam claram, & rutilantem Pragmaticam, à Ferdinando Notho, Rege Neapolis editam, anno 1469. quę incipit, *Felicis memorię Carolus &c.* (a) in quâ Conſtitutionem, paulò anteà nominatam, Caroli Claudi, filii, & Vicarii Caroli I. Regis, ab Honorio PP. III. approbatam, inſervit, mandans, ut quæcumque in eâ continentur, integrum, & totalem ſortiantur obſervationis effectum. Quarè ſtante hac Ferdinandi ſanctione, recurrit argumentum, hic numero antecedenti propoſitum, pro libertate Eccleſiæ, quæ talis, ac tanta eſſe debet in Regno Neapolitano, quoad beneficiorum diſpenſationem, ut nulla ſæcularis poteſtas eam valeat impedire: nimium autem eam impedit, ſi ubi prius patebat etiam extraneis, dummodò idoneis, aditus ad beneficia, nunc ad ſolos Clericos indigenas ipſorum beneficiorum capacitas coarctatur: adeoque infringitur, imminuitur, lęditur, ac enormiter libertas ipſa turbatur: hocque ſi fit à privatis perſonis, evidenter attentatus eſt eorum conatus. Si fit auctoritate publicâ, ab exercentibus publicam poteſtatem, ſole clarius hic diſcernitur, ipſum conatum directè violare Pragmaticas Regni: quę ſi conſiderentur tamquàm jura; jam conatus eſt contra jus. Si verò conſiderentur tamquam privilegia Eccleſię collata; jam contrà illorum diſertam diſpoſitionem fides publica conculcatur, & Eccleſia inaudita, neque ullius compenſationis ſubrogatione redintegrata, ſuis juribus, & privilegiis, contrà omnem juſtitiam ſpoliatur.

(a) *Revit. Pragm. Regni tit. de Cleric. ex Diat. pragmat. 19.*

11. Itaque in Regno Neapolitano, nedum juxtà ſacros canones & juris communis expreſſas definitiones, verum etiam ſecundum leges municipales, & Pragmaticas ipſius Regni, liberè poſſunt, & debent beneficia eccleſiaſtica cujuſcumque ordinis; inferioris vel ſuperioris, Clericis dignis, & benemerentibus diſpenſari, abſque eo quod ullus laicus, ulla ſæcularis poteſtas, licitè valeat illorum collationem ad ſolos indigenas coarctare; quippe ſub tali reſtrictione beneficia non amplius liberè conferuntur: Libertas enim, plenaria, & integra manifeſtè non eſt, niſi tum ad extraneos promovendos, tum ad indigenas ſè dilatet (*b*). Adeoque ceſſant decantata illa Jura divinum, naturale, & humanum, quæ in ſenſu Contradictorum, arcent Clericos extraneos ab eccleſiaſticis beneficiis, cum potius ex Familiis, quæ Regno Neapolis præfuerunt, adſint Reges *Normanni*, *Svevi*, *Andegavenſes*, & *Aragonenſes*, admiſſionem Clericorum extraneorum ſuis ſanctionibus confoventes. Hucuſque de Pragmaticis Regni. Nunc de Inveſtituris Regum, ſivè Principum primæ lineæ Regalis, quæ fuit *Normannica*.

(b) *Rot. in Valliſolet. pręemin. 24. Novemb. 1603. cor. Pamphilio.*

12. Normanni, inquit Hermannus Contractus, *Gens à temporibus prioris Henrici Imperatoris, in Calabriæ, Samniæ, Campaniæque partes, paulatim ex Gallici oris Oceani adventitia confluebat: & quia bellicoſior Italieis gentibus videbatur, primò gratanter accepta, crebrò indigenis adverſus Græcorum, & Saracenorum*

norum incurſiones audaciter præliando auxiliabantur, poſteà verò, pluribus eorum ad uberem terram accurrentibus, viribus adauctis, ipſos indigetes bello premere, & juſtum dominatum invadere cęperunt (*a*). Juſtum inquam dominatum Sedis Apoſtolicæ, nam Græci incurſiones quidam ibi faciebant, ſed juſtum dominium, ut ſuprà oſtendimus, non habebant. Imperatores quoque Romano-Germanici, ſeù aliqui eorum, dominium illarum Provinciarum non ei tradiderant, ſed adeptum antequam ipſum Imperium excitaretur à Leone Papa III. confirmaverant Summo Pontifici, prout ſuprà paritèr indicavimus (*b*). Ex his Normannis Familia Tancredi de Altavillâ Principatum in Apuliâ, & Calabriâ ſibi erexit, prævalentibus ibi vi armorum, & fortunâ militari ſuper alios Connationales ſuos, Guillelmo Ferribrachio, Drogone, Unfrido, & Roberto Guiſcardo, ejuſdem Tancredi filiis, taliter ut nedum Principatum ſuæ gentis in Regno Neapolis exercerent, verum etiam ditionem illam independenter à Sede Apoſtolicâ ſibi retinère præſumerent; quare Summi Pontifices neceſſarium cenſuerunt, non modo cenſuris eccleſiaſticis, verum etiam armis ſæcularibus eoſdem coerçere, & ad ſubjectionem ſibi debitam, juſtitiâ depoſcente, conſtringere.

13. Primus omnium Pontificum S. Leo IX. gladium ſpiritualem, ac temporalem contrà Normannos exemit, anno 1053. (*c*). Quâ de rè Hermannus Contractus, *Dominus Papa, habitâ poſt Paſcha Synodo, contrà Northmannos, ut propoſuerat, exercitum movit. Cumque illi, pacem petentes, ſubjectionem, ſervitiumque ipſi promitterent, & quę prius injuſtè ſibi uſurpantes invaſerant, ejus beneficio, gratiâque retinere velle ſe dicerent; idque Papa abnegans, vi, & injuriâ raptas res S. Petri repoſceret, eoſque perperam pervaſo cedere loco juberet; illi quia numero longè præſtabant, quaſi rem impoſſibilem ſibi propoſitam refutantes, ſe potiùs bello obviam ituros, armiſque acquiſitam patriam armis defenſuros, vel morte occubituros denuntiant* (*d*). Itaque ad prælium deſcenſum eſt, cujus exitus ità deſcribitur à Leone Oſtienſi: *Inito certamine, in planitie maximâ, quæ Civitati* Beneventi *adjacet, paulatim ſe ſubducentibus, fugientibuſque Noſtratibus, & ſolis, qui cum Papâ venerant, amicis, propinquiſque remanentibus, cum diù ab his acritèr pugnatum eſſet, omnibus tandem in ipſa pugnâ trucidatis, Northmanni, Dei judicio evaſere victores* (*e*).

14. Rebus igitur ad hæc extrema perductis, S. Leo PP. IX. neceſſitate coactus, & anathema, quo Normannos percuſſerat, relaxavit (*f*), & Terras D. Petri, ab ipſis jam detentas, in feudum *Hunfrido* eorum Duci conceſſit. Poſt S. Leonem Nicolaus PP. II. adverſus eoſdem Normannos, & *Robertum Guiſcardum* eorum Principem, Hunfridi defuncti fratrem, terras præfatas abſque Apoſtolicâ inveſtiturâ tenentem, cenſuras vibravit, & occupata reſtituere adegit, quæ poſteà in emphytenſim ei conceſſit (*g*). Memoriam hujus rei facit Nicolaus Cardinalis Aragonius, natione Neapolitanus, & rerum illius Regni optimè conſcius, dicens de Papâ, quod *accedentes Normannos ad præſentiam, & reſtitutis omnibus terris B. Petri, quas abſtulerant, in liberâ poteſtate Summi Pontificis, à vinculo excommunicationis abſolvit, & in gratiam Sedis Apoſtolicæ paternè recepit: quià verò potentia, & vires eorum tunc temporis in Urbe Romanâ Magnates cęteros ſuperabant, in cauſis Eccleſiæ contrà illos, qui Apoſtolicæ Sedis jura violenter occupaverant, Romano Pontifici magnum ſolatium, & opportunum auxilium manu validâ poterant exhibere; omninò fidelitate ab eis ſuſceptâ (præter Beneventum) totam Apuliam, & Calabriam eis conceſſit* (*h*).

15. Rerum harum ſeriem, ac ſucceſſus eventum, hiſtoriæ conſignavit etiam Leo Oſtienſis, qui affirmat, Papam Roberto Guiſcardo, Apuliæ, Calabriæ, & Siciliæ ditionem confirmaſſe, prærecepto ab eo juramento fidelitatis, & deſignato cenſu, per annos ſingulos perſolvendo (*i*). Tenorem feudalis inveſtituræ, per Nicolaum PP. II. ipſi Roberto Guiſcardo collatæ, nos non vidimus: nequè etenim uſque nunc ad manus noſtras pervenit. Veruntamèn legimus Juramentum fideli-

tatis

(a) *Herman. Contract. in Chron. ann. 1053.*

(b) *Vid. hic ſup. c. 25 à n. 43. uſque ad finem.*

(c) *Card. Baron. an. 1053. n. 3. 4.*

(d) *Herm. Contract. in Chron. an. 1053. Baron. eod. ann.*

(e) *Leo Oſtienſ. lib. 3. cap. 88.*

(f) *Herm. Contract. loc. cit.*

(g) *Leo Oſtienſ. lib. 3. c. 15. Baron. ann. 1059. num. 1. 2. 3.*

(h) *Nicol. Card. Arag. ap. Baron. ann. 1059. tom. 11. f. 167.*

(i) *Leo Oſtienſ. lib. 3. c. 15. Baron. loc. cit. Binius to. 7. Concil. p. 2. in Vit. Nic. ol. II.*

Digitized by Google

tatis præfatæ, cujus tenor eſt ſequens. *Ego Robertus, Dei gratiâ, & S. Petri, Dux Apuliæ, & Calabriæ, & utroque ſubveniente, futurus Siciliȩ, ab hac horâ, & deinceps ero fidelis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & tibi Domino meo Nicolao Papæ. In conſilio, vel in facto, unde vitam, aut membrum perdas, aut captus ſis malâ captione, non ero &c. Sanctȩ Romanæ Eccleſiȩ ubique adjutor ero ad tenendum, & acquirendum Regalia S. Petri, ejuſque poſſeſſiones, pro meo poſſe, contra omnes homines, adjuvabo tè, ut ſecurè, & honorificè teneas Papatum Romanum, Terramque S. Petri, & Principatum nec invadere, nec acquirere quæram, nec etiam deprȩdari præſumam, abſque tuâ tuorumque ſucceſſorum, qui ad honorem S. Petri intraverint, certâ licentiâ, prȩter illam, quam tu mihi concedes, vel tui conceſſuri ſunt ſucceſſores. Penſionem de Terrâ S. Petri, quam ego teneo, aut tenebo, ſicut ſtatutum eſt, rectâ fide ſtudebo, ut illam annualitèr Romanâ habeat Eccleſiâ. Omnes quoque Eccleſias, quæ in meâ perſiſtunt dominatione, cum earum poſſeſſionibus dimittam in tuâ poteſtate, & defenſor ero illarum, ad fidelitatem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ &c. Hæc omnia ſupraſcripta obſervabo S. R. E. & tibi cum rectâ fide, & hanc fidelitatem obſervabo tuis ſucceſſoribus, ad honorem S. Petri ordinatis, qui mihi firmaverint inveſtituram, à te mihi conceſſam. Sic me Deus &c.* (a). (a) Card. Baron ann 1059. n. 9

16. Sequitur promiſſio annui tributi, ſivè cenſus feudalis, hoc modo: *Ego Robertus, Dei gratiâ, & S. Petri, Dux Apuliæ, & Calabriȩ, & utroque ſubveniente futurus Siciliȩ, ad confirmationem traditionis, & recognitionem fidelitatis, de omni terrâ, quam ego propriè ſub dominio meo teneo, & quam adhuc ulli Ultramontanorum unquam conceſſi, ut teneat, promitto mè annualiter pro unoquoque jugo bovum penſionem, ſcilicet duodecim denarios Papienſis monetȩ perſoluturum B. Petro, & tibi Domino meo Nicolao Papæ, & omnibus ſucceſſoribus tuis, aut ſuorum ſucceſſorum Nuntiis. Hujus autem penſionariȩ redditionis erit ſemper terminus finito vere Anno, ſancto Reſurrectionis die dominico: ſub hac conditione hujus perſolvendȩ penſionis, obligo me, & omnes meos ſivè hȩredes, ſivè ſucceſſores tibi Domino meo Nicolao Papȩ, & ſucceſſoribus tuis. Sic me Deus adjuvet &c.* (b). Elucet (b) Card. Baron. an. 1059. n. 9. hinc dominium temporale Sedis Apoſtolicæ ſuper Locis Apuliæ, atque Calabriæ, nunc Regnum Neapolis componentibus. Attendat autem Lector, quod hic promittitur Papæ libera poteſtas Eccleſiarum, in dictis locis conſtitutarum. Hæc autem libera poteſtas proculdubio ſtare non poteſt cum reſtrictione collationis beneficiorum, vel nominationis ad illa, ſolos ad indigenas limitatâ, quemadmodum evidenter paulò ſuperius patefecimus.

17. Aliquot poſt annos idem Robertus Guiſcardus, ex lineâ Normannicâ Dux, præfatum fidelitatis, & homagii juramentum exhibuit S. Gregorio PP. VII. qui electus fuit anno 1073. ſic: *Ego Robertus, Dei gratiâ, & S. Petri, Apuliȩ, & Calabriæ, & Siciliȩ Dux, ab hac horâ, & deinceps, ero fidelis S. R. Eccleſiæ, & Apoſtolicæ Sedi, & tibi Domino meo Gregorio univerſali Papæ. In conſilio, vel facto &c. Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, tibique adjutor ero ad tenendum, acquirendum, & defendendum Regalia S. Petri, ejuſque poſſeſſiones pro meo poſſe, contrà omnes homines (exceptâ parte Firmanȩ Marchiæ, & Salernii, atque Amalphi, undè adhuc facta non eſt definitio) & adjuvabo te, ut ſecurè, & honorificè teneas Papatum Romanum: terram S. Petri, quam nunc tenes, vel habiturus es, poſtquam ſcivero tuæ eſſe poteſtatis, nec invadere, nec acquirere quæram &c. prȩter illam, quam tu mihi concedes, vel tui conceſſuri ſunt ſucceſſores. Penſionem de terrâ S. Petri, quam ego teneo, aut tenebo, ſicut ſtatutum eſt, rectâ fide ſtudebo, ut illam annualiter Sancta Romana habeat Eccleſia. Omnes quoque Eccleſias, quȩ in meâ perſiſtunt dominatione, cum illarum poſſeſſionibus dimittam in tuâ poteſtate, & defenſor ero illarum ad fidelitatem S. R. Eccleſiȩ* (c). Statimque Gregorius ipſi Roberto ſubjunxit: *Ego Gregorius Papa inveſtio te Roberte Dux, de terrâ, quam tibi* (c) Baron. ann. 1080. n. 10. Bin. tom. 7. Concil. p. 1. f. 535. *conceſſerunt Anteceſſores mei ſanctæ memoriæ Nicolaus, & Alexander. De illâ autem terrâ, quam injuſtè tenes, ſicut eſt Salernus, & Amalphia, & pars Marchiȩ*

Fir-

Digitized by Google

Firmanę, nunc te paritèr ſuſtineo in confidentià Dei Omnipotentis, & tuę bonitatis, ut tu poſteà exindo ad honorem Dei, & S. Petri, ità tè habeas, ſicut & tè agere, & mè ſuſcipere decet, ſinè periculo animæ tuę, & meæ (*a*). Succeſſivè Robertus deſignat cenſum Eccleſię perſolvendum, ut ſuprà (*b*).

18. Notetur, quod in utroque textu Juramenti, Robertus ſpondet omnes Eccleſias, intrà ſui dominii limites conſtitutas, in poteſtate Papæ dimittere, ut pro ſuo libito de illis Sancta Petri Sedes diſponeret. Cum ergò juxtà tenorem primæ inveſtituræ, quæ dat regulam aliis (*c*), & cohærentis ei Juramenti Ligii fidelitatis, diſpoſitio Eccleſiarum, in ditione Guiſcardi poſitarum, Pontifici dimittatur, Pontifex verò ad illas nedùm Clericos indigenas, ſed etiam extraneos, ab eo uſque ad præſens tempus, per ſeptingentos annos admiſerit, & reſpectivè ab aliis beneficiorum collatòribus, vel ad ea nominatoribus, admitti fecerit; evidens eſt, quod ſecundum eaſdem Inveſtituras, per Sedem Apoſtolicam Principibus familię Normannicæ conceſſas, & earum conſecutiva Juramenta fidelitatis, & hominii, Clerici extranei in Provinciis Regni utriuſque Siciliæ, tunc Roberto Guiſcardo ſubjectis, ſunt ad Eccleſias ipſas, & beneficia eccleſiaſtica, non ſecus ac indigenæ promovendi. Hanc theoricam confirmat praxis ejuſdem ætatis. Nam Hiſtoricis notum eſt, quod beneficio Epiſcopali Montis Corbini eodem ſæculo præfuit Albertus Normannus: Rhegienſi, Raingerius Gallus: Arianenſi, Meinardus Patavinus: Tropeenſi, Kalonicus Græcus: Sipontino, Albertus Placentinus (*d*). Paritèr Agrigentinam Eccleſiam tenuit Gerlandus Allobrox: Meſſanenſem, Robertus Normannus: Mazarenſem, Stephanus Rotomagenſis &c. (*e*). Undè patet, quod juxtà ſponſionem ſuprà editam à Guiſcardo, in Provinciis, per Guiſcardum ipſum à Pontifice feudali titulo acceptis, Clericis extraneis promptè patebat acceſſus ad eccleſiaſtica beneficia.

19. Poſt obitum Roberti Guiſcardi, *Rogerius Burſa* ſic nuncupatus, vel Crumena, ejus filius, Principatum Patris accepit, & ab Urbano II. inveſtituram illius obtinuit, de quâ Romualdus Salernitanus, anno 1090. *Urbanus Papa Synodum celebravit in Civitate Melfię, in quâ Rogerius Dux ligius ejus homo effectus, promiſit jurejurando, ſe ſervaturum fidem Romanæ Eccleſiæ, & eidem Papæ, ejuſque ſucceſſoribus canonicè intrantibus. Accepit per vexillum ab eo terram cum Ducatus honore* (*f*). Defuncto Rogerio Burſâ, ſeù Crumenâ, Principatus ad *Guillelmum* ejus filium pervenit. Paſchalis vero PP. II. Falcone Beneventano teſte, in Concilio apud Cępranum habito, *Ducatum Apuliæ, Calabrię, & Siciliæ, Duci præfato conceſſit* (*g*). Qui Dux Guillelmus eandem inveſtituram à Calliſto PP. II. promeruit, eo modo, quo illam obtinuerat Robertus Guiſcardus ejus Avus à Nicolao PP. II. Alexandro II. & Gregorio VII. Et Rogerius ejus pater illam ab Urbano II. fuerat conſecutus (*h*). Quià igitur iſtorum Principum, familię Normannicæ, Juramentum Ligium, & Inveſtituræ, conceptæ ſub eodem tenore fuerunt, ac illa Guiſcardi, recurrit ratio mox adducta, quod earum vi, non tantum Clericis indigenis, verum etiam extraneis, patet acceſſus ad eccleſiaſtica beneficia.

20. Sequitur *Rogerius* Rex, cognomento *Silivus*, qui Duce Guillemo patruele ſuo Conſtantinopolim digreſſo, ut Sponſam, Imperatoris filiam, duceret in uxorem; ejus ſtatum invaſit, & citrà Sedis Apoſtolicæ aſſenſum, ditionem illam ſibi retinere tentavit (*i*). Honorius proindè Papa II. in eum arma movit, uti narrat Romualdus Salernitanus, hoc modo, *Rogerius cum magno exercitu Apuliam intravit, Papa autèm Honorius, cognito quod præfatus Dux auctoritate ſuâ vellet ſibi Ducatum Apuliæ uſurpare, cujus inveſtitura, & dominium ſibi prædeceſſorum ſuorum jure legitimo pertinet; Apuliam ingreſſus cum Roberto Capuano Principe, Raidulpho Comite Tirolæ, cognato prædicti Ducis, cum Converſunenſibus, Grimoaldo Principe Barenſi, & aliis Baronibus Apuliæ, contra eum venit, ut eum de Apuliâ expelleret &c. Dun Rogerius &c. miſſis Nuntiis cum eo concordatus eſt, cui ligium, & hominium fecit, & juramentum preſtitit, & ab eo in ponte, qui eſt ſuper Sebetum,*

(a) *Card. Baron. & Sever. Binius loc. cit.*
(b) *Binius to. 7. Conc. p. 1. loc. cit. Baron. ann. 1080. 32.*
(c) *Borel. ſum. deciſ. tit. 34. n. 593.*
(d) *Vid. Ughell. Ital. Sacr. in ſerie Epiſcopor. in corpore citat.*
(e) *Gaufr. Malater. l. 4. c. 7. Roc. Pir. Sicil. Sacr. notit. 1. & 2. in Nicodemo Panorm. & Robert.*
(f) *Romual. Salernit. ann. 1090. Baron. eod. anno n. 2.*
(g) *Falc. Benev. in Chron. an. 114. f. 194.*
(h) *Card. Baron. an. 1120. n. 8.*
(i) *Platin. in Caliſt. II. Foreſt. in Roger. Reg. Siciliæ.*

tum, per Vexillum de Ducatu Apulię inveſtitus eſt (*a*). Adverſus poſteà eundem Rogerium, binâ ratione culpabilem, & quod Anacletum Antipontificem confoveret, & quod terras, ad Romanæ Eccleſiæ jura ſpectantes, ſinè ſuâ inveſtiturâ teneret, Innocentius Papa II. Lotharium II. Cęſarem concitavit, qui cum Rogerio bellum habuit, eumque totâ Apuliâ, atquè Campania deturbavit (*b*).

21. Alium quoquè reatum, contraxerat Rogerius, nimirum quod libertatem electionis Abbatum, atquè Antiſtitum, impediebat, ipſorumque deputationem, ſibi audactèr, & contrà Canones arrogabat: quâ dę rè Azorius -- Innocentius II. Rogerio Siciliæ Regi bellum intulit, eo quod electiones Epiſcoporum, & Abbatum, ad ſè, contrà Canones, & jura, trahebat, & quędam eccleſiaſticæ ditionis loca per vim occupaverat. Comparato igitur Romanorum exercitu, Innocentius, Leonis IX. exemplum ſecutus, adverſus illum progreſſus, eundem exitum habuit, quem Leo IX. Nàm primum Rogerium, ad S. Germanum obviam factum, Caſſinatis Eccleſię locis ejecit, & in Caſtrum Gallitii compulſum obſedit. Verum Guillelmo Rogerii filio, Tarenti Principe, cum firmâ militum manu ſuperveniente, Pontificius exercitus eſt profligatus: Ipſe Innocentius cum Cardinalibus captus eſt 19. Kal. Auguſti, anno ſal. 1139. (*c*). Rex verò obſidione liberatus, Pontificem honorificè, ut decuit, Neapolim deduxit. Ibi pacis mentione utrinque factâ, reș inter Pontificem, & Nortmannos ità compoſita eſt. Rogerius Innocentium cuſtodiâ, Innocentius Rogerium anathemate ſolvit, eumque Regem Sicilię, Ducem Apulię, & Calabrię, & Principem Capuę appellavit, & Beneficiarium, ſeu Feudatarium Eccleſiæ confirmavit. Cautum quoque eſt, ut bona Eccleſiæ reſtitueret, & electiones Epiſcoporum, & Abbatum liberas, ſecundum Canones, & decreta, reliqueret. Anno 11. indè Rogerius Innocentium cum honore Beneventum perduxit, & Pontifex Romam rediit (*d*).

22. Pacem initam inter Innocentium Papam II. & Rogerium pariter II. quem idem Papa Regis titulo decoravit (*e*), recenſet Falco Beneventanus his verbis, *firmaverunt B. Petro, & Innocentio Papæ, ejuſque Succeſſoribus canonicè intrantibus fidelitatem deferre &c. Regi vero Rogerio ſtatim Sicilię Regnum per vexillum donavit &c. Duci, filio Rogerii, Ducatum Apuliæ, Principi alteri filio ejus, Principatum Capuę largitus eſt* (*f*). Similia his memorat Otho Friſingenſis (*g*). Adnotatque idem Falco, quod Neapolitani, ſe Rogerio ſubdere recuſantes, audito, quod hic ab Innocentio Papâ Principatum illius Regionis, ejuſque Inveſtituram, & Regalem titulum fuerat aſſecutus; ei ſè promptiſſimè dedidere, adeò perſuaſum illis fuit, Siciliam citrà pharum eſſe feudum Romanę Eccleſiæ; patrimoniale ſolum Romanę Eccleſię; Regnum proprietarium Romanę Eccleſiæ, nec debere Neapolitanos in Regem venerari, niſi Principem illum, qui per Vexilli traditionem, ſive aliter, per legalem inveſtituram, fuerit in Regali ſolio, per Sedem Apoſtolicam conſtitutus: *In his diebus*, inquit Auctor, *Cives Neapolitani venerunt Beneventum, & Civitatem Neapolitanam ad fidelitatem Domini Regis tradentes, Ducem filium ejus duxerunt, & ejus fidelitati colla ſubmiſerunt &c. Innocentius Papa &c. Romam repedavit* (*h*).

23. Acceperat hic Rex à Pſeudopapâ Anacleto Regale diploma. In quo inter cętera dicitur: *Concedimus, & donamus, & auctorizamus tibi, & filio tuo Rogerio, & aliis filiis tuis, ſecundum tuam ordinationem, in Regnum ſubſtituendis, & hæredibus ſuis, Coronam Regni Siciliæ, & Calabriæ, & Apulię, & univerſę terræ, quarum tàm nos, quàm & prædeceſſores noſtri, prædeceſſoribus tuis Ducibus Apuliæ nominatis, Roberto Guiſcardo, Rogerio ejus filio dedimus, & conceſſimus, & ipſum Regnum habendum, & univerſam Regiam dignitatem, & jura regalia, jure perpetuo habendum in perpetuum, & dominandum. Et Siciliam Caput Regni conſtituimus &c. Donamus etiam, & auctorizamus tibi, & tuis hæredibus Principatum Capuanum, cum omnibus tenimentis ſuis &c. honorem quoque Neapolis, ejuſque pertinentiarum &c.* Concedit Panormitano Archiepiſcopo Conſecrationes trium Epiſcoporum Siciliæ, reliquos verò pleniori ſuo Conſilio reſervat (*i*). Ab infectâ

(a) *Romuald. Salern. an. 1128. Falc. Benev. & Baron. eod. anno*

(b) *Dionyſ. Petav. ration temp. l. 8. c. 16. §. vacuum. Robert. de Monte append. ad Sigebert. an. 1139 Falco Benev. an. 1137.*

(c) *Robert. de Monte loc. cit. an. 1141.*

(d) *Azorius Inſt. mor. p. 2. l. 5. c. 44. §. Innoc.*

(e) *Baron an 1139. to. 12 f. 184. Robert. de Monte ubi ſuprà*

(f) *Falco Benev. in Chron. an. 1139. Card. Baron. eod. anno*

(g) *Otho Friſingenſ. l. 4. c. 24 Baron. loc. cit.*

(h) *Falco Benev. loc. cit. paulò infr. f. 333.*

(i) *Card. Baron. ann. 1130. to. 12 f 207.*

radice, nempè ab Antipapâ, conceſſio iſta proceſſit, adeoque nullius fuit momenti; nullitas namque ex defectu juriſdictionis eſt inſanabilis (*a*). Nihilominus patet, quod Anacletus aliqua ſibi Epiſcopalia beneficia reſervavit, dum alioquin ſimul alia Rogerio contulit privilegia, uſquè adeò effuſa, ut ſe poſſet rebus eccleſiaſticis immiſcere; inter quę Indultum quoque fuiſſe dicitur celeberrimæ Monarchiæ Siculę, dè quâ latè Cardinalis Baronius (*b*).

(a) *Rot coram Cavaler dec. 40. n. 1. dec. 61. n. 2. deciſ. 396. n. 2, & coram Burat. deciſ. 324. n. 9.*

(b) *Card. Baron. an. 1097 n. 18. & an. 1130 num. 57.*

24. Rogerius proindè in beneficiorum quoque diſtributione ſè latius ingerebat, undè idem Cardinalis ait, *reperitur, quod Rogerii primi temporibus, non in Siciliâ modo, ſed etiam in Apuliâ, cæteriſque ejus Regni Provinciis, Epiſcopatus per Regios Codicillos conſerebantur, ut declarat Roberti ejuſdem Regis Cancellarii exemplum, apud Joannem Sariſberienſem. Narrat enim, Robertum hunc Eccleſiam Avellanam, tunc fortè vacantem, tribus diverſis, qui oblato pretio, eam expetebant, per ſimulatam ſpeciem addixiſſe, ac deindè quartum quendam, nec opinantem, illis rejectis conſecrandum curaſſe, quę quidem per Succeſſores legitimos Romanos Pontifices, præſertim verò per Innocentium III. cujus de horum abrogatione extant diplomata, abroganda fuerunt. Sed per Hadrianum Papam iſta poſteà fuiſſe ſublata, cum conceſſit Inveſtituram Gulielmo Regi, Rogerii filio, ità declarat Robertus Abbas in additamento ad Sigebertum, his verbis, cum Papa Hadriano pacem fecit, concedendo ei Conſecrationes Epiſcoporum Regni ſui, & Ducatus, ſicut antiquitus eas habuit Eccleſia Romana: Undè diſcordia fuerat inter Patrem ſuum Rogerium, & Innocentium, & Eugenium Romanos Pontifices* (*c*). *Idem verò Apoſtolicus conceſſit ei Regnum Siciliæ, & Ducatum Apuliæ, & Principatum Capuæ. Porrò iſta cum aliis, ab Antipapâ Anacleto fuiſſe conceſſa Rogerio, quis poterit dubitare, cum aliundè acceſſiſſe dici non poſſit, laborantibus in contrarium omnibus Anteceſſoribus Romanis Pontificibus, & in hoc ipſum uſque ad mortem inſiſtentibus, ut iſta à Laicis Principibus malè uſurpata, in priſtinum uſum, atque libertatem eccleſiaſticam revocarent* (*d*).

(c) *Robert. de Monte append. ad Sigebertum an. 1157 & Grecos.*

(d) *Card. Baron. an. 1097. n. 11. f. 694.*

25. Sanè libertatem Eccleſiæ quoad beneficiorum diſtributionem fuiſſe ab ipſo Rogerio Silivo prorſus redintegratam, ſinè ambiguitate cenſemus: nam cum Innocentius Papa II. in Synodo Romanâ Rogerium anathematis vinculis alligaſſet (*e*), gladium quoque materialem adverſus eum à vaginâ D. Pauli exemiſſet (*f*), res tandem per varios caſus eo perducta eſt, ut *Rex ipſe, & Dux filius ejus, & Princeps 17. die ſtante menſis Julii, antè ipſius Apoſtolici præſentiam veniunt, & pedibus ejus advoluti miſericordiam petunt, & ad Pontificis imperium uſquequaquè flectuntur. Continuò per Evangelia firmaverunt B. Petro, & Innocentio Papa ejuſque Succeſſoribus canonicè intrantibus, fidelitatem deferre, cęteraque, quę conſcripta ſunt. Regi verò Rogerio ſtatim Siciliæ Regnum per vexillum donavit, ejus Duci filio Ducatum Apuliæ: Principi alteri filio ejus, Principatum Capuanum largitus eſt* (g). Quo pacto autem potuit Rex miſericordiam à Pontifice poſtulaſſe, ad ejus imperium ſe flexiſſe, inveſtituram Regiam obtinuiſſe, juramentum fidelitatis exhibuiſſe; niſi unà ſimùl Eccleſiæ libertatem quoad beneficia diſpenſanda redintegraſſet?

(e) *Falco Benev. an. 1129.*

(f) *Card. Baron. an. 1139. n. 11.*

(g) *Falco Benev. loc. cit. f. 331.*

26. Ad hæc Innocentius, in Regio diplomate Inveſtituræ, quam Rogerio contulit, eſt eum taliter allocutus: *Nos de potentiâ tuâ ad decorem, & utilitatem Sanctæ Dei Eccleſiæ ſpem, atque fiduciam obtinentes, Regnum Siciliæ &c. cum integritate honoris Regii, & dignitate Regibus pertinente, excellentiæ tuę concedimus, & Apoſtolicâ auctoritate firmamus.* Ducatum quoque Apuliæ &c. & inſuper Principatum Capuæ &c. *Et ut ad amorem atque obſequium B. Petri Apoſtolorum Principis, & noſtrum, ac Succeſſorum noſtrorum, vehementius aſtringaris, hęc ipſa, ideſt Regnum Siciliæ, Ducatum Apulię, & Principatum Capuæ, heredibus tuis, qui nobis, & Succeſſoribus noſtris &c. ligium homagium fecerint, & fidelitatem, quam tu juraſti, juraverint &c. Duximus concedenda &c. Cenſus autem ſicut ſtatutum eſt, ideſt 600, Schifatorum, à te, tuiſque heredibus, nobis, noſtriſque Succeſſoribus, ſingulis annis reddatur &c. Tua ergò fili charisſimè intereſt ità tè ergà honorem, atque ſervitium Matris tuæ S. R. E. devotum, & humilem exhibere, ità temetipſum,*

in

in ejus opportunitatibus exercere, ut de tam devoto, & glorioſo filio Sedes Apoſtolica gaudeat, & in ejus amore quieſcat &c. (a). Hęc autem quomodò verificari poſſent? quomodo ad decorem, & utilitatem Ecuuleſiæ Dei acta fuiſſent? quomodò de Rogerio, ad Regalem decorem provecto, Sedes Apoſtolica gaudere potuiſſet, niſi ipſe liberam beneficiorum diſpenſationem premęmoratæ Eccleſiæ reliquiſſet?

27. Mortuò Rogerio Silivo Rege, ſucceſſit ei *Guillelmus* ejus filius, cognomento Magnus, ità dictus ab initio propter animi magnitudinem: ſed poſteà propter vitia, & avaritiam, quibus ſe dedidit, cognomen *Magni*, turpi paranomaſiâ degeneravit in titulum *Mali*, & ità dictus eſt Rex *Guillelmus Malus*, qui acrem habuit contentionem cum Hadriano Papa IV. à quo & excommunicationis laqueo implexus fuit, & armis temporalibus fatigatus (b). Magnatibus interim Regni Neapolitani Pontifici adhærentibus, ac illi, tamquam ſupremo Regni domino fidelitatem exhibentibus, & obſequium (c). Sed Rex viribus prævalens, Hadrianum cum Cardinalibus intrà Beneventum obſedit, à quo quidem, refutante plures conditiones, à Rege oblatas, quas inter una erat, quod Rex ipſe libertatem cunctis Eccleſiis Regni ſui reddere pollicebatur (d), quidquid voluit obtinuit, etiam conditiones minus juſtas, & Apoſtolicæ dignitati parum æquanimes (e). Tuncque facta eſt conventio illa, quam ex Roberto de Monte ſuperius memoravimus, nimirum quod Rex conceſſit Papæ *conſecrationes Epiſcoporum Regni ſui, & Ducatus, ſicut antiquitus eas habuit Eccleſia Romana* (f), & multum ſanè *antiquitus*, quippe de illis fit mentio in epiſtolâ Pauli Papę I. ad Pipinum Regem Galliæ (g), & in multis aliis S. Gregorii Magni (h), de quibus fuſius egimus, dum de ipſomet S. Gregorio ex propoſito loqueremur (i). Quomodò autem res tota cum Guillelmo malo Rege ſe habuerit, bonum eſt ex ipſius Regis diplomate, inſerto annalibus eccleſiaſticis, recenſere: Ait enim.

28. -- Domino Hadriano, Dei gratia S. R. E. Summo Pontifici &c. VVillelmus eadem gratia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ &c. Diſcordiis, quæ inter Romanam Eccleſiam fuerant agitatæ, finem congruum imponere cupientes &c. in hunc vobiſcum pacis devenimus, concordiæque tenorem &c. De appellationibus quidem ità. Si aliquis Clericus in Apulia, & Calabria, & aliis Terris, quę Apuliæ ſunt affines, adverſus alium Clericum de cauſis eccleſiaſticis querelam habuerit, & à Capitulo, aut Epiſcopo, vel Archiepiſcopo ſuo, ſeu aliâ eccleſiaſticâ perſonâ ſuæ Provincię non poterit emendari; liberè tunc ſi voluerit, ad Eccleſiam Romanam appellet. Tranſlationes in Eccleſiis fient, ſi neceſſitas, aut utilitas Eccleſię aliquem de unâ Eccleſiâ ad aliam vocaverit, & vos, aut veſtri Succeſſores concedere volueritis. Conſecrationes, & viſitationes liberè Romana Eccleſia faciet Apuliæ, vel Calabriæ Civitatum, ut voluerit, aut illarum partium, quę Apuliæ ſunt affines, Civitatibus illis exceptis, in quibus perſona noſtra, vel noſtrorum hæredum, in illo tempore fuerit, remoto malo ingenio, niſi cum voluntate noſtrâ noſtrorumque hæredum, in Apuliâ, & Calabriâ, & partibus illis, quæ Apulię ſunt affines, Romana Eccleſia liberè Legationes habebit. Illi tamen, qui ad hoc à Romanâ Eccleſiâ fuerint delegati; poſſeſſiones Eccleſiæ non devaſtent.

29. -- In Siciliâ quoque Romana Eccleſia conſecrationes, & viſitationes habeat, & ſi dè Siciliâ perſonas aliquas eccleſiaſtici Ordinis vocaverit, magnificentia noſtra, noſtrorumque hæredum, prò Chriſtianitate faciendâ, vel prò ſuſcipiendâ Coronâ, remoto malo ingenio, retinebit quas providerit retinendas. Cætera quoque ibidem habebit Romana Eccleſia, quę habet in aliis partibus Regni noſtri, exceptâ appellatione, & legatione, quæ niſi ad petitionem noſtram, & hæredum noſtrorum, ibi non fient. De Eccleſiis, & Monaſteriis terræ noſtræ, de quibus Romanæ Eccleſię quæſtio mota fuit, ſic fiat. Vos quidem, & veſtri Succeſſores in eis habebitis eas, quæ in cæteris Eccleſiis, quę ſub noſtrâ poteſtate conſiſtunt, ſolitæ ſunt accipi conſecrationes, & benedictiones à Romanâ Eccleſiâ; & debitos inſuper, & ſtatutos ei cenſus exolvent. De electionibus quidem ità fiat: Clerici conve-

(a) *Card. Baron. ann. 1139.*

(b) *Baron an. 1155. n 3 & 21. Willelm. Tyr. lib 18 c. 2.*

(c) *Baron. an. 1158. n. 21. & ſeq.*

(d) *Idem Card. Baron loc. cit n. 23*

(e) *Idem Baron. an. 1156. n. 7*

(f) *Robert. de Monte append. ad Chronogr. Sigeb an. 1157. f. 634.*

(g) *Paul Pap. I. epiſt. 26. in Codic. Carolin. ap. Duchesn. tom. 2. f. 745. Vid etiam hic ſuprà tom. 3. Secul. 8. c. 28. num. 25.*

(h) *S. Greg. l. 2. indict. 11. epiſt 35.*

(i) *Vid ſuprà tom. 1. ſecul. 7. c. 1. à num. 22.*

veniant in perſonam idoneam, & illud inter sè ſecretum habebunt, donec perſonam illam excellentię noſtræ pronuntient, & poſtquam perſona celſitudini noſtræ fuerit deſignata; ſi perſona illa de proditoribus, aut inimicis noſtris, vel hęredum noſtrorum non fuerit, aut magnificentiæ noſtrę non extiterit odioſa, vel alia in eâ cauſa non fuerit, prò quâ non debeamus aſſentire, aſſenſum pręſtabimus.

30. — Profectò vos nobis, & Rogerio Duci filio noſtro, & hæredibus noſtris, qui in Regnum prò voluntariâ ordinatione noſtrâ ſucceſſerint, concedetis Regnum Siciliæ, Ducatum Apuliæ, Principatum Capuæ, cum omnibus pertinentiis ſuis, Neapolim, Salernum, & Malphiam cum pertinentiis ſuis, Marſiam, & alia, quæ ultrà Marſiam debemus habere, & reliqua tenimenta, quę tenemus à prædeceſſoribus noſtris, hominibus Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ jure detenta, & contrà omnes homines adiuvabitis honorificè manutenere. Prò quibus omnibus vobis, veſtriſque Succeſſoribus, & S. R. E. fidelitatem juravimus, & vobis ligium homagium fecimus, ſicut continetur in duabus ſimilibus Capitularibus, quorum alterum penes Veſtram Majeſtatem, Sigillo Noſtro aureo, alterum verò Sigillo Veſtro ſignatum penes nos habetur. Et cenſum ſexcentorum Schifatorum de Apuliâ, & Calabriâ, quingentorum verò de Marſia, vel æquivalens in auro, vel argento, Nos, ac Noſtros hęredes Romanæ Eccleſię ſtatuimus annis ſingulis ſoluturos, niſi forte impedimentum aliquod interceſſerit, quo ceſſante, cenſus ex integro perſolvetur. Omnia vero prædicta, quæ nobis conceſſiſtis, ſicut nobis, ità etiam, & hęredibus noſtris concedetis, quos prò volontariâ Ordinatione Noſtrâ ſtatuerimus, qui ſicut Nos, Vobis, Veſtriſque Succeſſoribus, & Eccleſiæ Romanę fidelitatem facere, & quæ præſcripta ſunt, voluerint obſervare (*a*).

(a) *Card. Baron. an. 1156. n. 3. & ſeq.*

31. Confirmavit, rataſque habuit Hadrianus, has conventiones, expreſſo ſuo diplomate communitas (*b*). In quibus tametſi Apoſtolica Jura læſa fuerint, ut innuimus, tamen, quantum refert ad negotium præſens, ſatis eſt, quod ex Regio diplomate clarè innoteſcit, & feudalitas Regni Neapolis, & libertas reſtituta Pontifici conſecrationes, atque benedictiones, ſeu quod in idem reſonat, diſpoſitiones Eccleſiarum Regni Neapolitanì exercendi, ſub illâ clauſulâ *liberè*, quæ plenum arbitrium præſefert, à nullius conſenſione dependens (*c*), nec ullam patiens reſtrictionem ad aliquod determinatum genus perſonarum (*d*), uti fuſiori ſtylo ſuperius indicavimus, adeoque iſtius pactionis vi liberrimus patet acceſſus Clericis extraneis ad beneficia ipſius Regni. Rurſus declarat, quod in eodem Regno Translationes Sacerdotum de unâ ad aliam Eccleſiam fieri poſſint, ſi neceſſitas, aut utilitas Eccleſiæ itâ depoſcat: quæ translationes, cum non poſſint fieri abſque eo quod translatus, vel à primâ, vel à ſecundâ Eccleſiâ ſit extraneus; jam patet, quod ex hoc capite quoque conventio favet extraneis; & ſiç præſens Inveſtitura, vel Conventio, nedum ex uno, ſed etiam ex duobus titulis aditum aperit provectioni Clericorum extraneorum unà cum indigenis ad eccleſiaſtica beneficia.

(b) *Idem Card. Baronius loco cit.*

(c) *Auguſtin Barboſ. tract. var. diction. 190.*

(d) *Rota in Valliſolet. præemin. 24. Novemb. 1603. corâ Pamphil.*

32. Poſt Guillelmum Malum, ſucceſſit in Regno *Guillelmus* ejus filius, *Bonus* nuncupatus; non quià re verà talis; ſed quià reſpectivè ad Patrem Malum, ipſe Bonus potuit appellari (*e*). Hujus tempore citrà dubium in utraque Siciliâ Clerici extranei unà cum indigenis ad beneficia eccleſiaſtica admittebantur: nàm omiſſis aliis documentis, habemus ex Petro Bleſenſi, quod Syracuſanę Eccleſię pręerat Ricardus Natione Anglus, cui ipſe ſcribit epiſtolam, rationem reddens, cur exierit è Siciliâ, ſive ad eam regredi non acquieſcat (*f*). In eâ epiſtolâ memorat Petrus, Stephanum, filium Petri Comitis Perticenſis, qui ex Galliâ cum 37. aliis profectus eſt in Siciliam, ubi prius Cancellarii munere functus eſt, deindè Archiepiſcopale beneficium Eccleſię Panormitanæ, eſt adeptus (*g*). Alibi alloquitur Guillelmum fratrem ſuum, qui Abbatiale beneficium Maniacenſe poſſidebat, illum exhortans, ut à Pontificalium uſu deſiſteret (*h*), eique rurſus congaudens, quod Abbatiâ in manu Summi Pontificis reſignatâ ad, Patriam Galliam remeaſſet (*i*). Ex quibus luce meridianâ clarius eniteſcit, quod regnante Guillelmo Bono, & Angli, & Galli, & con-

(e) *Card. Baron. an. 1169. f. 619. B. tom. 12.*

(f) *Petr. Bleſenſ. ep. 46 cum notis ibi Joan. Buſæi*

(g) *Fazel. de rebus ſicul. l. 7. dec. 3. c. 5. Buſæus loc. cit.*

(h) *Petrus Bleſenſis epiſt 90.*

(i) *Idem Petrus Bleſenſ. epl. 93.*

conſequentèr aliarum quoque nationum viri, optimè poterant adipiſci, & adepta retinebant, primaria Regni officia politica, necnon beneficia Abbatialia, Epiſcopalia, & Archiepiſcopalia.

33. Verum nullibi brevius, & dilucidius res deprehenditur, quam in geſtis ipſius Petri Bleſenſis, natione Franci, qui ad Nepotem ſuum ſcribit: *Cum in Siciliâ eſſem Sigillarius, & Doctor Regis Guillelmi ſecundi, tunc pueri, atque poſt Reginam, & Panormitanum electum, diſpoſitio Regni ſatis ad meum penderet arbitrium; quidam æmuli mei, machinantes mè à familiaritate Regis excludere, procuraverunt, ut Eccleſia Neapolitana mè in Archiepiſcopum eligeret, ac per Majores Capituli, Ordinationem meam, communi decreto, & voto unanimi, poſtularent. Vocatus autem non ivi: rogatus, & tractus multiplicitèr non conſenſi: Epiſcopatus quoque Roſſenſis bis mihi oblatus eſt, oblatumque renui &c.* (*a*). Unum ergò ex primariis Regni officiis ſæcularibus obtinuit Petrus Bleſenſis, tametſi extraneus, & unum ex præcipuis beneficiis, nempè Archiepiſcopatum Neapolitanum potuiſſet aſſequi, ſi voluiſſet electioni Cleri Neapolitani, de sè factę aſſentiri. Notatque Jo: Buſæus in dictâ epiſtolâ, quod ubi dicit, *Epiſcopatus Roſſenſis bis mihi oblatus eſt*, ſatius legendum eſſet, *Roſianenſis*, nempè quod potuit etiam Epiſcopatum Roſſanenſem, in Regno Neapolis apud Calabros conſtitutum, bis adipiſci, ſi ei gratum ità fuiſſet (*b*). Certè quod potuerit pluribus Eccleſiis Regni præeſſe, declarat ipſe Petrus in aliâ epiſtolâ ad amicum ſuum, ſcribens: *Recolo quantas inſidias æmulorum in palatio Regis Siculi Guillelmi II. quandoque expertus ſum; qui cum multiplicitèr me à Regis latere ſtuduiſſent, & non poſſent avellere, prius ad unum Epiſcopatum & alterum, demum ad Neapolitanam Metropolim poſtulari, & ſolemnitèr eligi me fecerunt* (*c*).

(a) *Petr. Bleſ. ep. 131*

(b) *Joan. Buſæus in notis ad dictam epiſt. 131. Petri Bleſ.*

(c) *Petrus Bleſenſ. epiſt. 72.*

34. Si dicatur, Regem Guillelmum Bonum literas naturalitatis Petro Bleſenſi, Ricardo Syracuſano, Stephano Panormitano &c. præbuiſſe, illoſque ſic vertiſſe de extraneis in indigenas; Nos reſpondemus, hoc aſſeri gratis, nec eſſe ſupponendum, ſed probandum. Et quatenus etiam res ità ſe haberet, non evacuaretur, ſed potius augeretur difficultas; nam *primò*, diſſolvenda eſſet quæſtio, quarè Princeps laicus, vel Civitas, ejuſque Magiſtratus, poſſit literas naturalitatis extraneo dilargiri, prò aſſequendis, nedum officiis temporalibus, ſed etiam eccleſiaſticis beneficiis; non eas verò impertiri poſſint, & Summus Pontifex, & Epiſcopus quoad res tantum eccleſiaſticas, ſacraſque præbendas. *Secundò*, non exiguum eſt dubium, an de facto Princeps, & Magiſtratus laici, tutâ conſcientiâ literas iſtas naturalitatis, in præjudicium Nationalium concedere poſſint; Diana etenim ægrè admittit in illis hanc poteſtatem, illiuſque uſum (*d*). Et nos alibi in hoc opere oſtendimus, quod ſuppoſitâ doctrinâ Contradictorum, nullus Princeps, nulluſve Magiſtratus, literas ipſas conferre poteſt: quippè, cum in eorum ſententiâ, beneficia ſint neceſſariò conferenda ſolis indigenis, de jure divino, naturali, & humano, nulluſque Princeps, vel Magiſtratus diſpenſare poſſit in lege naturali, & divinâ, & nec etiam in humanâ eccleſiaſticâ; ſequitur, quod nullus Princeps, vel Magiſtratus, poſſit literas naturalitatis Clericis extraneis impertiri, pro conſequendis eccleſiaſticis beneficiis, in præjudicium indigenarum quidquid ſit ad alium effectum.

(d) *Antoninus Diana p. 1. tr. 4. reſ. 6.*

35. Itàque omnes Reges, Duces, & Princeps Neapolitani, ſaltem à tempore Roberti Guiſcardi, omnes inquam Principes Dynaſtiæ *Normanniæ*, ſibi de uno in alium ſuccedentes, & Regno Neapolis dominantes, Inveſtituras illius Regionis dè manu Pontificis acceperunt, ac ei juramentum fidelitatis, tamquam veri vaſſalli, & ligii homines exhibuerunt: & tàm juxtà ipſorum Juramentorum, & Inveſtiturarum tenorem, quam juxtà alia documenta profeſſi ſunt, & promiſerunt, & pacti ſunt, quod cuncta beneficia eccleſiaſtica illius Regionis, in libertate Eccleſię eſſent, & ad Romani Pontificis, Collatorumque reſpectivè, ac Patronorum arbitrium pertinerent: ergò hæc talitèr, & illis, ſunt Clericis conferenda, quibus Sedes Apoſtolica, & jura eccleſiaſtica diſponunt poſſe concedi: Sed Sedes Apoſtolica,

&

& jura eccleſiaſtica diſponunt, ut beneficia eccleſiaſtica, tàm à Papâ, quàm ab aliis Clericis, & Laicis, eorum Collatoribus, vel reſpectivè ad illa Nominatoribus, liberè valeant, tùm Clericis extraneis, tùm indigenis diſpenſari, ut ex toto hujuſce operis decurſu affluentiſſimè comprobatur; ergò in Regno Neapolis liberum, & licitum eſt Eccleſiæ, ejuſque miniſtris, atquè in primis Romano Pontifici, ipſius Eccleſiæ capiti, necnon Epiſcopis, aliiſque omnibus, tùm Ordinariis, tùm Delegatis beneficiorum Collatoribus, vel ad ea Nominatoribus, Eccleſiaſtica beneficia, non modo Clericis indigenis, verum etiam extraneis elargiri.

C A P U T XXXI.

In quo ex Inveſtiturâ, & aliis documentis, ac eventibus Principum lineæ Svevicæ, *oſtenditur, quod in Regno Neapolitano, etiam Clericis extraneis patere debet acceſſus ad Eccleſiaſtica beneficia.*

S U M M A R I U M.

1 *Linea familiæ* Normannicæ *interiit in Guillelmo Bono Rege, Regnumque ad familiam* Svevicam *tranſivit, ſuperſtitè Tancredo notho.*

2 *Guillelmus Bonus Rex Conſtantiam Amitam, ante mortem, nuptui tradidit Henrico VI. Svevo, qui armatus Regnum adivit.*

3 *Tancredus nothus obſiſtebat, quo citò pereunte, Conſtantia prævaluit. Oſtenditur hanc antè matrimonium non fuiſſe monialem.*

4 *Tàm Papa, quàm Regnicolæ Tancredo adhæſerunt contrà Conſtantiam, quæ non fuit Clauſtro incluſa à Patre, ut malum eluderet vaticinium.*

5 *Etiam ſi fuiſſet monialis; potuiſſet Papa cum eâ diſpenſare, ut virum acciperet. Fuit tamen ſolum, tamquam educanda, in monaſterio.*

6 *Pluribus in caſibus fuit diſpenſatum, ut monachus ad ſæculum rediret, regnumque ſuſciperet. Idipſum fieri poteſt de moniali.*

7 *Conſtantia nuptiarum tempore 34. & quando peperit, ad ſummum 41. annum agebat, quæ & poſt primum filium, aliam peperit filiam.*

8 *Rogerius Rex habuit tres uxores, & quas. Habuit etiam multos filios, qui omnes ei præmortui ſunt, excepto Guillelmo malo.*

9 *Oſtenditur, quod Conſtantia, matrimonii ſui tempore, 34. annum ætatis non excedebat. Henricus Tancredi ſobolem abolevit.*

10 11 *Tranſcribitur tenor inveſtituræ Regalis, quàm Innocentius Papa III. contulit Conſtantiæ Imperatrici, & Friderico II. ejus filio.*

12 & 13 *Innocentius Papa III. iiſdem Conſtantiæ, & Friderico Regi ſcribens, dat formam ſervandam in electionibus Prælatorum ad beneficia.*

14 *De ipſa forma, ſervandâ in electionibus promovendorum ad beneficia Prælaticia, idem Papa ſcripſit Prælatis Regni.*

15 *Inveſtitura habet rationem pacti. Ex pacto ergò, inter Papam, & Reges familiæ Sveviæ inito, proviſiones beneficiorum, etiam extraneos admittunt.*

16 *Innocentius Papa III. ope Legati, Regnum in Conſtantiæ, & Friderici fidelitate continuit, adverſus Tyrannos, & Marcvaldum.*

17 & 18 *Diploma Fridericus Imperator edidit, Innocentio Papa III. directum; & ite-*

& iterum tempore Honorii Papæ III. replicatum, prò libertate electionum.

19 *Fridericus, quæ cum Pontifice pactus fuerat, non attendit: libertatem electionum infirmans, iiſque ſè immiſcens, quarè illum Papa coarguit.*

20 *Refertur monitorium Honorii Papæ III. Friderico intimantis, ut ſinat liberè fieri electiones promovendorum ad beneficia Prælaticia.*

21 & 22 *Honorius præfatum Fridericum commonet ex eo, quod libertatem eccleſiaſticam everteret, impediendo, nè electi à Pontifice præficerentur Eccleſiis.*

23 *Perrexit Fridericus libertatem eccleſiaſticam attenuare. Papa quinque Antiſtites deſignavit, ipſi Regi originariè ſubjectos.*

24 *Honorius Papa III. Friderico denuntiat electionem quinque præfatorum Antiſtitum, rogans ut eos habeat acceptos.*

25 *Tàm indigenas, quàm extraneos Fridericus repellebat à beneficiis, quę ipſe conferrè volebat, & inſtituere, ac deſtituere, etiam parochos.*

26 *Sedis Apoſtolicę judicium non debet à voluntate Principis dependere. Nota ſuſpicionis non eſt ultrà rationis tramites extendenda.*

27 *Gregorius Papa IX. deplorat fidei, & diſciplinę eccleſiaſticę pręjudicium in Regno, proptèr Friderici II. Imperatoris tyrannidem, etiam circa beneficia.*

28 *Fridericum Papa excommunicavit, etiam eo quod libertatem eccleſiaſticam in præficiendo Eccleſiis Pręſules impediret.*

29 *Papa contrà eum Concilium Lugdunenſe convocavit, in quo Epiſcopi Hiſpani Innocentio animum addiderunt. S. Ludovicus Francorum Rex Concilium protexit.*

30 *Innocentius IV. Fridericum ab Imperio, & Regnis depoſuit. Sententię depoſitionis pars refertur, oſtenditurque Concilium eam approbaſſe.*

31 *Inter cauſas depoſitionis, Pontifex recenſet, quod libertatem eccleſiarum in electionibus Antiſtitum impediſſet, vacantibus tunc undecim Epiſcopatibus.*

32 *Depoſito Friderico utraque Sicilia ſè illi ſubtraxit. Principes Germaniæ alium Imperatorem elegerunt. Manfredus Fridericum ipſum, indè Conradum interemit.*

33 *Juxtà inveſtituram familiæ* Svevicę, *ad beneficia Regni Neapolis etiam extranei ſunt vocati, ſivè per electionem, ſivè aliter diſpenſentur.*

34 *Fridericus ergò libertatem Eccleſiæ ſupprimere aggreſſus, quæ favet admiſſioni extraneorum, cenſuris fuit, & depoſitione mulctatus.*

1. OMNIA finem habent, nec quidquam ſub ſole æternum: ideò quemadmodùm Urbes, & Regna tandem aliquandò deficiunt; ſic & non mirum eſt, familias etiam Regias interire. Dynaſtia *Normannica*, quę à Tancredo de Altavillâ deſcendens, in Apuliam, & Calabriam ſe diffudit, & Siciliam ad quoque dominationem dilatans, utrique terræ, tam citrà, quam ultrà Pharum regalitèr imperavit; in Guillelmo tandem, cognomento *Bono*, extincta eſt (nempè linea illa, quæ legitimè à ſuo ſtipite deſcendebat) & Regnum ad *Svevicam* Sobolem tranſmigravit: Lugente utrâque Siciliâ, nec ſemèl, neque breviter, tantum diſpendium, quantum ei attulit antiquę lineæ Principes ſibi abripi, & alios novi Stemmatis introduci (*a*). Exaruit inquam in Guillelmo Bono, obeunte anno Chriſti 1189. ſtirps legitima Normanorum (*b*), ſolusque ſuperſtes remanſit ex illâ Tancredus, Rogerii Ducis Apuliæ filius, Rogerii Silivi Regis Nepos, illegitimo thoro ex concubinâ progenitus (*c*): qui ſtatim vi, & armis Regnum invaſit (*d*), faventibus illi etiam ſubditis, ut Regem haberent, utcumque à prioribus Regibus deſcendentem, nec ſubdi cogerentur Henrico VI. (*e*). Adhæſit ei quoque Clemens Papa III. ipſique diſpenſativè proptèr illegitimitatem natalium Inveſtituram Regni conceſſit (*f*). Quarè Tancredus, & sè Regem nominavit, & Rogerium puerum filium ſuum

(a) *Sigon. de Regn. Ital. l. 15. ad an. 1189. Hugo Falcand. Fazellus & alii.*

(b) *Card. Baron an. 1189. n. 14. Arnold. Lubecẽſ. l. 4. c. 5. Anonymus Caſſin. eod. anno.*

(c) *Sigon loc. cit. Fazel. Falcand. & alii Foreſt. Map. Iſtor. in Tancred. Reg. Sicil.*

(d) *Fulgoſ. l. 6. c. 11. Sabellic l. 7. c. 8.*

(e) *Spondan. an. 1189 n. 4. Sigon. ubi ſup. Neubrigenſ. l. 3. cap. ult.*

(f) *Anonym. Caſſin. Chron an. 1190 Baron. an. 1189. n. 14. Sigon. loc. cit. f. 346.*

fecit

fecit ſucceſſivè Regio Diademate coronari (*a*), quo prædefuncto, alium ſubſtituit puerulum, Guillelmum nomine (*b*).

2. Obiit Guillelmus Bonus Rex, ut innuimus, anno 1189. dum annum ageret 35. circitèr: duodennis enim poſt mortem Patris venit ad Solium, & regnavit annis 23. (*c*). Triennio autem antequam moreretur, teſte Gotefrido Viterbienſi, nempè anno 1186. (*d*), vel quadriennio, uti notat Anonymus Caſſinenſis, nempè anno 1185. idem Rex, dum adhùc in vegetâ, & florente annorum 32. ætate vigeret, nec ulla offet probabilis perituræ illius ſtirpis legitimę ſuſpicio, Conſtantiam Amitam ſuam (*e*), Rogerii Silvii filiam, in Matrimonium collocavit cum præfato Henrico VI. Friderici Ænobardi Imperatoris filio, origine Svevo, eamque ad illum in Germaniam tranſmiſit: celebratis prius nuptiis Mediolani, in Eccleſiâ S. Ambroſii (*f*), multis Germaniæ Principibus præſentibus, ipſoque Friderico Cęſare adſtante (*g*). Morte igitur Guillelmi Boni Regis auditâ, & quod ad favorem Tancredi Magnates, & populi utriuſque Siciliæ propenderent; Henricus eis bellum indixit, intulitque, cum exercitibus, miſſis ſub Duce Henrico Teſta, ac ſub Divpuldo (*h*), & ſubindè alio exercitu, per ſe ipſum unà cum Conſtantiâ uxore in Regnum ducto (*i*), quod non ad Tancredum nothum, ſed ad ipſam Conſtantiam ſpectare contendebat, tum quia de legitimâ lineâ proximiorem, tum quia à defuncto Rege vocatam (*l*), tum demum quia Tancredus eidem Conſtantiæ, tamquam Dominę, ac Reginæ, poſt mortem ipſiuſmet Guillelmi boni Regis, & Conſubrini ſui, fidelitatem juraverat (*m*), agnoſcens ad eam ſucceſſionem Regiam pertinere.

3. Itaque totâ rè armorum deciſioni commiſsâ, colluctantibus utrimque exercitibus Henrici Cæſaris, & Tancredi, variæ hinc indè actiones bellicæ habitæ ſunt, donec Tancredus citò interiit (*n*), cum illiuſque obitu, & ſuæ, & poſterorum ejus proſtratæ ſunt ſpes, ac Henrici, ſeu Conſtantiæ uxoris ejus, jura firmata. Hanc antè matrimonium fuiſſe Monialem aliqui aſſeverant (*o*), ſed ſtolidè. Nàm præterquam quod, primò nullus è Scriptoribus illius ætatis, facti adeò notabilis memoriam exhibet (*p*), quod non eſt credibile, cunctos datâ operâ intermiſiſſe; convincitur res ex eo quod corruunt omnia ejus ſuppoſita: Nàm ſupponitur, quod poſt mortem Guillelmi Boni Regis fuerit à Monaſterio extracta, & in matrimonium conjuncta Henrico Svevo, ut Regnum hereditariè ſuſciperet: hoc autem falſum eſt ex pluribus capitibus: nimirum falſum eſt, quod fuerit conjugo copulata poſt mortem Regis: ut oſtendimus enim triennio, & ultrà præcedentèr ad mortem, Rex eam in uxorem Henrico Svevo tranſmiſit. Falſum eſt, quod Regnum conjugli tempore indigeret hærede: nam Rex tunc annum circitèr agebat trigeſimumſecundum, uxoremque habebat Joannam, filiam Henrici Regis Angliæ (*q*), fœminam prolificam, quæ paulò anteà viro pepererat maſculum, nomine Boemundum (*r*), quarè tempore Conjugii Conſtantiæ, nec Regnum indigebat hærede, nec probabilis erat ſuſpicio, quod Rex eſſet abſquè liberis periturus.

4. Falſum itidem eſt, quod Conſtantia fuerit à Monaſterio extracta, & Henrico juſtis nuptiis compulata, ut Regnum hæreditariè acciperet: ſiquidèm & Regnicolę, odio proſequentes Henricum, ejuſque nationem, optarunt ſibi Tancredum præfici in Regem (*s*), & Summus Pontifex Clemens III, eidem Tancredo ſavit, pro Coronâ Siculâ adipiſcenda, uti perſpicuè narrant tam Neubrigenſis (*t*), quam Anonymus Caſſinenſis (*u*), & alii (*x*), ſed & Salernitani, & Cajetani, & alii Regnicolæ citrà Pharum Conſtantię fortiſſimè reſtiterunt, aſſiſtentes Tancredo (*y*). Quapropter ſi nec Papa, ſupremus Regni Dominus, neque Regnicolæ, Conſtantiæ, ſed Tancredo favebant; non erat cur illam è Clauſtro deducerent, & exuerent chlamyde Monachali. Falſa demum eſt fabella illa, quę fingitur, quod Rogerius Silvius Rex, audito Abbatis Joachimi pręnuntio, quod Conſtantia ipſa ejus filia futura eſſet Siciliæ Regno exitialis, eam cucullâ monaſticâ indutam, fecerit religioſam vitam profiteri (*z*). Nam cum puella hęc poſt Patris obitum nata ſit, uti oſtendemus;

(a) *Fulgoſ. l. 6. c. 11. Sabellic. l. 7. c. 8. Foreſt. loc. cit. Baron. an. 1191. n. 20.*

(b) *Anonym. Caſſin. an. 1194.*

(c) *Baron. an. 1186. n. 16. & an. 1189. n. 14.*

(d) *Gotef. Viterb. in Chron. p. 17. in fin. f. 520.*

(e) *Anonym. Caſſinenſ. in Chronic. ann. 1185.*

(f) *Gotefridus Viterb. loc. cit. Baron. ann. 1186. 25.*

(g) *Haldr. Mutius German. Chron. l. 19. an. 1186. fol. 159.*

(h) *Anon. Caſſin. an. 1199. & ſequent. Sigon. loc. cit. ſub. an. 1191*

(i) *Anonym. Caſſinenſis ann. 1191.*

(l) *Baron. an. 1189. 14. Sigon. de Regn. Ital. l. 15 ſub an. 1189 f. 347*

(m) *Anonym. Caſſinenſis an. 1190.*

(n) *Baron. an. 1192. 20. Anonym Caſſin. an. 1194. Sigon. Regn. Ital. l. 15. an. 1194. f. 352.*

(o) *Genebr. in Chron. l. 4. ſub. ann. 1191. & 1198. Paul. Lãg. Chron. Citicenſ. ann. 1189. & 1190. Anton. Pandolf. & alii.*

(p) *Card. Baron. ann. 1186. nu. 25. Spondan. ibidem n. 4.*

(q) *Baron. an. 1176. n. 1. & 2.*

(r) *Robert. de Monte in Append. ad Sigebert. an. 1180.*

(s) *Sigon. de Regn. Ital. l. 15. ſub an. 1189. f. 347.*

(t) *Neubrigenſ. lib 3 c. ultim.*

(u) *Anonym. Caſſin. Chron. an. 1190.*

(x) *Card. Baron. ann. 1186. n. 25. & Spõdan. eodem anno n. 4.*

(y) *Baron. an. 1191. 14. & 1192. 20. Sigon. Regn. Ital. l. 15. ſub an. 1191.*

(z) *Thomaſ. Fazel. l. 6. c. 3. in fin.*

mus; non potuit Rogerius eam intrà clauſtra concludere, ut ſuppoſitum illud eluderet vaticinium: niſi ſtultiſſime figuremus, profeſſionem monaſticam emiſſam fuiſſe ab ipsâ puellâ priuſquam ex matris utero naſceretur.

5. Veritas ergò eſt, quod Conſtantia ſtetit aliquanto tempore velut Educanda in monaſterio Sanctæ Claræ Panormi (*a*). Puellarum more ibi retenta; donec juſti matrimonii aperiretur occaſio: & inde fuit educta, quando deſignata eſt ſponſa Henrici Svevi, cognomine Agreſtis, à moribus aſperis ità dicti. Sed datâ etiam hypotheſi, quod Conſtantia fuiſſet monialis, & monachalis profeſſionis vinculo adſtricta; quid? Nonnè potuit, volens, gravibus ex cauſis, cum eâ Summus Pontifex diſpenſare? Tam Theologorum (*b*), quam Canoniſtarum (*c*), conſona vox eſt (cui D. Thomas tamquam probabiliori adhæret, quod ſi communis utilitas totius Eccleſiæ, vel alicujus Regni, vel alicujus provinciæ id requirat (*d*); Papa valeat in voto ſolemni, etiam Caſtitatis, cum Religioſo diſpenſare: quidquid ſit, an valeat diſpenſare cum eo, in ſenſu compoſito; nempè quod maneat Monachus profeſſus, & à caſtitatis ſervandæ debito ſit ſolutus (*e*). Hęcque ſententia, quod Papa poſſit cum Monacho diſpenſare, ut clauſtro relicto uxorem accipiat, & Regnum moderandum aſſumat, *eſt communis Theologorum, ac ferè omnium Canoniſtarum*, inquit Fagnanus (*f*). Adeoque ſumptâ re prout de jure, ſinè dubio potuiſſet Summus Pontifex, ſi opus fuiſſet, Conſtantiam, è Cœnobio deductam, cum Henrico Svevo in matrimonium collocare.

6. Prout paritèr, & de facto proculdubiò idipſum facere Pontifex illius temporis potuiſſet, quià tantundem pluries fuit in Eccleſiâ ad praxim perductum. Nàm cum Ramiro diſpenſatum fuit, ut relictâ religione, *Aragoniæ* Regnum, & uxorem acciperet (*g*). Idipſum indultum eſt Caſimiro prò Regno *Poloniæ* adipiſcendo (*h*). Bela in Regno *Hungariæ* (*i*), Alphonſus in Regno *Legionis* (*l*), Veremundus, & Alphonſus in Regno *Caſtellæ* (*m*), Theodoricus I. in *Franciâ* (*n*), Simeon in *Bulgariâ*, & alii alibi, hoc modo Regiam purpuram aſſumpſerunt: & recentioribus temporibus, Franciſcus de Joyoſâ Gallus, e Religione Capucinorum ad ſæculum, Gregorio XIII. Papâ diſpenſante, redivit (*o*), & Caſimirus Poloniæ Rex ex ſocietate Jeſuitarum. Quod ſi toties, ac licitè fieri potuit cum monachis; cur non & cum monialibus fieri poteſt? Nonnè enim in hac rè coæqualis eſt conditio Mulierum & Virorum? Nonne eadem eſt religio prò utriuſque ſexus Profeſſis? Præſertìm cum & exempla quoque monialium non deſint, è clauſtris ad ſtatum ſæculi traductarum; uti fuerunt Nantildis in *Galliâ*, Oda in *Poloniâ*, Unafridis in *Angliâ*, Hattemburga in *Saxoniâ*, & aliæ alibi (*p*). Quæ ad exuberantiam dicta ſint, cum Conſtantia, etſi potuerit diſpenſari, diſpenſatione tamen de facto non indiguerit.

7. Primæ fabulæ, ſecunda ſolet adjungi, nimirum quod Conſtantia ipſa, quo tempore virum ſumpſit, eſſet quinquagenaria, huncque annum ætatis nedum excederet, ſed etiam ad ſexageſimum perveniret (*q*), adeoque ad filios concipiendos eſſet inhabilis. At hoc quoquè, non minus quam illud, gratis aſſeritur, ipſiuſque ætatem longè minorem fuiſſe, ità ad evidentiam probatur. Gotefridus Viterbienſis, qui Friderici I. & Henrici VI. Ceſarum fuit ſecretarius, & familiaris, recenſet, Conſtantiam præfati Henrici Sponſam, poſthumam eſſe natam, canens: *poſthuma poſt patrem materno ventre relicta* (*r*), Rogerius autem Silivus Rex ejus pater obiit anno Chriſti 1152. ſecundum Romualdum Salernitanum (*s*), vel ſecundum Fazelum, & Robertum de Monte, atque Anonymum Caſſinenſem anno 1154. die ultima Februarii (*t*). Ergò ſi Conſtantia fuit poſthuma, non potuit naſci, niſi vel anno 1152. vel 1154. Fuit autem deſponſata Henrico in Metropolitanâ Eccleſiâ Mediolani, ſexto Kalendas Februarii anni 1186. Uti habent idem Gotefridus Viterbienſis, & Huldricus Mutius in Chronico Germaniæ (*u*), igitur quo tempore conjugi juncta eſt, agebat annum ætatis ſuæ 32. vel ad ſummum 34. Peperit autem filium ſuum Fridericum II. Imperatorem, anno Chriſti 1193. juxtà computum Cardinalis

(a) *Foreſt. Mapp. Hiſtor. in Tancred. Rè Sic.*
(b) *S. Antonin. 3. p. tit. 2. c. 25. § 3. Henric. de Gandav. quodl. 5. qu. 25. & 26 Richard. in 4. diſt. 38. art. 9. Durand. in 4. diſt. 38. q. 2. Cajetan in 2. 2. qu. 88. art. 11. & opuſc. 27. qu. 24. Navar. in Manual. c. 12. n. 75. Cordub. l. 2 qu. 24 Valent. in 2. 2. diſp. 6. qu. 8. pu. 7. col. 3. Tolet. ſum. l. 4. c. 18. n. 5.*
(c) *Covar. de Teſtam. cap. 2. n. 20 Innoc. Abbas, Jo: Andr. & alii in c. cum ad Monaſterium de ſtat. Monach. Fagnan. ibidem à n. 61 ad 72 Turrecrem. in c. de illo n. 3 diſt. 32. Archid. in c. ſunt quidam 25. qu. 1. n. 5.*
(d) *S. Thom. in 4. diſt. 38. qu. 1. art. 4. quæſtiunc. 3. ad 3.*
(e) *Vid. S. Thom. in 2. 2. qu. 88 art. 11.*
(f) *Fagnan. loc. cit. in cap. cum ad monaſterium 6 num. 65. de ſtat. monach. l. 3.*
(g) *Palud. in 4. diſt. 38. qu. 4. art. 4. Cajet. in 2. 2. qu. 88. art. 11. Roderic. Tolet. l. 6 c. 2.*
(h) *Cromerus l. 4. Dubravius l. 7. Foreſt. in Caſimiro.*
(i) *Theatr. vit. hum. V. Religioſus f. 208. c.*
(l) *Theatr. vit. hum. loc. cit.*
(m) *Foreſt. Mapp. Hiſtor. in Veremund. & in Alp. anſ. VI. Reg. Hiſpaniæ.*
(n) *Foreſt. in Teodor. Rè 15. di Francia.*
(o) *Barthol. à l. Fauſt. Theſ. Religioſ. l. 3. q. 16. num. 8. Fagnan. loc. cit. num. 66.*
(p) *Theatr. vit. hum. V. Religio & Sanctimoniales f. 298. F.*
(q) *Gerebrard Chrò. l. 4 ſub an. 1191. Raph. Volater. Urban. rer. Geogr. in Sicil. Crantz. l. 7. c. 32. Spond. ann. 1197. 3.*
(r) *Gotefrid. Viterb. in Chron. p. 17 ant. annum 1146. f. 514 tit. de pace &c.*
(s) *Cardin. Baron. an. 1152. num. 10.*
(t) *Fazel l. 6 c. 3. Robert. de Mont. ann. 1154. f. 633. Anon. Caſſinen. ann. 1154.*
(u) *Gotefrid. Viterb. Chron. par. 17. in fine an. 1186. Mutius in Chron. l. 19. in princ. f. 159.*

dinalis Baronii (*a*). Vel juxtà Panvinum anno 1194. (*b*). Aut juxtà Anonymum Caſſinenſem, anno 1195. (*c*), ergò quando eum enixa eſt, non poterat annum ætatis ſuæ ſuperare 40. vel 41. Poſt quem editum filium, iterum concepit, & peperit filiam, nomine Mariam (*d*).

8. De ipſius quoquè Conſtantiæ verâ ætate, nuptiarum tempore, & conſequentèr etiam tempore primi partus, evidens probatio proponi poteſt hoc modo. Rex Rogerius Pater ejus, tres habuit ſucceſſivè Uxores, nempè Albidiam, ex quâ genuit Rogerium Ducem Apuliæ, patrem Tancredi: Anfuſum, ſivè Alphonſum Principem Capuæ, & alios filios, qui omnes, excepto Guillelmo Malo, Patri præmortui ſunt, ante annum 1149. Rex ergò, unicum tantum filium habens ſuperſtitem, ſoboliſque inopiâ laborans, poſt dictum annum, aliam Uxorem duxit, Sibillam ſororem Ducis Burgundiæ: quâ paritèr ſinè liberis decedente; duxit tertiam, Beatricem, filiam Comitis Reteſtæ, quæ peperit ei Conſtantiam prædictam poſthumam. Narrat hæc Romualdus Salernitanus his verbis, de Rogerio præfato Rege ſermonem habens — Albidia illuſtris Regina uxor ejus, ex quâ tot filios habuerat, mortua eſt, & filia ejus: poſt hæc alii filii, nempè Tarentinus Princeps, & Anfuſus Capuanorum Princeps, & Henricus mortui ſunt, noviſſimè autem Rogerius Dux Apuliæ primogenitus ejus mortuus eſt, anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo quadrageſimonono, Indictione XII. vir quidem ſpecioſus, miles ſtrenuus, pius, benignus, miſericors, & à ſuo populo multum dilectus. Rex autem Rogerius tot flagellis afflictus, conſtanti animo pii Patris flagella ſuſtinuit. Et quià ſolum VVillelmum Capuanorum Principem ſuperſtitem habebat, veritus nè eundem, conditione humanæ fragilitatis, amitteret; Sibillam ſororem Ducis Burgundiæ, duxit uxorem, quæ non multò poſt Salerni mortua, & apud Cavenſe Monaſterium ſepulta eſt. Tertio Beatricem, filiam Comitis de Reteſtę, in uxorem accepit, de quâ filiam habuit, quam Conſtantiam appellavit. Bienio autem antequàm moreretur, VVillelmum filium ſuum Capuanum Principem in Regem Siciliæ fecit inungi, & ſecum juſſit paritèr conregnare (*e*).

9. Anno ergò 1150. Rogerius duxit ſecundam uxorem, quæ obiit ſinè liberis, & ipſe ſibi matrimonio conjunxit tertiam, quæ peperit Conſtantiam. Ad hæc duo matrimonia celebranda; Funeralia ſecundæ uxoris agenda; Tertiam ducendam, & filiam ex ea procreandam; nunquid non opus fuit intervallo ſaltem duorum, vel trium annorum? Certè minus temporis ſpatium vix ſufficit in privatis; quanto magis in Regibus, & Reginis: in quorum matrimoniis, & funeribus celebrandis, infinitæ pompæ interponuntur, annos, & annos inevitabilitèr fatigantes: hocque præſertìm ſentiendum eſt in perſonâ Regis Rogerii, cujus ſplendoris, & magnanimitatis in rebus agendis encomium facit Petrus Cluniacenſis, ei ſcribens, *cum plures Regii nominis habeatis conſortes, magnanimitate, prudentiâ, probitate nullos, aut penè nullos habere inveniamini pares* (*f*). Itàque Conſtantia non potuit ortum duxiſſe antè annum 1153. vel 1154. circitèr: cum autem fuerit matrimonialitèr juncta Henrico VI. Imperatori anno 1186. (*g*), ſequitur quod tùnc non potuit excedere trigeſimumſecundum, vel ad ſummum trigeſimumquartum ętatis annum. Fridericus poſteà ex eâ natus eſt anno circiter 1194; ergò quando eum peperit, annum ætatis agebat 40. vel ad ſummum 41. adeoque pluſquam habilis erat ad gignendos filios: cum & Philoſophorum, & Medicorum, & experientiæ teſtimonio, mulieres nedum quadragenariæ, ſed etiam quinquagenariæ filios concipiant. Conſtantiæ nomine Henricus Tancredum armis fatigavit: quo & demùm naturalitèr defuncto, Sibillam ejus uxorem, ac tres filias, & filiolum Guillelmum inauguratum Regem, ut diximus, captos, atque ſpe Principatus Licienſis, ac Tarentini, puero ipſi dandi, deceptos; in Germaniam tranſmiſit, ubi Guillelmo, & oculos eruit, & teſtes abſecuit, nè unquam Regnum appetere, nè poſſet ulteriùs proſapiam Normanicam propagare (*h*).

10. Ex Connubio cum Henrico, annum vigeſimumptimum agente, quando Con-

(a) *Baron. an.* 1197. 8. *Spondan. eod. anno num.* 3.

(b) *Panvin. Roman. Princ. l.* 3 *n.* 26. *in Frider. II.*

(c) *Anonym. Caſſinenſ ann.* 1195.

(d) *Panvin. loc. cit. num.* 23. *in Henric. V.*

(e) *Romuald. Salernit. in Chronic. an.* 1150

(f) *Petrus Cluniacenſ. lib.* 5. *epl.* 45.

(g) *Gottefrid. Viterb. Chron. part.* 17. *in fin. Huldric. Murius Chron. German. l.* 19. *in princ. Baron. an.* 1186. *n.* 25. *Spondan. eod. an. nu.* 3. *Petav. ration. temp. l.* 8 *cap.* 20.

(h) *Reynald. an.* 1198 *num.* 65. *Foreſt. Map. Illor in Tancred. Reg. Siciliæ.*

Conſtantiam duxit (*a*), ipſa, ut innuimus, concepit, & peperit filium, cui nomen Friderici II. appoſitum eſt, eique, ac Conſtantiæ præfatę illius matri, poſt ipſius Henrici obitum, qui citò evenit Meſſanæ, anno 1148. poſtquam regnaverat circitèr per triennium; Innocentius Papa III. Inveſtituram Regni ſub his terminis eſt largitus -- Conſtantię Imperatrici glorioſę Reginę Sicilię, ac chariſſimo filio Friderico illuſtri Regi Sicilię, eorumque hęredibus in perpetuum. Super gentes, & regna, divinâ providentiâ conſtituti, ut evellamus noxia, & ſalubria cum Prophetâ plantemus; ſic ad univerſas provincias noſtrę conſiderationis aciem extendere volumus, & circa eas pię ſollicitudinis ſtudium exercere, ut ſopitis turbinibus tempeſtatum, quas parit mater diverſitas, ſervent ad invicem mutuę charitatis affectum, & in verę pacis vinculo gubernentur. Porrò ſpecialitèr, & pręcipuè, ſpecialem, ac pręcipuam ſollicitudinem circà Regnum Sicilię nos convenit adhibere, quod in Apoſtolicę Sedis ferventiùs hactenùs devotione permanſit: ad quod etiam inclytę recordationis Rogerii, quondam patris VVillelmi fratris, & VVillelmi Nepotis tuorum, Regum Sicilię, filia Imperatrix, gratâ memoriâ nos inducit, qui in Apoſtolicę Sedis, ac prędeceſſorum noſtrorum dilectione firmius perſiſtentes, ab ejus non potuerunt unitatis firmitate divelli, quin tanto fortiùs in ipſius obſequio permanerent, quanto adversùs eam ſe amplius impetus extolleret tempeſtatis. Hâc igitur conſideratione diligentèr inducti, ac credentes, quod prædictorum Regum veſtigia, veſtra regia Serenitas, in devotione, ac obſequiis Eccleſiæ, imitetur; vobis, & hæredibus veſtris, qui ſicut dictus Rex VVillelmus, quondam frater tuus, felicis memoriæ, Hadriano Papę, prædeceſſori noſtro exhibuit, nobis, & Succeſſoribus noſtris, & Eccleſiæ Romanæ fidelitatem, & hominium exhibere, ac quę ſubſcribuntur, voluerint obſervare; concedimus Regnum Siciliæ, Ducatum Apuliæ, & Principatum Capuæ, cum omnibus pertinentiis ſuis, Neapolim, Salernum, & Amalphiam, cum pertinentiis ſuis, Marſiam, & alia, quæ ultrà Marſiam habere debetis, & reliqua tenimenta, quæ tenetis à prædeceſſoribus veſtris, hominibus Sacroſanctæ Romanæ Eccleſię, jure detenta, & contrà omnes homines adjuvabimus honorificè manutenere.

(a) *Gotfrid. Viterb. & H. Mutius loc. citat. Baron. ubi ſupra.*

11. -- Prò quibus omnibus coràm venerabili fratre noſtro O. Epiſcopo Hoſtienſe, Apoſtolicæ Sedis Legato, quem ad juramentum tuum filia Imperatrix recipiendum, tranſmiſimus, fidelitatem nobis, noſtriſque Succeſſoribus, & Eccleſiæ Romanæ juraſti, ſicùt continetur in duobus ſimilibus Capitularibus, quorum unum penès tè, ſigillo noſtro; alterum penès nos, ſigillo tuo aureo ſignatum, habetur: firmitèr repromittens, quod quià præſens pręſenti debet hominium exhibere, quandocumque nos, & Succeſſores noſtri, tè in aliquâ parte Regni, quam ſecurè poſſis adire, ad noſtram præſentiam vocaverimus, reverentèr accedes, ligium hominium pręſtitura: niſi certum impedimentum, aut neceſſitas evidens interveniat: quibus ceſſantibus, ſinè fraude venies ad ligium hominium faciendum. Cum autem tù fili Rex, favente Domino, ad legitimam ętatem perveneris, nobis, & Succeſſoribus noſtris, ac Eccleſię Romanę fidelitatem, & ligium hominium exhibebis. Cenſum verò ſexcentorum Squifatorum de Apuliâ, & Calabriâ: quadrigentorum verò de Marſiâ, vel ęquivalens in auro, vel argento vos, & hęredes veſtros ſtatuiſtis Eccleſię Romanę ſoluturos, niſi fortè impedimentum aliquod interveniat: quo ceſſante, Cenſus ex integro perſolvetur. Electiones autem ſecundùm Deum per totum Regnum canonicè fiant, de talibus quidem perſonis, quibus vos, ac hęredes veſtri requiſitum à nobis prębere debeatis aſſenſum. Ut autem hęc, quę ſuprà diximus, tàm noſtro, quàm Succeſſorum noſtrorum tempore, perpetuam obtineant firmitatem, & nec veſtris, nec hęredum veſtrorum temporibus alicujus valeant pręſumptione turbari, nos ea, de conſilio, & voluntatem fratrum noſtrorum, auctoritate Apoſtolicâ confirmamus, & valitura in perpetuum pręſenti paginâ communimus: & tàm à nobis, quàm Succeſſoribus noſtris perpetuis temporibus ſtatuimus obſervanda. Nulli ergò &c. (*b*).

(b) *Innoc. III. epiſt. tom. 1. l. 1. f. 203. Raynald. an. 1195. n. 67.*

12. Definitur in præfato Inveſtituræ tenore forma, in beneficiorum diſpoſitionibus obſervanda; Veruntamen, nè unquàm aliqua circà eandem formam controverſia naſceretur, vel jurgia ex inferis reviviſcerent, quæ pridem Regnum, & Eccleſiam ad infauſtæ memoriæ corrixationes induxerant; idem Innocentius Papa III. peculiari diplomate formam ipſam cum Conſtantiâ præfatâ Imperatrice, ac Reginâ, atque cum Friderico filio ejus conſtabilivit, hoc modo — Conſtantiæ Imperatrici Reginæ Siciliæ, ac chariſſimo filio Friderico Illuſtri Regi Siciliæ. Nec novum, nec injuſtum exiſtit, ſi Regno Siciliæ gratiam facimus ſpecialem, quod intèr univerſas, & ſingulas regiones, in quibus nomen colitur Chriſtianum, ferè ſemper promptiùs, & devotiùs in Eccleſiæ Romanæ devotione permanſit, & ab eo ſpecialiùs meruit honorari. Reges ſiquidem, & Principes ejus, in Apoſtolicę Sedis fidelitate fortiùs roborati, uſque adeò ei fidelitèr, & familiaritèr adhęſerunt, ut ad ipſius exaltationem potentèr intenderint, & ab eâ nullius divelli potuerint impetu tempeſtatis, ſe in ipsâ, & per ipſam, exaltari credentes, & in eâ (poſt Deum) ſuę ſpei ponentes, & gaudii fundamentum. Specialitèr autem inclytæ recordationis Rogerius quondam pater, VVillelmus frater, & VVillelmus nepos tui, filia Imperatrix, Reges Sicilię, familiari eam venerati ſunt devotionis obſequio, & prædeceſſoribus noſtris uſque adeò non minus in adverſis, quàm proſperis, adhęſerunt, ut cum fratribus noſtris vobis ob eorum memoriam, & conſtantiam ſinceritatis, quàm ad nos vos habere cognovimus, per effectum, quantum cum Deo, & noſtrâ poſſumus honeſtate, deferri velimus, & ſalvâ juſtitiâ, & Eccleſiarum canonicâ libertate, petitionibus veſtris aſſenſum facilem exhibere.

13. Nè igitur ulla de cœtero intèr nos, & Succeſſores noſtros, ac vos, & hæredes veſtros, ſuper electionibus diſſenſio ſuſcitetur, modum faciendæ inpoſterum electionis, præſentibus curavimus literis explicare: in quibus ſic in multis Regię Serenitati deferimus, ut libertatem eccleſiaſticam non lædamus. Sede vacante Capitulum ſignificabit vobis, & veſtris hæredibus, obitum deceſſoris: deindè convenientes in unum, invocatâ Spiritus Sancti gratiâ, ſecundum Deum eligent canonicè perſonam idoneam, cui requiſitum à vobis præbere debeatis aſſenſum, & electionem factam non different publicare. Electionem verò factam, & publicatam denunciabunt vobis, & veſtrum requirent aſſenſum. Sed antequàm aſſenſus regius requiratur, non inthronizetur electus, nec decantetur laudis ſolemnitas, quę inthronizationi videtur annexa: nec antequam auctoritate Pontificali fuerit confirmatus, adminiſtrationi sè ullatenus immiſcebit. Sic enim honori veſtro volumus condeſcendere, ut libertatem Canonicam obſervemus, nullo prorsùs obſtante reſcripto, quod à Sede Apoſtolicâ fuerit impetratum. Rogamus ergò Serenitatem Regiam, & attentiùs exhortamur, quatenus contrà præſcriptam electionis formam nec vos veniatis de cœtero, nec cogatis alios, nec patiamini quâlibet occaſione venire: ſed talitèr in hoc nobis ſtudeatis, & eccleſiaſticæ libertati deferre, ut timorem ejus habere præ oculis videamini, per quem Reges regnant, & Principes dominantur, & Sponſam ejus Eccleſiam venerari. Nulli ergò &c. (*a*).

(a) *Innoc III. epiſt. tom. 1. lib. 1. f. 204.*

14. De hac ipsâ deſignatione formæ, in electionibus obſervandæ, uti ſuperiùs conſtitutâ, Innocentius ipſe Pontifex literas dedit Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliarum Eccleſiarum Pręlatis, univerſo Clero, intra fines Regni utriuſque Siciliæ conſtituto, ſcribens — Noſtis qualitèr prędeceſſores noſtri Romani Pontifices, Reges ipſos, ac Regnum Sicilię, quâdam ſemper prærogativâ dilexerint, & ad augmentum ipſius, utpotè quod peculiare (ſicut eſt) & proprium reputabant, intenderint, & quietem. Quià verò quantuncunque velimus eorum honori deferre, libertatem Canonicam, & honeſtatem eccleſiaſticam intendimus obſervare. Nè igitùr ulla de cœtero intèr nos, & Succeſſores noſtros, & prædictam Imperatricem, & filium ejus Sicilię Regem illuſtrem, vel hæredes eorum, ſuper electionibus denuò diſſenſio ſuſcitetur, quæ hactenùs intèr Eccleſiam, & Regnum rancoris cujuſdam, & indignationis fomitem miniſtrabant, modum faciendę inpoſterum

ele-

electionis præſentibus curavimus literis explicare: in quibus ſic Regiæ Serenitati deferimus, ut libertatem Eccleſiaſticam non lædamus. Sede vacante ſignificabit Capitulum eis, & eorum hæredibus, obitum deceſſoris &c. Ideòque Univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, & diſtrictè præcipimus, quatenùs cum aliquam Eccleſiarum veſtrarum paſtore vacare contigerit, ſecundum præſcriptam electionis formam, omni gratiâ, & timore poſtpoſitis, procedatis: nec contrà eam aliquâ præſumptionis occaſione venire tentetis. Alioquin electiones talitèr factas, diligenti diſcuſſione præhabitâ, dante Domino, infirmare curabimus, & eligentium tranſgreſſionem animadverſione debitâ caſtigare (*a*).

15. Adnotet autem benignus Lector præciſam conditionem, in electionibus obſervandam eorum, qui erant ad beneficia Epiſcopalia, vel Abbatialia promovendi: quæ conditio in pactum deducta eſt inter Sedem Apoſtolicam, & Conſtantiam, ac Fridericum pręfatos, quatenus Inveſtitura præſefert rationem pacti, & vi potitur contractus, uti docent communitèr Juriſconſulti (*b*). Conditio autèm ipſa rotundis verbis hic perſonat -- Electiones ſecundum Deum per totum Regnum canonicè fiant, de talibus quidèm perſonis, quibus vos, ac hęredes veſtri requiſitum à nobis præbere debeatis aſſenſum (*c*). Et iterum: Sede vacante Capitulum ſignificabit vobis, & veſtris hæredibus obitum deceſſoris: deindè convenientes in unum, invocatâ Spiritus Sancti gratiâ, ſecundum Deum eligent canonicè perſonam idoneam, cui requiſitum à vobis præbere debeatis aſſenſum, & electionem factam non different publicare (*d*). Secundum ergò tenorem Inveſtituræ Regalis, per Papam *Svevicę* Dynaſtiæ conceſſę; in pactum cum Apoſtolicâ Sede deductum eſt, ut provectiones Clericorum ad Prælaturas Eccleſiaſticas, & beneficia Epiſcopalia, fiant ſecundum formam Canonicam, ſivè per viam electionis Canonicæ, & juxtà id, quod Canones prædefiniunt: & cum expreſsâ declaratione, quod libertas Canonica non lædatur, ſed ut ſalvetur hæc libertas, & ſecundum formam Canonicam, ſivè per viam electionis Canonicæ, aut juxtà id, quod Canones prædefiniunt, ſemper fieret proviſio beneficiorum per viam electionis, tunc ſolitam uſitari. At per viam electionis canonicæ, tàm extraneis; quàm indigenis acceſsus patet ad eccleſiaſtica beneficia, uti uberrimè ſuperiùs probatum eſt per totum hujuſce operis decurſum, & iterum oſtendemus in diſſolutione Objectionum Legalium; Ergò ſecundum Regiam Inveſtituram, per Sedem Apoſtolicam *Svevicæ* familiæ conceſsam, non modò Clerici indigenæ, verùm etiam extranei, pro ratione illorum benemerentię, ſunt pręficiendi eccleſiaſticis beneficiis.

16. Poſt collatam inveſtituram præfatam Conſtantiæ, & Friderico, Innocentius Papa III. Legatum in Regnum tranſmiſit, qui utrique Principi aſſiſteret, atque inimicos eorum, auctoritate, & remediis, ſibi commiſſis comprimeret. Scripſit enim univerſis Prælatis in utrâque Siciliâ conſtitutis, ſe illùc Legatum O. Hoſtienſem Epiſcopum tranſmiſiſſe, *ut eos, qui pacem Regni turbare forſitàn moliuntur, liberius comprimere poſſit, & univerſum Regnum in chariſſimę in Chriſto filiæ Conſtantiæ Imperatricis Reginæ, ac filii ejus Friderici Siciliæ Regis illuſtris, fidelitate paritèr, & obſequio ſtabilire, contumaciam deprimens ſuperborum, & colla ſublimium, commiſſâ ſibi poteſtate conculcans &c.* (*e*). Defuncta eſt ſubindè ipſa Conſtantia anno Chriſti 1199. 13. (*f*) Kalend. Decembris (*g*), filiolumq; Fridericum Regem Innocentio III. Pontifici commendavit; quem & moderatorem, ſive Balium Regni in minoritate filii conſtituit (*h*). Hoc autem Baliatus Officium ſibi arrogante Marcualdo, & poſt eum Diupuldo, procaciſſimis Tyrannis; eos Pontifex vi, & cenſuris compeſcuit, innumeras perpeſſus curas, & diſpendia, ut Regnum Friderici, & dominium directum illius Regni Romanæ Eccleſiæ ſervaret: ut ex pluribus ejus literis patet, quas Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Baronibus ſcripſit, per Siciliam, Capuam, Calabriam, & Apuliam conſtitutis, pro tuendo Friderico (*i*), nec non ex aliis, quas eiſdem direxit adverſus Marcualdum excommunicatum, periurum, atque relapſum (*l*). Ex aliis demùm, quas Saracenis

(a) *Innoc. II. Epiſtol. tom.1. lib.1.205.*

(b) *Borell ſum decif. tom.1. tit.34. n.599. cũ aliis ibi.*

(c) *Innoc. III. epiſt. tom.1. l.1 epl ad Conſtantiam f.204.4.*

(d) *Idem in alia epiſtol. ad eandem f. 204. B.*

(e) *Innoc. III. eplar. to.1. l.1. epl. Archiep. Epiſc. &c. Siciliæ fol. 206.*

(f) *Godefrid. Monachus in Annalib. ann. 1199 f.266. Raynald. ann.1198. n.70.*

(g) *In Emortuali ap. Anonymum Caſſinenſ. fol.166. Spondan. ann. 1198. n.6.*

(h) *Odoric. Raynald. ann.1198. n.70.*

(i) *Innoc. III. tom.1. epiſt. l.1. à f.267 ad 272*

(l) *Innoc. III. loc. cit. à f. 369. ad 377. & à f. f. 403. ad 438. Vid. & Raynal an.1216. n.5 & 6.*

cenis

Digitized by Google

cenis direxit, ut eos ad ſervandam ipſi Friderico fidelitatem congruam roboraret (*a*).

17. Inveſtiturâ Regni ſuſceptâ Fridericus, per aliquod ſpatium temporis morigerum ſe Summo Pontifici demonſtravit: Nam anno 1213. favore Innocentii Papæ III. edidit hoc diploma: -- Regnum noſtrum tunc ſtabiliri confidimus cum Altiſſimum, de cujus manu ea, quæ poſſidemus, bona recepimus, honoramus &c. Cognoſcentes igitur gratiam, quæ data eſt nobis ab ipſo; habentes quoque præ oculis immenſa, & innumera beneficia veſtra Domine, & Reverendiſſime Pater, & Benefactor noſter Domine Innocenti, Dei gratiâ Summe Pontifex venerande, per cujus beneficium operam, & tutelam aliti ſumus, protecti paritèr, & promoti, poſtquam in ſollieitudinem noſtram mater noſtra felicis memorię Conſtantia Imperatrix ex ipſo quaſi utero nos jactavit; Vobis Beatiſſime Pater, & omnibus ſucceſſoribus Catholicis veſtris, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ ſpeciali Matri noſtræ, omnem obedientiam, honorificentiam, atq; reverentiam ſemper humili corde, & devoto ſpiritu impendimus &c. Illum igitur volentes abolere abuſum, quem quidam Prædeceſſorum noſtrorum exercuiſſe dignoſcuntur, decretum in electionibus Prelatorum concedimus, & ſancimus, ut electiones Prælatorum liberè, & canonicè fiant, quatenus ille præficiatur Eccleſiæ viduatæ, quem totum Capitulum, vel major, & ſanior pars illius duxerit eligendum, dummodò nihil deſit ei de canonicis inſtitutis.

18. Appellationes quoque in negotiis, & cauſis eccleſiaſticis ad dictam Sedem Apoſtolicam liberè fiant: eorum proſecutionem, ſivè proceſſum nullus impedire preſumat. Illum quoque dimittimus, & refutamus abuſum, quem in occupandis bonis decedentium Prælatorum, aut etiam Eccleſiarum vacantium noſtri conſueverunt Prædeceſſores admittere, pro motu propriæ voluntatis: Omnia nos ſpiritualiè vobis, & aliis Eccleſiarum Prælatis relinquimus libera diſponenda, ut quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo rectâ diſtributione reddantur &c. Adjutores etiam erimus ad retinendum, & ad defendendum Eccleſię Romanę Regnum Siciliæ, cum omnibus ed eum ſpectantibus, tam citrà Pharum, quam ultrà, nec non Corſicam, & Sardiniam, & cætera jura, quæ ad eam pertinere noſcuntur, tamquam devotus filius, & Catholicus Princeps &c. (*b*). Ejuſdem tenoris diploma Fridericus prẹfatus, anno 1219. exaravit, Honorio Papæ III. directum, de quo Cardinalis Baronius (*c*). Ex quibus vides, tam vi Inveſtituræ Apoſtolicæ, conceſſæ Regibus Dynaſtiæ Svevicæ, quam vi diplomatum, per Fridericum Regem, & Cæſarem editorum, tota, totalis, & integra libertas, Pontifici, Prælatis, ac viris Eccleſiaſticis eſt relicta, de ſacris rebus diſponendi, & præbendas, ac beneficia quibuslibet Clericis conferendi, dummodò idoneis ſecundum canones, quos certum eſt, ab eiſdem extraneos non arcere.

19. Sed ſicut Henricus VI. Maritus Conſtantię, & Friderici pater, multa utriuſque Sicilię incolis, multa Guillelmo Rogerii nothi filio, ejuſque Matri Sibillę, ac Sororibus ejus eſt pollicitus, nihil autem ſervavit, ſed in eos deſæviit (*d*), & in Siculos *omne genus immanitatis exercuit* (*e*); Sic & Fridericus, à Patre nihil degenerans, quę in ſuſcipiendâ Inveſtitura Regni ſpopondit, quoàd beneficia eccleſiaſtica; progreſſu temporis nullatenus obſervavit. Nec profuit, quod hęc eadem, quę veluti per pactum, in adipiſcendâ inveſtiturâ pollicitus eſt, ipſe novis diplomatibus, proprio marte factis, confirmaverit, de quibus mox facta memoria eſt; nàm neutro attento, utrumque fædifragus temeravit. Nedùm namque ſe Preſulum electionibus immiſcebat, ſed eorum etiam promotionem eſſe liberam non ſinebat. Undè Honorius Papa III. illum per hęc verba coarguit: -- Et quid eſt, quod jam dudum audivimus, & nupèr etiam perculit aures noſtras, quod ad electiones Epiſcoporum videlicet manus extendas: electioni Averſanę prẹſertim Eccleſię, & Epiſcopatuum in provinciâ Salernitanâ vacantium te immiſcens? An fortè ſuſpiras ad progenitorum tuorum abuſum, quem Dominus Zelotes abominans, illis ità

ſuâ

(a) *Idem Innoc. III. loc. cit. epiſt. ad Sarac. Sicil f. 406.*

(b) *Ex libr. privil. Roman. Ecc. lib. Cenſ. Cod. Vatic.*
(c) *Card. Baron. ann. 197.*

(d) *Raynald. an. 1198 n. 65. Foreſt. Map. Iſtor. in Tancred. Reg. Sicil.*
(e) *Petav. Rationar. temp. l. 8. c. 20. § mortuo.*

Digitized by Google

ſuâ providentiâ obviavit, ut præter te vix de ipſorum progenie quis ſuperſit? Sed & recolis, abjuraſſe tè abuſum eundem, & bonę memorię Innocentio Papę prędeceſſori noſtro, & poſtmodum nobis renunciationem hujuſmodi privilegio confirmaſſe; Nunquid ergò ſpretis privilegiis, & promiſſionibus tuis, & juramenti religione contemptâ, gladium in nos acues &c. (*a*).

20. Et poſt alia ſalubria monita ſubdit -- Cum ſemper ad perſonam tuam veri patris affectum geſſerimus, & geramus; Imperatoriam Majeſtatem monemus, & rogamus attente, per Dominum obſecrantes, quatenùs nobis, & tibi proſpiciens, intèr tè, & Eccleſiam, naſci tantum ſcandalum non permittas; quià profectò ſi in hoc ſcandalizati à te fuerimus, in quo contrà nos noſtra reputaremus interiora moveri, hujuſmodi doloris aculeus tranſverberaret cor noſtrum, & per intima oſſium pertranſiret; ſed cum ad te ob hoc dilectum filium Priorem S. Marię Novę, cum noſtris literis, & tranſcripto tui privilegii, dirigamus; per te ipſum, quę alitèr quam deceat, acta ſunt, corrigas: electiones juxtà privilegium, & promiſſiones tuas, liberè, ac ſinè impreſſionis vitio, fieri permiſſurus. Alioquin noveris, quod id nullâ poterimus ratione, in proprię animę periculum, ſuſtinere; præſertim cum contrà nos intrà, & extrà Romanam Eccleſiam, jugiter acclametur, quod tibi detulerimus in plùribus contrà Deum. Sed difficultates tuas, in quas te hactenus ingeſſiſti, & inducis, in totius orbis notitiam adducemus, Cœli, & terrę teſtimonium invocantes, quod ad hoc procedimus dolentes plurimum, & inviti (*b*).

(a) Odoric. Raynald. ann. 1221. n. 32.

21. Nihil verò hiſce monitis factus melior Fridericus, libertatem Eccleſiæ in proviſionibus beneficiorum Epiſcopalium ſecundum formas canonicas attenuere perrexit, & uſque adeo exceſſus invaluit, ut nollet præfici beneficiis Epiſcopalibus Clericos, niſi à ſè deſignatos: alias obſiſtebat, nè in Eccleſiis reciperentur, & nactis poſſent perfrui beneficiis. Patet hoc ex epiſtolâ, ad eum datâ per Honorium III. præfatum, in quâ ſic eum alloquitur: *Venientem ad præſentiam noſtram dilectum filium L. Judicem Barenſem, conſuetâ benignitate recepimus &c. Qui verba quædam propoſuit, à te ſibi, prout dicebat, injuncta, in quæ tua non debuiſſet prorumpere circumſpectio, etiam ſi gravem à nobis injuriam perculiſſet. Dixit enim, nos tibi protectionem dediſſe, quæ non erat protectio, ſed diſtructio appellanda, utpotè tendens, prout idem ſubintulit, ad perſonæ tuæ perditionem, & Regni: & adjecit, ut quandoquidem nolebamus à tè nominatos recipere; nullos ad præfatas mitteremus Eccleſias, quià non reciperes aliquos, nec recipi ſuſtineres à nobis ad ipſas Eccleſias deſtinatos. Sanè non ſatis ſano, ut cum pace tuâ loquamur, fuiſti uſus conſilio, quando mandaſti talia dici nobis: quià ſic innuiſti te, quod non credimus, eſſe paratum, & promptum ad rumpendum inter nos, & tè vinculum charitatis. Deſideramus filii chariſſimè, ut omni tempore, & maximè noſtro ſit inter te, ac Eccleſiam Romanam firma, & ſincera dilectio, quià id & ipſi Eccleſiæ, & tibi, & toti Chriſtianitati cognoſcimus expedire: nec quicquam amarius facilè poſſet nobis accidere, quam ſi ſtatum tuum, quem multâ curâ promovere ſtuduimus, cogeremur, aut perturbare, quod abſit, aut perturbari ab aliis, illum (ſi tibi favorem Apoſtolicum deeſſe cognoſcerent) percurbare paratis, conniventibus oculis pertranſire. Sed ſi, quod Deus avertat, neceſſe eſt, ut eveniant ſcandala; quæ cauſa excogitari poteſt conflatura tibi plus odii, vel conciliatura Eccleſiæ plus favoris, quam ſi tu per intolerabilem uſurpationem attentes Eccleſiaſticam libertatem evertere; Apoſtolica vero Sedes illam, ſecundum divinas, & humanas ſanctiones, ſtudeat conſervare?*

(b) Odoricus Raynald. loc. cit.

22. *Certè vides, quod qui talia perſuadent, aut ſuâ cęcati ambitione falluntur, aut malitioſè te fallunt, & greſſum tuorum vias fraudulentis diſſipare conſiliis, & machinationibus pravis ſubvertere moliuntur. Videre potes etiam quam ſincero, quamque paterno te zelemut affectu, qui non ſolum tuorum verborum injuriam patienter accipimus, verum etiam contrà nos ipſos, te quodammodo præmunimus, dum diſſuademus te cauſam illam aſſumere, ex quâ poſſes quaſi commune incurrere odium;*

Sede

Sede Apoſtolicâ, ex eâdem, favorem publicum aſſequente. Quid enim? Non obtinebimus eam juriſdictionem, vel poteſtatem in Regno Siciliæ, quam in Franciæ, Angliæ, Hiſpaniæ, ac cæteris Chriſtianorum Regnis, & in ipſo Imperio, noſcimur obtinere? Nunquid in Regno Siciliæ minus auctoritatis, vel poteſtatis habebimus, quam in eo, tamquam Sedis Apoſtolicæ patrimonio plus juris, & juriſdictionis habemus? Quid conaris aggredi, quid meditaris incipere; ſeductus falſis conſiliis, & animatus tuæ calore, & robore juventutis? An credis eſſe prudentiam, vel conſilium, aut potentiam, contrà Deum; & ejus timore poſtpoſito ſperas te poſſe prævalere adverſus ejus Eccleſiam, cum quâ promiſit sè uſque ad conſumationem ſæculi permanſurum? Si contemnis noſtris acquieſcere monitis; domeſticis ſaltem acqueſcas exemplis: tecum ipſe recognitans, manum Domini abbreviatam non eſſe, ut non poſſit erigere, ac deprimere; perdere, ac ſalvare. Hæc tibi benigno animo, & ſincero affectu Princeps inclytiſſimè ſcribimus, ſatagentes inconſultos animi tui motus paternâ commonitione, comminatione, redarguitione, obſcceratione, ac increpatione, compeſcere; teque ad ea, quæ terrenum ſtabiliant tibi Regnum, & æternum præparent, informare (a).

(a) *Odoricus Raynald. ann. 1223. n. 15.*

23. Contempſit Fridericus hæc monita, ſemperque in deteriora prolabens, libertatem eccleſiaſticam attenuare, patientiam Apoſtolicam exaſperare, & res ſacras in Regno ad talem miſerabilem ſtatum redigere, aggreſſus eſt, ut liberè beneficiis Epiſcopalibus, & Abbatialibus præfici non poſſent Antiſtites. Perplures ergò Eccleſiæ vacabant, & viduitatis ſuæ dolorem amariſſimis gemitibus explicabant. Honorius propterea Papa III. auctoritate ſuâ uſus, eaſdem Sponſo deſolatas diù conſiſtere non eſt paſſus: & ut libertatem ſimùl Eccleſiæ ſervaret, atque identidem Regis animum lenitèr attrectaret; quinque Eccleſiis vacantibus, totidem præfecit Antiſtites, ejuſdem Regni originarios, qui pridem alibi per alias Eccleſias, tam ubi erant alienigenæ, quam ubi nationales erant, nimirum Romæ, in Regno Neapolitano, in Cypro &c. beneficia fuerant aſſecuti; quo facto eorum promotionem Friderico ipſi hujuſmodi ſenſibus denuntiavit.

24. *Videntes quod diutina Capuanæ, Salernitanæ, Brunduſinæ, Conſanæ, ac Averſanæ Eccleſiarum, vacatio, in grave, non ſolum rerum, ſed etiam animarum periculum, redundabat; & attendentes, quod id nobis, & tibi imputabatur publicè ab hominibus, ac ne imputaretur adeò anxiè metuentes, ipſis Eccleſiis, & famæ, ac ſaluti noſtrę, tuæque ſimùl curavimus providere, ipſas Eccleſias, reſpectu ad ſolum Deum habito, de perſonis, tibi meritò acceptandis, utpotè ſcientiâ, vitâ, & famâ conſpicuis, oriundis de Regno, & tuæ ſublimitatis devotis, ac fidelibus, ordinando venerabilem Fratrem noſtrum I. Pactenſem; & Salernitanenſem, venerabilem fratrem noſtrum C. Famaguſtanum Epiſcopos: Brunduſinum verò, dilectum filium Abbatem S. Vincentii de Vulturno: Conſanum, venerabilem fratrem noſtrum quondam priorem S. Mariæ Novæ de Urbe: ac Averſanum, venerabilem fratrem noſtrum quondam Amalphitanum Archidiaconum, ſine tuo prejudicio, providentes, de fratrum noſtrorum conſilio in paſtares. Rogamus igitur Serenitatem tuam attentiùs, & hortamur, quatenus Eccleſias ipſas, ſicut Imperialem clementiam decet, habens prò reverentiâ Dei, & animæ tuæ ſalute, propenſius commendatas, eis honores ſuos, ac jura integra conſervando, prænominatos earumdem Paſtores, favore Imperialis gratiæ proſequaris (b).*

(b) *Odoricus Raynald. ann. 1225. n. 45.*

25. Abnuit Fridericus novis illis Epiſcopis, à Pontifice deſignatis, in ſuis Sedibus locum dare: undè apparet, non fuiſſe Regem ſollicitum prò indigenarum promotione, cum Præſules Regni originarios, non minus ac extraneos, ab adeptis dignitatibus repulſaret; ſed prò arrogandâ ſibi poteſtate, de beneficiis, & Eccleſiis, juxtà ſuum libitum, diſponendi: pręſertim cum inveniatur, illum nedùm ſe immiſcuiſſe Antiſtitum electionibus, ſed etiam hoc feciſſe, ut de unâ ad aliam Eccleſiam tranſitarent, vel alias per impreſſionem, & omiſſâ Canonicâ electione promoverentur. Minora quoque beneficia, etiam parochialia conferebat, & colla-

ta

Digitized by Google

ra auferebat: Imò & nec ab illis conferendis abſtinebat, quæ ſibi Pontifex reſervaverat. Id accidiſſe diſcernimus ex iis, quæ aliquantò poſt Gregorius Papa IX. eidem Principi ſuis literis intimavit — Eſto quod aliqua beneficia vacantia conferas: ut curam tamen animarum, illis annexam, committere valeas, jus ſpirituale, quod non cadit in laicum, non permittit: & in locum viventium, quos à gradu ſuo, nec propria cauſa, nec ſui judicis ſcientia deiicit, alios ſubſtitui, jus datum cælitùs interdicit. Eſto quod in collatione beneficiorum morientibus ſuccedas, ut dicis Epiſcopis, majorem in hoc ipſis non adipiſceris poteſtatem: nec nos ob id, qui eis viventibus, conferre beneficia non collata potuimus, jàm te locum tenente, ne dicamus uſurpante, Pontificis; Apoſtolicæ amittimus plenitudinem poteſtatis (*a*).

26. Abnuit inquam Fridericus quinque illis novis Epiſcopis, à Pontifice deſignatis, locum dare tametſi nationalibus, & alibi prius eccleſiaſtico beneficio inſignitis: Undè inter ipſum, & Honorium Papam facta eſt magna exulceratio animorum, ac par colliſio Regni, & Eccleſiæ. Technas proponebat Rex, de juribus, quę ſibi autumabat competere in electionibus Prelatorum: & ne poſſet, eo inconſulto, quiſquam ad eaſdem promoveri clamabat; ſed cavillationes omnes diſpeſcuit Honorius, ipſi ſub hac phraſi reſpondens: — Dicis jus Regibus Siciliæ in electionibus Prelatorum, ſicut aſſeris, debitum ex antiquo, noſtris Conſtitutionibus minorari. Verùm ſi ſcripta tua, & Genitricis tuę, manu ſollicitudinis revolviſſes; ſi Sanctorum etiam Patrum conſtitutiones adverteres, non culpares Eccleſiam circà defenſionem eccleſiaſticę libertatis, cum non debeat de proſecutione mordere juſtitię, qui contendere nititur de abuſu. Aſſeris inſuper nos, preter formam communitèr requiſitam, te inconſulto quibuſdam Eccleſiis regni vacantibus prefeciſſe perſonas. Sed quę ſit illa forma neſcimus, quę pro certo nimis eſſet informis, per quam Apoſtolicę Sedis judicium ex tuę voluntatis arbitrio dependeret. Non tamen intendimus promovere ſuſpectos, dummodò non ultrà, notam ſuſpicionis extendas, quam rationis tramites patiantur (*b*). Attendat egregius Lector quomodo uſque ab illâ ętate Romanus Pontifex, & Eccleſia in Regno Neapolitano integrâ libertate potiebatur pro beneficiorum diſtributione, in pactum etiam deductâ, inter Reges, & Sedem Apoſtolicam: nec quidquam in oppoſitum prævalebat; non leges, non conſuetudines, nec aliud obſtaculum, quod ritè poſſet libertatem ipſam infringere; vel Sedis Apoſtolicæ ità judicium coarctare, ut hoc deberet à Regiæ voluntatis arbitrio dependere.

27. Pervicaciſſime tamen Fridericus malè cepta proſequi non expavit, Eccleſias libertate canonicâ in electionibus denudando: Viros beneficiis numerandos deſignando, eoſque vel per impreſſionem, aut ex tranſverſo, ſive alias adulterino introitu, beneficiis eccleſiaſticis intrudendo: quod ingenti dolore percitus, Gregorius Papa IX. ei aliquando ſic intonans exprobravit: — Ecce in Regno prædicto per Miniſtros Imperiales nudatæ privilegio libertatis Eccleſiæ; bonis, ſacris deputatis uſibus, ſpoliatæ flent, quia ipſarum Paſtores etiam, & miniſtri, patres, & filii exulare coguntur; carceri mancipantur, & foro eccleſiaſtico derelicto, in examine vetito actiones ſuſcipere, tallias ſolvere, & bona compelluntur eccleſiaſtica, ut ſe à vexationibus redimant, exhaurire: & ſi quando eas contingant Paſtoris ſolatio viduari, non permittuntur ſibi Sponſum eligere, & viduitatis veſtimenta deponere, donèc adulterinis alicujus amplexibus, qui non canonicè, ſed per impreſſionem electus, aut aliàs intruſus fuerit, extiterint copulatæ. Ecce ibi Catholica fides perit, ex eo hæreſis inibi præcipuè vires ſumit, quod in Eccleſias, & perſonas eccleſiaſticas, Officialium oppreſſione ſæviente, cedem predicationis, ex quâ maximè confutantur Hæretici, & Catholici roborantur, exercere non poſſunt officium; quia neceſſariò cætera pars edificii corruit, cujus concutitur fundamentum (*c*).

28. Quid plura: pro eo quod Fridericus pacem tandèm Eccleſiæ daret, ac ei nati-

(a) *Idem Odericus Raynald. an. 1236. n. 21*

(b) *Odericus Raynald. an. 1236. n. 8.*

(c) *Odericus Raynald. an. 1236. n. 15.*

nativam relinqueret libertatem, quotidiè potius in pejores auſus prorupit: undè diſcordia inter illum, & Papam ſemper magis incaluit, talitèrque ſunt hinc indè eorum animi exaſperati, ut ad arma eccleſiaſtica ſit deſcenſum, nempè ad Cenſuras, quas Gregorius Papa IX. adversùs Fridericum vibravit, & plures, atque graves cauſas anathematis ad cunctorum notitiam perducens, has quoquè inter cæteras allegavit: *Excommunicamus, & anathematizamus auctoritate Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & noſtrâ, Fridericum dictum Imperatorem, pro eo &c. Item pro eo, quod non permittit quaſdam Cathedrales Eccleſias, & alias vacantes Eccleſias, in Regno reparari: Et hâc occaſione periclitatur libertas Eccleſiæ, perit fides, quia non eſt qui proponat verbum Dei, nec qui regat animas, deficiente Paſtore &c. Regnum quærens, & Sacerdotium vendicare, vacantibus ipſius Regni Eccleſiis Paſtorum non patitur præſidio ſubveniri, tot animarum occiſor, quot per Paſtorum abſentiam tranſeunt in corruptionem* (*a*). Verùm quia, ut ait Divinum verbum, *impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit* (*b*); Fridericus, nec timore Dei correptus, nec metu pœnæ humanæ concuſſus, nec ullo propriæ ſalutis contuendæ ſtudio concitatus; Claves Petri contempſit, & Cenſuras eccleſiaſticas, gladio Pauli non ſuffultas, contumelioſiſſimè parvipendit (*c*).

(a) *Raynald.an.1239 num.1.& 2.*
(b) *Proverbior. cap.18.n.3.*
(c) *Raynald an 1239. num.13 17.23.37.*

29. Ex tunc diſſidia ſemper in dies magis invaluère: Nàm Fridericus, modeſtiæ neſcius, & correctionis impatiens, pro ſatisfactione, Papæ exhibuit opprobria: pro libertate admittendâ Eccleſiæ, illam novis dietim preſſit oneribus: pro compunctione tandèm cordis oſtendendâ, quotidiè in pejus animum relaxavit: reſque curſu præcipiti eo profluxerunt, ut Innocentius Papa IV. Concilium Generale Lugduni celebrando, anno 1245. Prælatos ex totius ferè Chriſtianitatis latitudine convocaverit, ut ait Matthæus Pariſius (*d*), ubi inter cætera, lectum eſt originale diploma, dudum ab ipſo Friderico exaratum, in quo jurabat fidelitatem Honorio Papæ III. tamquam Vaſſallus Domino ſuo, pro Regno Siciliæ, Ducatu Apuliæ, ac Principatu Capuæ, cum ſuis dependentiis, ſpeciali patrimonio S. Petri, quod in feudum tenere profitebatur, ſpondens ibidem liberam dimittere electionem omnium Eccleſiarum, expreſsèque cedens ſi quod jus ſuper eiſdem habuiſſet (*e*). Ob quorum rè verâ ſolam violationem, toties, & talitèr repetitam, potuiſſet Pontifex caducitatem Regni declarare, ex eâ generali ratione, quod Vaſſallus violans juramentum, tamquam periurus, feudo privatur (*f*). Sed veluti hoc parum eſſet, Innocentius doloroſiſſimâ concione recenſuit alia multa criminum capita, quorum Rex ille, & Imperator pervicaciſſimus reus erat (*g*): Eorumque, dum enumerabatur catalogus, Epiſcopi Hiſpaniæ, quorum uberior, quam aliarum Nationum numerus, ad Concilium concurrerat, animarunt Pontificem ad procedendum adversùs Fridericum, depreſſorem Eccleſiæ: quod & aliarum Nationum Præſules fecerunt, offerentes Papæ aſſiſtentiam in perſonis, & rebus (*h*). Sanctus quoque Ludovicus Rex Franciæ, Concilium iſtud protexit, & ei robur adjunxit, de quo Æmilius: *Niſi S. Ludovicus Rex Francorum huic Concilio dignitatem, roburque præſtitiſſet; turbaſſet illud armis Fridericus* (*i*).

(d) *Matthæus Pariſ.an.1245.Bail. to.1. in Conc.Lugdun.1.*
(e) *Bail in Concil. Lugdun.1.to 1.f.439.*
(f) *Borellus Sum. Deciſ. tom.1. tit.34. num.538.*
(g) *Odoricus Raynald.an.1245.n.33.*
(h) *Ludovicus Bail. ubi ſuprà.*
(i) *Æmilius in Gall. Vindic. diſſert.2. §.2. num 17.*

30. Itàque Friderico ad judicium vocato, & deductis per ejus Procuratores omnibus, tot quot potuit, excuſationibus, ac motivis; Pontifex tandèm cum Epiſcopis, tædas ardentes in manibus tenentibus (*l*), hanc protulit adversùs Fridericum diffinitivè ſententiam, *Innocentius Epiſcopus Servus Servorum Dei, Sacro præſente Concilio, ad rei memoriam ſempiternam. Ad Apoſtolicæ dignitatis apicem &c.* Recenſet permulta mala, & crimina, per deteſtabilem illum Principem perpetrata; tumque concludit, *Nos itaque ſuper præmiſſis, & quampluribus aliis ejus nefandis, & execrandis exceſſibus, ac flagitiis, cum fratribus noſtris Cardinalibus, & Sacroſancto Concilio deliberatione præhabitâ maturâ, & diligenti; Cum Domini noſtri Jeſu Chriſti vices, licèt immeriti, teneamus in terris, nobiſque in Beati Petri Apoſtoli perſonâ ſit dictum: Quodcumque ligaverit ſuper terram, erit liga-*

(l) *Idem Ludovicus Bail loc.cit.f.442.*

ligatum & in Cœlis &c. Memoratum Principem, qui ſe Imperio, & Regnis, omnique deniquè honore, ac dignitate reddidit tam indignum: quique proptèr ſuas iniquitates, atque ſcelera, à Deo, ne regnet, vel imperet, eſt abjectus; ſuis ligatum peccatis, à Deo abjectum, omnique honore, ac dignitate privatum à Domino oſtendimus, ac denuntiamus, & nihilominùs ſententiando privamus: omneſque, qui ei juramento fidelitatis, aliquo modo tenentur aſtricti, vel obligati, à juramento hujuſmodi perpetuò abſolvimus, & liberamus; auctoritate Apoſtolicâ firmitèr, & ſtrictim inhibendo, ne quiſquam de cætero ſibi tamquàm Imperatori, vel Regi pareat, vel quomodolibet parere intendat: decernendo quoslibet, qui deincèps ei, velut Imperatori, vel Regi, conſilium, vel auxilium præſtiterint, ſeù favorem, ipſo facto excommunicationis vinculo ſubjacere: illi autem, ad quos in eodem Imperio, Imperatoris ſpectat electio, eligant liberè alium in ejus locum ſucceſſorem. De præfato verò Siciliæ Regno providere curabimus, cum eorundem fratrum noſtrorum Cardinalium conſilio, ſicut viderimus expedire (*a*). Quibus prolatis omnes Epiſcopi faces, quas ardentes præ manibus habebant, in terram jactu præcipiti dejecerunt, abſedentibus Procuratoribus Friderici, dolore, & confuſione perculſis, alteroque eorum ſibi fœmur percutiente, altero gemebundè ejulante, *Dies iſta, dies iræ, calamitatis, & miſeriæ* (*b*). Quamvis verò in prędictâ ſententiâ ſolummodò dicatur *ſacro præſente Concilio*, ut in hoc facto ſola auctoritas Pontificis prævaleret; tamen nulli dubium eſt Concilium, pręter pręſentiam, etiam aſſenſum, & approbationem pręſtitiſſe, uti patet ex epiſtolâ Innocentii ad incolas utriuſque Siciliæ dicens, *ipſum de ſacri approbatione Concilii &c. dignè privavimus Regnorum, & Imperii dignitate* (*c*), & ex aliâ epiſtolâ ejuſdem Papæ ad Carolum Andegavenſem, paulò inferiùs referenda (*d*).

(a) *Cap. ad Apoſtolicæ de ſenten. & judic. Binius in Conc. Lugdun. 1. to. 7. Conc. p. 2. Raynald. an. 1245. num 45.*

(b) *Matth. Pariſ. an. 1245. Raynald. eod. ann. n. 46.*

(c) *Innocent. IV. epi. 8. f. 302.*

(d) *Vid. hic infr. cap. 32. n. 2.*

31. Intèr cauſas autem depoſitionis Friderici, tum ab Imperio, tum à Regno Siciliæ, cum Ducatu Apuliæ, & Principatu Capuæ ipſi adnexis, hæc quoque fuit per Innocentium Pontificem recenſita. Cum Legati Apoſtolici ipſi *mandaſſent, ut nec per ſe nec per alium, impediret, quin poſtulationes, electiones, & confirmationes Eccleſiarum, & Monaſteriorum in regno præfato liberè de cætero fierent, ſecundum ſtatutum Concilii generalis, & quod nullus deincèps in eodem regno viris eccleſiaſticis, ac bonis, aut rebus eorum imponeret tallias, vel collectas; quodque nullus ibidem Clericus, vel perſona eccleſiaſtica de cetero in civili, vel criminali causâ conveniretur coràm Judice ſæculari, niſi ſuper feudis quæſtio civilis haberetur, ac Templariis, Hoſpitalariis, & aliis perſonis eccleſiaſticis, de damnis, & injuriis irrogatis eiſdem, ſatisfaceret competentèr; ipſe mandatum hujuſmodi adimplere contempſit. Liquet namque undecim, aut plures Archiepiſcopales, & multas Epiſcopales Sedes, Abbatias quoque, & alias Eccleſias, ad præſens in regno vacare prædicto, eaſque procurante ipſo, ſicut apertè patet, fuiſſe diutiùs Prælatorum regimine deſtitutas, in grave ipſarum præjudicium, & periculum animarum multarum. Et licèt fortè in aliquibus ejuſdem Regni Eccleſiis electiones ſint à Capitulis declaratæ; quia tamen per illa ejuſdem familiares Clerici ſunt electi, probabili poteſt argumento concludi, quod facultatem non habent liberam eligendi. Eccleſiarum autem ipſius regni non ſolùm facultates, & bona fecit, prout voluit occupari; ſed & Cruces, Calices, Thuribula, & alios ſacros eorum theſauros, & pannos ſericos, velut cultus divini contemptor, auferri: licet ut dicitur, ipſis Eccleſiis, exacto tamèn prius pro eis certo pretio, in parte fuerint reſtituti.* Nec ſilenda eſt mentio ibi facta de Regni utriuſque Siciliæ cenſu, ſive annuo canone non ſoluto: ibi: *Poſſet etiam meritò reprehendi, quod &c. annuam penſionem, in quâ pro eodem Regno ipſi Eccleſiæ Romanæ tenetur, per novem annos & amplius ſolvere prætermiſit &c.* (*e*).

32. Depoſitione Friderici auditâ, Siculi ultrà Pharum, ab eo protinus defecerunt (*f*), idemque paulò poſt fecerunt & Apuli, ſive Siculi citrà Pharum (*g*). Imperii quoque Electores Henricum Thuringiæ Ducem in novum Cæſarem pronuntiarunt (*h*), quo poſt biennium, morte ſublato, ipſi Guillelmum Comitem Hol-

(e) *Raynald. ann. 1245. 40. Binius to. 7. p. 2. Conc. in Conc. Lugdun. Cabaſut. ibidem § Ad.*

(f) *Raynald. an. 1246. num. 14.*

(g) *Idem Raynaldus ann. 1249 n. 14.*

(h) *Albertus Stadenſ. in Chron. an. 1246*

landiæ ſubrogarunt (*a*). E vivis poſtmodùm non multos poſt annos, ipſe quoque Fridericus abreptus Eccleſię pacem, & libertatem deſiit deprædari, ac totum orbem ſcandalis deturpare. Manfredus ejus filius, ex pellice progenitus, illum inaniſſimè ſuffocavit (*b*), qui & citò etiam Conradum, Friderici primogenitum interemit (*c*), poſtquam Conradus ipſe Henricum fratrem, Friderici ſecundogenitum, enecaverat (*d*). Subindè Carolus Andegavenſis Manfredum ipſum in prælio pugnantem occidit (*e*), ac demùm Corradinum, Conradi filium, unicam Friderici, & *Svevicę* proſapię ſcintillam, publicè fecit in planteâ Neapolis per carnificem obtruncari (*f*). Et ità, breviſſimi temporis intervallo, tota *Friderici, & Svevicæ familiæ ſtirps prorsùs extincta eſt* (*g*), in pœnam, uti communitèr cenſitum eſt contemptæ Eccleſię, perturbati Pontificis, ſcandalis, repletę Chriſtianitatis, uſurpati tandem juris, ad Sacerdotes legitimè pertinentis. Hoc enim ſæpiſſimè accidit, & in Eccleſiâ crebertimè obſervatum eſt accidiſſe, ut Principes, jurium Sacerdotalium uſurpatores, & libertatis Eccleſiaſticæ oppreſſores, citò Divina Omnipotentia diſperſerit, nullo ipſorum ſtirpis ſuperſtite relicto: hocque intenderunt Epiſcopi Synodi Tullenſis, dùm Salomoni Britannorum Regi fecerunt Conciliaritèr intimare, *Niſi ab hac audaciâ, & impietate ſe traxerit, & divinâ pœnitudine deleverit quod deliquit; noſtræ auctoritatis affectu nobis admonentibus citò ei Deus uſurpatam auferet poteſtatem* (*h*).

(a) *Petavius Ration. temp. l. 9. c. 1. § ſublato.*
(b) *Odoricus Raynal. ann. 1250 n. 32.*
(c) *Joan. Villan. l. 6. c. 44. Ricordan. Maleſpin. hiſt. Flor. c. 146.*
(d) *Matthæus Pariſ. hiſt. ann. 1154. Raynald. an. 1254. num. 42 45.*
(e) *Ptolom. Lucenſ. hiſt. l. 22. c. 32. Jo. Villan. l. 7. c. 9.*
(f) *Nangius in vit. S. Ludovici Foreſt. Map. Hiſtor. in Carol. I. Reg. Siciliæ.*
(g) *Dionyſ. Petavius Rationar. tempor. l. 9. c. 2. § Quam.*
(h) *Concil. Tollenſ. ad Saponar. ap. Pithœum in Proclam. Caroli Regis adverſus Vvenilonem.*

33. Itaque juxtà Inveſtituram Apoſtolicam Regni Siciliæ, quę *Svevicę* familiæ conceſſa fuit, in perſonam Friderici II. (alii namque Principes hujus Dynaſtiæ, Inveſtituram Regiam non ſunt adepti, utpote paternę depoſitionis, & privationis effectibus implicati: tametſi per vim aliquantulum ſe diverſis Regni partibus inſinuaverint moderandis) expreſsè conditum eſt, & in pactum manifeſtè deductum, quod electiones Præſulum, ſecundum formam Canonicam fierent, & ità eorum beneficia nullâ originis diverſitate attentis, tùm Clericis extraneis, tùm indigenis, dummodò rationabilitèr non ſuſpectu, ſed dignis, & benemerentibus conferrentur: quippè electio Canonica, tàm indigenas, quàm extraneos facit eſſe beneficiorum eccleſiaſticorum capaces. Fit ſermo autem ibi de ſolâ electione, quia tunc, quandò hęc Inveſtitura edita eſt, beneficia Epiſcopalia per viam electionis Canonicæ diſpenſabantur: habet autem locum illa diſpoſitio nunc etiam pro collatione factâ pleno jure: tum quià collatio hæc vim habet electionis (*i*), tum etiàm quià Papa, nunc pleno jure illa conferens, & Rex, quoad Epiſcopatus Regii patronatus, Clericos ad illos præſentans; ſubrogati ſunt in locum electorum; ſubrogatum autem ſapit naturam illius, in cujus loco ſubrogatum eſt (*l*), undè illorum jure uti debent, in quorum locum ſuccedunt (*m*). Cum autem Inveſtitura ipſa, & literę cohærentes Pontificiæ, præſcribant, electiones faciendas eſſe *liberè*, & *canonicè* (*n*) utraque autem hæc particula expoſcat admiſſionem quoque Clericorum extraneorum ad beneficia Epiſcopalia, ſequitur, ut vi pręfatæ Inveſtiturę, conceſſæ per Sedem Apoſtolicam Dynaſtiæ *Normannicæ*, Clerici extranei non ſint à beneficiis Epiſcopalibus Regni Neapolis excludendi. Quod ſanè verificatur etiam de cæteris beneficiis, per Prælatos, vel Patronos conceſſis: quippè beneficia quoque inferioris ordinis ad normam beneficiorum ſuperioris ordinis regulantur (*o*). Debent proindè quoquè iſta, liberè, canonicè, ac juxtà juris diſpoſitionem, & reſervationes Pontificias diſtribui, adeoque certo certiùs eſt, non ſolum indigenas, ſed etiàm extraneos ad beneficia ipſa vocari.

(i) *Fagnan. in c. nullus 1. n. 21. & 22. de elect. l. 1.*
(l) *Auguſt. Barboſ. in cap. 3. n. 4. Ut lit. pend. lib. 2.*
(m) *Barboſ. tract. var. Axiom. 135. n. 9.*
(n) *Vid. hic ſuprà n. 11 & 15.*
(o) *Leſſius de juſt. & jur. l. 2. c. 34. dub. 14 n. 64. Barboſ. vot. deciſ. l. 2. vot. 33. n. 4.*

34. Et quià Fridericus Imperator, ac Rex hujuſmodi libertatem Eccleſiæ ſupprimere aggreſſus eſt, Canonicas electiones tollendo, proviſiones per Pontificem factas impediendo, Reſervationes Apoſtolicas evacuando, poteſtatem tandem Eccleſiæ in beneficiorum diſpenſatione, comprimendo, quæ illis poterat, tùm extraneos, tùm indigenas munerare; meruit non minus ex hac, quàm ex aliis cauſis, honorem, ac libertatem ipſius Eccleſię concernentibus, primò Cenſuris Eccleſiaſticis irretiri; ac poſtmodum, tamquam pertinax, & incorrectus, ſolemni tandem

dem

Digitized by Google

dèm ſententiâ, & Synodali abrogatione deponi. Ergò ex totâ ſerie hujuſmodi ſucceſſuum, ſatis clarè patet, quod ſecundum ſtatum, quem habuit familia Svevica, ad regnandum in Regno Neapolis, Romani Pontificis auctoritate, vocata; juxtàque Regiam inveſtituram, in conſecutione Regni ſuſceptam; debuerunt & extranei, & indigenæ ad beneficia eccleſiaſtica promoveri: ſicque ſumpto à *Svevorum* Dynaſtiâ, & eorum Inveſtiturâ Regali, ac eventuum, quos de illis retulimus argumento, eliquatur, quod in Rgno Neapolitano. Extraneis quoque Clericis dummodo benemerentibus, & dignis, nec Regi probabili ratione ſuſpectis, patere debet acceſsus ad eccleſiaſtica beneficia.

CAPUT XXXII.

In quo ex Inveſtituris Regum lineæ Andegavenſis, *probatur libertas Eccleſiæ in conferendo Beneficia Eccleſiaſtica ejuſdem Regni, nedùm Clericis indigenis, verùm etiam extraneis.*

SUMMARIUM.

1 *An Fridericus ante mortem reſipuerit, diſcordant Scriptores. Juſſit reſtitui Romanæ Eccleſiæ cuncta illi injuſtè ſublata,*

2 *Conradus Henricum fratrem, Manfredus Conradum interemit. Proceres Imperii alium Imperatorem elegerunt: & Papa de Coronâ Regni diſpoſuit.*

3 *Referuntur literę Innocentii Papæ IV. quibus offert Regnum Siciliç Carolo Andegavenſi, miſſo ad eum hac de causâ Legato Apoſtolico.*

4 *Pacta propoſita Carolo Andegavenſi continent, quod præſtet Papę juramentum fidelitatis, & homagium, Regnumque teneat ab Eccleſiâ Romanâ.*

5 *Sequuntur aliæ conditiones, & pacta, ſignanter, quod electiones, proviſiones &c. beneficiorum liberè fient, ſinè aſſenſu regio.*

6 *Res cum Carolo tunc non habuit effectum, undè tractatum eſt prò Richardo fratre Regis Angliæ: indè Innocentius prò ſè recuperare Regnum decrevit.*

7 *Alexander PP. IV. Regnum ipſum Edmundo Angliæ Principi obtulit. Referuntur conditiones oblationi ipſi conjunctæ.*

8 *Una ex dictis Conditionibus eſt, quod libera ſit beneficiorum eccleſiaſticorum diſpoſitio. Varii eventus impedierunt ne res ſortiretur effectum.*

9 *Ideo Alexander, & poſteà Urbanus IV. novum tractatum cum Carolo Andegavenſi reſumpſere. Manfredus Regnum occupaverat.*

10 *Plura mala tyrannicè faciebat Eccleſiæ ipſe Manfredus, Saracenis etiam utens, qui & Eccleſias occupabat, illarumque fructus ſibi uſurpabat.*

11 *Clemens IV. negotium ad ultimum finem perduxit, concedens inveſtituram Regni Carolo Andegavenſi, cum variis conditionibus.*

12 *Homagium, & juramentum fidelitatis, quomodo, & in quo loco Eccleſiæ debeat fieri præſcribitur, & quod Rex non poſſit eſſe ſimul Imperator.*

13 *Cenſus annuus ſit 8. mille unciarum auri, liberaque ſit electio, & proviſio omnium beneficiorum, nullo petito aſſenſu Regio.*

14 *Poſt Carolum I. ſucceſſit Carolus II. qui expreſsè ſpopondit libertatem Eccleſiarum, in diſpenſatione beneficiorum.*

15 *Ca-*

15 *Carolo II. ſucceſſit Robertus Rex, qui pacta omnia, à Patre, & Avo inita cum Papâ, pollicitus eſt obſervare.*

16 *Joanna I. Roberti neptis, poſt Avum regnavit, quæ omnia pacta cum Clemente PP. VI. renovavit. Hæcque fecit Andreaſcum virum ſtrangulari.*

17 *Schiſma contrà Urbanum PP. VI. Joanna fovit, undè Papa illam depoſuit, & Regnum Carolo III. de Dyrrachio conceſſit.*

18 *Conceſſio Regni Carolo III. Dyrachino fuit facta ab Urbano VI. ſub iiſdem pactis, quæ inita fuerant inter Clementem IV. & Carolum I.*

19 *Carolus III. pollicetur Sedi Apoſtolicæ homagium, ac omnibus Eccleſiis, & Clericis libertatem, & reſtitutionem bonorum, quæ illis fuerant ablata.*

20 *Qui Rex promittit etiam omnibus Eccleſiis, earumque Prælatis, libertatem plenam in diſpoſitione beneficiorum, nullo interpoſito aſſenſu Regio.*

21 *Succeſſit Carolo III. Rex Ladislaus, & Ladislao Joanna II. quorum uterque inveſtituram Regni à Papâ ſuſcepit, cum iiſdem Conditionibus.*

22 *Verba, & pacta inveſtituris appoſita, includunt admiſſionem extraneorum ad beneficia: vi dictionum* liberè, *&* omnimodam.

1. POST familiam Svevicam dominatâ eſt Regno Neapolis Familia *Andegavenſis*. Depoſitus namque, ut innuimus, tàm ab Imperio, quàm à Regno Siciliæ, Fridericus, quinquennio poſt diem ſuum clauſit extremum: quâ animi diſpoſitione, diſcors eſt opinio Scriptorum; nam ipſum ingentia pœnitentiæ ſigna dediſſe, memorant Albertus Stadenſis (*a*), Matthæus Pariſius (*b*), Siffridus, & alii (*c*). Sed communior eſt vox dicentium, eum à maligno Spiritu deluſum; vi pulvinaris, ori ejus impoſiti à Manfredo filio ſuo illegitimo, fuiſſe miſerrimè ſuffocatum (*d*): qui & in epiſtolâ ad Conradum Romanorum Regem faſſus eſt, & expreſſè mandavit, ut prorſus eſſet irritum, & inane quidquid ab eo fuerat contrà Romanam Eccleſiam uſurpatum: cui proindè cuncta injuſtè ſubtracta, promptâ reſtitutione reformarentur (*e*). Porrò antè mortem idem Fridericus edidit teſtamentum, in quo de Imperio, & Regnis, jam ad ſe non pertinentibus (utpotè à quibus fuerat juſtè in Concilio Lugdunenſi depoſitus) diſponendo, hæredum Coronæ Imperialis reliquit Conradum, agnomine Caputum, filium ſuum primogenitum, & Henrico ſecundogenito Siciliæ Regnum reliquit. *Teſtamento*, inquit, *nobis inſtituimus hæredem Illuſtriſſimum, & Excellentiſſimum Regem Conradum filium noſtrum, in Coronâ, & Romano Imperio, in omnibus facultatibus, & theſauris, in omnibus, & ſingulis bonis noſtris, quæ noſtro ſubjacent dominio, vel quæ ſubjacere debent, ſub Cœlo, ſuper terram, ab Oriente uſque ad Occidentem, à Meridie uſque ad Aquilonem. Pręcipimus eidem Conrado illuſtri Regi, ut centum millia unciarum auri expendere debeat in recuperationem Terræ Sanctæ ultramarinæ, ſanctiſſimi Sepulchri Salvatoris noſtri: non prætermittentes quin eidem Regi injungamus, ut debeat reddere, & reſtituere omnia jura, omneſque rationes Sanctiſſimę Romanę Eccleſiæ, noſtræ Matri, quæ, & quas poſſidemus injuſtè, ſi eidem Conrado ipſa miſericors, & pia Mater, jure debita, facere non ceſſabit. Illuſtrem Regem Fredericum Nepotem noſtrum nobis hæredem inſtituimus in Ducatu Auſtriæ, & Svevię &c. Henricum filium hæredem inſtituimus Regni Siciliæ. Manfredum filium hæredem inſtituimus in Principatu Tarenti: nepotem Corradinum hęredem inſtituimus in Comitatu Catanenſi* (*f*).

(a) *Albert. Stadenſ. Abb. in Chron.*
(b) *Matth. Pariſ. hiſt. Angl. ann. 1250.*
(c) *Siffrid epitom. lib. 2. an. 1252.*
(d) *Urſpergenſ. ann. 1250 Spondan. eod. an. Ricordan. Maleſpin. hiſtor. Flor. c. 143. Paul. Lang. in Chron. Citizēſ. an. 1250. Ciacon. in Innoc. IV.*
(e) *Ap. Balutium Miſcel. tom. 1 f. 476.*

2. Sed præterquamquod, ut oſtendimus, brevi Conradus Henricum (*g*), & Manfredus Conradum interemit (*h*), juſta Friderici depoſitio hoc effecit, ut tàm Imperii Proceres alium Principem, à Conrado diverſum, Imperiali Diademate perornarint; quam Summus Pontifex, alium Principem, ab Henrico, cæteriſque Friderici deſcendentibus diverſum, ad Regale Solium utriuſque Siciliæ duxerit ſublimandum-

(f) *Roynald. an. 1250 num. 33.*
(g) *Foreſt. Map. hiſt. in Reg. Sicil. in Corrad.*
(h) *Paul. Lang. in Chrō Citizēſ. an. 1751.*

mandum. Innocentius ergò Papa IV. miſſis literis, atque Nuntiis Carolo Andegavenſi, fratri germano S. Ludovici Regis Francorum, Ludovici VIII. filio, ex lineâ Capetinâ, illum ad Coronam Siculam invitavit, ſcribens ei: *Dum adverſitates, & pericula, quæ paſſa eſt hactenùs Eccleſia per Regnum Siciliæ, Apoſtolicæ Sedis periculum ſpeciale recolimus, dum non ſuperfluâ meditatione penſamus, quot, & quantis, & quam inexcogitatis offenſionum modis, quondam Fridericus, dudum Imperator, ipſius Regni tùnc feudatarius, & contrectator iniquus, turbabat per nequitiam propriam, & Regni ejuſdem incredibilem opulentiam, totum Orbem; apparet protinus quod de Regno ipſo, quo intèr alia prædictum Fredericum, ſacro approbante Concilio, privavimus, ad Romanam Eccleſiam devoluto, ſic deligenti deliberatione præhabita, ordinare nos convenit: & cum idem Regnum, ſi bonus ibi Rex fuerit, ſit in ſe Regnum pacis; talis præficiatur ibidem, de quo nulla poſſit haberi ſiniſtra ſuſpicio, ut intervertant ſubitæ divitiæ mentem ejus: quin potius plena de ipſo per approbatam experientiam geratur fiducia, ut tamquam aurum in fornace probatum, non quęrat quæ ſua ſunt, imò tamquàm Chriſti verus athleta deſideret, ut per hoc Deo thurificet, obſequatur Eccleſię, ac ſerviat ſedatis ubique diſcordiis, earum obſtructâ, vel verius exſiccatâ radice, cuncto Chriſtiano populo, & maximè Terræ Sanctæ, quæ niſi per idem Regnum ſuccurratus eidem, vix aut nunquam poterit de Saracenorum manibus liberari.*

3. *Super iis itàque cum fratribus noſtris opportunâ, & neceſſariâ deliberatione tractantes, dum de multorum idoneitate quis foret præferendus Regno tàm opulentiſſimo conferremus; nolentes à noſtris recedere, nec noſtra ad extraneos derivare, evidenti, & manifeſtâ ratione, comperimus, quod tu, quem ſemper invenimus ad beneplacita noſtra paratum, & in negotiis Eccleſię non remiſſum; cujuſque progenitores à longis retrò temporibus, fide ferventes, devotione ſinceri, Eccleſiam de proprio multis opibus, & libertatum privilegiis ampliarunt; ad tantum dignoſceris faſtigium meritò attollendus. Ut igitur tè, tamquam Eccleſię Romanæ ſpecialem filium, & ſingulare ſignaculum, ac in perſonâ tuâ chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Regem Franciæ illuſtrem, fratrem tuum, quem pręcipuè inter alios pęrogativâ favoris proſequimur, cum ſe offert opportunitas, exaltantes promoveamur, utpotè benemeritum ad Coronam; dilecto filio Magiſtro Alberto Notario noſtro Apoſtolicoque legato, quem dudum propter hoc ad tuam præſentiam deſtinavimus, concedendi tibi, tuiſque hęredibus Regnum Sicilię, & totam terram, quæ eſt circà Pharum, cum omnibus juribus, juriſdictionibus, honoribus, diſtrictibus, & pertinentiis ſuis, (exceptâ Civitate Beneventanâ, cum omnibus juribus, diſtrictibus, & pertinentiis ſuis) in feudum liberè, ſub conditionibus, in Bullâ noſtrâ contentis, teque noſtro, & Eccleſię Romanę nomine inveſtiendi de prædictis Regno, & terrâ, cum ſolemnitate, quæ deſideratur in tanto negotio, ac obligandi nos, & Eccleſiam Romanam, ad prędictas conditiones ſervandas, & recipiendi à tè obligationem, noſtro, & Eccleſiæ Romanæ nomine, deſervandis eiſdem; plenè de fratrum noſtrorum conſilio concedimus auctoritate præſentium facultatem (a).*

(a) *Odoricus Raynal.* an. 1253. n. 2.

4. Pacta autem Carolo propoſita, ſunt ea, quæ ſequuntur, omiſſis aliis, ad rem noſtram non facientibus: *Iſtę ſunt Conditiones petendæ in conceſſione Regni Sicilię, Ducatus Apuliæ, Capitanaię, & Calabriæ, ac Principatus Capuę, & totius terræ, quæ eſt citrà Pharum, uſque ad confinia terrarum Eccleſiæ, feudum; exceptâ Civitate Beneventanâ, cum juribus, & diſtrictibus ſuis; nobili viro Carolo Andegaviæ, ac Provinciæ Comiti, per Magiſtrum Albertum Domini Papæ Notarium, Legatum Sedis Apoſtolicæ faciendâ, ſuper quibus concordatum eſt hinc, & indè. In primis idem Comes in ipsâ conceſſione præſtabit eidem Legato, recipienti nomine Domini Papæ, & Eccleſiæ Romanæ, juramentum fidelitatis. Eidem Domino Papæ faciet homagium ligium, cum fuerit in ejus præſentiâ: & tàm ipſe, quàm hæredes ſui legitimi Regnum, & Terras prędictas tenebunt à Domino Papâ, & Eccleſiâ Romanâ in feudum. Ità tamen quod ſi contingat Regnum ad fœminam devenire, illa non nubat*

adver-

adverſario Eccleſiæ, nec Imperatori, aut filio, ſeu fratri ejus, aut alii, de cujus electione ad Romanum Imperium ageretur, abſque conſenſu Domini Papæ, & Eccleſię Romanæ. Item Regnum Imperio nullo modo ſubdetur, ſeu ſibi unquam tempore in eàdem perſonâ aliquatenus unietur.

5. *Item revocabit omnes Conſtitutiones, ſeu Leges, per quondam Fridericum, dudum Imperatorem, vel Reges Siciliæ, ſive per Conradum ipſius filium, editas, contrà eccleſiaſticam libertatem, & in juramento fidelitatis, quod præſtabit, addetur, quod privilegia Apoſtolicæ Sedis, à Regibus, & Principibus, vel aliis Chriſti fidelibus, conceſſa, ſuper regno, aut rebus ſiſtis in ipſo, illibata ſervabit: alia verò privilegia, ęquitatem continentia, ſervabit: nec Statuta, vel Conſtitutiones aliquas edet, aut etiam promulgabit, per quæ juri, vel libertati eccleſiaſticæ derogetur. Item electiones, proviſiones, poſtulationes, & confirmationes Cathedralium Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum locorum religioſorum, tàm in Prælatis, quàm Clericis, & aliis perſonis eccleſiaſticis liberè fiant, ſecundùm quod Canones mandant, & maximè Statuta Concilii Generalis. Denunciatio tamen mortis prælati Regi fiat, ſi fieri conſuevit: Sed ejus conſilium, vel conſenſus in prædictis, non requiratur, nec antè electionem, nec poſt electionem. Item in quolibet quinquennio dabit Rex Domino Papę unum palafridum album, pulchrum, & bonum, in recognitionem veri Dominii Regni ejuſdem. Item in Regnum ipſum nullus ſuccedet, qui non fuerit de legitimo matrimonio procreatus (a).*

(a) *Odoricus Raynal. an. 1253. n° 3.*

6. Verùm hoc negotium tùnc non habuit effectum, quippè deficiebat Carolo aſſiſtentia S. Ludovici ejus fratris, ad opus Hieroſolymitanum inſtaurandum diſtenti (*b*). Legatus proindè Papę, qui Carolum adierat, iter proſequentes, in Angliam ſè recepit, & Coronam Siculam Richardo Comiti Cornubiæ, Henrici III. Regis Angliæ fratri, propoſuit ſuſcipiendam. Richardus autem, vel veritus potentiam, vel conſanguinitatem Conradi; oblatam dignitatem accipere recuſavit (*c*). Pontifex propterea, vir magni animi, & coæqualis in rebus agendis dexteritatris, ac experientiæ; Regnum ſibi recuperare aggreſſus eſt, & prò Romanâ Eccleſiâ tenere: quarè illùc Guillelmum S. Euſtachii Cardinalem Legatum ſuum direxi, ut tantum opus prò viribus promoveret (*d*). Ad hæc audita certatim populi manus liberas attollebant, atque in Eccleſiæ obſequium procumbebant; & ipſi qui Corradini, & Manfredi partibus adhærebant, alii occultè, alii manifeſtè, ad Eccleſię ſigna tranſibant, uti tradidit Anonymus rerum Conradi, & Manfredi relator (*e*). Sed dum colligendis militibus prò tantâ expeditione Innocentius Papa totus incumberet, atque jam ſè Neapolim recepiſſet, mors importuna ejus, & vitam corripuit, & conatum infelicitèr intercepit (*f*). Obiit inquam Neapoli, & in Metropolitanâ Eccleſiâ conditus eſt, ubi hoc ejus legitur Epitaphium: *Innocentio IV. Pontifici Maximo, de omni Chriſtianâ Republicâ optimè merito, qui natali S. Joannis Baptiſtæ anno 1243. Pontifex renuntiatus, die Apoſtolorum Principi ſacrâ coronatus, cum purpureo primus pileo Cardinales exornaſſet; Neapolim à Conrado everſam, ſtatui priſtino reſtituendam curaſſet, innumeriſque aliis prgclarè, & propè divinè geſtis, pontificatum ſuum quam maximè illuſtrem reddidiſſet, anno 1254. deceſſit. Annibal de Capuâ Archiepiſcopus Neapolitanus in Sanctiſſimi viri memoriam abolitum vetuſtate epigramma reſtituit* (g).

(b) *Idem Raynald. an. 1253. n. 5.*

(c) *Matth. Pariſ. hiſt. Angl. an. 1253.*

(d) *Odoric Raynald. an. 1254. n. 48.*

(e) *Anonym. ap. Raynald. an. 1254. n. 55.*

(f) *Matth. Pariſ. hiſt. Angl. 1254. Paul. Langius Chron. Citizenſ. ann 1254.*

(g) *Odoric. Rainald. an. 1254. n 69. & 74.*

7. Succeſſit in Pontificatu Alexander Papa IV. qui ab armis pertractandis alienus, Edmundo, cognomento Gibboſo (*b*). Henrici III. Angliæ Regis filio, Siculam Coronam, legitimo Rege vacuam, deſtinavit, cum hiſce conditionibus in compendium redactis, quod *tranſfundi nimirum utraque Sicilia ad filios Edmundi utriuſque ſexus hæreditario titulo poſſit; at non in plures ſcindi, ac dividi, ſed in uno tantummodò capite conſtet, Romanę Eccleſiæ fidem ſuam Sacramento obliget. Recurrente annis ſingulis Apoſtolorum Petri, & Pauli die feſto, duo millia unciarum auri perſolvat. Si bellum incumbat Eccleſiæ, tribus menſibus trecentos milites egregiè armis inſtructos alat, ſtipendiaque ſuppeditet. Imperium non affectet, aut ultrò*

(h) *Alfonſ. Loſchi Comp. hiſt. in Arbor. Reg. Angliæ*

obla-

oblatum reſpuat; ni faciat, omni jure in Siciliam excidat. Si quis Imperium gereret, qui natalium jure ad Regnum vocandus eſſet; Imperium deponat, ſi Regno indui velit; ſi contrà has leges aſſurrexerit, anathemate ſit defixus, omnique obtinendi Regni jure, ac ſpè deturbetur (a). Plura alia capita, & conditiones adjectæ ſunt, ad negotii opportunitatem facientes, quos tamen, cum inſtituto noſtro non conferant, hìc intermittimus.

(a) *Odoric. Raynald. an. 1255. n. 8.*

8. Illam per extenſam referemus, quæ diſpoſitionem beneficiorum concernit, & ità ſonat: *Omnes quoque Eccleſiæ de Regno, & terrâ prædictis, tàm Cathedrales, quam aliæ Regulares, & Sęculares, necnon & univerſæ eccleſiaſticæ perſonæ illis libertatibus, & immunitatibus omninò gaudebunt, quæ ipſis competunt, ſecundum canonicas ſanctiones. Itàque circà eaſdem Eccleſias, & Perſonas, tàm in faciendis proviſionibus, & electionibus confirmandis; quam in omnibus aliis, Romanus Pontifex, & Romana Eccleſia juriſdictionem, & auctoritatem omnimodam liberè exercebunt, ſalvo debito Regi, & ſuis hæredibus jure patronatus, ſi quod Reges Siciliæ, ſeu ejuſdem Regni terræ Domini, hactenùs in aliquâ, vel aliquibus Eccleſiarum ipſarum conſueverunt habere: intantum tamen, inquantum Eccleſiarum patronis Canonica inſtituta concedunt* (b). Eas leges Epiſcopus Herefordienſis, Henrici III. Regis Angliæ, & Edmundi ejus filii nomine, acceptavit, atque annuli ſubharratione prò ipſo Edmundo inveſtituram Regni ſuſcepit (c). Qui etiam Edmundus, titulo Siciliæ Regis aſſumpto, ad Alexandrum ipſum Papam literas dedit (d), atque in habitu Apulo, Comitia Regni Anglię intravit, quæ pater ejus Henricus Rex convocaverat, ad petendâ ſubſidia pro aggrediendâ Siculâ expeditione (e). Eum demum Siciliæ Regis titulo decoravit idem Alexander Papa, eidem Henrico ſcribens, prò negotio Regni Siculi diſponendo (f). Sed quoniam Vallenſes adverſus Henricum Angliæ Regem arma movère, & Richardus ejus frater ad Romani Imperii celſitudinem aſpirabat, aliaque Regni Africani negotia Henrici animum diſtraxere; Sicula expeditio diſperiit, & Edmundi Regnum evanuit (g).

(b) *Card. Baron. an. 1097. n. 11. f. 698 E.*
(c) *Odoric. Raynald. an. 1255. n. 9.*
(d) *Idem Raynaldus an. 1257. n. 18*
(e) *Raynald. an. 1257 num. 42.*
(f) *Idem Raynald. loco cit. n. 40*
(g) *Idem ubi ſuprà num. 44*

9. Alexander proinde Pontifex ad Carolum Andegavenſem rurſus animum convertit, ei Regnum Siciliæ collaturus; quod & feciſſet, niſi morte prævento tractatus è manibus effugiſſet. Ad ſucceſſorem ergò ejus Urbanum IV. res devoluta eſt (h), qui teſte Nangio, *nequitiam Manfredi Tyranni terminare deſiderans, tamquam ad ſuę defenſionis dexteram, recurrit ad Franciam, & per Simonem S. Cęciliç Presbyterum Cardinalem, Carolo Comiti Andegavenſi, fratri Regis Franciæ Ludovici, Regnum Siciliæ, Ducatum Apuliæ, & Capuæ Principatum miſit, ſibi, & hæredibus ſuis uſque ad quartam generationem poſſidendum, ſi contrà Manfredum Tyrannum inſurgeret, & Sanctam Eccleſiam ab ejus invaſione cuſtodiret. Uſurpaverat enim ille Tyrannus, ſicut ſuperius dictum eſt, Regnum Siciliæ contrà nepotem ſuum Corradinum, & terram Apuliæ, Calabriæ, & Campaniæ, & totum B. Petri patrimonium, vi, & poteſtate ſibi vendicans, illis in partibus occupaverat, & Eccleſiis ſibi ſubiectis multa gravia inferebat. Mox igitur idem Carolus donum oblatum lętus ſuſpiciens, tamquam filius obedientiæ mandatis Apoſtolicis obediens, contrà dictum Tyrannum arma corripuit, & undecumque potuit expeditionis ſuę materiam præparavit* (i).

(h) *Paul. Langius in Chrô. Citizſ. an. 1263 f. 811. 11.*
(i) *Nangius in Vit. S. Ludovici*

10. Tyrannide profectò cuncta complebat Manfredus, nedùm ex eo culpabilis, quod cum nothus eſſet, ideoque incapax Regiæ ſucceſſionis, Regnum cæde fratris Conradi latrocinalitèr invaſiſſet; ſed etiam ex eo quod jam penè ad vitam Saracenorum tranſierat, & totam Regni ditionem Saracenis gentibus inundaverat, ac Mahometanis ſuperſtitionibus inquinaverat. Quodque ad noſtrum negotium pertinet, libertatem Eccleſię in ſacris Miniſtris deputandis, & beneficiis conferendis, expunxerat. Deflet hæc Urbanus Papa in literis ad S. Ludovicum Regem Franciæ perorans: — Ecce fili chariſſime Manfredus, quondam Princeps Tarentinus, innumerabilibus injuriis, & offenſis, quibus Romanam hactenus vexavit Eccleſiam, non contentus, prætextu negotii Rẹgni Siciliæ, quod inter nos, & dilectum fi-

filium nobilem virum Carolum Andegaviȩ, & Provinciȩ Comitem, germanum tuum, agitur; durius, & aſperius ſolito continuis Eccleſiam ipſam aggreſſibus impetit, aſſiduâ perſecutione concutit, rabie tyrannicâ diſtrahit, & diverſis aliis tribulationum generibus inceſſantèr affligit: adeò, quod eadem Eccleſia, tot malis afflicta, tot attrita moleſtiis, totque flagellis oppreſſa, vix poteſt ab hujuſmodi oppreſſionibus reſpirare. Nàm prȩtèr id, quod idem Manfredus, qui Saracenorum ritus amplectitur, ac illos in quotidianis ejus obſequiis notabilitèr ſecum tenet, & præfert eos, in opprobrium Catholicȩ fidei, Chriſtianis, Saracenorum ipſorum prȩcipuè conſilio, auxilio, & favore prædictam impugnat Eccleſiam: prætèr illud etiam, quod Archiepiſcopales, Epiſcopales, & alias prædicti Regni Siciliæ Eccleſias, & Monaſteria detinet, ſeu detineri facit, damnabilitèr occupata, in eorum aliqua fictos, & pernicioſos intrudendo miniſtros, vel jam intruſos nefariè confovendo, quȩdam vero prò ſuo commendando libito, & illorum convertendo in uſus proprios periculosè proventus (*a*).

(a) *Oderic. Raynald. an. 1264 n. 13*

11. Et poſt plura alia, quæ nec ſinè ſtupore legi poſſunt, nec ſinè gemitibus recenſeri, addit, ſe Cardinalem S. Cæciliæ Legatum ad eum mittere, prò negotio Regni Siciliæ; preceſque ardentes apponir, ut afflictæ miſereatur Eccleſiæ, atque ad eam, à Manfredi tyrannidè, liberandam armis generoſus exurgat, totiſque ſuis viribus invaleſcat (*b*). Verùm ſicuti non Innocentio IV. nec Alexandro ejus ſucceſſori; ita & neque Urbano datum eſt tractatum hunc ad exitum perducere neceſſarium: quippè mors, cuncta diſſolvens, negotii telam ſuccidit, & ad Clementem IV. ei ſubrogatum, rem tandem ad ſuum ducendam finem ultimatè devoluit. Clemens ergò animo intrepido manum operi admovit, Carolum Andegavenſem accivit, & eum Regno Siculo ſub hiſce conditionibus inveſtivit, &c. -- Si in veſtro, vel hæredum veſtrorum coitu, legitimum, prout ſubſequitur, hæredem vos, aut ipſos, quod abſit, non habere contigerit; Regnum ipſum ad Romanam Eccleſiam, ejuſque diſpoſitionem liberè revertatur. Deſcendentes autem ex vobis, & veſtris hæredibus Siciliȩ Regibus, mares, & fœminæ in eodem Regno ſuccedent: ſic tamen, quod de liberis duobus maribus in eodem gradu, per eandem lineam concurrentibus, primogenitus, & de duabus fœminis, primogenita, & de mare, & fœminâ in eodem gradu ſimilitèr concurrentibus; maſculus omnibus aliis præferatur. Si verò vos, quod abſit, ſinè liberis, ex vobis legitimè deſcendentibus, mori contigerit, poſſit vobis in Regno, & terrâ prȩdictis ſuccedere dumtaxat nobilis vir Alphonſus Comes Pictavenſis germanus veſter: etſi dictus Alphonſus vobis non ſuperviveret; poſſit vobis ſuccedere unus ex filiis Domini Ludovici Illuſtris Regis Francorum, videlicèt major natu poſt illum, qui ſuccedit in Regno Francorum (*c*).

(b) *Oderic. Raynald. loco citato*

(c) *Idem ann. 1265 numer. 14*

12. Et poſt plura: -- Homagium vos, & prædicti hȩredes facere, & juramentum fidelitatis præſtare ſecundum præſcriptam formam, ſi Romanus Pontifex in Italiâ fuerit, infrà ſex menſes; ſi verò eum extrà Italiam eſſe contigerit, infrà annum, poſtquàm Regni dominium adepti fueritis, teneamini: & ſingulis ipſis Succeſſoribus, & eidem Romanæ Eccleſiȩ, renovabitis, tàm ipſum homagium, quam hujuſmodi juramentum. In optione autem, & beneplacito erit Romanæ Eccleſiæ vos, & hȩredes veſtros, vocare ad præſtandum perſonalitèr juramentum fidelitatis, & ligium homagium Romano Pontifici, & eidem Eccleſiȩ, dummodò in hoc vobis tutum locum ſtatuant, & aſſignent, vel aliquem Cardinalem ipſius Eccleſiæ, vel alium, qui vice Romani Pontificis juramenrum juxtà eandem formam, & homagium recipiat, deſtinare. Jurabitis vos ad hoc ſpecialitèr obligantes, quod nunquàm per vos, vel alios, ſeu quocumque modo procurabitis, ut eligamini, vel nòminemini in Regem, vel Imperatorem Romanorum, vel Regem Teutoniȩ, ſeu Dominum Lombardiȩ, aut Tuſciæ: etſi electionem, vel nominationem ad Imperium, vel ad Regnum Romanorum, ſeu ad Regnum Teutoniæ, aut ad Dominium Lombardiæ, vel Tuſciȩ, ſeu majoris partis earum, de vobis celebrari contigerit; nullum hujuſmodi electioni, vel nominationi aſſenſum præſtabitis, vel intromittetis

vos

vos ullo modo de regimine ipſius Imperii, vel Regni Romanorum, ſeu Teutoniæ, aut Lombardiæ, ſeu Tuſciæ, vel majoris partis earum (*a*).

13. Tùm adjectis pluribus aliis proſequitur, -- Prò toto vero generali cenſu ipſorum Regni, & Terræ, octo millia unciarum auri ad pondus ipſius Regni, in feſto B.Petri, ubicumque Romanus Pontifex fuerit, ipſi Romano Pontifici, & Romanæ Eccleſiæ, annis ſingulis perſolventur. Si verò vos, vel veſtri in dicto Regno hæredes, quocumque termino non ſolveritis integrum cenſum ipſum, & expectati per duos menſes, terminum ipſum immediatè ſequentes, de illo ad plenum non ſatisfeceritis; eo ipſo eritis excommunicationis vinculo innodati. Quod ſi in ſecundo termino infrà ſubſequentes duos menſes, eundem cenſum, ſinè diminutione qualibet, non perſolveritis; totum Regnum, ac tota Terra prædicta Eccleſiaſtico erunt ſuppoſita interdicto. Si vero nec in tertiò termino infrà duos menſes, per plenam ſatisfactionem illius ejuſdem cenſus vobis duxeritis conſulendum, ità quod tranſactis eodem termino, & duobus proximè ſequentibus menſibus, non ſit de octo millibus unciarum hujuſmodi primi termini ipſi Eccleſiæ integrè ſatisfactum, ab eiſdem Regno, & Terrà cadetis ex toto: & Regnum ipſum, & Terra ad Romanam Eccleſiam integrè, & liberè revertentur. Additur conditio preſentandi Papę quolibet triennio album equum, eique tempore belli ſuppetias 300. equitum porrigendi &c. (*b*). Et infrà: -- Omnes inſuper Eccleſię, tàm Cathedrales, quàm aliæ regulares, & ſæculares, necnon & omnes Prælati, & Clerici, ac univerſę perſonæ eccleſiaſticæ, ſęculares, & religioſæ, & quæcumque religionis loca, cum omnibus bonis ſuis, in electionibus, poſtulationibus, nominationibus, proviſionibus, & omnibus aliis plenâ libertate gaudebunt: nec antè electionem, ſive in electione, vel poſt, regius aſſenſus, vel conſilium, aliquatenus requiretur: quam utique libertatem vos, & veſtri in regno hæredes ſemper manutenebitis &c.

(a) *Idem Reynald. loco citato num.17*

(b) *Idem ibidem n. 18 & 19.*

14. Obiit Carolus I. Andegaveuſis, à Clemente Papâ IV. Rex Siciliæ tàm citrà, quàm ultrà Pharum coronatus, quarto vertente ſui Regni luſtro, nempè anno 1285. (*c*), ejuſque memoriam dignis celebrant elogiis S. Antoninus (*d*), Joannes Villanus (*e*), Leonardus Aretinus (*f*), & alii. Succeſſit illi Carolus II. Claudus, ità à vitio corporis nuncupatus, tunc in Cataloniâ captivus, ab exercitu Petri Regis Aragonię in prælio victus, & captus (*g*). Qui aliquando è cuſtodiâ liberatus, Nicolao Papę IV. Juramentum fidelitatis exhibuit, iiſdem pactis, & conditionibus, quibus Carolus I. ejus pater Clementi Papę IV. ſe jusjurandi vinculo mancipavit: & inter cœtera octo mille uncias, prò Regni cenſu annualitèr Eccleſiæ Romanę ſolvere pactus eſt. Prętereà expreſsè pollicitus eſt omnia bona, Eccleſiis quoquo modo direpta, ut reſtituerentur ſatagere: & ad beneficia eccleſiaſtica deſcendens expreſsè ſpopondit: -- Salvâ ſemper circà Eccleſias Cathedrales, & alias regulares, & ſęculares, ac perſonas, & loca eccleſiaſtica, tàm in faciendis proviſionibus, & electionibus confirmandis, quam in omnibus quibuſcumque aliis, Romani Pontificis, & Eccleſię Romanę juriſdictione, ac auctoritate plenariâ, & liberâ poteſtate. Revocabo quoque omnes Conſtitutiones, ſeu leges, per prędictum Fridericum, vel per Reges Siciliæ, ſive per Conradum, ipſius Friderici filium, aut Manfredum, quondam Principem Tarentinum, qui de facto Regnum ipſum detinuit occupatum, editas contrà eccleſiaſticam libertatem: Nec Statuta, vel Conſtitutiones aliquas edam, aut etiam promulgabo, per quę juri, vel libertati eccleſiaſticę derogetur (*h*).

(c) *Siffridus Preſb. epiſt.l.2 an.1285.*

(d) *S.Antonin.3.par. tit 20.c.4 § 9.*

(e) *Joannes Villan. l.7 cap 94.*

(f) *Leonard. Aretin. hiſtor. Flor. lib.3.*

(g) *Ptolom. Lucens hiſt. Eccl. l.24 cap.12. Foreſt. Mapp hiſtor. in Carol Reg Sicil. Rainald. an.1285.2.2.*

(h) *Odoric. Rainald. an.1289.n 8.& 9.*

15. Mortuo Carolo II. anno Chriſti 1309. diſſidia prò ſucceſſione Regiâ emerſère. Nàm Carolus Ubertus Rex Hungariæ, rectâ lineâ per Carolum Martellum primogenitum à Carolo præfato deſcendens, deberi ſibi Sceptrum Neapolis contendebat (*i*): Robertus verò, Caroli tertiogenitus, (loco S.Ludovici Toloſani ſecundogeniti) qui jàm ſucceſſionis jura, per ſuſceptionem Eccleſiaſticorum ordinum à ſe abſciderat (*l*), ad ſe inſtetit Coronam Siculam pertinere; atque illam de facto obtinuit, vi Conſtitutionis Bonifacii Papæ VIII. quâ ad conſultationem

(i) *Idem Rainald. an.1297.n.15.*

(l) *S. Antonin. p 3. tit.24.c 4 in princ.*

Caroli II. decrevit, ut ei, & Regibus obeuntibus, non quiſquam jure repreſentationis ſuccederet, ſed ille qui ex ſe ipſo foret agnationis gradu proximior (*a*). Sicque non Carolus Ubertus, ex Carolo Martello, Caroli II. nepos; ſed Robertus filius eidem Carolo II. ſucceſſit (*b*), qui & Clementi Papæ V. ligium Sacramentum, atque hominium exhibuit, iiſdem verbis, & conventionibus, quibus Carolus I. ejus Avus Clementi Papæ IV. & Carolus II. ejus Pater Nicolao Papæ IV. ſpoponderant (*c*).

16. Regnavit Robertus uſque ad annum 1343. quo tempore è vivis abſcedens, reliquit Regni hæredem Reginam Joannam I. ſuam ex Carolo filio, dicto *ſine terrâ*, nepotem: quæ fidelitatis Juramentnm exhibuit Clementi Papæ VI. ratificans omnia pacta, & conventiones, inter Clementem IV. & Carolum I. editas, & omnia alia faciens, juxtà modum, & ſub eâdem formulâ, quâ iidem Carolus I. & II. atque Robertus prædeceſſores Reges, Pontificibus anteceſſoribus ſpopondere (*d*). Habuit hęc primum virum Andream, ſive Andreaſcum, filium Caroli Uberti prȩfati, Regis Hungariæ: in quem peſſimè animata; illum apud Averſam immaniſſimè fecit laqueo ſtrangulari, & è ſpeculâ, in viridarium domus proſpiciente, ſuſpendi (*e*). Ludovicus propterea, ipſius Andreæ frater, in illam arma movit, & officiis apud Clementem VI. inſtetit, ut tantum facinus Joannæ inultum non relinqueret, ſed ejus potius depoſitione, mulctaret (*f*). Reconciliatis nihilominus animis inſtantiam poſtmodum intermiſit. Joannâ primo interempto, aliis tribus ſucceſſivè viris adnupſit, Ludovico Tarentino conſubrino ſuo (*g*), Jacobo Majoricenſi (*h*), & Othoni Branſuicenſi (*i*), quorum nullus, niſi Andreas, & Ludovicus titulo Regis potiti ſunt (*l*).

17. Execrabili poſteà exorto illo Schiſmate, quod inter Urbanum Papam VI. & Robertum Gebennenſem, ſub nomine Clementis VII. & eorum ſucceſſores, Eccluſiam penè per annos 40. concuſſit; Joanna Clementem Antipapam fovit, undè ab Urbano cenſuris petita, Regni quoque privatione ſententialitèr eſt percuſſa (*m*), quas ipſa impudentiſſimè contempſit, & vi facultatis ſibi per Antipapam indultæ Ludovicum I. Andegavenſem (legitimis liberis carens) ſibi in filium adoptivum adſcivit (*n*). Urbanus verò Regnum Carolo III. Dyrrachino ſuo patrueli conceſſit, qui illud etiàm, à S. Catharinâ Senenſi ſollicitatus, accepit (*o*), iiſdem Conditionibus, quibus illud Clemens IV. Carolo I. Regi fuerat elargitus (*p*). Dyrachinus propterea, inveſtiturâ Regni ſuſceptâ, & ipſius Pontificis Urbani manibus coronatus (*q*), Joannam armis proſecutus eſt, quam captam in eodem loco necavit, in quo ipſa dudum Andreaſcum, injecto in collum loro, iniquè fecerat ſuffocare (*r*). Sed & Carolus quoque ipſe Dyrrachinus citò è viventibus evolavit: ab Hungaris, quorum Solium affectabat, pulsâ Mariâ, Ludovici Regis Hungariæ filiâ, & Regni hærede, opera militum Sigiſmundi Competitoris gladio trucidatus (*s*), qui & tamquàm excommunicatus, ob perſecutionem Urbano Papæ ingrato animo illatam; eccleſiaſticâ caruit ſepulturâ (*t*).

18. Erat devolutum ad Eccleſiam Romanam Regnum Neapolitanum, quando Urbanus PP. VI. illud Carolo III. de Dyrrachio conceſſit. Cujus conceſſionis videre eſt Bullam apud Raynaldum: ait etenim, *Urbanus &c. cariſſimo in Chriſto filio Carolo Regi Siciliȩ illuſtri. Divinâ diſponente clementiâ, per quam Reges regnant &c. Sanè porrecta nobis tuæ filialis devotionis petitio continebat, quod cum Regnum Siciliæ, cum totâ terrâ citrà Pharum, uſque ad confinia &c. ad diſpoſitionem, & ordinationem noſtram, & Apoſtolicȩ Sedis, ad quam ſpecialitèr pertinet, plenè, ac liberè ſit devolutum &c. Noſque, ac Sedes ipſa, intuitu ſpecialis devotionis, perſonam, & domum tuam ſpecialitèr honorare, prò parte tuâ ſuis nobis humiliter ſupplicatum &c. Nos igitur &c. præclarum genus, & perſonam tuam, de dictorum fratrum conſilio, de Regno ipſo decrevimus honorare: ipſumque Regnum, & predictam terram tibi, tuiſque hæredibus, ex te ut infrà legitimè deſcendentibus in feudum perpetuò concedentes, ſub conditionibus infraſcriptis &c.* Nempè ſub conditionibus ipſis, ſub qui-

(a) *Bonif. PP. VIII. epl. 322. ad Carol. II. Reg. Sicil.*
(b) *Pandulph. Collenut. hiſt. Neap. lib 5.*
(c) *Odoric. Raynald. an. 1309. n 19.*
(d) *Idem an. 1344. n. 22. & c.*
(e) *Joannes Vilian. l. 12 c. 50. Petav. ration temp. l. 9 c. 5. Fazel. & alii.*
(f) *Collenut. hiſtor. Neap. l. 5. Raynald. an. 1346. 52. an. 1348. n. 2. 3. 4. an. 1349 2.*
(g) *Idem Raynald. an. 1348. 11.*
(h) *Idem ann. 1362. 10.*
(i) *Idem Raynald. an. 1372. n. 30. §. verum.*
(l) *Idem ann. 1344. n. 16 & an. 1352. n. 3.*
(m) *Theodoric. Niemenſ. lib. 1. c. 19.*
(n) *Raynald. an. 1380. n. 1. & 11.*
(o) *S. Cathar. Senenſ. epiſt. 193.*
(p) *Raynald an. 1380 n. 20.*
(q) *Gobelin ætat. 6. c. 76. Collenut. Hiſt. Neapol. l. 5. Thomaſ. Vvalſingam. hiſt. Angliæ in Ricard. II.*
(r) *Theodor. Niemenſ. l. 1. c. 25.*
(s) *Idem l. 1. c. 39. Gobelin. ætat. 6. c. 81.*
(t) *S. Antonin. 3. p. tit. 22. c. 2. §. 15.*

quibus Regnum fuerat à Clemente PP. IV. Carolo I. Andegavenſi conceſſum. *Dat. in Baſilic. S. Petri de Urbe &c. Kal. Junii. Indiction. 4. Incarn. 1381. Pontif. ann. 4.* (*a*).

19. Eodem die, menſe, loco, & anno, ipſe Carolus III. hanc edidit Cedulam, ſive Diploma: *Sanctiſſimo, ac Beatiſſimo in Chriſto Patri, ac Domino meo. D. Urbano, Divinâ providentiâ PP. VI. Carolus Dei gratiâ, & Apoſtolicæ Sedis, Siciliæ Rex, ſanctitatis veſtrę devotus, & reverens filius, devotionem, & reverentiam, & obedientiam filialem, & pedum oſcula beatorum. Ad perpetuam rei memoriam, ejuſdem ſanctitatis veſtræ, ſanctæque Romanæ Eccleſiæ certitudinem, & cautelam. Cum hodiè de ſpeciali gratiâ &c. Ego Carolus, Dei gratiâ Rex Siciliæ ad honorem &c. coram vobis ſanctiſſimo in Chriſto Patre &c. homagium ligium, & vaſſalagium facio pro Regno Siciliæ, & totâ terrâ citrà Pharum, uſque &c. ſub pactis, & conditionibus infraſcriptis &c. Promitto, & juro ego Carolus Rex &c. Promitto quoque me, & hæredes meos obligans, quod omnibus Eccleſiis, tam Cathedralibus, quam aliis etiàm Regularibus, & ſæcularibus, nec non omnibus Pręlatis, & Clericis, & univerſis perſonis Eccleſiaſticis, etiam Sæcularibus, & religioſis, & quibuslibet religioſis locis plenariè dimittam, & reſtituam, & dimitti, & reſtitui faciam, & procurabo omnia bona eorum &c. ablata, vel occupata, & per quoſcumq; detineantur.*

20. *Omnes inſuper Eccleſię, tàm Cathedrales, quàm Regulares, & Seculares, nec non omnes Pręlati, & Clerici &c. in electionebus, nominationibus, poſtulationibus, proviſionibus, & omnibus aliis plenâ libertate gaudebunt, nec ante electionem, ſive in electione, vel poſt, Regius aſſenſus, vel conſilium aliquatenus requiretur &c. Omnes etiam, cauſæ, ad forum eccleſiaſticum pertinentes, liberè, & abſque ullo impedimento, agitabuntur, tractabuntur, ventilabuntur coram Ordinariis, & aliis eccleſiaſticis Judicibus, & terminabuntur per eos: & ſi ad Sedem Apoſtolicam ſuper hujuſmodi cauſis appellari contigerit, tam appellantes, quam appellati ad eandem venire Sedem, pro appellationum proſecutionibus, liberè, & abſque inhibitione aliquâ permittentur. Et promitto tàm mè, quam meos hæredes, facturos, curaturos, & permiſſuros, quod ſic agitari, ac terminari poſſint, & quod ſic appellari poſſit, & liberè veniri &c. Revocabo omnes Conſtitutiones, ſeu leges per Fridericum, vel Reges Siciliæ &c: editas contrà eccleſiaſticam libertatem, nec ſtatuta, nec conſtitutiones aliquas edam, aut etiam promulgabo, per quæ juri, & eccleſiaſticæ libertati derogetur &c.* Vide quam clarè deducta ſit in pactum inter Papam, & Regem libertas diſponendi de eccleſiaſticis beneficiis.

21. Poſt mortem Caroli III. regnavit Ladislaus filius ejus prò eo, qui à Bonifacio Papâ IX. Inveſtituram Regni ſuſcipit, iiſdem pactis, & conditionibus, quibus Pater illam ab Urbano VI. fuerat aſſecutus (*b*). Illo verò ſine liberis viam univerſæ carnis ingreſſo anno 1414. (*c*), ſucceſſit Joanna II. ejus Soror, quæ Inveſtituram Regni à Martino Papâ V. adepta eſt, præexhibitâ eidem clientelâ hominii, & aliis de Anteceſſorum more peractis (*d*). Varii admodum, & inconſtantis animi fæmina hæc fuit. Nàm jurgiis cum Jacobo viro ſuo ſuſceptis, eum carceri mancipavit (*e*). Diſcordias quoque cum Martino Papâ, promotore ſuo ſuſcepit (*f*), à quo percuti metuens, Alphonſum I. Aragonium Aragoniæ Regem, in filium adoptavit (*g*). Mox facti pænitens, Alphonſo abrogato, Ludovicum III. Andegavenſem, ſibi in filium paritèr adoptivum accivit (*h*). Eique defuncto Renatum fratrem, novâ adoptione ſuffecit (*i*), ac omnia turbis, & tumultibus implevit. Porrò Ludovico III. præfato favit ipſe Martinus Papa V. (*l*). Et ſimilitèr adhæſit Renato Eugenius Papa IV. Martini ſucceſſor (*m*). Sed rebus improſperè prò Andegavenſibus, proſperè prò Alphonſo, ſuccedentibus; Eugenius tandem ipſius Alphonſi approbatâ adoptione, illi Inveſtituram Regni conceſſit (*n*). Et ſic Regnum Siciliæ citrà Pharum, ſive Neapolis, ad Aragonenſes tranſivit.

22. Videre eſt igitùr in cunctis Inveſtituris, & exhibitionibus homagii,

atque

(a) *Odericus Raynal. an. 1381. n. 2.*

(b) *Theodor. Niemeſ. lib. 3. c. 14. S. Antonin. 3 p. tit. 23. c. 3. Raynald an. 1390 11.*

(c) *Raynald. an. 1414 n 6.*

(d) *Idem loc. cit. & an. 1418. 29.*

(e) *Collenut. hiſt. Neap. l. 9 Raphael. Volater. Geograph. l. 6. in Sicilia.*

(f) *Idem locis citat. Raynal. an 1421 n. 1.*

(g) *S. Antonin. p 3. tit. 22. c. 7. Petav. ration temp. l. 9. c. 9 § Joanna Foreſt. in Alphonſ. Re Sicil.*

(h) *Raynald an 1423 n. 13 Loſch. Comp. hiſt. nella Caſa d'Auſtria in Giovanna &c.*

(i) *Volaterr. Loſchi, & Foreſt. loc. cit.*

(l) *Sumont. l. 4. c. 3. Loſchi loc. cit. Raynald ann. 1421. n. 2.*

(m) *Collenut. l. 7. Raynald. an. 1437. n. 25.*

(n) *Oderic. Raynald. an. 1443. à n. 1. ad 7.*

atque in Conventionibus expreſsè intèr Papas, & Reges *Andegavenſis* Stemma-
tis in pactum deductis, ſemper hoc cautum, ut in Regno libera eſſet electio Præ-
ſulum, & proviſio beneficiorum, ſartaque tecta maneret auctoritas Papæ, alio-
rumque ad quos pertinet beneficia eccleſiaſtica diſpenſare, vel per viam electio-
nis, vel per viam collationis, vel per viam præſentationis, ut ea poſſint prò li-
bito, & ſecundum Canones elargiri. Secundum Canones autem, uti pluries oſten-
dimus, Eccleſia, & Eccleſiarum Prælati, plenâ, & integrâ libertate potiuntur
impertiendi beneficia non ſolum Clericis indigenis, verùm etiam extraneis. Nec
ſine ponderatione tranſeunda eſt illa dictio *liberè*, toties, & tam perſpicuè appoſita
Inveſtituris Regiis, ac earum conſecutivis juramentis fidelitatis, & homagiis, ac
cedulis, & obligationibus Regnum Dynaſtiæ Andegavenſis, editis à Carolo I. Ca-
rolo II. Roberto, Joanna I. Carolo III. Ladislao, & Joanna II., quæ dictio, tam
fortitèr inculcata, repetita, & roborata ſub aliis terminis, totalem, ac plenam, &
(a) *Vid. hic ſuprà n. 5 8. & n. 4. 13. & 14.* plenariam libertatem exprimentibus (*a*), depoſcit, ut omninò à beneficiis repelli
non poſſint extranei: quippè liberam diſpoſitionem beneficiorum non haberet Ec-
cleſia, ſi ad illa cum indigenis non poſset quoque admittere extraneos, beneme-
rentes, & dignos. Ad hæc dictio, ſivè dictiones *omnimodam auctoritatem*, præfatis
(b) *Borel ſum. deciſ. to. 1. tit. 34. n. 564.* inveſtituris appoſitę, habentibus vim contractus ultrò citròque obligatorii (*b*),
universalitatem important auctoritatis, reſidentem apud Eccleſias, earumque
(c) *DD. ap. Barboſ. tract var dict. 238. n. 1* Prælatos, & nihil excludentem, quod in sè non contineat (*c*), itaut illorum po-
teſtas, auctoritas, & libertas, talis, ac tanta ſit, ut illa major haberi non poſſit (*d*);
(d) *Barboſ. loc. citat. dict 261 cum plur. DD ibi allegat.* Alioquin omnimoda non eſſet, neque plena, & libera: libertas etenim
hæc non eſt compatibilis cum ullâ reſtrictione, & individuè limitatio-
nem ad aliquod perſonarum determinatum genus excludit. Quarè
uſquè ad evidentiam patet, quod ex Inveſtituris, &
pactis inter Summos Pontifices, & Reges *Lineæ
Andegavenſis*, in Regno Neapolis liber ac-
ceſſus debetur, nedum Clericis indi-
genis, verùm etiàm extraneis,
ad eccleſiaſtica
beneficia.

CA-

CAPUT XXXIII.

In quo ex Inveſtituris Apoſtolicis Regnum lineæ Aragonenſis *oſtenditur , in Regno Neapolis , etiam Clericos extraneos eſſe admittendos ad Eccleſiaſtica Beneficia.*

SUMMARIUM.

1 *Vexantes Eccleſiam citò deficiunt. Extinctâ Joannâ II. Regnum Neapolis redivit ad Sedem Apoſtolicam. Ob quod bella emerſerunt.*

2 *Stirps Aragonia cœpit regnare etiam in Regno Neapolis: cum anteà regnaret in ſolâ Siciliâ, & quomodo illam inſulam occupaverit.*

3 *Veſperæ Siculæ undè dictæ? Gallos ingenti crudelitate Siculi uno tempore trucidarunt. Imprudentiæ notatur à politicis tantum facinus, & cur?*

4 *Panormi prius incœpit laniena Gallorum: deindè alibi per Regnum completa eſt, etiam poſt datam ſuperſtitibus Gallis fidem ſecuritatis.*

5 *Martinus Papa IV. cenſuras Siculis intimavit, niſi ad obedientiam Caroli I. Regis redirent, qui Apologiâ facinus excuſantes, ſe Papæ ſubditos profeſſi ſunt.*

6 *Petrus Aragonius claſſe ſuper anchoris propè Africam poſitâ, conjurationis exitum expectabat, cædeque auditâ, ad Siciliam properavit.*

7 *Cum juſta fuerit depoſitio Friderici II. ab Imperio, & Regnis; ſicut Electores alium Imperatorem elegerunt, ità Papa utrique Siciliæ alium Regem præfecit.*

8 *Ex epiſtolâ Martini Papa IV. conſtat, Fridericum II. juſtè fuiſſe depoſitum, & Conradum, Manfredum, & Corradinum illius poſteros, juſtè oppreſſos.*

9 *Oſtenditur quod Manfredo notho Friderici II. nullum adfuit jus ad utramque Siciliam, adeoque neque Conſtantiæ II. ejuſdem filiæ, uxori Petri Aragonii.*

10 *Martinus Papa IV. declarat, Petrum Aragonium foviſſe rebellionem Siculam, nullum vero jus illi competere, neque Coſtantiæ ipſius uxori ſuper eo.*

11 *Papa cenſuris plexit Petrum, & ejus Regnum Aragoniæ invaſioni Caroli Valeſii expoſuit, Petrus citò interiit, & Jacobus ejus filius Siciliam invaſit, ac tenuit, donec cum Rege pacem fecit.*

12 *Pax deluſoria facta eſt, & Jacobo abſcedente Fridericus ejus frater Trinacriam invaſit, nec proficientibus monitis, & cenſuris, armis pugnatum eſt.*

13 14 *Iterùm pax facta eſt, & à Papâ approbata, cum aſſignatione cenſus, homagii, & ſervitii debiti Romanæ Eccleſiæ, à Rege Trinacriæ.*

15 *Plura alia pacta adjecta ſunt: Ex cujus Inveſtituræ vi oſtenditur, quod extranei cum indigenis admittendi ſunt, ad eccleſiaſtica beneficia.*

16 *Conventio quoque iſta fuit deluſoria, nam Fridericus, non tantum vitâ ſuâ durante regnare voluit, ſed etiam in perpetuum: undè diutina bella facta ſunt.*

17 *Pax denuò inita eſt, cujus pacta Gregorius Papa XI. approbavit, adjectis conditionibus, prò recognitione dominii Sedis Apoſtolicæ ſuper Siciliâ.*

18 *Ponitur ordo eorum, qui ſuccedere debebunt in dicto Regno, quibus deficientibus, Regnum ipſum ad Sedem Apoſtolicam revertatur.*

19 *Adjecta fuit expreſſa conditio ſalvæ libertatis Eccleſiarum, in proviſionibus promovendorum ad beneficia, ſinè ullo aſſenſu Regio.*

20 *Oſtenditur, quod ex hac inveſtiturâ, in Regno Neapolis, libera eſt Eccleſia in admittendo ad beneficia ſacra etiam extraneos.*

21 *Invanum Aragonii propagare ſatagerunt Regnum Siciliæ in eorum familiâ, quippè hęc citò periit. Recenſentur alii Reges, uſque ad Alphonſum I.*

22 *Hucuſque Reges Aragonicæ lineæ ſolam Trinacriam tenuerunt. Ex nunc verò etiam Regnum Neapolis adepti ſunt. Joanna II. Regina tres adoptavit.*

23 *Referuntur pacta inita inter Legatum Papæ, & Regem Alphonſum, prò inveſtiturâ Regni ei concedendâ, cum annuo cenſu, homagio, fidelitate &c.*

24 *Succeſſivè Papa Eugenius inveſtituram contulit Alphonſo, cum iiſdem pactis, quæ in inveſtituris Caroli I. & aliorum Regum poſita ſunt.*

25 *In veſtituram ipſam, ejuſque pacta Rex Alphonſus acceptavit, quorum unum eſt libertas in proviſionibus beneficiorum, ſinè aſſenſu Regio.*

26 *Sequuntur alia pacta de appellationibus ad Romanam Eccleſiam, ac de libertate Eccleſiarum, quoàd omnia ſua jura.*

27 *Alphonſus Rex citò obiit, fędifragus, & impediens libertatem Eccleſiæ, in beneficiorum diſpoſitione, quæ Pontifex vacare maluit, quam non liberè conferre.*

28 *Pius II. inveſtituram Ferdinando I. dedit, in pactum deductâ libertate Eccleſię quoad reſervationes Apoſtolicas, & beneficiorum proviſionem.*

29 *Fridericus ultimus Rex vexatus fuit, nedum à Ludovico XII. Rege Franciæ, ſed etiam à Ferdinando V. Rege Aragonię, operâ Conſalvi Cordubenſis.*

30 *Conſalvus Regnum Ferdinandi nomine invaſit, nec partem conventam Gallis tradidit, ſed eos triplici prælio victos indè repulſit.*

31 *Ità Regnum Neapolis pervenit ad Ferdinandum V. Catholicum, qui de illo inveſtitus eſt à Julio Papâ II. cum pactis in Clementinâ contentis.*

32 *Juxtà pacta, in inveſtituris Regnum Dynaſtiæ Aragonenſis contenta, extranei debent in Regno Neapolis poſſe provehi ad beneficia.*

(a) *Pſalm. 36. num. 2*

1. TAMQUAM *fęnum velocitèr areſcunt* (*a*), *& quemadmodùm olera herbarum citò decidunt*, quicumque Dei Eccleſiam, & Sedem Apoſtolicam nituntur injuſtis vexationibus fatigare; & ità evenit Regibus Dynaſtiæ Andegavenſis, qui à primevâ ſuorum Antenatorum religione, ac pietate declinarunt: Etenìm vel ſterilem thorum habuerunt: vel filii eorum præproperè defecerunt: citoque Caroli III. Ladiſlai, & utriuſque Joannę Regum ſtirps exaruit, quæ in antecedentibus Regibus fuerat fæcundiſſima. Obiit Joanna II. anno Chriſti 1435. nullo poſt ſe ſui corporis hærede relicto (*b*): rediitque ad Eccleſiam Romanam Regnum Neapolis, juxtà pacta cum Carolo I. à Clemente IV. ſancita. Cujus adminiſtrationem Eugenius Papa IV. Joanni Vitelleſco, Epiſcopo Recinetenſi, commiſit (*c*). Sed ingentes commotiones, & turbæ ſucceſſivè emerſerunt, ob Alphonſum Aragonenſem, & Renatum Andegavenſem unum poſt alium à Joannâ adoptatos, & armis inter ſe contendentes: ab eoque tempore uſque ad victoriam Ferdinandi V. tot penè fuerunt Reges Siciliæ citerioris, quot anni (*d*), & uti de Regno Gallico, ait Joannes Tilius, *tot diſſidia, rerumque fluctus extitere, ut vix certò ſciri poſſit, quis potiſſimum regnaverit* (*e*). Excisâ ſtirpe Caroli I. in memoratâ Joannâ II. adverſus Renatum Andegavenſem, tertio loco ab illâ adoptatum, prævaluit vis *Alphonſi Aragonici*, cui quamquàm ab initio Eugenius Pontifex reſtitiſſet: attamèn Schiſmatis nequitiâ Sedem Apoſtolicam conturbante, propter Felicem Antipapam à Baſileenſi Conciliabulo in peſtilentiæ cathedrâ collocatum (*f*), aliaſque ob anguſtias, Romanam Eccleſiam comprimentes; Eugenius, mutato conſilio, ipſum

(b) *Odoric. Raynald. an. 1433. n. 2*

(c) *Flavius Blondus dec. 3. lib. 6.*

(d) *Sabellic. l. 7. c. 8.*

(e) *Joannes Tilius in Chron. Reg. Franc.*

(f) *Æneas Sylv. l. 2 de reb. geſt. Baſileæ*

Al-

Alphonſum in Regem Neapolis approbavit, eique Inveſtituram Regni conceſſit, ad normam Conſtitutionis, quâ dictus Clemens Papa IV. Carolo I. jam ab initio Regiam contulerat dignitatem (*a*).

(a) *Raynald. an. 1443. à n. 1. ad 7.*

2. Ità ſtirps *Aragonica*, quæ anteà ſolam Siciliam ultrà Pharum tenebat; aliam quoque citrà Pharum tandem eſt feliciter aſſecuta, & en quomodo id accidit, rem repetendo à ſuis initiis, cujus notitia non tam grata erit lectori, quam utilis ad intentum, de quo hic agimus. Gladio, ut ſuperius memoravimus, ulciſcente in familiâ *Suevicâ* injurias Eccleſiæ illatas; atque in Manfredo, & Corradino internectis, *fatalem generi ſuo in Romanum Pontificem odium* exſcindente (*b*), remanſerat Conſtantia, dicti Manfredi Nothi filia, quam Petrus Rex Aragoniæ ſibi junxerat in uxorem. Eâ nihilominus contemptâ, tum tamquam ex infectâ radice demnatæ copulæ prodeunte, propter patrem illegitimè natum; tum etiam propter depoſitionem Friderici II. quæ totam ejus poteſtatem implexerat, & ab omni jure dejecerat adipiſcendi in utrâque Siciliâ Regiam dignitatem; Regnum ipſum, tàm citrà, quàm ultrà Pharum, Clemens IV. Carolo Andegavenſi conceſſerat; qui quantum quidem ad ſe probis moribus, virtute militari, & aliis regiis dotibus prævalebat (*c*), verum in hoc minùs rectè ſe geſſit, quod Gallis, in Siciliam ſecum ductis, nimiam libertatem, ſi non omnia impunè agendi, permiſit (*d*), ſaltem prout debuit, non ſubtraxit, nimium connivendo, nimium eorum licentiam tolerando, tametſi à Nicolao Papâ III. & antè à Clemente IV. ejuſdem amantiſſimo, interpellatus, ut ſuæ gentis Judices, Duces, ac Milites coerceret (*e*). Exaſperati ergò Siculi ultrà Pharum, ſuaſore Joanne de Procidâ, quondam Manfredi Medico (*f*), vel ut aliis placet, Inſulæ ſui cognominis Domino, qui eâ fuerat à Rege Carolo denudatus (*g*). Veſperarum Siculorum lanienam orditi ſunt, & uſque ad exitum perduxerunt. Joannes namque ipſe totam Trinacriam perluſtrando, & de malo ejuſdem Regni ſtatu, ob morbum Gallicum, enigmaticè ſuſſurrando (*h*), cum Siculis conſpiravit, ac ut unâ die, eâdemque horâ, cuncti per eos transfigerentur Galli, condixit: tantâ cautelâ, & tali profunditate ſecreti, ut adeò immoderatum facinus, prius cum Joanne Paleologo Conſtantinopolis Imperatore (*i*), deindè cum Petro Rege Aragoniæ, tractatum (*l*), ac per tàm diuturnum tempus pre manibus habitum, quam opus fuit prò illo ad exitum perducendo; nulli prorſus Gallicæ gentis contigerit innoteſcere.

(b) *Petav. ration. temp. l. 9. c. 1. §. Fridericus.*

(c) *Leonard. Aret. hiſtor. Florent. l. 3. Rainald. an. 1285. n. 2.*

(d) *Iidem & Loſchi Comp. Hiſtor. Domus Auſtr. in Carol. An.*

(e) *Raynald. an. 1282. n. 11.*

(f) *Foreſt Map. hiſt. to. 4. p. 1. l. 7. in Carol. I. Re Sicil.*

(g) *Raynald. an. 1282. n. 27. 28.*

(h) *Anton. Foreſt. loc. cit.*

(i) *Petav. ration. temp. l. 9. c. 2. §. anno Foreſt. loc. cit.*

(l) *Raynald. Petavius Foreſt locis cit. Jo. Villan. l. 7. c. 57.*

3. Itàque die Dominicâ Paſchatis Reſurrectionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti anni 1282. dùm Campanæ ſignum Veſperarum in Eccleſiis celebrandarum darent; Siculi, juxtà condictum, armis arreptis, Gallos omnes ſubitò aggreſſos, numero octo millium, duarum horarum ſpatio, manu validâ, trucidarunt (*m*), ac eouſque in illos rabiem ſaginarunt, ut & mulierum Sicularum ventres, ex Gallis prægnantes, diſſecuerint, & fœtus adhùc immaturos excerpſerint, atque laniaverint (*n*). *Petrus Aragonum Rex*, inquit Petavius, *Manfredi Gener, cujus filiam Conſtantiam in matrimonium habebat, hortatu Joannis Prochytæ, olim Domini, nec non Michaelis Paleologi Græcorum Imperatoris, qui ſibi à Carolo metuebat, ad invadendam Siciliam, tanquàm dotalem, animum adjecit. Itàque ambobus inſtigantibus, per totam Siciliam occultâ conſpiratione factâ, eodem die, qui Reſurrectioni Dominicæ ſacratus erat, ſigno, quod convenerat, ad veſpertinam ſynaxim, ut moris eſt, edicto; armati Siculi, nec opinatò Francos opprimunt, ac ſinè ullo ætatis, ſexuſvè diſcrimine, crudelitèr mactant; adeò ut pregnantium uteros excutiendis fœtibus ferro ſcrutati ſint. Indè Siculæ veſperæ in proverbium ceſſere: Id anno 1282. Martii 30. contigit* (*o*). De his Veſperis, tàm enormibus, quàm toto Orbe notiſſimis, multi multa dixerunt: & Politici paritèr diverſo modo, prò diverſitate affectuum ſunt locuti. Aſt rè verâ, præter vitium immanitatis, magnâ videtur, non caruiſſe imprudentiâ, in tale facinus proſilire; ſinè ſpe libertatis recuperandæ (quæ ſola potuiſſet illius opprobrium minorare) ſed unicâ fiduciâ, & voto Dominum non dominium commutandi (*p*).

(m) *Foreſt. & Jo. Villan. ubi ſupr. Collenutius Fazelus, & alii.*

(n) *Raynald. an. 1282. 12. Blond. dec. 2. l. 8.*

(o) *Dionyſ. Petavius ration. temp. l. 9. c. 2. §. Anno.*

(p) *Trajan. Boccalin. Pietra del Paragon.*

4. Utcumque ſit, Panormi, quæ Urbs eſt totius Regni Metropolis, diriùs laniena deſęviit: quippè ibi major Gallorum numerus morabatur: & prò eo quod ex literis Martini Papæ IV. diſcernitur; conjuratio, & macellum ibi priùs patratum eſt: *teſtatur*, ait, *hæc inter cætera horrendi ſceleris feralis immanitas de novo in civitate Panormitanâ patrati, ubi ſic debacchatus eſt gladius, ferrum infremuit, furor incanduit, rabies inſanivit, manus truculenta deſęvit, quod ſicut rumor meſtus enuntiat, non ſuffecit virorum, ac mulierum multitudinem inibi cædi dari, niſi & hi, quos nondum in lucem natura produxerat, maternis apertis uteris, necarentur; trucidarentur innati, & deliteſcentibus viſceribus genitricum impiæ pręfocationis exitium inferretur. Quià ergò pręfatum Regnum Siciliæ ad Romanam Eccleſiam ſpectare dignoſcitur, ſuique juris, & proprietatis exiſtit &c.* (*a*). Panormitanorum exemplum imitati Meſſanenſes, etiàm poſt datam Gallis ſuperſtitibus ſecuritatis fidem, eos nihilominùs jugularunt: quod eis improperat idem Martinus Pontifex hiſce verbis, *Incolarum Siciliæ in noſtram notitiam perlata eſt rebellio, & pręcipuè Meſſanenſium, qui Panormitanorum ipſorum imitati ſævitiam, quamplures ex Miniſtris, & devotis ejuſdem Regis Sicilię*, Caroli I. *poſt ſecuritatem illis præſtitam, crudelitèr trucidaſſe dicuntur* (*b*).

(a) *Raynald an. 1282 n. 15. Bzov. de Rom. Pont. c. 41. f. 569.*

(b) *Raynald an. 1283 n. 19.*

5. Cæde Gallorum auditâ Martinus Papa IV. Cenſuras, & pœnas Siculis intimavit, niſi ad obedientiam Caroli I. Regis, quam primum redierent, cui Sedes Apoſtolica Regnum illud in feudum anteà contradiderat (*c*). Sed eo res redactæ erant, ut lentitiva remedia non admitterent. Ipſi proindè Siculi Apologiam Papæ tranſmiſerunt, exaggerantes culpas Gallorum, & in eorum tyrannidem refundentes cauſam tanti facinoris: Carolum contumeliis: illius gentem maledictis, & improperiis cumulantes: ac Sedis Apoſtolicæ sè non minuiſse jura profitentes, dum ſtrage peractâ, Gallorumque excuſſo jugo; Vexillum D. Petri elevarunt, & Romanum Pontificem ſibi in Dominum inclamarunt, cujus ſe obedientiæ temporali nunquàm ſubtraxiſſent, ſi eis adjutorium in tanta rerum extremitate porrexiſſet: ſolumque ajebant idcircò præſidium Petri Aragoniæ Regis imploraſse: quià Petrus Apoſtolicus eorum votis, uti popoſcerant, propenſius non annuerat, neque providerat diligentèr: *privare*, inquiunt, *nos veſtrâ miſericordiâ non debetis. Scitis enim, quod illicò, poſt ſtragem ſcelerum miniſtrorum, cælitus deſtinatam B. Petri Vexillum levavimus, & Sanctam Matrem Eccleſiam Romanam invocavimus protectricem: ſed quià nos indignos B. Petri, & veſtrâ gratiâ reputaſtis. Ille qui manet deſuper infallibilis ſpeculator, cui cura eſt æqualis de omnibus, tàm majoribus, quàm puſillis, ſicut lectio divina teſtatur, alterum Petrum loco Petri affectuoſius invocati, ex inſperato in præſidium noſtrum voluit cum paucis comitibus deſtinare &c.* (*d*).

(c) *Eberhard in Annal. ap. Caniſ. antiqu. lec. to. 1 f 319. Hainricus Staronius in Annal. ann. 1283. inter Script. German to. 2. Raynald an. 1282. n. 13 & 23.*

(d) *Odoric Raynald. an. 1282. n. 19.*

6. Ità ad extenuandam atrocitatem eorum exceſſus, Siculi Martino Papæ apologeticè perſcripſerunt. Petrus tamèn Aragonius non ex inſperato ipſius præſidium intulit, ſed potius ex condicto, cum rè verâ perduellionis, & laniænæ patrandæ conſcius eſſet, quarè Claſſe navali opportunè inſtructâ, ſe ad oras Africę contulerat: ſpecie quidem belli Mauris inferendi, ſed verè ibi ſuper anchoris expectans exitum Veſperarum Sicilienſium (*e*), quarum audito fragore, ad littora Sicula, velis tumentibus pervolavit, ſeditionem confovit, & Regnum opportuno tempore invaſit. Præſenſerat Carolus apparatum Nauticum Petri, ſuſpicatuſque aliquod ſibi malum indè parari; Martini Papæ IV. operâ Petrum interpellavit, quonàm tantus tenderet apparatus. Cui Petrus ſcitè reſpondit, ſe promptum eſſe linguam ſibi propriam amputare, ſi hanc crederet auſuram eſſe, vel ſui conſilii arcana ſcrutari, vel intimiora ſecreta ſui pectoris revelare (*f*). Seditio ergò, & macellum completum eſt, *quale in Mithridate damnavit olim barbaries* (*g*). Improperantique Carolo Petrum, quod bellum adversùs ſe, non indictâ causâ, non jure, non Regali juſtitiâ, & ingenuitate, ſed proditoriè ſuſcepiſſet; reſpondit Aragonius, sè proſequi jura Conſtantiæ uxoris ſuæ, filiæ Manfredi, ad

quam

(e) *Foreſt. Map. hiſt. in Carol. I. Reg. Sicil. Raynald. loc. cit.*

(f) *Rico dan. Maleſpin. hiſt. Flor. cap. 28. Ptolom. Lucenſ. hiſtor. Eccl. l. 24. c. 4. Raynald. ann. 1281. n. 28.*

(g) *Jo. Buſieres Floſc. hiſt. p. 2. c. 5. an. 1282.*

Digitized by Google

quam per mortem patris rationes Coronæ Siculæ commigraſſent (*a*); ſed hæc quanti ponderis eſſent, quiſque rerum hiſtoricarum conſcius judex eſto,

(a) *Ptolom. Lucenſ. hiſt Eccl l.24.c 7 Reynald an.1283.n.5.*

7. Profectò juſtam fuiſſe depoſitionem Friderici II. à Regno, & Imperio, nedùm præſente, ſed etiam conſentiente ſacro Lugdunenſi generali Concilio(*b*), jàm ſatis ſuperiùs dictum eſt. Quo à dignitatibus Imperiali, & Regiâ depoſito; poſteri quoque illius, etiàm legitimo thoro exorti (multò magis verò illegitimi) fuerunt Imperii, & Regni juribus vacuati; non enim in eos transfundere potuit pater quod non habuit: & ſicut Electores Germanici alium loco Friderici depoſiti in Cæſarem elegerunt; ſic & Pontifex alium Regem Siciliæ deputavit. Et Corradinum, unicum Friderici legitimum deſcendentem, fuiſſe juſtè, ac legitimè oppreſſum, Martinus IV. Pontifex inclamavit, Siculos ad obedientiam Caroli I. Regis revocans, ac denuntians -- Felicis recordationis Innocentius Papa IV. prædeceſſor noſter, culpas graves, imo graviſſimas, ac multiplices, & manifeſtos exceſſus, quondam Friderici, olim Imperatoris Romanorum, propenſi maturitate conſilii, recti judicii cenſurâ, dijudicans; eique ſecundum prava ſua opera reddens; ipſum honore Imperii, Regno Siciliæ, Ducatu Apuliæ, ac Principatu Capuæ, generali ſuper hoc congregato Lugdunenſi Concilio approbante, ac juſtitiâ exigente, privavit, proùt in univerſalem Mundi notitiam non eſt dubium deveniſſe. Nec ab eâdem creditur veriſimiliter alienum, qualiter Fridericus ipſe, aucto ſuperbię ſpiritu, quamquàm ſic dignè depoſitus, ſic juſtè privatus, ſententię hujuſmodi privationis prolatæ in eum pertinaci animo parere contemnens, Regnum, & Imperium ſupradicta, poſt ejuſdem prolationem ſententiæ occupata detinere pręſumpſit. Qualiter autèm poſt jàm dicti Friderici obitum, quondam Conradus natus ejus, paternæ malitię imitator, dictum Regnum pręſumptuoſis uſibus occupavit, & tandèm, prædicto Conrado humanis rebus exempto, quondam Manfredus, olim Princeps Tarentinus, ejuſdem, ut dicitur, Friderici filius, qui etiàm abſque privatione prædictâ non injuſte legitimę ſucceſſionis participium perdidit, quià ipſum partus legitimus non agnovit, utpote de damnabili commixtione ſuſceptum, ad occupationem prędicti Regni temerarias, & occupatrices manus extendit,

(b) *Vide ſupr. cap. præcedent.*

8. -- Gravibus ergò, & enormibus admodùm, per potentiam, & malitiam eorundem injuriis irrogatis Eccleſiæ, ipsâque in ſuis afflictâ multipliciter fidelibus; reſpexit Altiſſimus ſponſam ſuam, & convertens illi nubilum in ſerenum; ſceleſtam prædicti Friderici domum, quæ conſueverat, quantumvis malis, abundare perſonis, ſic penè redegit in nihilum, ſic illam jactura multimodè diſſipationis oppreſſit, ut de ipsâ, niſi ſcintilla unica remaneret, Conradinus videlicèt, Conradi filius ſupradicti, qui, cum in eo malitia ſuppleret ætatem, ipſeque annorum ſuorum curricula, nequitiâ ſuperaret; progenitorum ſuorum nefarios actus ſequens, ac illorum profanas iniquitates amplectens, mentiſque ambitioſæ vitio Imperium expetens, ſibi Regnum intitulando Siciliæ, ſe ipſius regni Regem denominare temerè præſumebat: & cum nonnullis Eccleſię inimicis Lombardis, Tuſcis, Marchianis, & Apulis, præcipue de Regno profugis prælibato, fraudulentis sè implicando commerciis, in Urbe, Lombardiâ, Tuſciâ, & per alia diverſa loca, ſuas diſſeminare literas præſumebat, ſub expreſſione ſui proprii nominis, & præmiſſæ intitulationis temerè ſigillo Regiæ Majeſtatis impreſſas, per quas commovere populum, concitare gentes, ac turbare pacem Eccleſiæ nitebatur, in ipſius Eccleſię, ac chariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Siciliæ Regis illuſtris grave præjudicium, & diſcrimen. Undè piæ memoriæ Clemens Papa Prædeceſſor noſter, cum ſibi de his evidentiùs conſtitiſſet, diligentèr attendens multam ipſius Conradini malitiam, & ſuorum conatuum perverſorum volens obviare principiis; certum habuit contrà eum in hac parte proceſſum, prout vidit rationabilitèr expedire, ac negotiis qualitas perſuaſit. Demùm præfato Conradino ſublato de medio, eidem Regno pax rediit, aurora tranquillitatis illuxit, ſedatis turbationis fluctibus, quos ipſius Con-

Digitized by Google

radini prava ſtudia ſuſcitarunt. Sed ſicut nuper, non ſine multâ turbatione, fide dignorum relatu percepimus, nonnulli proterve aſſumentes ad noſtram, nec non Eccleſię, dictique Regis turbationem, & ſcandalum aſpirantes, in prædicto Regno ignem turbationis emortuæ reaccendere moliuntur, ad id ſua ſtudia iniquè congerunt, ad id ſuarum virium potentiam coacervant, manus præſumptuoſas apponunt, & etiam occulti favoris auxilium largiuntur * (a).

(a) *Odoric. Raynald. an. 1282. n. 13.*

9. Si autem legitimè natis, & deſcendentibus ex Friderico nullum inerat jus Regiæ dignitatis, & Siculi Diadematis hæreditate acquirendi; quid dicemus de Manfredo, ejuſdem quidem Friderici filio, ſed notho, uti ex Blancâ Montis Ferrati Marchioniſſa, illegitimè procreato (b)? Sanè Henricus VI. Imperator, & Friderici pręfati genitor, primus ex Suevis, qui regnaverit in Siciliâ, ductâ in uxorem Conſtantiâ Seniore, filiâ Rogerii Silivi Regis; nedùm Tancredum armis compreſſit; ſed etiam eum, ac Rogerium filiolum ejus, defunctos, fecit exhumari, & Coronas ex eorum capitibus, atque ornamenta Regia ex ipſorum monumentis evelli, cum quibus pridem fuerant tumulati (c), hocque non niſi ex eâ ratione, quòd Tancredi, utpotè ex Rogerio Duce, filio Rogerii Silivi pręfati Regis, illegitimè nato, nullum jus ad Coronam Siculam, illique tunc adglutinatum Ducatum Apulię, ac Principatum Capuę, poterat inhęſiſſe, ſolis legitimis deſtinatam. Nec Petrus ergò Aragonius, neque Conſtantia junior, illius conjux, vim tàm recentis, & adeò domeſtici, exempli, credendum eſt ignoraſſe, adeoque neſciſſe, quod Manfredus, ipſius Conſtantiæ Pater, nullum jus habuerat ad Coronam, neque ad Terras ullas utriuſque Siciliæ, tùm ob leges Regni, ſpurios, niſi cum eis diſpenſetur, à ſucceſſione Regiâ protelantes; tùm ob praxim ſuorum progenitorum, qui hujuſmodi vitium in Tancredo damnaverant, & armis fuerant perſecuti. Non ergò vi ſubſiſtentis alicujus juris, ad Conſtantiam conjugem devoluti. Petrus Aragonius Sceptrum corripuit, ſed ut potuit, prępotenter invaſit: politicâ aviditate invaſionem ipſam lenocinante, quàm alioquìn juſtitia, & æquitas non fovebant. Neque ſolâ Inſulâ Sicilię contentus fuiſſet, ſi ad cœteras terras illi adnexas, Regnum nunc Neapolis componentes, manus extendere potuiſſet, prout ſua jura ſe diffundere contendebat, ubi & impreſſiones facere, ac motus excitare, tot quot potuit artibus, non omiſit.

(b) *Foreſt. Mapp. Hiſtor. to. 2. lib. 13. c 25. in fine.*

(c) *Idem tom 4. p. 1. l 7 in Tancred. Sicil. Reg.*

10. Petrus Rex Aragoniæ, inquit Martinus Papa IV. -- De procedendo adversùs Africam, quæſito colore, Siciliæ Inſulam, terram utique peculiarem ipſius Eccleſiæ, militum, & peditum, catervâ ſtipatus, invadens, & occupans, ac in illâ ejuſdem Eccleſiæ pacem turbans, gravem ſeditionem excitans, contrà eam graviterque populum concitans; in illam temeritatis prorupit audaciam, quod cum civitatibus, aliiſque locis, univerſitatibus, civibus, & incolis ejuſdem Inſulæ, quibus ratione uxoris filiæ ſcilicèt Manfredi prędicti, natorumque ſuorum ſe teneri prætendit, confederationibus, pactis, & conventionibus, ſicùt ex tùnc ferebatur, quin potius conſpirationibus, & ſcelcſtis factionibus initis in Regno prædicto, nomen jam uſurpabat regium, & uſurpat, sè Regem Siciliæ nominans, & gerere prò Siciliæ Rege pręſumens, in majoris præſumptionis augmentum, Regi Carolo ſupradicto in ſuis literis Regni Siciliæ titulum ſubtrahendo, ſicque non ſolùm Panormitanos eoſdem, quos alias pluries ad hęc ſolicitaſſe per Nuncios dicebatur, in inchoatæ contrà præfatum Regem Carolum ſeditionis, & rebellionis contumaciâ obfirmavit, eos per sè, ac gentem ſuam fovens, ipſiſque favens in illâ; ſed tàm ipſos, quàm cœteros Inſulę prælibatæ rebelles, adeò contrà jam dictam Eccleſiam, eorum ſpecialem Matrem, & Dominam concitavit, quod nonnulli ex eis, & ſpecialitèr Meſſanenſes, qui antè ipſius in Inſulâ prænominatâ præſentiam, dicti Legati Nuncios devotè, ac humilitèr admittebant, Dominium pręfatæ recognoſcentes Eccleſiæ, nomenque publicè invocantes; illos poſtmodum contumacitèr admittere recuſarint, baculo arundineo, eidem ſcilicèt Regi Aragoniæ, prætextu eorundem uxoris, & filiorum, ut fertur, periculoſius innitentes; quos tamen uxorem,

& filios

& filios, ſeu Regem per eos, ſeù ratione ipſorum, in eâdem Inſulâ, vel aliquâ dicti Regni Siciliæ parte, jus aliquod non habere, apertiùs præmiſſa declarant; & nos nihilominus decernendum diximus, & etiam declarandum * (*a*).

11. His tamen non attentis, Petrus Aragonius in invaſione Regni pertinacitèr sè confovit, nec cenſuris fractus, nec humanæ potentiæ viribus terrefactus, donec brevi divina manus, cujus poteſtatem Regia dignitas non effugit, illum nil minus cogitantem attrivit. Nam ſervatis ſervandis per Romanum Pontificem Cenſuris Eccleſiaſticis innodatus (*b*), Regnoque illius domeſtico Aragoniæ, invaſioni Caroli Valeſii, filii Philippi III. Audacis, Gallorum Regis, expoſito (*c*), dum præliaretur, vulnus accepit, & ex eo citò mortem oppetiit, anno 1285., quo & Carolus I. legitimus Siciliç Princeps objerat (*d*), hoc notato inter eos diſcrimine per Hiſtoricos, quod *Carolus obiit benè diſpoſitis ſingulis, & devotè Sacramentatus: Petrus verò inobedientiæ filius, infelicitèr mortuus eſt ex vulnere, quod in bello ſuſcepit, ſicut ſolent mori perſecutores Eccleſię; quià durum eſt fragili homini contrà ſtimulum calcitrare* (*e*). Invaſit deindè Trinacriam Jacobus, præfati Petri ſecundogenitus, cui nihil juris in eâdem ditione ineſſe Honorius Papa IV. ſolemnitèr declaravit, minis adjectis, ni è Siciliâ ſinè dilatione diſcederet; quibus non proficientibus, in eum cenſuras intorſit, & terram Eccleſiaſtico interdicto ſuppoſuit, ipſum demum tyrannum Inſulæ pronuntiavit, ac ne quiſquam illi, uti Regi obtemperaret, inhibuit (*f*). Sed hæc omnia irrito prorſus evanuere conſilio: quippè Jacobus & minas, & cenſuras, & ſententias Pontificias parvipendit, & in occupatę Ditionis poſſeſſione pertinaciſſimè ſe confovit, donec tandem, cœleſti manu deſuper agente, & terrenis armis rerum ſyſtema mutantibus, Siciliam Romanę Eccleſiæ reſtituit (*g*), Carolo II. Regi tradendam, & intèr ipſum Jacobum, -- Et Carolum pax, & concordia facta extitit, & firmata: cujus pacis tractatu Jacobus, recognoſcens Inſulam Siciliæ injuſtè tenere, ipſam omninò deſervit, omnique juri, ſi quod in eâ, & Regno prætendebat habere, dictę Romanę Eccleſiæ, & Carolo II. ſpontè renunciavit, & ceſſit; promiſitque eundem Carolum II. bonâ fide, & abſque dolo, in ipſius Inſulæ poſſeſſionem inducere corporalem, & propterea interdictum, cui Regnum Aragoniæ, totaque terra ipſius Jacobi erat ſuppoſita, extitit penitùs relaxatum. Prò cujus pacis obſervantiâ firmiori, intèr ipſum Jacobum, & Dominam Blancam, ipſius Caroli II, filiam, interque Robertum ejuſdem Caroli primogenitum, & jam dictam Dominam Yolendam, ipſius Jacobi Sororem, matrimonia ſolemnitèr ſunt contracta * (*h*).

12. Has conventiones Bonifacius Papa VIII. tamquam Regni Siciliæ Dominus, approbavit (*i*). Sed eas fuiſſe effimeras, & fictitias, effectus citò ſubſequens demonſtravit. Nàm Jacobo abſcendente, Fridericus ejus frater, in Trinacriam inſiliens, cum eâ occupatâ, Regalem quoquè ſibi titulum arrogavit (*l*). Adversùs quam deluſionem non ſemel Caroli II. magni ejulatus auditi ſunt (*m*), & Bonifacius quoque VIII. ſe ludificatum declarans, & literis, & monitis, & minis, & cenſuris adverſus Fridericum relaxatis, ut eum à Siciliâ divelleret, deſudavit (*n*), ſed irritis ſemper, & vanis undequaque conatibus; quippè nec Fridericus Coronam Siculam dimittere, nec Siculi volebant pati, ut eis poſt factam Gallorum carnificinam, Gallici Principes imperarent (*o*). Cenſuris ergò, monitis, & officiis, nihil proficientibus, armis eſt ferocitèr diſputatum: receptiſque hinc indè cladibus; tandem eſt communi Gallorum, & Aragonenſium deliberatione concluſum, quod Fridericus, ductâ in uxorem Eleonorâ, Caroli II. filiâ, Siciliam ultrà Pharum vitâ ſuâ durante, cum titulo Regis Trinacrię, retineret: quo è vivis erepto, Trinacria ad Carolum ipſum ſinè controverſiâ rediret, Caroluſque præfatus, & Robertus ejus filius, id agerent, ut Papa conventiones intèr illos initas, tamquàm Regni Dominus, confirmaret (*p*). Abnuit autem Pontifex Bonifacius VIII. propoſitis pactis confirmationis ſuæ robur apponere; quippè defectibus notabilibus laborabant, & talia in ſuis viſceribus continebant, quæ velut juribus Romanę Sedis

(a) *Raynal. an. 1283. num. 19.*

(b) *Hainric. Steronius in Annal. an. 1283 Raynald. an. 1282. n. 23*

(c) *Ptolom. Lucens. hiſt Eccleſ. l. 24. c. 10. Raynald an 1283. n. 24 & an 1275 n 21.*

(d) *S. Antonin. p. 3. tit. 20. c. 3 §. 10 Jo: Villan l. 7. c. 102 Jo: Marian. rer. Hiſpan. l. 14. c. 9 Raynal an. 1285. 25*

(e) *Vvernerus Rolevuink Faſcicul. Tempor. 6. ætat. ſub ann. 1264 f. 82.*

(f) *Surit. lib. 2. Raynal. an. 1286. 6. Foreſt. in Jacob. Reg Siciliæ.*

(g) *Bonif. PP. VIII. apud Rainal an. 1295. num. 22.*

(h) *Raynald. an. 1295 num. 21. Collenut. hiſt. Neap. l. 5. Jo. Mariana l. 14. c. 17.*

(i) *Odoric. Raynald. an. 1295. 22.*

(l) *Collenut. hiſt. Neap l. 5. Foreſt. Map. Iſtor. in Jacob & Frederic. Reg. Sicil. Raynald. an. 1295. n. 36.*

(m) *Foreſt. Map. Iſtor. loc. citat.*

(n) *Raynald. ann. 1295. n. 2. 8. 13. 14.*

(o) *Foreſt. Mappam Iſtor. in Reg. Sicil. in Jacob. & Frider.*

(p) *Odoric. Raynald. an. 1302. n. 2. 3. 4 &c.*

dis

dis præjudicialia, non poterat approbare: eadem corrigi propterea demandavit, tuncque illis, tandèm, ad juſtitię tramitem redactis, approbationis ſuæ munimen adjecit: miſſis per Fridericum Nuntiis, qui ejus nomine, Bonifacio ipſi, tamquam ſupremo Trinacriæ Domino, & clientelam jurarent, & homagium exhiberent, & conventionum prę fatarum confirmationem, de manu Sedis Apoſtolicæ poſtularent.

13. Quià in prę miſſo tractatu, ait Bonifacius: -- Continebatur improvidè, quod Fridericus idem totam ipſam inſulam, cum omnibus inſulis, ſibi adjacentibus, ac omnibus juribus, juriſdictionibus, honoribus, & pertinentiis ſuis in totâ vitâ ſuâ haberet, teneret, & poſſideret in capite liberam, & abſolutam: ità quod exindè ad ſervitium aliquod reale, vel perſonale, alicui nullatenus teneretur: quod proculdubiò in grave noſtrum, & ejuſdem Eccleſiæ præjudicium redundare valebat inpoſterum, & Regis Siciliæ memorati: ac ex nùnc redundabat evidentèr in diminutionem, & ſubtractionem reverentię, & ſubjectionis, paritèr pro ipſis inſulis debitę nobis, & eidem Eccleſię, majoris dominii ratione, ut effectivè ipſa reformatio ſequeretur, promiſerunt nobis, & ipſi Eccleſię, jam dicti Nuncii, prò parte Friderici prędicti ſolemnitèr, & expreſſe, idque ſimilitèr prætacta capitula exponunt evidentèr, & eidem promiſſioni conſentiunt, quod Fridericus ipſe prædictam Sicilię inſulam, cum inſulis ei adjacentibus, omnibuſque prædictis aliis juribus, & pertinentiis ſuis in vitâ ſuâ habebit, tenebit, & poſſidebit, à nobis, & ſub nobis, & eâdem Eccleſiâ, & erit Vaſſallus, & cenſuarius ipſius Eccleſiæ, prò illo jure, quod idem Fridericus in ipsâ inſulâ Siciliç, dictâ ſuâ vitâ durante, noſcitur obtinere: & ex nùnc ejus nomine prę fati Nuncii promiſerunt bonâ fide tenere ſub anno cenſu trium millium unciarum auri, ad generale pondus Regni Siciliæ, in feſto B. Petri, ubicumque Romanus Pontifex fuerit, nobis, & ipſi Romanæ Eccleſię, per eundem Fridericum, dum vixerit, annis ſingulis ſolvendarum, & ſub ſervitio centum militum, equis, & armis munitorum, decentèr, & bene quandocumque nos, vel Succeſſor noſter Romanus Pontifex, qui prò tempore fuerit in vitâ Friderici prędicti aſſeruerit eis Eccleſiam indigere Romanam * (*a*).

(a) *Odoric. Raynald. an.* 1303. *n.* 25.

14. Et infrà: -- Prò quibus utique recognitione, & promiſſione prętactis, efficacius roborandis, prędicti Nuncii, ejuſdem nomine Friderici nobis, & eidem Eccleſiæ, prò illo jure, quod in ipsâ inſulâ Siciliç cum prędictis juribus, & pertinentiis ſuis idem Fridericus, ſicut prædicitur, eſt habiturus ad vitam, ligium fecerunt homagium, & fidelitatis prę ſtiterunt ſolitum Juramentum. Promiſerunt etiam prędicti Nuncii, prò parte, & nomine Frederici jam dicti, nobis, & Eccleſiæ Romanæ præſcriptę, ſubtus annexa ſequentia in memorato tractatu pacis omiſſa, quæ prætacta, noſtra reformatio, per adjectionem utilem reparavit: videlicet quod idem Fridericus tenebit, & habebit inimicos noſtros, & Romanæ Eccleſiæ prò inimicis ſuis, & amicos noſtros prò amicis habebit, quinimò prędictos inimicos noſtros, & ejuſdem Eccleſię, ad noſtrum, & ipſius mandatum, intendit perſequi toto poſſe, quodque Fridericus ipſe reſtituet, & reſtitui faciet omnes Eccleſias prędictæ inſulæ Siciliæ, & aliarum inſularum circumjacentium, ſi fortè adhùc reſtitutæ non ſunt, plenariè, & cum effectu ad omnia bona, & jura ipſarum, in quorum poſſeſſione erant eo tempore, quo inſula memorata Siciliç contrà dictum quondam Regem Carolum rebellavit, per quoſcumque prę fata bona, & jura ablata, & occupata fuiſſent, vel ſint, ac detinerentur, vel detineantur ad præſens, niſi fortè infrà prædictum tempus aliqua juſta alienatio, per perſonas, auctoritatem habentes, indè juſtè, ac rationabilitèr facta eſſet, & quod omnes prædictas Eccleſias, & perſonas eccleſiaſticas Eccleſiarum ipſarum, Fridericus idem libertatibus, privilegiis, & immunitatibus, à Sacris Canonibus eis conceſſis, & ſpecialitèr, quod immunes ſint à collectis, & talliis gaudere faciet, & permittet: & quod Romanus populus cum indigebit, ad requiſitionem noſtram, vel Succeſſores prędicti, ejuſdem Friderici vitâ durante, de portubus Siciliæ poſſint extrahere victualia, & legumina, defe-

ren-

renda ad Urbem prò ipſorum uſibus, cum ſolutione tamen juris exiturę, quod ſolvi per ejuſdem Friderici curiam ordinatur * (*a*).

(a) *Idem Raynald. an.*1303.*n.*26.

15. Plura alia ſequuntur, & præſertim, quod Fridericus Carolo pollicita omni religione obſervabit: quod ipſo Friderico ex humanis decedente, Trinacria ad eundem Carolum redibit, & cum citeriore Siciliâ in unum Regnum integrè coaleſcet: quod ex hac conceſſione Carolo pręfato nullum jus in utramque Siciliam adimetur, nec ulla præſcriptio ex poſſeſſione Trinacrię, per Fridericum tenendę adverſus eum decurret; quod Fridericus ipſe Regis *Trinacrię*, non Siciliæ, ſe titulo nuncupabit &c. Ità tùnc primum Fridericus ex Aragoniis hujuſce nominis primus, incœpit juſto titulo, & conceſſionis Pontificiæ, & conſenſionis, ſive ceſſionis Caroli II. Regis, *Trinacriam* ſub nomine, & jure Regio poſſidere. Cum itàque in Conventionibus tunc mutuò compactatis, & ut ſuprà per Sedem Apoſtolicam approbatis, Fridericus, inter alia Eccleſiis integram ſpoponderit libertatem, atque immunitatem ſecundum Canones debitam (*b*), quam nulli dubium eſt, ex ſuprà relatis, etiam ad poteſtatem liberè de beneficiis eccleſiaſticis diſponendi, tùm favore indigenarum, tùm extraneorum extendi; patet, quod vi primæ inveſtituræ, ſive Apoſtolicæ conceſſionis, *Aragoniæ* Dynaſtiæ, in perſonâ Friderici I. Aragonii collatę, ad eccleſiaſtica beneficia in dicto Regno Trinacriæ, parte Regni Siculi, adeoque à ſuo toto non diſſimili, nedum Clerici indigenæ, ſed etiam extranei, debent ſecundum Canonicam libertatem admitti.

(b) *Card. Baron. an.* 1097.*n.*31.*fol* 700.*E. Raynald. ubi ſuprà*

16. Verùm non ſecus ac ſimilis conventio intèr Jacobum, & Carolum ſuperius memorata, deluſoria fuit; Sic & effimera fuit pax intèr Fridericum, & Carolum pręfatos ſancita: Nàm Fridericus, non vitâ ſuâ tantum, ſed & in poſteros regnare perpetualitèr appetebat, & omne quantumlibet ſacrum, ac religioſum ambitionis ſuę involucris poſtponebat. Non contentus enim ſolo Regis Trinacriæ nomine, Regis quoque Sicilię ſibi titulum arrogabat; quaſi tam citrà, quam ultrà Pharum poſita Sicilia, ad ipſum totalitèr pertineret (*c*). Petrum quoque filium ſuum Panormi fecit in Regem ſibi ſucceſſurum, Coronâ Regiâ decorari (*d*), undè ingentes exortæ ſunt contentiones, & irrequieta bella, intèr Robertum, & Joannam primam Reges Neapolis ex unâ, & Fridericum, ac Petrum Trinacrios, ex aliâ; à quibus ultimis etiam aliquando Panormitani, Maſſilienſes, Agrigentini, aliique Trinacrię incolæ defecerunt, & ſe Joannę I. Reginę Neapolis ſubdidère (*e*). Itàque penè per 70. annos, intèr utroſque Principes Andegavenſes, & Aragonios, irreconciliabilitèr eſt bellatum (*f*), donec tandem fatigati, non ſaturati, quieverunt, vel Spiritu pacis eorum ſe cordibus infundente, vel auro, & divitiis utrimque deficientibus, ſinè quibus bellum nec inchoatur, nec continuatur: Nàm uti benè ait Plutarchus, *qui primus pecuniam eſſe nervos rerum dixit, pręcipuè bellum reſpexiſſe videtur* (*g*). Quarè ſub anno 1372. inter Joannam I. & Fridericum II. Aragonium Neapolis, & reſpectivè, Trinacriæ Reges, pax optata iterum ſolemnitèr eſt conſerta, cum ſequentibus pactis, & beneplacito Apoſtolico antè omnia reſervato (*h*).

(c) *Raynaldus ann.* 1317.22.
(d) *Surita lib.*6 *c.*42. *Jo: Villan. l.* 8.*c.*113.
(e) *Odor. Raynald an.* 1356.31.
(f) *Baron. an.* 1097 *n.*31.*f.*703.
(g) *Plutarc. in Cleomene*
(h) *Reynald. an.*1372 *n.*5.*in fin.*

17. Cum pactis inquam, quod Fridericus II. Rex Trinacrię, inſulam illam ſibi, & poſteris retineret: eſſetque Vaſſallus Joannę II. Reginæ Neapolis: ſolveret quot annis ter mille uncias auri prò cenſu, & alia tunc expreſſa. Gregorius Papa XI. pacta ipſa approbavit, adjectis tribus Capitulis: primò quod Fridericus Juramentum fidelitatis, & homagium ligium exhiberet prius Papę, uti ſupremo Trinacriæ Domino, deindè Joannæ Reginæ. *Secundò*, quod libera eſſet inibi electio Clericorum ad eccleſiaſtica beneficia, ſinè ullâ *Regii aſſenſus* neceſſitate, fierentque appellationes ad Sedem Apoſtolicam, & revocarentur leges editę adverſus eccleſiaſticam libertatem. *Tertiò*, ne Regnum Trinacrię cum Imperio conjungeretur &c. (*i*). Aliqua ex dictis pactis placet hìc ad literam recenſerè. -- Primò &c. quod Joanna, & Fridericus præfati, recognoſcant, ad nos, & Eccleſiam Romanam ſpectare, & pertinere de jure directum dominium in toto Regno Sicilię, tam ultrà, quam citrà Pharum, nos, & Eccleſia Romana habemus, non intendimus in aliquo derogare,

(i) *Card. Baron. loco cit. Raynald. an.*1372. *num.*7.8 9.

ſed

ſed ea volumus, & intendimus remanere illæſa, & quod tale, & totum jus nobis, & Eccleſiæ Romanæ remaneat in dictâ inſulâ, & adjacentibus inſulis (quæ Regnum Trinacriæ intitulabuntur) quale, & quantum habemus in terris citrà Pharum: & ſi quę in præſentibus Capitulis inveniantur, quę directè, vel per obliquum, præfato Dominio, & Juri, quod Eccleſia Romana habet in dictâ inſulâ, & adjacentibus inſulis, quomodolibet prejudicarent, illa ex nùnc prò non appoſitis, & non adjectis habeantur, & quod ad contenta in iſto Capitulo Joannę, & Friderici prædictorum expreſſus conſenſus accedat (*a*).

(*a*) Idem Raynald. an. 1372. n. 7.

18. -- Deſcendentes autèm ex præfato Friderico, & ejus liberis utriuſque ſexus, ſuccedant in inſulâ prælibatâ, cum adjacentibus inſulis ſuis; ſic tamèn quod de liberis maſculis, in eodem gradu, ac per eandem lineam concurrentibus, primogenitus: de duabus fœminis, primogenita: de viro, & fœminâ, in eodem gradu, ſimilitèr concurrentibus, maſculus omnibus aliis prę feratur &c. Perſonarum autem deſcendentium hujuſmodi nullâ ſuperſtite, Regnum Trinacriæ, ſeu inſula Siciliæ prædicta, cum aliis inſulis adjacentibus, ad præfatam Joannam Reginam Siciliæ, ejuſque Succeſſores in regno, ipſo jure libere revertantur: aut eiſdem Reginâ, & Succeſſoribus in Regno non exiſtentibus, vel exiſtentibus, in caſu quo Regnum Siciliæ, juxtà conventiones habitas intèr felicis recordationis Clementem IV. prædeceſſorem noſtrum, & claræ memoriæ Carolum Regem Siciliæ, eſſet ad Romanam Eccleſiam devolutum; Regnum Trinacriæ, ſeu inſula prædicta, cum adjacentibus inſulis, ad prefatam Romanam Eccleſiam ipſo jure liberè revertantur. *

19. Sequitur ordo, quo deſcendentes Friderici debebunt in Regno ſuccedere, nempè quod natu major, minori, & maſculus in pari gradu fœminę præponatur: deficientibus filiis rectæ lineæ, agnati tranſverſales, uſque ad quartum gradum vocentur: nullo horum ſuperſtite, Trinacria ad Regem Siciliæ citrà Pharum, hocque etiam, & ejus deſcendentibus, ut ſuprà deficientibus, ad Sedem Apoſtolicam revertatur. Et poſt multa. -- Omnes inſuper Eccleſiæ tàm Cathedrales, quàm aliæ regulares, & ſęculares, necnon omnes Prælati, & Clerici, ac univerſæ perſonæ eccleſiaſticę, ſæculares, & religioſæ, in electionibus, poſtulationibus, nominationibus, proviſionibus. & omnibus aliis, plenâ libertate gaudebunt, nec antè electionem, nec in electione, vel poſt, dicti Friderici, ſeu ejus Succeſſorum in Regno, ſive inſulis prædictis, conſenſus, vel conſilium, aliquatenus requiratur: Quam utique libertatem ipſe Fridericus, ipſiuſque in dictis inſulis, ſeu Regno Succeſſores, ſemper manutenebunt, & conſervabunt, & manuteneri facient ab omnibus ſubditis ſuis: dictæque Eccleſiæ, & perſonæ, & omnia religioſa, & pia loca, utentur liberè omnibus bonis, & juribus ſuis: ſalvo ſibi, & Succeſſoribus ſuis in Regno prædicto Trinacriæ, ſeu inſulis Jurepatronatus, prout & ſecundum quod patronis Eccleſiarum Canonica inſtituta concedunt, & in illis tantum Eccleſiis, in quibus Reges antiqui Siciliæ hujuſmodi Juſpatronatus habuerunt: ſalvâ ſemper circà Eccleſias Cathedrales, & alias regulares, & ſæculares quaſcumque, ac perſonas, & loca eccleſiaſtica, tàm in faciendis proviſionibus, & electionibus confirmandis, quàm in reſervationibus de ipſis Eccleſiis faciendis, quam in omnibus, & quibuſcumque aliis, Romani Pontifici, & Eccleſiæ Romanæ juriſdictione, ordinatione, & auctoritate plenariâ, & liberâ poteſtate * (*b*).

(*b*) Raynald an. 1372 n. 11.

20. Harum pactionum vigore Fridericus II. Aragonius prefatus Rex Trinacriæ, Gregorio Papę VI. fidelitatem exhibuit (*c*), nec quidquam defuit quominus conventiones ipſę plenarium ſortirentur effectum. Igitùr ſecundum illas, diſpoſitio beneficiorum, electio, nominatio, ſive quocumque modo nuncupetur, eorum proviſio, debet fieri juxtà plenam, & integram Eccleſiæ libertatem, ſinè Regio aſſenſu, & ſalvâ in omnibus beneficiorum proviſionibus faciendis, & electionibus confirmandis, Romani Pontificis auctoritate plenariâ. Sed ſive attendatur naturalis Eccleſiæ libertas, ſecundum Canones conſiderata; ſive auctoritas Romanæ Sedis, prouti dat regulam in diſpenſatione beneficiorum univerſalitèr obſervandam, ſive

(*c*) Raynald. an. 1374 num. 19.

gemi-

geminata illa verba: *plenâ libertate*: *plenariâ auctoritate*: *liberâ poteſtate*, quæ in pactum deducta ſunt in præſenti conventione, nec ullam reſtrictionem admittunt (*a*), certè utrimque ad beneficia admittendos eſſe quoque extraneos definitur; prouti de facto hucuſq; peractum eſt: Ergò ſecundùm pacta, & inveſtituram præfatam Friderico Regi collatam, extranei non excluduntur ab eccleſiaſticis beneficiis. Et quamquàm hic ſermo ſit tantummodò de Siciliâ ultrà Pharum, ſivè de Trinacriâ, tamen quià hæc de illo ſanciuntur, tamquàm de parte à corpore totius Regni diſcerpta, & eandem naturam habente cum Siciliâ citrà Pharum; notumque eſt, quod nec arbor à ramo, nec rivus à fonte, nec membrum poteſt à ſuo corpore diſſidere, locumque habet optimè argumentum, deductum à parte ad totum (*b*); liquet quod ea, quæ hìc definita ſunt prò Trinacriâ, ab identitate materiæ, atque à paritate rationis; æque afficiunt etiàm prò Regno Neapolis, & ità ex totâ hâc ratione, per conſequentiam naturalitèr ſequitur, quod juxtà præfatam inveſtituram Apoſtolicam, Friderico II. Aragonio Regi conceſſam; tàm in Trinacriæ, quàm in Neapolis Regno patet Clericis etiam extraneis acceſſus ad eccleſiaſtica beneficia.

(a) *Barboſ.tract.var. d.ll.159.& 161.*

(b) *Barboſ.ubi ſuprà Loc.82.n.1.*

21. Tantis, ac tot contentionibus, & bellis, locorumque, ac hominum exterminiis, ſatagerunt Petrus I. Aragonius, ac ejus poſteri Regnum Siciliæ, quà vi, quà technis, quà tandèm licitis conventionibus, ex neceſſitate potius, quam ex libenti propoſito, & propriæ deliberationis affectu, cum eiſdem in pactum deductis, in propriâ familiâ perennitèr propagare: ſed citò exciſa eſt arbor eorum propaginis in Mariâ, præfati Friderici II. Aragoni Regis Trinacriæ filiâ, quæ per paucos annos Patri in Regali Solio ſucceſſit (*c*), ulciſcentè, ut ab aliquibus eſt putatum, Deo tot fœdifractiones, & ſponſiones, divinæ invocationis juramento valatas, & ſæpè ſæpiùs ludificatas; ac intruſionem illius ſobolis in Regnum Divi Petri patrimoniale, ad Aragonios nullatenus pertinens, ſed per fomentum ſeditionis Siculæ legitimo Regi ſubtractum: *Novimus enim*, inquit Carolus Magnus, *multa Regna*, *& Reges eorum*, *propterea cecidiſſe*, *quià Eccleſias ſpoliaverunt*; *reſque earum vaſtaverunt*, *abſtulerunt*, *& pugnantibus dederunt* (*d*). Friderico, inquam, II. Aragonio ſucceſſit Maria ejus filia in dominio Trinacriæ, quæ Martino juniori Duci Momblanci nupſit, filio Martini Senioris, Ducis Albę, qui etiàm poſteà fuit Rex Aragoniæ (*e*). Marię ipſi citò pereunti, vir ejus Martinus junior pręfatus in Regiâ dignitate ſucceſſit (*f*). Qui paritèr præproperè moriens, Blancę, filię Regis Navarræ, ſecundæ uxori ſuæ, ſceptrum Trinacrię dereliquit (*g*). Quâ quoque non poſt multum temporis obeunte, ſubintravit in Regno Ferdinandus Rex Aragoniæ, filius Joannis I. Regis Caſtellæ, Rex ab Aragonenſibus ſalutatus (*h*), & à Siculis poſt Blancam, ad eorum Coronam Regiam invitatus (*i*). Cui demùm intrà triennium defuncto, ſubrogatus eſt Alphonſus ejus filius, hujuſce nominis primus (*l*).

(c) *Foreſt Map. Hor. in Mariâ Reg di Sicil.*

(d) *Thomaſſin. Vet. & nov. Eccl. diſc. p. 3. l. 1. c. 8. n. 8.*

(e) *Raynald. an. 1391 6. an. 1392. 3. Foreſt. loc. cit.*

(f) *Anton Foreſt. loc. cit. in Martin. Reg. Siciliæ.*

(g) *Idem in Martin. & Blanc. Reg Sicil.*

(h) *Loſch. Comp hiſt. in Arbor. Reg Caſtellę Jo: Gualter. Chron. Polit. in Reg. Aragon nu. 35. Raynald. ann. 1410 num. 1.*

(i) *Raynald. loco cit. Foreſt. in Ferdin Reg. 20. Siciliæ.*

(l) *Idem Foreſt in Alphonſ. I. Rē XXI. Sicil.*

22. Hucuſque Principes *Aragonicæ* Dynaſtiæ ſolam Siciliam ultrà Pharum, primò illicitè, poſtremò licitè, tenuerunt. Inpoſterùm verò Reges Aragonici, nedùm Trinacriam, ſed etiàm Regnum Neapolis adepti ſunt, & ſic utrique Siciliæ, tàm citrà, quàm ultrà Pharum, regalitèr imperarunt. Nàm Alphonſus pręfatus Ferdinando ejus Patri in Trinacriâ ſubſtitutus, à Joannâ quoque II. Reginâ Neapolis eſt in filium årrogatus, ſivè adoptatus (*m*), quæ tametſi adoptione ipsâ caſſatâ, Ludovicum poſteà III. Andegavenſem, & eo defuncto, Renatum ejus fratrem paritèr adoptaverit, uti ſuperiùs memoravimus (*n*), tamèn vel prior adoptio, legitimis prædita facultatibus, validior fuerit ſecundâ, & tertiâ: Vel Papa gratificari maluerit, Alphonſo, quàm Ludovico, & Renato: Vel tandèm præpotentia militaris Alphonſi, Pontificem ad ſua vota pertraxerit; hoc unum eſt, quod Eugenius Papa IV. Alphonſo ipſi inveſtituram Regni conceſſit (*o*), quà utramque Siciliam, tàm citrà, quàm ultrà Pharum, fuiſſe comprehenſam, latè ſuſtinet Cardinalis Baronius (*p*). Inveſtituram, inquam, Regni conceſſit, ſub iiſdem pactis, & con-

(m) *Raph. Volater. Geogr. l. 6. in Sicilia Raynald. an. 1421 n. 2. Petav. Ration. temp. l. 9. cap. 8*

(n) *Loſch Comp. hiſt. di Caſ d'Auſtr. in Giovanna II. Petav loc. citat. Volater. ubi ſuprà Raynal an. 1423. n. 13. & 1435. 14.*

(o) *Odoric. Raynald. an. 1443. n. 1.*

(p) *Card. Baron. an. 1097. tom. 11. f. 702. & ſequ.*

conditionibus, quibus Clemens Papa IV. uſque ad anno 1265. cum Andegavenſi Carolo ſtipulavit (*a*).

(a) Raynald. ann. 1443. n. 7.

23. Pacta prò hac inveſtiturâ edendâ, inita ſunt Terracinę intèr Ludovicum Patriarcam Aquilejenſem Cardinalem, & Legatum Papæ, ac Regem Alphonſum die 14. Junii 1443. (*b*), conventumque eſt inter cætera: -- Item convenerunt, & concordarunt; quod præfatus R. D. Legatus, nomine, & auctoritate Sedis Apoſtolicę, ſtatim firmatis, juratis, & hinc inde ſigillatis præſentibus Capitulis, ipſi Sereniſſimo D. Regi dictum Regnum Siciliæ citrà Pharum juxtà ſtylum, morem, formam, clauſulas, & conditiones, per Romanos Summos Pontifices ſervari conſuetas, denuò infeudabit, eumque de eodem inveſtiet, etiam cum confirmatione arrogationis ipſi Sereniſſimo D. Regi per olim bon. mem. Reginam Joannam ſecundam, ad ſucceſſionem hujus Regni factæ, & cum clauſulâ; non obſtante, quod per vim dictum Regnum occupaſſe noſcaris &c. Item quod dictus Sanctiſſimus D. noſter, & ipſe R. D. Legatus &c. præfatum Sereniſſimum D. Regem à quavis pecuniæ quantitate, ad quam ratione cenſus, ſeu tributi Regni hujuſmodi, pro tempore præterito, Sedi, ſeu Cameræ Apoſtolicæ teneretur, prorſus liberabit, atque abſolvet &c. Item vice verſâ dictus Sereniſſimus D. Rex ſtatim, cum firmata, & ſigillata fuerint hujuſmodi Capitula, dictamque obtinuerit infeudationis, & inveſtituræ bullam, requiſitum juramentum, & homagium præſtabit in manibus dicti R. D. Legati &c. perſonaliter, & ut moris eſt, cætera omnia, & ſingula faciet, & promittet, & obſervabit, quæ infeudationis, ſeu inveſtituræ, & ſuo loco coronationis prædictæ tempore, ceteri prędeceſſores Regni hujus in ſimili caſu Romanis Pontificibus facere, promittere, & conſueverunt, & tenentur, & tributum, ſeu cenſum annis ſingulis à prędictę Inveſtiturę die inchoandis realiter, & cum effectu ſolvere promittit, & ſolvet *.

(b) Surita Annal. l. 15 cap. 18.

24. Sequuntur alia pacta, & conventiones; notàque dignum eſt, quod ſingulis Capitulis appoſita, & replicata leguntur hæc verba: *Alphonſus Rex*. Pacta hæc rata habuit, & approbata Eugenius PP. IV. prid. nonas Julii ann. 1443. (*c*). Mox idibus Julii ejuſdem anni contulit Inveſtituram Alphonſo, prolixa bulla, quam legere eſt apud Raynaldum -- Regnum prædictum &c. in feudum perpetuum tibi chariſſimo in Chriſto filio noſtro Alphonſo Regi prædicto, licet abſenti, prò tè, tuiſque hæredibus, deſcendentibus per rectam lineam maſculis, jam natis, & inpoſterum naſcituris, ex certâ ſcientiâ &c. & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tenore pręſentium concedimus &c. nec non de ipſis Regno, & terrâ eorumque juribus, & pertinentiis univerſis, tè etiàm abſente in perſonam dil. filii Magiſtri Alphonſi Hiſpani, Notarii noſtri, per tè ad nos præſentialitèr deſtinati, per annuli noſtri ejuſdem Alphonſi digito annulari traditionem, & impoſitionem, præſentialitèr inveſtimus, receptis tamen prius à tè in formâ, quæ ſequitur, fidelitatis debitæ juramento, ac pleno homagio, ſervitio, vaſſallagio ligio pro hujuſmodi feudo debitis, & conſuetis &c. * Sequuntur alię leges, ſimiles illis, quæ in Inveſtituris Caroli I. Caroli II., Roberti, Joannæ, Caroli III., & Ladiſlai Regum continentur (*d*).

(c) Raynald. an. 1443 à n. 1. ad 6.

(d) Raynald. an. 1443 num. 6.

25. Conventionibus præfatis, ut ſuprà firmatis, atque Inveſtiturâ Regni ſuſcepta, Rex Alphonſus diploma edidit biennii tempore ponderatum, & maturatum, nempè datum die 11. Junii anno 1445. in quo acceptavit, & ratam habuit inveſtituram pręfatam, Bullam Papæ ſupradictam de verbo ad verbum exſcribens, in quâ hæ præ cæteris particulę continentur: *Prò toto verò generali Cenſu ipſorum Regni, & terrę octo millia unciarum auri ad pondus ipſius Regni, in feſto B. Petri Apoſtoli de menſe Junii, ubicumque Romanus Pontifex fuerit, ipſi Romano Pontifici, & Romanæ Eccleſiæ, annis ſingulis perſolvetur &c. In quolibet etiam termino dabis tu, & tui in dicto Regno, & terrâ hæredes dabunt nobis, vel ſucceſſoribus noſtris canonicè intrantibus, unum Palafredum album pulcbrum, & bonum in recognitionem veri dominii eorundem Regni, & Terrę &c. Omnes inſuper Eccleſiæ, tam*

Ca-

Cathedrales, quem alię Regulares, & Sæculares, nec non omnes Prælati, & Clerici, ac univerſæ perſonæ Eccleſiaſticæ Sæculares, & Religioſæ, ac quæcumque religioſa loca, in regno, & terrâ prędictis conſiſtentia, cum omnibus bonis ſuis, in electionibus, poſtulationibus, nominationibus, proviſionibus, & omnibus aliis, plenâ libertate gaudebunt, nec ante electionem, ſivè in electione, vel poſt, Regis aſſenſus, aut conſilium aliquatenus requiretur: quam utique libertatem tu, & tui in ipſo Regno hæredes, ſemper manutenebitis, & conſervabitis, ac manuteneri, & conſervari facietis, ab omnibus ſubditibus veſtris: Dictęque Eccleſiæ, & perſonę utentur liberè omnibus bonis, & juribus ſuis, ſalvo tibi, & tuis in dicto Regno hæredibus jure patronatus in Eccleſiis tantum, quantum in hac parte patronis eccleſiarum canonica inſtituta concedunt, ubi antiqui Reges Siciliæ hujuſmodi juſpatronatus in ipſis Eccleſiis habuerunt.

26. *Omneſque etiam cauſæ, ad forum eccleſiaſticum in Regno, & Terrâ prędictis pertinentes, liberè, & abſque ullo impedimento, agitabuntur, ventilabuntur, & tractaabuntur coram Ordinariis, & aliis eccleſiaſticis Judicibus, & terminabuntur per eos, & ſi ad Sedem Apoſtolicam ſuper hujuſmodi cauſis appellari contigerit, tam appellantes, quam appellati, ad eandem venire Sedem pro appellationum proſecutionibus liberè, & abſque inhibitione aliquâ permittentur &c. Revocabitis etiam tu, & dicti tui in Regno hæredes omnes Conſtitutiones, & leges &c. per Reges, aut Reginas Regni, & terræ præfatorum, ſivè alios quoſcumque editas contrà Eccleſiaſticam libertatem, nec ſtatuta, aut conſtitutiones edetis, aut etiam promulgabitis, per quæ juri, & eccleſiaſticę libertati in aliquo derogetur. Promittetis etiam quod nullus Clericus, vel eccleſiaſtica perſona, eorundem Regni, & terræ, in civili, vel criminali cauſâ, ad faciendam fidem de titulo, vel poſſeſſione clericatus conveniatur coram Judice ſæculari, niſi ſuper feudo, judicio petitorio conveniatur civiliter, ſed omnes Eccleſię, Monaſteria, Hoſpitalia, & alia pia, & religioſa loca, ac perſonæ eccleſiaſticæ Regni, & terræ prædictarum, omnimodè erunt liberæ, & libera, & nulli Regi, vel Principi ſubjacebunt &c. In Eccleſiis in dicto Regno, & terrâ vacantibus, tù, vel prædicti in Regno hæredes, nulla habebitis regalia, nulloſque fructus, reditus, & proventus, nullas etiam obventiones, ac nulla prorſus alia recipietis ab eiſdem, cuſtodiâ eccleſiarum earundem interim liberâ remanente penès perſonas eccleſiaſticas, juxtà Canonicas ſanctiones &c.* Sequitur juramentum fidelitatis, cum homagio, & vaſſallagio (*a*). Cerniturque hic in pactum deducta integra libertas Eccleſię, & Eccleſiarum in omnibus juribus ſuis, quę libertas integra, & plenaria non eſſet, niſi etiam comprehenderet admiſſionem Clericorum extraneorum ad eccleſiaſtica beneficia.

(a) *Raynald. an. 1445 à num. 1. ad 11.*

27. Obeunti Alphonſo I. ſine filiis legitimis, ſucceſſit Joannes frater ejus ex paterno teſtamento in Aragoniæ Regnis (*b*). Ad Regnum verò Neapolis Ferdinandus filius ejus illegitimus aſpiravit. Tunc Calliſtus PP. III. Regnum Neapolis ad Sedem Apoſtolicam devolutum declaravit (*c*). Quâ de rè S. Antoninus, *Calliſtus morte Regis perceptâ ſubito contulit quædam magna beneficia Epiſcopatuum, quæ priùs conferre non valuerat, ipſo Rege contradicente, & impediente (quod plus eſt) per bullas patentes Regnum Apulię vacans, ut feudum Eccleſię, ad eum ſolum pertinere, & de ipſo diſponere aſſerebat, mandans Ferdinando, ut illud dimitteret, nec ipſe, vel alius quicumque ſub pœnâ anathematis ſe illius Regni Regem vocaret* (*d*), cujus bullę ſeriem videre eſt apud Hiſtoricos (*e*). Ponderatione autem dignum eſt, quod Alphonſus fędifragus pacta inita, & jurata pręvaricatus eſt, libertatem Eccleſię in beneficiorum collatione impediens, citòque Deus illius ſobolem, nullo relicto filio legitimo, exſcidit, & Papa potius beneficia vacantia remanere voluit, quam illa, vivente ipſo Rege, cum eccleſiaſticę libertatis prejudicio conferre. Quò verò ad Regni diſpoſitionem, cum Calliſtus citò interierit, & Ferdinandus Alphonſi filius Nothus viribus prevaleret, quibus retundendis Sedes Apoſtolica erat impar; Pius PP. II. ſatius exiſtimavit eidem Ferdinando Aragonio, tametſi illegitimè

(b) *Baron. an. 1097. f. 704. Raynal. an. 1458 num. 31.*
(c) *Surit. annal. lib. 16. cap. 48.*
(d) *S. Antonin. 3. p. tit. 22. cap. 16. § ult.*
(e) *Raynald. an. 1458 num. 32. tom. 18.*

nato Inveſtituram regiam renovare, quam cum eo dubio marte, ac viribus inæqualibus decertare,

28. Fecit hoc Pius idibus Novembris anno 1458. appoſitis in Inveſtiturâ pactis, & legibus, in Inveſtituris præcedentium Regum Caroli I. Caroli II. Caroli III. utriuſque Joannæ, Ladiſlai, & Alphonſi I. contentis (*a*). In quâ Inveſtiturâ hæc legitur expreſſa conventio: *Omnes inſuper Eccleſiæ, tàm Cathedrales, quàm aliæ Regulares, & Sæculares, nec non omnes Prælati, & Clerici, ac univerſæ perſonæ eccleſiaſticæ ſæculares, & religioſæ, ac quæcumque religionis loca, in regno, & terrâ prædictis conſiſtentiâ, cum omnibus bonis ſuis, in electionibus, poſtulationibus, nominationibus, proviſionibus, quas (ſalvis reſervationibus Apoſtolicis) fieri contigerit, & omnibus aliis, plenâ libertate gaudebunt, nec ante electionem, ſive in electione, vel poſt, Regis aſſenſus, vel Conſilium, aliquatenus requiretur &c.* (*b*). Vide hìc in pactum deductam libertatem reſervationum Apoſtolicarum, & jurium omnium, eorum, ad quos pertinet beneficia diſpenſare, ut illa poſſint, pro eorum arbitrio, & voluntate conferre, adeoque ſine ullâ reſtrictione ad aliquod genus perſonarum, quippè reſtrictio ipſa nimium libertatem eandem, ſic in pactum deductam, obrueret, ac per conſequens relictum locum, & patefactum acceſſum in in ipſo Regno Neapolis, etiam Clericis extraneis ad eccleſiaſtica beneficia. Ferdinando I. Regi Neapolis ſucceſſit Alphonſus II. qui regiam inveſtituram ab Innocentio PP. VIII. anno 1492. eſt conſecutus, expreſſis pactis, & conditionibus, cum ejus patre conventis, & in inveſtituris aliorum Regum Linearum Andegavenſis, & Aragonenſis, contentis (*c*).

(a) *Raynal. an.* 1458. *num.* 30. *tom.* 19.

(b) *Raynald. loc. cit. num.* 42.

29. Alphonſo II. Regi obeunti Ferdinandus paritèr II. ejus filius in Regali ſolio ſubintravit, dictus communitèr Ferrandinus (*d*), quo ſine liberis decumbente, Regnum ad ejus patruum Fridericum, Alphonſi II. fratrem, pervenit (*e*). Hic habuit infeſtum Ludovicum XII. Regem Galliæ, Carolo VIII. ſubrogatum, filio Ludovici XI. cui Renatus Andegavenſis, & Carolus ejus ex Joanne filio Nepos, ceſſere quidquid juris habuerant in Regno Neapolis (*f*), reclamante Renato juniore, Renati ipſius ſenioris, ex Violantâ, uxore Comitis Vaudemontis Lotharingi, nepos (*g*). Ludovico ergò XII. armis in Italiam irrumpente, Fridericus auxilium Ferdinandi V. Catholici, Regis Aragoniæ, Patruelis ſui, bono animo, ſed nimium confidente, imploravit (*h*), qui ad eum citò Conſalvum Cordubenſem tranſmiſit, magnæ famæ Ducem, vulgo *il gran Capitano*: tanto titulo dignum quippè *qui per* 200. *Urbes*, & 10. *Oppida Regi ſuo comparata, Magni nomen adeptus eſt* (*i*), armis, & militibus opportunè inſtructum, & victualibus conſtipatum, ſub ſpecie quidem auxilii præbendi, ſed animo rè verâ exequendi pacta ſecretiſſima, pridem inter Ferdinandum ipſum, & Ludovicum XII. inita, de invadendo conjunctis armis Regno Neapolis, & inter ſe prætaxatis partibus dividendo (*l*).

(c) *Raynal. an.* 1492. *num.* 11.

(d) *Alfonſ. Loſchi Compend. Iſtor. in Ferrandin.*

(e) *Loſchi ubi ſupr. in Frideric. Reg. Neapol.*

(f) *Panvin. Rom. Princ. l.* 4 *f.* 311 *Loſchi loc. cit. & Giunta Giacomo.*

(g) *Volateran. Geogr. lib.* 6. *nella Sicilia.*

(h) *Raynal. an.* 1501. *num.* 51. 69. 74. 75. *Petav. ration. temp. l.* 9. *c.* 12. *Loſchi in Frider.*

(i) *Joan. Buſieres Floſc. Hiſtor. p.* 2. *ann.* 1499. 6 *Nec à.*

(l) *Guicciar. lib.* 5. *Foreſt. in Ferdin. V. Reg. Hiſpan. Raynald. an.* 1502. *n.* 51. & 79.

30. Conſalvus ergò Regnum Neapolis ingreſſus, poſitis caſtris, & militibus ordinatis, Friderico Regi, ut Regno cederet intimavit, Ditiones quaſdam ejus loco, in Hiſpaniâ recepturus. Quamobrem sè proditum ratus Fridericus, nec par injuriæ repellendæ, inſidias deluſoris altis ejulatibus exprobravit (*m*): tùm de Gallo Rege, tametſi hoſte, magis quam de Ferdinando Hiſpano, quamquàm patruele, ſed inſidiatore, ac ut putabat jurium ſanguinis violatore, confidens; in Galliam ſe recepit (*n*), ubi pauperem finem intrà non prolixam annorum periodum, tota ejus poſteritas eſt perpeſſa (*o*). De his Ferdinandi V. conſiliis diſpar eſt Scriptorum opinio, improbantibus aliis factum (*p*), aliis excuſantibus ejus opus. Certum eſt autem, quod occupato per Gallos, atque Hiſpanos, communibus votis, Regno Neapolis; alter de altero expellendo ſenſus intimiores habuit, & conſilia maturavit; nodumque requirentes in ſcirpo, ut ſibi mutuo vim inferrent; Galli adversùs Hiſpanos, Hiſpani adversùs Gallos, ſigna bellica elevaverunt: bienniique ſpatio (*q*), Conſalvus triplici clade, ad Seminariam in Calabriâ, ad Cerignolam in Apuliâ, & ad Garilianum in Campaniâ, Gallos fudit, atque totalitèr debellavit,

(m) *Alphonſ. Loſchi loc. cit. in Friderico.*

(n) *Petr. Bemb. hiſt. Venet. lib.* 6. *Sabell. Enead.* 11. *l.* 3. *Lup. Protoſpat. in Append. an.* 1502. *Raynald. an.* 1501. *n.* 74.

(o) *Raynald. an.* 1504. 40. *Loſchi Comp. Hiſtor. nella Caſa d'Auſtria in Federico.*

(p) *Trajan. Boccalin. Pietra del Paragon.* § *Almanſore.*

(p) *Petav. ration. temp. l.* 9. *c.* 11.

vit, ſicque Regnumque Neapolis, non prò parte, juxtà pacta; ſed in totum, juxtà vires, Ferdinando Regi Hiſpaniæ ſubjugavit (*a*). Inita poſtmodum fuit pax inter Ferdinandum ipſum, & Ludovicum XII. præfatum, anno 1505. hæcque inter alias edita eſt conventio; ut Hiſpanus, ductâ in uxorem Germanâ de Foix, Galli nepte, haberet prò dote quidquid partis, aut juris in Regno Neapolis poſſet ad Coronam Gallicam pertinere, inſuperque refunderet ſeptingentos mille aureos Ludovico (*b*).

(a) *Paul. Æmil. in Ludov XII. Jo. Buſſeres loc cit. Ant. Foreſt ubi ſupr. f. 121.*

(b) *Guicciardin. Hiſtor. lib. 6.*

31. Ità Ferdinandus V. Catholicus, Rex Aragoniæ, Regnum Neapolis eſtadeptus, cui Julius PP. II. anno 1510. Regiam contulit Inveſtituram, juxtà ſolitum Clementinæ tenorem (*c*) quæ, ſicut anteà, ſic & nùnc fuit regula conceſſionis Regni, ſivè illius Inveſtiturarum, quoties fuerunt per Pontifices renovatæ. In Ferdinando autem ipſo (qui tot bellis, cœdibus, & locorum, ac hominum exterminiis, ad poſſeſſionem Regni Neapolis eſt perlatus, ſpè eidem in perpetuum per ſuos liberos præſidendi) ſucciſa protinus eſt arbor virilis Aragonicæ Dynaſtiæ, quæ modò Trinacriæ ſeparatìm, modò ſimùl etiam Neapoli, ſivè utrique Siciliȩ regalitèr imperavit: ſolȩque illius ſobolis fœminæ ſuperſtites remanſerunt (*d*). Sivè autem pacta, & Inveſtituræ conſiderentur Friderici I. & II. & aliorum Aragonicorum Regum, qui Trinacriæ dominati ſunt, è Siciliȩ corpore avulſæ; ſivè Alphonſi I. Ferdinandi I. & ejus Succeſſorum; ſivè tandèm Ferdinandi V. Catholici, ex omnibus elucet, diſpenſationem beneficiorum eccleſiaſticorum Regni Neapolis eſſe ſecundum libertatem Canonicam exercendam, & juxtà id, quod Canones, & Sanctiones Eeeleſiæ, atque auctoritas Romani Pontifici prædefiniunt, liberè, ſine ullâ reſtrictione, ſed cum libertate plenariâ.

(c) *Raynal. an. 1510. à n. 24. ad 27.*

(d) *Foreſt. Mapp. Iſtor. in Ferdin. V. & Joanna Reg. Hiſpan Alphonſ. Loſchi Comp. Hiſtor. in Caſa d'Auſtria.*

32. Tàm autem Canones, ac leges eccleſiaſticȩ, quam Pontificiȩ Conſtitutiones, in libertate Eceleſiȩ poſitum eſſe volunt, ut beneficia, prò ipſius Eeeleſiæ libito, non ſolum Clericis indigenis, verum etiam extraneis conferantur, prout jam uberrimè per totum prȩſens opus oſtendimus. Ad hæc dictiones illæ *liberè*, *plenariè*, & ſimiles, toties, ac tam crebrò in ſingulis Inveſtituris Regni poſitæ, ac replicatȩ, atque in pactum expreſſum deductȩ, ut ii, ad quos ſpectat de beneficiis diſponere, illa poſſint *plenariâ libertate*, ac *liberâ auctoritate* diſtribuere, illæ inquam dictiones omnem, & quamcumque perſonarum reſtrictionem exeludunt (*e*). Ergò hujuſmodi libertas nunc neque Papȩ, nec Epiſcopis, neque Regi, tamquam patrono plurium beneficiorum, neque Magnatibus Regni, habentibus beneficia ſui juris patronatus, neque demum aliis Clericis, & laicis beneficiorum collatoribus, vel reſpectivè patronis, demi poteſt, vel ad ſolos indigenas coarctari, quin conculcentur pacta, in conventionibus, & inveſtituris, initis intèr Sedem Apoſtolicam, & Reges Stemmatis *Aragonenſis*, aſſenſu mutuo, conſtituta. Et ità quocumque res vertatur, quocumque vis ſermonis circumvolvatur, & impingatur; ſi compactata Dynaſtiæ Aragonenſis attendenda ſunt, nihil aliud poteſt exindè, quoàd beneficiorum diſpenſationem, juſtitiâ, & æquitate, concludi; niſi quod in Regno Neapolitano liberum, & licitum eſt etiam Clericos extraneos eccleſiaſticis prȩficere beneficiis.

(e) *Barboſ. tract. var. diſt. 189. & 261.*

CAPUT XXXIV.

In quo ex Inveſtituris Apoſtolicis Regum lineæ Auſtriacæ, *ac ex eo, quod Regnum Neapolis eſt feudale Sedis Apoſtolicæ, oſtenditur, quod in eo præfici debent etiam Clerici extranei Eccleſiaſticis Beneficiis.*

SUMMARIUM.

1 *Familiæ Aragonenſi ſubinſerta eſt* Auſtriaca, *ex qua primus Neapolis Regnum tenuit Carolus V. Imperator.*

2 *Leo PP. X. diſpenſavit, ut Carolus poſſet Imperium cum Regno Neapolis retinere: In pactum deductâ libertate Eccleſiarum.*

3 *In Inveſtiturâ Ferdinandi V. aderat particula, & pactio libertatis Eccleſiarum quoad proviſionem beneficiorum.*

4 *Philippus II. III. & IV. atque Carolus II. Reges Hiſpaniæ, ac Neapolis, ſuſceperunt inveſtituras, in quibus prædicta libertas in pactum deducta eſt.*

5 *Libera non eſt Eccleſia, ſi arctetur ad beneficia ſolis indigenis conferenda: nec libertas hæc tolli poteſt Papæ, quin auferatur & aliis.*

6 *Oſtenditur, Regnum Neapolis eſſe feudum Romanæ Eccleſiæ, ac malè à Contradictoribus feudalitatem hanc irrideri.*

7 *Feudalitas ipſa probatur aſſertione Hiſtoricorum, & Juriſconſultorum, nec non aliis factis hiſtoricis Rogerii Regis, & Joannæ II.*

8 *Referuntur alia documenta feudalitatem ipſam probantia, deducta ex geſtis Caroli Claudi Regis, ac Joannæ I. & revolutionis Thomæ Anielli.*

9 *Papa, uti ſupremus Dominus Regni, condere poteſt leges temporales, in eo ſervandas: ſicque Honorius PP. IV. condidit* Capitula pro bono ſtatu Regni.

10 *Ipſaque Capitula uſque ab initio plenum habuerunt effectum. Robertus Attrebatenſis Bajulus Regni, ea obſervari præcepit.*

11 *Illa ſucceſſivè fuerunt ſuſpenſa quoad ſolam perſonam Regis, & quoad ſolas pœnas in iis contentas: proficit autem Regno eadem obſervari.*

12 *Quæ dicta ſint, ut pateat, Regnum Neapolis eſſe feudum Romanæ Eccleſiæ: maleque Contradictores feudalitatem ipſam irridere.*

13 *Ubi quis eſt Dominus directus, & alter eſt feudatarius, beneficia ſunt conferenda etiam juxta complacentiam Domini directi.*

14 *In* Scotiâ, *in* Burgundiâ, *& in* Italiâ *pluries beneficia nonniſi juxtà complacentiam Domini directi collata ſunt.*

15 *In* Britanniâ *Nomenojus, occupando Regnum, literaſque Papæ ad eum miſſas non accipiens, à Concilio Turonenſi objurgatus eſt.*

16 *Ibi Carolus Calvus, uti Dominus directus illius Regni contendit, beneficia Epiſcopalia eſſe ad ejus complacentiam conferenda.*

17 *In* Galliâ *Nicetius Comes Aquenſis, & Archiepiſcopus Remenſis, uti Comes ejuſdem urbis, complacentiâ Regis in rè ſimili indiguerunt.*

18 *Dictus Archiepiſcopus non potuit in ſuo Caſtro excitare novum Epiſcopatum, ſine conſenſu Regis Domini directi ipſius Urbis, & Caſtri.*

19 *Non*

19 *Non potuit hoc facere, quia in diſpenſatione beneficiorum prævalere debet ratio etiam placiti Domini directi loci beneficii.*
20 *Urbanus VI. PP. multos Præſules unâ die conſtituit in Trinacriâ ſubditos Caroli III. Domini directi ipſius Regni.*
21 *In proviſione igitur beneficiorum Regni Neapolis habenda eſt ratio complacentię Papæ quoque, uti Domini directi ipſius Regni.*
22 *Papa quocumque modo conſideretur, in Regno Neapolis, beneficia ib ſunt etiam extraneis conferenda.*

1. ARBORI Regum lineæ Aragonenſis, in Ferdinando V. Catholico quoad maſculinam lineam areſcenti, Philippus I. *Auſtriacus*, ex Germaniâ in Hiſpaniam traductus, veluti novus palmes inſertus eſt, ductâ in uxorem Ioannâ primogenitâ ex filiabus viventibus ejuſdem Ferdinandi, & Iſabellæ Regum Hiſpaniæ (*a*). Quo connubio jura coronæ Aragonicæ ex paterno Joannæ latere, ac jura Diadematis Caſtellani, ex materno ipſius Joannæ latere, in Carolum V. Auſtriacum, ejuſdem Joannæ primogenitum, confluxere, tantâ hæreditate, quanta nulli amplius hominum legitur acceſſiſſe (*b*). Philippo nihilominùs in vigeſimooctavo ętatis anno, morbi malignitate, vel ut aliis placet, aliter è vivis abrepto; Ferdinandus ſocer, Senex juveni, ſupervixit (*c*). Aragonenſi ergo familiæ in Regno Neapolitano *Auſtriaca* ſucceſſit, primuſque ex eâ, qui habenas ibi ſit Regii regiminis moderatus, fuit Carolus V., mox memoratus, cujus etiam favore Franciſcus I. Rex Galliæ, in pace cum illo initâ, renuntiavit omnibus juribus, ſi quæ ipſi ſuper eodem Regno competerent, ſuſceptâ in uxorem Eleonorâ, ipſiuſmet Caroli ſorore (*d*). Porrò vi Inveſtituræ, per Julium PP. II. Ferdinando V. conceſſę, ſuccedebat Carolus Matri, & Avo Materno in Regno præfato, ſed illud non poterat unà cum Imperio Germanico poſſidere, obſiſtentibus pactis in Inveſtiturâ ipſâ contentis.

(a) *Ant. Foreſt. Mapp. Iſtor. in Giovanna Reg. di Spagna f. 125.*

(b) *Loſchi Comp. Iſtor. in Caſa d'Auſtria § Ferdinando f. 193.*

(c) *Foreſti. Mapp. Iſtor. loc. citat.*

(d) *Paulus Jovius Guicciard. & alii.*

2. Leo igitur Papa X. cum Carolo ſuper hac rè diſpenſavit, ac illum de eodem Regno inveſtivit, hac expreſsâ cautione: *Dummodò majeſtas ſua alia, quæ in literis conceſſionis feudi Regni Siciliæ citrà Pharum hujuſmodi continentur, & à quibus per Apoſtolicam Sedem diſpenſatio, ſeu remiſſio facta non apparet, ſub pœnis in eiſdem literis contentis, quoad vixerit inviolabilitèr obſervare teneatur, liberè, ac licitè valeat, majeſtati ſuæ licentiam, & facultatem conceſſit, illumque ad præmiſſa, ſi expedierit, habilitavit, perſonam ſuam ad hujuſmodi electionem approbando, & legitimam forę declarando, prout in literis Apoſtolicis eidem Carolo Regi per nos conceſſit, quarum tenor præſentibus de verbo ad verbum eſt inſertus, ac etiam dictum Regnum Siciliæ citrà Pharum, eiſdem modo, & formâ, quibus per felicis recordationis Julium PP. II. illud claræ memoriæ Ferdinando Regi Avo ſuo &c. quæ tamen per Sedem Apoſtolicam non apparent remiſſæ, & infraſcriptis conditionibus implendum de novo conceſſit, & ideo etiam ipſum inveſtivis &c.* (*e*). Itaque Leo Papa X. inveſtituram Regni Carolo V. conceſſit ſub iiſdem pactis, & conditionibus, ſub quibus fuerat à Julio PP. II. conceſſum Ferdinando V. Catholico, Aragoniæ Regi, ejus Avo, adeoque deductâ in pactum expreſsè libertate Eccleſiarum, & quorumcumque virorum eccleſiaſticorum, quoad proviſionem beneficiorum.

(e) *Odoric. Raynal. ann. 1521. n. 85.*

3. Sanè in Inveſtiturâ Ferdinandi V., à Julio II. conceſsâ, rotundis literis appoſitâ, legitur pactio, quæ ſequitur, *omnes inſuper Eccleſiæ, tam Cathedrales, quam aliæ Sæculares, & Regulares, necnon omnes Prelati, & Clerici, ac univerſę perſonæ eccleſiaſticæ; ſæculares & religioſæ, in electionibus, poſtulationibus, nominationibus, proviſionibus, & omnibus aliis plenâ libertate gaudebunt: nec antè electionem, nec in electione, vel poſt Regis aſſenſus, aut conſilium aliquatenùs requiretur:*

quam

quam utique libertatem tu, & tui in ipſo Regno hæredes ſemper manutenebitis, & conſervabitis, ac manuteneri, & conſervari facietis ab omnibus ſubditis veſtris. Dictæque Eccleſiæ, & perſonæ utentur liberè omnibus bonis, & juribus ſuis, ſalvo tibi, & tuis in Regno hæredibus jure patronatus, in Eccleſiis tantum, quantum in hac parte patronis Eccleſiarum Canonica inſtituta concedunt, ubi antiqui Reges Siciliæ hujuſmodi jus patronatus in ipſis Eccleſiis habuerunt (a). Quæ particula, & pactio eſt illa, & eadem; quæ totidem verbis cernitur inſerta cunctis Inveſtituris Regum præcedentium, Caroli I. Caroli II. Caroli III. Joannæ I. & II. Ladislai, Alphonſi I. & II. Ferdinandi I. & II. &c. ideoque fuit appoſita etiam in inveſtiturâ Ferdinandi V. & comprehenſa cognoſcitur in inveſtiturâ quoque præfatâ Caroli V. datâ illi à Leone PP. X., ſub verbis generalibus, paulò anteà recenſitis.

(a) *Reynald. an. 1510. n. 27.*

4. Carolo V. ſucceſſit in Regno Philippus II. Rex Hiſpaniarum, qui anno 1554. inveſtituram Regni Neapolis à Julio PP. III. ſuſcepit (b). Poſt eum regnavit Philippus III., qui eandem inveſtituram adeptus eſt à Clemente PP. VIII. anno 1599. (c). Pervenit inde Regnum ad Philippum IV. quem anno 1621. Gregorius PP. XV. inveſtiturâ Regiâ decoravit (d). Demum noviſſimè Regno præfuit Carolus II., ultimus ex lineâ Auſtriacâ Hiſpaniæ, inveſtituram aſſecutus ab Alexandro PP. VII. anno 1666. (e). Harum inveſtiturarum verba per extenſum referre, nil aliud eſt, quam Lectorem ſine ullâ neceſſitate onerare. Satis ergo eſt, quod in ſingulis ipſarum inveſtiturarum, inter alia pacta, legitur expreſſa particula memorata, *Omnes inſuper Eccleſiæ &c.* (f). Quam ſemel, & iterum ſuperius, loquendo de inveſtituris Regum linearum Andegavenſis, & Aragonenſis, oſtendimus præſeferre integram libertatem Eccleſiæ, illiuſque miniſtrorum, in diſtributione beneficiorum, tum Clericis extraneis, tum indigenis; & hæc eſt praxis ab initio Eccleſiæ ad uſque noſtram ætatem imprevaricabilitèr obſervata, roborans, atque confirmans, pacta inter Summos Pontifices, & Reges Auſtriacos inita, totieſque repetita, quoties illis exhibitæ fuerunt Regales inveſtituræ. Quæ ſanè pacta, & conventiones omnia jura clamant eſſe fidelitèr cuſtodienda, alioquin quid erit ſub ſole tutum, ſi mutua fides hominum, pactorum vinculis alligata; ſi pacta, divinæ invocationis præſidio roborata, nullatenus attendantur? Velle autem nunc excludere Clericos extraneos ab eccleſiaſticis beneficiis Regni Neapolitani, eſt idem ac pacta ipſa violare, inita inter Sedem Apoſtolicam, ac Reges Neapolis, & inter eos penè centies renovata.

(b) *Marta de juriſd. p. 1. c. 26 n. 33.*
(c) *Idem Marta loc. cit. n. 34.*
(d) *Greg. PP. XV. 9 Kal. Decẽbris 1621.*
(e) *Alex. VII. 3. Kal. Jul. an. 1666.*
(f) *Vid. hic num. præcedent.*

5. Profectò integritas libertatis Eccleſiæ in collatione beneficiorum, vel nominatione ad illa, ſubſiſtere non poteſt cum reſtrictione proviſionis eorundem in ſolos Clericos indigenas, extraneis prorſus, & omnino repulſis (g), nec poteſt in Regno Neapolitano hęc reſtrictio introduci, quin violentur, ut innuimus, pacta, in inveſtituris ipſis appoſita. Neque poteſt integritas libertatis præfatæ adimi Papę, quin abſcindatur etiam Epiſcopis, & aliis beneficiorum Collatoribus, in Regno Neapolis exiſtentibus: Nec poteſt Papę, & Epiſcopis, aliiſque Collatoribus tolli, quin auferatur & Regi, ac omnibus Laicis jus patronatus habentibus in beneficiis: tanta etenim eſt inter iſtos omnes connexio, ut ſępè dicta libertas in uno eorum attenuari non valeat, quin detrahatur & alteri, atque in ipſorum ſingulis tota vulneretur Eccleſia. Itaque attentis inveſtituris Regni Neapolis, per Sedem Apoſtolicam Regibus Dynaſtię *Auſtriacæ* collatis, atque ab his correlativè ſuſceptis, ac ultrò citròque mutuâ pactione firmatis; recurrit argumentum pluries deductum ex aliis inveſtituris, quę conceſſæ fuerunt pręcedentibus familiis linearum *Normannicę, Suevicæ, Andegavenſis*, & *Aragonenſis*, nempè, quod cum ex vi pactorum, integrè, ac plenariè libera eſſe debeat Eccleſia in diſpenſatione beneficiorum, libera autem non ſit, ſi ejus facultas, illorumdem diſpenſativa, ad ſolos indigenas reſtringatur; venit ex conſequenti, quod in eodem Regno beneficia eccleſiaſtica, non ſolum nationalibus, ſed etiam extraneis, dummodò dignis, & benemerentibus, debeant poſſe, juſtitia depoſcente, ac ſine aliâ contradictione pręberi.

(g) *Rot. in Valliſolet. præemin. 24. Novembris 1653. cor. Pamphil. Barboſ. trac. var. diſt. 190 n. 13.*

6. Et

6. Et hoc ſit ſatis de inveſtituris Regni, per Sedem Apoſtolicam, ſpatio ſeptingentorum annorum collatis diverſis Regibus quinque Regalium familiarum, quas memoravimus. Nunc alias rationes, & motiva ſuperaddamus, probantia veritatem feudalitatis Regni Neapolitani favore Sedis Apoſtolicę, ne liberum ſit Contradictoribus hanc ipſam veritatem cachinnis, & gannitibus deridere. Quâ poſitâ, deducemus argumentum ex ipsâ naturâ feudalitatis, in ſe prçcisè conſideratâ, oſtendendo, admittendos eſſe ad eccleſiaſtica beneficia cum Clericis nationalibus, & indigenis, etiam extraneos, & forenſes, dummodo idoneos, & benemeritos. Eſt, inquam, Regnum Neapolitanum patrimoniale, & feudale Sedis Apoſtolicę, ut patet, nedùm ex relatis inveſtituris, verùm etiàm ex juramento fidelitatis, ex hominio, & ſervitio perſonali in ipſiſmet inveſtituris expreſſo, necnon ex cenſu, & albo Palafredo quotannis Apoſtolicę Sedi per plura ſæcula contributo, quę àmabo nonnè ſingulariter ſumpta feudalitatem declarant? Unita verò quid probant? Maximè per tam prolixum temporis ſpatium: cum longè brevior poſſeſſio apud Juriſtas comprobet feudum (*a*). Simulque conjuncta intentum probent multa, etiam quę ſingulatim ſumpta non proſunt (*b*).

7. Ad hęc Hiſtoricorum omnium, qui de Regno, & urbe Neapolitanâ tractarunt, conſona vox eſt, quod Regnum ipſum ſit feudum Romanę Eccleſię; ergò tale cenſendum eſt, & pro tali omninò eſt habendum: probatio enim feudi optimè ſit per Hiſtoricos, aſſerentes, locum aliquem eſſe feudum (*c*). Prætereà leguntur Joannes de Ponte (*d*), Joannes Baptiſta de Luca (*e*), Doctor Marta (*f*), Marinus Freccia (*g*), Matthæus Afflictus, & alii perplures Juriſconſulti Neapolitani, ac Regnicolę, qui apertiſſimis verbis aſſeverant, Regnum Neapolis, tamquàm feudum ad Sedem Apoſtolicam pertinere: Feudum autem abſque ullo dubio Juriſconſultorum teſtificatione probatur (*h*). Sed & alia facta hiſtorica memoriæ nunc occurrunt, idipſum probantia, quæ bonum erit hìc opportunè coadunare. Rogerius Silivus Rex publico edicto interdixit, nè pecunia Romana curſum in Regno Neapolis inveniret: Simulque inveſtituram regiam, à Summo Pontifice ſuſcipere detrectabat: ſed & cenſuris, & armis plexus, tandem tum edictum reſcindere, tum regiam inveſtituram recipere de manu Pontificis eſt adactus (*i*). Joanna II. Regina inhibuit, nè victualia Romam à Regno Neapolis transferrentur, ſed citò pœnis à Martino PP.V. comminatis terrefacta, in melius conſilium commutavit (*l*). Hæc autem nonnè feudalitatis intuitu facta ſunt?

8. Alia inſupèr coacervemus. Conventiones inter Carolum II. cognomine Claudum, Andegavenſem, & Fridericum I. Aragonium (*m*), necnon aliæ intèr Joannam I. & Fridericum II. itidem Aragonium compactatæ (*n*), nullius ponderis, & momenti habitæ ſunt, niſi eas Romani Pontifices illorum temporum approbarent: qui & illis novas conditiones, ac ſibi magis gratas, & congruas addiderunt. Carolo præfato II. Andegavenſi (*o*), & Friderico I. Aragonio (*p*), non eſt permiſſum per procuratorem Juramentum fidelitatis, & homagium ligium Romanis Pontificibus exhibere, niſi ex ſpeciali gratiâ, & indultis ſuper hoc expreſsè conceſſis. Idem Carolus II. Andegavenſis apud Clementem Papam V. inſtetit, ut quaſdam expenſas belli, pro defendendâ parte Siciliæ citrà Pharum, & pro recuperandâ aliâ parte, ultrà Pharum poſitâ, faceret Sedes Apoſtolica, uti domina directa Regni illius nominis (*q*). Demùm in celebri noviſſimâ revolutione per Thomam Aniellum, vulgò Maſaniello, in Urbe, ſeu Regno Neapolis concitatâ, rebus jam ad ultimum diſcrimen redactis, Hiſpani Arces prçcipuas Regni offerre Innocentio Papæ X. decreverunt, ut ipſe Regnum illud nutans, tamquàm ſupremus ipſius Dominus, cuſtodiret (*r*). Quid hæc ſunt quæsò niſi totidem documenta irrefragabilia feudalitatis Regni Neapolis favore Eccleſiæ Romanæ?

9. Et quod omnem evacuat exceptionem, eſt jus, & poteſtas, quâ Romanus Pontifex, uti ſupremus Dominus Regni, præditus eſt, condendi leges pro ejuſdem

(a) *Bald. Decius, & alii apud Martam de juriſd. p. 1. c. 33. n. 54.*

(b) *L. rationes l. inſtrumentaC de probat. Ant. Gabriel commun. tit. de probat Conc. 1. nu. 1. Barboſ. Axiom. 219. n. 1.*

(c) *Bart. in leg. 1. ff. ſi cert. pet. Bald in l. 1. ff. de off quæſ. Marta ubi ſupr. n. 65.*

(d) *Joan. de Ponte deciſ. 1. ſub. tit. de feudis.*

(e) *Card de Luca de prçemin diſc. 46. n 4. & Rel. Rom Cur. diſc. 32. n. 23.*

(f) *Mart. de Juriſd. p 1 c. 33.*

(g) *Marinus Freccia de ſubfeudis lib 1. de off. Magn. Cancellarii n. 25. & tit. de antiqu. ſtat. Regni n. 52.*

(h) *Bart. & Baldus locis citat.*

(i) *Falco Benev. in Chron. ſub ann. 1142. Card. Baron. eod. anno tom. 12 f 294.*

(l) *Odoric. Raynald. an. 1421. n. 1.*

(m) *Raynal. an. 1302. n. 3. 4 6. 24. 25. 26.*

(n) *Idem an. 1372. n. 5. 6 7. 11. &c.*

(o) *Raynald. an. 1306 n. 6.*

(p) *Idem Raynald. an. 1374. n. 19. 20.*

(q) *Idem anno 1307. n. 23.*

(r) *Loſchi Comp. Iſtor. nella Caſa d'Auſtria Aguanſe f. 125.*

dem Regni regimine temporali: de quâ poteſtate ità loquitur Marta, Doctor celebris Neapolitanus. *Aſſlictus in conſtitutione Regni incipien. poſt mortem col. 2. dicit: Nemo dubitat quin Papa, ratione directi dominii, quod habet in Regno Neapolis, poſſit condere Leges, & Conſtitutiones, etiàm contrà Conſtitutiones ipſius Regis, in his quæ ſunt juris poſitivi, quia habet liberam poteſtatem diſponendi* (*a*). Et ità de facto Honorius Papa IV. prolixam edidit Conſtitutionem, cujus titulus eſt; *Capitula edita per D. Papam pro bono ſtatu Regni* (*b*). In quâ de pecuniâ novitèr cudendâ: de ſubſidiario ære, quibus ſit caſibus colligendum: de mulctis quibus plectenda ſunt homicidia Clandeſtina: de Navibus, non privatorum, ſed ſumptu Regio conſtruendis: dè Caſtris plublicâ impensâ inſtaurandis: de præſidiis adhibendis: de theſauris inventis: de permiſſione liberi commercii: de Connubiorum libertate: de Cauſis inter fiſcum, & privatos: de animalibus Regio nomine non capiendis: dè libero aditu injuriam paſſis ad Regem: de clientelâ per eum accipiendâ à filiis Procerum decumbentium: de ſucceſſionis ratione ſervandâ in bonis fiduciariis: ne novæ ſervitutes imponantur: de libertate provocandi ad Sedem Apoſtolicam; & alia edixit, ad felix Regni regimen opportuna, quæ Reges cum inaugurarentur ſponderent fidelitèr obſervare, ſubſcripſitque illis, tum Papa, tum quatuordecim Cardinales (*c*).

(a) *Marta de Juriſd. par. 1. c. 28. n. 10.*

(b) *Honor. IV. lib. 1. epl. 92. apud Raynald. an. 1285. n. 29 & 52.*

(c) *Odoric. Raynald. ubi ſupra.*

10. Quæ ſiquidem Apoſtolica Conſtitutio, & Capitula in ea contenta, nedùm in Regeſtis Apoſtolicæ Sedis, ſed etiam in tabulariis Regii Scrinii Neapolitani aſſervantur, & à Scriptoribus Neapolitanis tamquàm lex Regni citantur (*d*), ac uſque ab initio ſuum habuere integrum complementum. Nam à Roberto Comite Atrebatenſe, qui pro Carolo II. Rege, (tùnc apud Catalanos in cuſtodiis detento) Regni Siciliæ citerioris Bajuli, atque Rectoris munere fungebatur, ad Præſides Provinciarum ſunt cum literis tenoris ſubſequentis tranſmiſſa. *Cum Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus, Dominus Summus Pontifex, ſuper ſtatu, & regimine Regni capitula certa ediderit, ab olim per noſtrum eobaldum publicata, devotioni veſtrę firmitèr, & expreſsè mandamus, quatenùs ſicut perſonam noſtram diligitis, nec Regni hęredibus, vel eis, aut noſtro honori, & profectui derogari cupitis, Capitula eadem, quatenus ad vos ſpectat, tenacitèr obſervetis, & faciatis per quoſcumque officiales Curiæ, tam ſecretos, viceſecretos, caſtellanos, & foreſtarios, quam quoslibet alios inviolabilitèr obſervari: Scituri quod ſi ſecùs indè per vos, vel illos fieret, contrà tranſgreſſores ad pœnam debitam procederetur* (*e*).

(d) *Raynald. idem loc. cit. n. 52.*

(e) *Raynald. an. 1285. n. 53. 54.*

11. Et quamvis præfata Capitula, favore memorati Regis Caroli II. fuerint ſucceſſivè ſuſpenſa; ſuſpenſio tamen hæc, neque pro omnibus Regni Accolis, neque quoad leges in eis contentas facta eſt, ſed quoad ſolas pœnas inibi contentas, ne illis deberet Rex ipſe Carolus irretiri, & ità ad eum ſcripſit Honorius. *Volentes tuæ, ac ſucceſſorum ſalubritèr providere quieti, pœnas prædictas, in pręfatâ ordinatione, ſeu proviſione, contentas, & earum effectum ex nunc ſuſpendimus, de Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, donèc aliud per Sedem Apoſtolicam contigerit ordinari. Per hujuſmodi autem ſuſpenſionem nolumus, nec intendimus, quod juri noſtro, & Eccleſiæ memoratæ, ſeu conventionibus, ſive pactionibus prædictis, in iis, quæ inter eoſdem patrem tuum, & Eccleſiam, ſuper Regno prædicto facta, ordinata, & promiſſa fuerunt, in aliquo præjudicium generetur* (*f*). Et quià decurſu temporis, ac ob varias rerum viciſſitudines, præfata Capitula fuerant violata, ſive minus religiosè obſervata; non parum conqueritur Summontius in Hiſtoriâ Neapolitanâ (*g*). Adeò illi perſuaſum fuit, poſſe Romanum Pontificem leges edicere, pro danda regulâ regimini temporali Siciliæ citrà Pharum, ſive Regni Neapolitani.

(f) *Honor. IV. to. 1. epl. 45. ap. Raynald. an. 1285. n. 56.*

(g) *Summont. hiſtor. Neapol. lib. 3.*

12. Hæc ad exuberantiam dicta ſint, ut evidentèr probatum cunctis innoteſcat, quod Regnum Neapolitanum eſt patrimonium Romanæ Eccleſiæ, Ditio temporalis Apoſtolicę Sedis, Feudum tandèm Summi Pontificis, & uti tale à cunctis Regnicolis uſque ad noſtra tempora reputatum, ab illorumque Hiſtoricis, & Ju-

ris

Digitized by Google

ris conſultis pro tali aſſertum, & à cunctis Regibus, qui eidem legitimè præfuerunt, habitum, & acceptum. Quos Reges Hiſtoricos, Juriſconſultos, ac generalitèr cunctos Incolas Regni, quis credat communi ſenſu opinatos eſſe, declaraſſe, inclamaſſe, Regnum illud eſſe feudum Romanæ Eccleſiæ, ſi rè verâ tale non eſſet? Hi omnes excluſiſſent ſervitutem indebitam, non induxiſſent, nec Patrio Regno appoſuiſſent onus, quo carere noviſſent. Quarè Contradictores nec irridendi locum habent, prout faciunt feudalitatem præfatam, nec eam impugnare valent, ſine veritatis injuriâ, ſine Sedis Apoſtolicæ offenſâ, ſine Regni, ac Regnicolarum opprobrio, ſine tandem proprii eorum Regis enormiſſimâ contumeliâ: niſi eos indè velimus excuſatos habere, quod hoc non in ſenſu veritatis protulerint, ſed ſolum ità ſint locuti ex abundantiâ ſermonis, nè quid intactum relinquant, quod ad opportunitatem ſuæ cauſæ quoquo modo facere poſſe ſint arbitrati.

13. Itaque Regnum Neapolis eſt feudale Romanæ Eccleſiæ: hacque poſitâ certiſſimâ, ineluctabili, atque ſolis luce dilucidiore, veritate; ſequitur, quod beneficia eccleſiaſtica, in illius diſtrictu contenta, nonniſi ſecundum jura, per Pontificem Dominum directum conſtituta, debeant diſpenſari. Nàm *primò*, ut ait Marta Neapolitanus, in ſenſu Pauli de Caſtro (*a*); *Decretum vigens in Civitate ſervandum eſt in locis ſibi ſubjectis ratione directi dominii* (*b*). Et ità beneficia in Regno Neapolis conſtituta, erunt ſub eâ formâ, & iiſdem legibus diſpenſanda, quę Romę vigent: nam ſi hęc dant normam tenendam in totâ Eccleſiâ, quanto magis eam dare debent in toto dominio temporali Pontificio, mediato, & immediato obſervandam? *Secundò*, in omnibus orbis partibus, ubi Feudatarius ex unâ parte, & Dominus ſupremus ex aliâ, ejuſdem loci dominium, directum, & reſpectivè utile, obtinent, invenimus in antiquis praxim hanc fuiſſe cuſtoditam, nempè beneficia, præſertim ſuperioris ordinis, uti Epiſcopatus, & Abbatias, fuiſſe juxtà complacentiam, & ſatisfactionem nedùm utilis, & vaſſalli, verùm etiam directi, & ſupremi loci illius Domini conferenda. Loquimur autem de beneficiis altioris ordinis, tum quia hæc dant regulam diſtributioni beneficiorum ordinis inferioris (*c*): tum etiam quia de hiſce minoribus non ità eſt obvia memoria in hiſtoriis; ſive de illis non ità eſt facilè diſputatum: vel non aliter eſt diſpoſitum per eorum Collatores, aut ad illa Nominatores, quam juxtà regulam, ex majorum diſpenſatione deductam. Igitur in *Scotiâ*, in *Burgundiâ*, in *Italiâ*, in *Britanniâ*, in *Galliâ*, & in ipſo Regno *Neapolitano*, quoties præficiendi fuerunt Antiſtites beneficiis Epiſcopalibus Eccleſiarum, tamquam in feudali loco ſitarum, toties advertimus in hiſtoriis, obſervatam fuiſſe rationem, ut illa perſonis ad complacentiam etiam, & ſatisfactionem directi Domini conferrentur.

(a) *Paul. de Caſtr. conſil. 363. vol. 2.*
(b) *Marta de Juriſdic. par. 2. c. 28. n. 10.*
(c) *Leſſius de juſt. & jur l. 2. c. 34. dub. 24 n. 64 Barboſ. vot. deciſ. l. 2. vot. 33. n. 4.*

14. In *Scotiâ*, Guillelmus Rex, poſt longa bella, factus eſt feudatarius Henrici II. Anglię Regis: hæcque tunc methodus eſt ſtatuta, in beneficiorum diſtributionibus obſervanda, *ut Rex Angliæ daret honores, Epiſcopatus, & Abbatias, vel ut minus, conſilio ejus darentur* (*d*). In *Burgundiâ*, cum de Sede Tornacenſi conferendâ tractaretur, Carolus VII. Rex Gallię, uti Dominus directus ipſius Tornacenſis Civitatis, cujus Dominus utilis erat Dux Burgundiæ, omni conatu ſategit, ut juxtà ſuam complacentiam deputaretur Antiſtes: & ne illum ſua falleret intentio, Calliſtum Papam III. induxit ad ſibi reſervandam diſpoſitionem ejuſdem Epiſcopatus, cum primò accideret viduari (*e*). Et quamquàm res pro voto Caroli non ſucceſſerit: quippè jurgia inter Regem, & Ducem ardentia, dictitarunt, juſtum non eſſe, ut illi Eccleſię Pręſul pręficeretur, Duci non fidus; attamen ex ipsâ Regis operatione patentèr agnoſcitur, quod ceſſante hac politicâ ratione, quæ juſtiſſimè ſuſpectos excludit; de ſui naturâ Sedes Tornacenſis erat juxtà placitum etiam, & ſatisfactionem Caroli, directi Domini, diſpenſanda. In *Italiâ*, cum Guido Comes Reatinus illi Urbi præeſſet, Stephanumque Papam ſollicitaret, ut electum ipſius Eccleſię Antiſtitem conſecraret; Pontifex abnuit id implere, niſi prius de more, electioni, & electo aſſenſum Cęſareum impertiret

(d) *Robert de Mont. in append. ad Sigebert. an. 1175.*
(e) *Æneas Sylvius epiſt. 374 & 375.*

Romanorum Imperator, tunc ſupremus ejuſdem Reatinæ Urbis Princeps, & Dominus (a).

15. In *Britanniâ*, Carolus Calvus Rex Francorum, ad regimen illius Regionis miſerat Nomenojum, qui, verſo in tyrannidem regimine, Provinciam ipſam ſuis juribus ſubjugavit, calcatâ ratione fidei, quâ ſe Carolo jurejurando dudum obſtrinxerat (b). Nec profuit Regi, & Regalibus Miniſtris, eum minis juſtiſſimis deterrere, atque bello pulſare; Nam & minantes contempſit, & irruentes attrivit, & in Ditione ad regimen acceptâ, ſibi Coronam Regiam excitavit. Sicut & nihil profecit, quod per literas Leonis Papę IV, ad obedientiam, & fidem Regi Carolo ſervandam commoneretur; has etenim Nomenojus, nedum parvipendit, ſed & nec dignatus eſt aperire (c); Unde Patres Concilii III. Turonenſis illum hiſce increpationibus objurgarunt: *Omnem læſiſti Chriſtianitatem, dùm Vicarium B. Petri Apoſtolicum, cui dedit Deus Primatum in omni Orbe terrarum, ſprevisti &c. nè literas quidem ipſas recepiſti! In eo igitur læſiſti Apoſtolos, quorum eſt Princeps Petrus: læſiſti Epiſcopos, qui jam cum Deo regnant in Cœlis, & miraculis corruſcant in terris: læſiſti & nos, qui etſi non habemus eorum meritum, idem tamen, divinâ gratiâ, poſſidemus officium* (d). Ità Nomenojus, excuſsâ utrâque poteſtate, Regis, & Pontificis, utramque ſibi intrà Britanniæ limites arrogavit: Nam quatuor Epiſcopatus ex ſe ipſo ibidem erexit, taliaque ad tempus oportuit tolerare, timore pejorum (e).

16. Perſeveravit autem Nomenojus in tyrannide, donec vixit, eumque, vitam cum morte commutantem, excepit Salomon ejus in Regionis regimine, & in tyrannicâ uſurpatione, ſucceſſor, ab Epiſcopis Concilii Tullenſis ad Saponarias aliquandò, licet irrito effectu, per os quorundam Antiſtitum Britannię, commonitus, ut res Eccleſię intactas relinqueret, atque invaſam dominationem Carolo Regi dimitteret, memor fidelitatis ei dudum juratę &c. (f). Perſiſtente autem Salomone in occupatę Regionis retentione; nec vi ullâ prævalente, neque monitis, neque officiis, ad illum ab uſurpatâ dominatione pellendum; nullum aliud remedium fuit, niſi quod Carolus Calvus ipſi Britanniam in feudum permitteret retinere, cum titulo Regali, quo etiam ſubindè fuit à Nicolao Papâ I. in literis decoratus (g). Dum vero ſuper his altercaretur, Carolus Actardum ad beneficium Epiſcopale Sedis Nanneticæ fecerat promoveri, quem Nomenojus indè pepulit: Carolus illum eidem Sedi fecit reſtitui, ſed Salomon ipſum iterum indè abjecit: Carolo propter hoc uſque ad ſidera reclamante, quippè in illâ regione, tametſi ceſsâ feudaliter Salomoni, Antiſtites collocandos eſſe contendebat juxtà placitum, & complacentiam ſuam, qui Dominus directus erat ipſius regionis: Diuque ſuper hujuſmodi negotio, eſt colluctatum, donec tandem Actardus, Carolo inſtaute, Romani Pontificis auctoritate, & Conciliari Epiſcoporum decreto, Eccleſię Turonenſi, ejuſdem Regionis Metropoli, præfectus eſt (h), quibus ſatis datur nobis, ut intelligamus, quod in concurſu Dominorum, utilis, ac directi, ſuper uno, & eodem loco prò beneficiis inibi conſtitutis, ratio ſenſus, & complacentiæ Domini quoque ſupremi non minus quam utilis, & feudatarii habenda eſt.

17. In *Galliâ* cum vacaret Sedes Aquenſis, Nicetius illius Urbis Comes, & dominus utilis, beneficium Epiſcopale ipſius Eccleſiæ aſſequi concupivit: ſed illud non valens adipiſci ſine Franci Regis aſſenſu, *Nicetius*, inquit D. Gregorius Turonenſis, *Comes illius loci, præceptionem à Childerico* (Rege) *elicuit, ut tonſuratus Civitati illi Sacerdos daretur* (i). Ad quid autem Comes loci, ac dominus utilis illius, prò beneficio Epiſcopali obtinendo, indiguit conſenſu Domini directi, niſi ob prætaxatam rationem, quod in beneficiorum diſtributione, placito quoque Domini directi attendi debet, ejuſque ſenſui, non minus quam Domini utilis, & feudatarii; intelligendo tamen hæc quę dicimus, taliter, ut promotus Domino Supremo ſit gratus, & ſimul non ſit utili Domino probabili ratione ſuſpectus. Pariter Eccleſia Remenſis Comitatu ipſius Urbis, & Diœceſis in temporalibus potieba-

tur,

(a) *Cap. lectis 18. diſt. 63.*

(b) *Nitard. hiſt. l. 2. ap. Pithæum 2. f. 324*

(c) *Card. Baron. an. 849. n. 13.*

(d) *Epiſt. Conc. 4. Turon. an. 849. apud Lupum Ferrarienſ.*

(e) *Thomaſſin. Vet. & Nov. Eccl. diſcipl. p. 2. l. 3. c. 56. n. 4.*

(f) *Ex Act. Concil. Tullenſ. ap. Pithæum p. 2. f. 388.*

(g) *Card. Baron. an. 869. n. 109.*

(h) *Vid. Conc. Duziacen. Cellot. f. 300. & 301. & Baron. an. 871. n. 72. & 80.*

(i) *S. Gregor. Turon. l. 7. c. 31. & lib. 8. cap. 20.*

tur, ità ut Archiepiſcopus Remorum eſſet ſimùl Antiſtes, & Comes, ſivè Princeps Sæcularis ipſius Urbis; refert namque Flodoardus, quod uſque ab anno 940. Ludovicus IV. Ultramarinus, Rex Francorum, *dedit Artaldo Epiſcopo, ac per eum Eccleſiæ Remenſi, per præceptionis Regiæ paginam, Remenſis Urbis monetam jure perpetuo poſſidendam &c. ſed & omnem Comitatum Remenſem eidem Eccleſiæ contulit* (*a*).

(a) *Flodoard. hiſtor. Remens l. 4. c. 27.*

18. Erat, inquam, Archiepiſcopus Remenſis ſimùl Præſul, & Comes illius Eccleſiæ, ejuſque Comitatus, & Diœceſis, cum jure monetam publicam excudendi, ſubordinatus tamen Regi Francorum, uti Vaſſallus, & Dominus utilis, Domino ſupremo, & directo. Cum autem VVillelmus Archiepiſcopus, & Cardinalis S. Sabinæ, in Oppido Moſovienſi ſui Comitatus vellet novum beneficium Epiſcopale excitare, opus fuit conſenſu Regis, prout patet ex epiſtolâ Innocentii Papę III. ad ipſum Archiepiſcopum datâ, hæc intèr cœtera continente: *Cum ad ampliationem divini cultus, & honorem Eccleſię Gallicanę, in Caſtro tuo, quod Moſovim dicitur in Abbatiâ ejuſdem Caſtri diſpoſuiſſes novam Epiſcopatum erigere, à felicis recordationis Cæleſtino Papâ prædeceſſore noſtro, ſuper hoc licentiam poſtulaſti: qui fratrum deliberato conſilio, ſicùt in eis literis continetur, tibi per præſcripta ſua conceſſit, ut de aſſenſu chariſſimi in Chriſto filii Noſtri N. illuſtris Regis Francorum, de conſilio etiam vener. fratrum noſtrorum N. Atrebaten. & N. Ambianen. Epiſcoporum, illud, Apoſtolicâ auctoritate ſuffultus, nullius contradictione, vel appellatione obſtante, in hujuſmodi rè agere procurares, quod honorem Dei, & Eccleſiæ cognoſceres pertinere &c. Nos igitur ejuſdem Prædeceſſoris noſtri veſtigiis inhærentes &c. ut in prædictâ Abbatiâ, juxtà præſcriptam tibi formam à prędeceſſore noſtro, Epiſcopatum erigere valeat, vel ſi malueris in eodem Caſtro Cathedralem Eccleſiam, cui pręficiatur Epiſcopus fabricare, liberam tibi concedimus auctoritate Apoſtolicâ facultatem* (*b*).

19. Cur autem VVillelmus Archiepiſcopus, & Dominus utilis Comitatus Remenſis, & Caſtri, Moſovim, non potuerit inibi novum illud beneficium Epiſcopale erigere, & conſequentèr etiam diſtribuendum proponere (cum parilis, vel parum diſſimilis ſit quoàd hęc ratio excitandi, & diſtribuendi beneficia) ſine conſenſu Regis Franciæ Domini directi; neſcimus videre undè id contigerit evenire, niſi ex eo, quod in diſpenſatione beneficiorum, prævalere debet attentio, ſeù attendi debet ratio quoque placiti Domini directi loci, in quo eſt poſitum beneficium. Demùm in eâdem *Galliâ*, cum vacaret Sedes Carnotenſis, Rex omnes nervos tetendit, ut eidem præficeretur quidam Theodoricus, cui Odo Comes Civitatis fortitèr obſiſtebat, non velut ſuſpecto, ſed tamquam tantę dignitatis immerito. Rex tamen hanc ſibi libertatem deberi contendebat, velut Supremo Domino Comitatus Carnotenſis, cujus Odo erat Dominus utilis, & Vaſſallus (*c*). Ex quâ Regis contentione innoteſcit, quod in locis feudalibus ratio ſatisfactionis Domini Supremi, non minus ac illa Domini directi, ac feudatarii eſt impenſius attendenda in proviſione beneficiorum: talitèr tamen, ut ad illa promoveantur viri benemerentes, & digni, ac non ſuſpecti: ne ex capite demeriti, vel ſuſpicionis ſit eis forſitan obſiſtendum.

(b) *Innoc. III. epiſt. ad VVillelm. Remenſ. Archiepiſc. 10. 1. lib. 1. fol. 72. B.*

(c) *Vid. S. Fulbert. Carnotenſ. epiſt. 131. & 132.*

20. Et ne à *Regno Siciliæ* diſcedamus: ſexâ in partes hac Regione, vi Conventionum initarum intèr Joannam I. & Fridericum II. Aragonium, præerat Trinacriæ Fridericus ipſe, uti Vaſſallus Joannę, ac cœterorum in Regno Neapolis Succeſſorum. Cum autem tempore Caroli III. qui Joannæ ſucceſſerat, deputandi eſſent Epiſcopi intrà fines Trinacriæ, horum beneficia, non ad ſolum votum Friderici Domini utilis, ſed juxtà complacentiam quoque Caroli III. Domini directi collata ſunt, auctoritate Urbani Papæ VI. quem refert Theodoricus Niemenſis unâ die multos Præſules, Epiſcopos, & Archiepiſcopos in Trinacriâ conſtituiſſe, omnes natione Neapolitanos, atque Caroli benevolos, & conſequentèr ab inſulâ Siculâ, quæ jam proprio ſuberat Regi, prorsùs extraneos (*d*). Hæc exempla ex Scotiâ, Burgundiâ, Italiâ, Britanniâ, Galliâ, & Siciliâ, hìc in unum colligavi-

(d) *Theodor. Niemenſ. lib. 1. c. 26.*

mus

mus ad uberiorem Lectoris eruditionem, ut indè percipiatur, hanc fuiſſe in Eccleſiâ praxim obſervatam, quod concurrentibus ad ſuperioritatem alicujus loci, ſimùl Domino utili, & Domino directo; in diſtributione beneficiorum inibi ſitorum, habenda quidem eſt ratio complacentiæ Domini utilis, ſed tamen impensè habenda etiam eſt ratio complacentiæ Domini directi: taliter quod promovendus non ſit quidem odioſus, aut ſuſpectus Domino utili; ſed nihilominus principalitèr ſit gratus Domino directo, & ad ejus placitum, ac ſatisfactionem, atque ad omnes convenientias, huic arridentes, omnimodè perſpiciatur, nullâ attentâ contradictione aliquorum, qui fortè oppoſitum fieri peroptarent.

21. Hoc ità poſito, jam cum, ſicuti probavimus, Regnum Siciliæ citerioris, ſivè Neapolitanum, ſit feudum Romani Pontificis, ſi Papa eſſet ſolummodò Princeps merè temporalis, ſupremus Dominus illius Regni, deberet in beneficiorum, ibi exiſtentium diſtributione, haberi ratio illius placiti, & ſatisfactionis: multò magis autem illius placiti, & ſatisfactionis habenda eſt ratio, ex eo quod ipſe eſt ſimul Princeps temporalis, & Pontifex reſpectu ejuſdem Regni: eſtque ſimùl Dominus directus Regni Neapolis, atque Caput Eccleſiæ Dei: placitum autem, & ſatisfactio ipſius Papæ, in beneficiorum Regni Neapolis diſtributione, non aliundè melius corruſcat, quam ex legibus, & formâ, quâ eadem eſſe diſpenſanda pręſcribit: ſed Leges Pontificiæ, & forma præfata, hoc præſcribunt, ut in Regno Neapolitano, (prout & alibi, ubi aliud ſpecialia indulta non expoſcunt) beneficia eccleſiaſtica, prò libito Collatorum, aut Nominatorum ad ea, promiſcuè diſpenſentur, tùm Clericis extraneis, tùm indigenis: Ergò ad quemcumque pertineat beneficia Regni Neapolis diſpenſare, ſive ad Papam, ſivè ad Regem, ſivè ad Ordinarios, & Clericos, aut Laicos, collationis, vel reſpectivè nominationis jure; in eorum pleno reſidet arbitrio, ut illa tàm Clericis indigenis, quàm extraneis elargiantur: nec hujuſmodi libertas ad ſolos indigenas valet licite coarctari, quin fiat injuria Collatoribus, & Nominatoribus ad beneficia, & abſque eo quod ratio ſupremi Dominii ipſius Regni quaſſetur.

22. Cernit hìc doctiſſimus Lector, quod Romanus Pontifex, partem habens in diſpenſatione beneficiorum Regni Neapolitani, id facit uti Papa, & Caput, & Apex totius Eccleſiæ, univerſalitèr ſumptę, in quo ſimùl complicatur ratio Dominii ſupremi ipſius Regni, qui & jam præſcripſit formam, atque modum, in diſtributione beneficiorum ipſius Regni Neapolis obſervandum: quibus legibus, & formâ, & modo, uſque nunc ad praxim redactis, cùm decernat, ut beneficia eccleſiaſtica illius Regni, tàm à ſe, quàm à Rege, ab Epiſcopis, & ab aliis Collatoribus eorum, vel reſpectivè ad ipſa Nominatoribus, liberè valeant Clericis indigenis, ac etiam extraneis diſpenſari; ſequitur, quod hujuſmodi libertas ſinè auctoritate Papæ, nulli Collatorum, vel Nominatorum ad beneficia poteſt licitè coarctari, & conſequentèr ibidem intercipi non valet licitè acceſſus Clericis extraneis ad eccleſiaſtica beneficia.

CA-

CAPUT XXXV.

In quo oſtenditur, quod non eſt utilis Regi, nequè Incolis Regni Neapolitani, reſtrictio collationis Beneficiorum eccleſiaſticorum ad ſolos indigenas. Agiturque de fundatione beneficiorum Regni.

SUMMARIUM.

1 *Supponunt Contradictores, cuncta Regni beneficia fuiſſe fundata, eâ intentione ut ſolis Nationalibus conferantur.*

2 *Quis probat beneficia fuiſſe ut ſupra, & illâ conditione fundata? Excluſio alicujus generis perſonarum non eſt ſupponenda, ſed probanda.*

3 *Si fundatores voluiſſent repellere extraneos, id expreſſiſſent, quæ conditio, cum ſit inſolita, non fuit à fundatoribus contemplata.*

4 *Quocumque tempore fuerint fundata beneficia, fundatorum intentio fuit, ut extranei quoquè admitterentur ad illa.*

5 *Utilitas regnicolarum non promovetur, ſed deſtruitur, excluſione extraneorum, & doctrina Contradictorum officit ipſis Regnicolis.*

6 *Nam quiſque in ſuo tantum nativo loco poſſet aſſequi beneficia, non in toto Regno, in quo multæ ſunt Sedes Epiſcopales, & Archiepiſcopales.*

7 *Quiſque eſſet in ſolâ propriâ populatione, urbe, vel oppido munerandus, undè multa incommoda evenirent Clericis, & Laicis Regnicolis.*

8 *Cum juxtà Canones ex oppoſito allegatos extranei ſint, qui ex loco beneficii non ſunt, arcendi erunt indè etiam Regnicolæ, loci illius non nativi.*

9 *Nil magis lethale accidere poſſet Regno Neapolitano, quam ſi nullus beneficium extrà propriam patriam conſequi poſſet.*

10 *Etiam ſi cuncti Regnicolæ in toto Regno Neapolis eſſent indigenę, adhùc tamen eis, & Regi noxia eſſet excluſio extraneorum à beneficiis.*

11 *Si Papa non poterit Clericos Romanę Eccleſiæ Regni beneficiis munerare, nec etiam Regnicolæ poterunt Papatum, Cardinalatum &c. Romæ adipiſci.*

12 *Multi Papę ex Regno, & Urbe Neapolis prodierunt. Debent ergò viceverſâ extraneis patere beneficia ipſius Regni.*

13 *Eſt zelus bonus, & eſt zelus ficticius. Contradictores excluſione extraneorum à beneficiis jura Regis non promovent, ſed evertunt.*

14 *Conatus Contradictorum libertatem evertit præficiendi beneficiis Regii patronatus etiam Clericos extraneos.*

15 *Aulæ Regiæ non poterit arridere, quod Rex præfatâ libertate nudetur. Et ex hâc novitate plura evenire poſſunt incommoda.*

16 *Multa ſuggerunt Contradictores inſubſiſtentia: nec conſtat, Regem præcepiſſe excluſionem extraneorum, ſed potius videtur oppoſitum.*

17 *Collatio ſumitur interdùm prò præſentatione. Quid ſit* Collatio *beneficii,* Præſentatio, Inſtitutio, Inveſtitura, & Nominatio *ad illud?*

18 *Non potuèrunt antiqui Reges beneficia conferre, niſi miniſterialitèr, & ex privilegio Apoſtolico, quod extraneos non excludit.*

19 *Si quo privilegio conferendi beneficia prędití erant antiqui Reges Apuliæ, id*
non

non probat excludendos eſſe extraneos, ſed potius oppoſitum.

20 *Quod aliqui Reges Neapolis partem habuerint in electionibus Præſulum, non infert, quod extraneos repulerint à beneficiis.*

21 *Reges Neapolis non ſuccedunt Imperatoribus Græcis, ſed Papæ in Regno: & quod Imperatores electionibus Præſulum ſe miſcerent, nihil obeſt extraneis.*

22 *Reges Neapolitani non fundaverunt Eccleſias illius Regni, cum longè antequàm Reges ibi eſſent, reperirentur fundatę.*

23 *Plures Epiſcopatus in Regno erecti fuerunt à Patriarchâ Conſtantinopolis. Apulia, & Calabria olim dicebantur magna Græcia.*

24 *Antequam regnarent Normanni, erant in Regno Neapolis Epiſcopatus, & Abbatiæ: quę illorum ætate etiam extraneis tribuebantur.*

25 *Aliis documentis oſtenditur, quod Principes, qui dominati ſunt Regno Neapolis, non fundarunt, neque dotaverunt Eccleſias.*

26 *Innocentius Papa II. bellum intulit, & cenſuras inflixit Rogerio Regi, eo quod electiones ſibi Præſulum arrogaret.*

27 *Si Reges fundaſſent, vel dotaſſent Eccleſias, non armis, & cenſuris ut ſupra plexi fuiſſent, nec Eccleſia illis negaſſet jus patronatus.*

28 *Ex quâ ſuppoſitâ fundatione potius probaretur debitum admittendi, quam poteſtas excludendi extraneos à beneficiis; & cur?*

1. DUAS ob cauſas, Contradictores profitentur sè libros ſuos elucubraſſe, ac illorum numeroſas paginas impleviſſe: primò propter zelum ſervitii Regis Neapolis, & ſecundò propter ſollicitudinem utilitatis incolarum ipſius Regni. Et ſanè quoàd poſterius, præter alia hucuſque ventilata, divulgant, quod beneficia Regni Neapolitani ab Antenatis Regnicolarum fundata fuerunt, hac intentione, ut ſolis indigenis conferantur. Ideòque his ſolis eſſe conferenda contendunt, tùm nè irrita fiat Fundatorum intentio: tùm nè ad alios, quam Regnicolas, convolet utilitas, quæ ex beneficiorum participatione captatur. Nàm ſummoperè profuturam, & magnam Clero Regni Neapolitani allaturam eſſe utilitatem declamant, excluſionem Clericorum extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis. Quoàd primum autem inſinuant, quod antiqui Reges Siciliæ ex ſeipſis beneficia conferebant: quodque ipſi penè omnes Regni Eccleſias fundarunt, & ideò Regi pro tempore domināti, licitum eſt agere, nè ipſamet beneficia aliis, quam Regnicolis, conferantur. Addunt, antiquos Reges Neapolis maximam partem habuiſſe in electionibus Antiſtitum, & Abbatum, & propterea, ſicuti tùnc ſatagere poterant, nè eligerentur extranei: ità nùnc eſt eis licitum agere, ut ipſæ Eccleſię non aliis quam indigenis conferantur. Nec omittunt exprimere, quod iidem Reges, in Dominio Regni, Gręcorum Imperatoribus ſucceſſerunt, quos conſtat ex sè Præſules elegiſſe, Eccleſiis præficiendos, ſeu in illorum electione, & beneficiorum diſpenſatione, pro ſuo libito ſe ingeſſiſſe. An hæc autem rè verâ ſubſiſtant: an, & qualitèr prævaleant, & an Contradictores, hæc proponentes, famulati ſint veritati, vel potius erraverint ab utero, locuti ſint falſa, nùnc ſingularitèr videamus.

2. Beneficia, inquiunt, Regni Neapolitani, à ſolis incolis illius Regni, & eo conſilio, ut ſolis Regnicolis conferantur, fundata fuère. Sed prout ubi, dè hujuſmodi fundatione, atque intentione eniteſcit? Quis probat, & undè convincit, rem ità sè habere? Ubi agitur de libertate Eccleſiæ ſubtrahendâ, & de adimendâ Collatoribus, vel Patronis beneficiorum facultate de iiſdem liberè diſponendi, fundatio reſtrictiva quocumque modo hujuſmodi libertatis, & excluſiva alicujus generis perſonarum, non eſt ſupponenda, ſed probanda, & quidem probanda documentis certis, inconcuſſis, ac lucidiſſimis: aliàs donèc de lege arctativâ doceatur; pro integrâ libertate Eccleſiæ pręſumitur, quæ libera eſt (*a*), libera non ancilla,

nec

(a) *S. Anſelm. Cantuar. l. 3. epiſt. 45*

Digitized by Google

nec debet in captivitatem duci, ſed in tota, & totali ſuâ libertate ſervari (*a*). Probent ergò Contradictores, quod beneficia Regni Neapolitani fuerint à ſolis incolis illius Regni fundata, & cum præcisâ conditione, ut ſolis Regnicolis conferantur, & tùnc optimè Clericorum extraneorum excluſionem poterunt promovere. Alleganti etenim debitum adimplendi aliquam conditionem, incumbit onus id probandi (*b*), ſed ſi hęc probatio deficit, ipſi à causâ irreparabilitèr cadunt: nàm uti benè ait Lotterius, *Beneficium ſemel conſtitutum in libèrtate, non poteſt redigi in ſervitutem, ſed potius è converſo, ſi in ſervitute ſit, eſt in libertatem, quantum jus patitur, reducendum, in idque enitendum eſt Bald. in cap. ſignificavis n.1. de teſtibus, cum aliis per Felyn. in tract.quand.Liter.Apoſtol.noceant patron col.2.verſ.corroborari. Et prætereà neque eſt ferendum, ut magis gravetur, quam fuerit gravatum in fundatione, exemplo liberti, qui non impoſitis operibus eſt manumiſſus, quique ideò non poteſt compelli ad eas pręſtandum, etiam ſi aliqua tempore ex ſuâ voluntate præſtitiſſet l. operis 31. ff.de oper.libert.* (*c*).

3. Porrò ſi de clarâ mente Fundatorum non conſtat; ad conjecturas eſt recurrendum (*d*). Sed conjecturas urgentes, & neceſſarias (*e*), non verò futiles, & captioſas. Nèc eſt dubitandum, quod ſi Fundatores voluiſſent beneficia à sè erecta limitare ad ſolos indigenas, hanc eorum voluntatem notis dilucidis expreſſiſſent, alias omiſſum in contractibus habetur pro omiſſo (*f*), undè quoties Fundatores ipſi tale onus, vel conditionem non expreſſerunt, indicium eſt noluiſſe Prębendas hiſce laqueis irretire: vel ad ſummum sè voluiſſe conformare legibus eccleſiaſticis, ex eâ generali ratione, quod caſus ommiſſus reſervatur diſpoſitioni Juris communis (*g*). Nec poteſt rationabilitèr judicari, voluiſſe illos apponere conditionem adeo relevantem, & eam ſilentio involuere: tum quià conditiones tacitę non intelliguntur appoſitæ (*h*), tùm quià conditio arctativa beneficiorum ad ſolos indigenas, eſt inſolita; nec poteſt rationabilitèr præſumi appoſita, quià in conjecturalibus, nunquam præſupponitur appoſita conditio, niſi, quæ talis ſit, ut eam qualitas negotii, ex ſuâ naturâ pręſeferat (*i*). Demum cum dè hujuſmodi conditione nullatenùs doceatur, & ea hucuſque nullum ſortita ſit effectum, nihil aliud debet rationabilitèr judicari, niſi quod ab initio non extiterit: Conditio etenim, quæ non habuit effectum cenſendum ęſt, quod non fuit, vel perindè eſt, ac ſi non fuiſſet adjecta (*l*).

4. Sed veniendo ad hominem; nos ità ducimus argumentum. Vel beneficia Regni Neapolitani fundata ſunt poſterioribus ſęculis, nempè poſt compilata volumina Juris Canonici, & poſt introductas Regulas Cancellariæ; vel ſęculis antiquioribus, & ex antè. Si poſterioribus; ergò Fundatorum intentio fuit, ſive fuiſſe præſumi debet, quod beneficia, ab ipſis fundata, ſub illis legibus, aut moribus, ac juxtà illam methodum diſpenſarentur, quam videbant in Eccleſiâ ſervari. Sed Eccleſia, inhęrens ſanctionibus contentis in corpore Juris Canonici, & Regulis Cancellarię, morem illum obſervabat, ut beneficia eccleſiaſtica promiſcuè tam Clericis extraneis, quam indigenis conferrentur, dummodò benemerentibus, & dignis; Ergò Fundatorum intentio fuit, ut ad illa admitterentur unà cum indigenis, etiam extranei, dummodò benemerentes, & digni. Si verò beneficia fundata ſunt antè compilatas ſanctiones, contentas in corpore Juris Canonici, & Regulas Cancellariæ introductas; ergò Fundatores, niſi aliud expreſsè præſcripſerint, in eâ intentione fuerunt, ut beneficia ab ipſis fundata, ex bonis per eos poſſitis ſub dominio Chriſti (*m*); ſubderentur adminiſtrationi Summi Pontificis, tamquam Chriſti Vicarii, & generalis adminiſtratoris omnium Eccleſiæ bonorum (*n*), ergò ipſorum intentio fuit, quod bona illa, diſpenſarentur ſub regulis per Pontificem, & Eccleſiam ſemper, & quandocumque inpoſterum, pro bonâ eorum diſtributione, faciendis. Sed hæ leges, jam in corpore juris, vel Regulis Cancellariæ, conſertæ, aditum præbent extraneis, non ſecus ac indigenis ad beneficia; ergò in Regno Neapolitano intentio fundatorum fuit, ut beneficia, ab ipſis erecta, con-

(a) *Geffrid Vindocienſ.opuſc.1.§ 6.*

(b) *Seraphin.deciſ. 364.n.10.*

(c) *Lotter de rè beneficdib.1.qu.22. num. 10.11.*

(d) *Seraphin. deciſ. 224.num.1.*

(e) *Rot.p.4.rec.to.2. dec.420.n.15.16.*

(f) *L.1.ff.de verb. oblig.Socin. Conſ. 32. n.18.l.1. Barboſ.tract. var.Axiom.39 num.1 & loc.76.*

(g) *L. cum Prętor. ff.de Judic.c.cum venerabilis de relig domibus Barboſ ubi ſupr. Axiom. 39.nu 3. cum aliis ibi*

(h) *L.conditiones extrinſecus C. de Cond. & demoſtr. Seraph. dec.1156.n.3.*

(i) *Rot.p.4.rec.to.2. dec 303 n.5.Gabr.cōſil.186 nu.4 & 20.& Conſ.194 n 3.&4.l.1.*

(l) *Rot.p.4.rec.to.3. dec.589.n.8.*

(m) *Toſtat in 2. Paralip.36.qu 36.Turrecrem.Sum. Eccl.lib.2. c.88.Fagn. in c.relatū n.32 & 37.nè Cler.vel Mon.l.3.Vivian.de jurep.p.1.l.1.c.1. nu.42. Bonac. to.3.diſp.1.qu. 15.pu.6.§ 6.n.10.*

(n) *S.Thom.2.2.qu. 100.art.1.ad 7.*

ferri poſſint tum Clericis extraneis, tum indigenis, dummodò benemerentibus, & dignis.

5. Utilitas poſteà Clericorum Regni Neapolitani, nedum non promovetur, ſed imò potius deſtruitur, per excluſionem extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis, & ratio eſt evidens; quià ſi excludendi ſunt Clerici extranei ab eccleſiaſticis beneficiis; eo modo excludendi ſunt, pro leges, à Contradictoribus allegatę, de illorum excluſione diſponunt (non niſi enim vi legum eccleſiaſticarum excludi poſſunt, niſi delirando velimus dicere, illos excludendos eſſe per fas, & per nefas, ac ſive leges id ſanciant, ſive non ſanciant) ſed omnes Canones, & Leges eccleſiaſticæ, per Contradictores allegatæ, pro Clericis extraneis, non Clericos intelligunt extra Regnum natos, vel morantes, ſed natos extra Diœceſim, extra Civitatem, extra Oppidum, atque Locum, ubi ſitum eſt beneficium, itàut extranei ſint omnes illi, qui intra fines Civitatis illius, vel Oppidi, vel loci beneficii, originem, vel moram non habent, nec ullus, vel unus Canon eſt, ex iis, quos allegarunt, qui intelligat pro indigenis omnes incolas alicujus Regni, & pro extraneis omnes non intra illud Regnum exortos; ergò ſi quidquam proficit ratio Contradictorum; jam ad beneficia Regni Neapolitani, nedum extra Regnum nati, ſed nec etiam ipſi Regnicolæ erunt admittendi, quod an incolis præfati Regni placere poſſit; ipſi dijudicent. Certè ſacri Canones, dum quidquam, quod extraneis opponi poſſit, commemorant, loquuntur, non de Regnis, & Provinciis, ſed de Urbibus, Oppidis, Locis, & Diœceſibus, ubi ſitum eſt beneficium: Et ità vel dicunt, quod eligantur Clerici *de ipſâ Civitate* (a), vel *de eâdem Eccleſiâ* (b), vel *de eodem Loco* (c), vel *de propriâ Diœceſi* (d), vel *de proprio Epiſcopatu* (e), vel *de Presbyteris, & Diaconis ipſius Eccleſiæ* (f). Nullus autem Canon loquitur de toto aliquo Regno.

(a) *Cap. nullus 13. diſt. 61.*
(b) *Conc. Conſtantinopol. 4 cap. 13.*
(c) *Cap 11. in plebibus 20. diſt. 63. Concil. Remenſ. an 630 c ult.*
(d) *Cap. ſacrorũ. 34. diſt 63.*
(e) *Cap te nobis de Cler. peregr.*
(f) *Cap. Metropolitano 15. quæ.*

6. Itàque ſi à beneficiis Regni Neapolitani excludendi ſunt, quicumque à legibus pro extraneis reputantur; jam indè repellendi erunt, nedum Clerici extra Regnum nati, ſed etiam ipſi Regnicolæ, niſi in eo loco præciſo nati ſint, ubi eſt erectum beneficium eccleſiaſticum conferendum; quarè omnes Magnates, Principes, Barones, & cuncti demum alii Cives, atque incolę magnæ Urbis Neapolitanæ, non poterunt adipiſci beneficia Epiſcopalia, Abbatialia, vel alterius Ordinis, ſita in Apuliâ, Calabriâ, Baſilicatâ, Capitanatâ, ſeu in aliis provinciis Regni, ſed omninò contenti eſſe debebunt ſolis illis beneficiis, quæ intra mænia Urbis Neapolis ſunt erecta, vel ad ſummum, quę intra Diœceſim Urbis Neapolitanæ fundata ſunt. Similitèr Clerici Salernitani, Capuani, Barenſes, Hydruntini, Rhegienſes, & alii præcipuarum Urbium Regni Cives, nec beneficia in Urbe Neapolis, vel alibi per duodecim Provincias Regni, licitè poterunt adipiſci, ſed ſolum in illis propriis, & præciſis Urbibus, vel Diœceſibus, ex quibus originem traxère. Idem dicendum erit de incolis aliarum Urbium majorum, & minorum; magnarum, & puſillarum, quæ per totam Siciliam citeriorem ſunt prolixius diſtributæ, in quâ dicunt eſſe 121. Cathedras Epiſcopales, & 22. Sedes Archiepiſcopales (g).

(g) *Card. de Luca de præemin. diſc. 32 num. 25. Vid. Alphõſ. Loſchi Comp. hiſt. Caſa d'Auſtr. 6. il Regno*

7. Imò cum Canones à Contradictoribus allegati, & hic partim numero prætergreſſo indicati (quibus excludi contenditur ab eccleſiaſticis beneficiis Clericos extraneos) nedum de Extradiœceſanis loquantur, ſed etiam de Extrappidanis, & extra localibus; Regnum autem Neapolis contineat Urbes, & Oppida 1981. (h), & 2700. populationes (i) eveniet, quod unuſquiſque in propriâ tantum populatione, vel Oppido, vel in ſolâ propriâ Diœceſi, beneficio munerandus erit, & extra illam beneficia licitè non poterit adipiſci. Quo poſito, væ Clericis, qui ortum habuerunt in exiguis locis, populationibus, Oppidis, atque Urbibus. Vę pariter Epiſcopis illorum locorum, quibus neceſſe eſt pręficere Sacerdotes. Væ demum populis eorundem locorum, quibus dandi ſunt paſtores animarum, vel alii ſacrarum rerum miniſtri! Nàm Clerici puſillis in illis locis exorti, vel nunquam, vel penè nunquam, nec niſi ſerò, conſequi poterunt beneficia; quippè pauca inibi ſunt beneficiola diſpenſanda, & raro vacant. Ipſi quoque Epiſcopi cogentur bene-

(h) *Card de Luca, in Alphõſ. Loſch. loc. cit.*
(i) *Henric. Bacco in deſcript. Regni Neapol. fol. 3*

beneficia parochialia, canonicalia, vel alterius miniſterii, præcipiti collatione prodigere in ſolos Clericos diſtrictuales, tales, quales eos habent, quia non valebunt Clericos extraneos magis doctos, probos, & idoneos, alienis è partibus advocare. Populi demùm cogentur, vel inſufficientes, vel inconfidentes habere parochos, & rectores animarum ſuarum, ſi neceſſariò hi debebunt, ex eodem loco decerpi. An autem hoc ſit utile, vel damnoſum Clero, & etiam populo Regni Neapolitani, prudens, & peritus Lector dijudicet.

8. Nec valet dicere, quod pro extraneis, non Clerici extradiœceſani, vel extraoppidani, aut aliàs extralocales, à Contradictoribus intelliguntur, ſed ſolum extra Regnum nati itàut non ſoli locales, ſed cunctiſimul incolæ Regni pro indigenis habeantur. Nàm reſpondemus, quod Contradictores non ſunt ipſi, qui faciunt leges, ſed qui legibus ſubſunt: nec ipſi Canones ediderunt, ſed ſecundum Canones vivere, & loqui debent. Cum Canones autem, per ipſos allegati, nomine indigenarum intelligant tantummodò eos, qui intrà Diœceſim, vel Oppidum, aut locum aliquem individuum ſunt exorti, vel ibi domicilium habent, vel alitèr ejuſdem loci ſunt cives; quomodò ipſi poſſunt prærogativam indigenatus effusè adeò dilatare, ut ad 450. milliaria in longitudine, ad 150. in latitudine, & ad 1500, in circuitu sè diffundat, quanta eſt tota Regni Neapolis circuitio (a)? Vel ergò admittendi ſunt ad beneficia eccleſiaſtica Regni Neapolitani etiam Clerici extranei; vel ab illis abigendi ſunt Clerici quoque Regnicolæ, qui non ſint indigenæ loci individui beneficii: primum grave eſt Contradictoribus; ſed gravius eſt ſecundum, quod inſeparabilitèr coinfertur. Et ſic damnoſum eſſe conſtat, non utile Clero Regni Neapolitani, quod à beneficiis eccleſiaſticis, inibi conſtitutis, omninò debeant Clerici extranei repelli, quia conſequentèr etiam repelli debebunt Clerici naturales, extrà locum beneficii progeniti: adeòque cogentur in proprio oppidulo deliteſcere, à proprio nidulo non avolare, & vel nullius, vel tenuis tantummodò præbendæ ſubſidia captitare, viri docti, & egregii; moribus, & virtutibus præſtantes, atque ad fortunę amplexus promerendus idonei, dum alibl extrà nativum ſolum eccleſiaſtica non poterunt conſequi beneficia.

(a) *De Luca Loſcbl, & Bacco locis citatis*

9. Optimè ad hęc intuitu ſe pervoluit Auctor libri, cui titulus eſt, *Regni Neapolitani ergà Petri Cathedram Religio*, qui rè benè diſcuſsâ, & uti rerum Regni Neapolitani lautè peritus, adverſus Anonymum, contraria ſuggerentem, eſt ſub his terminis elocutus: *Conducibilior eſt rationibus Neapolitanorum præſens conſuetudo: quà Metropolitanę Eccleſiæ Neapolitanæ præponitur, non ſolum Civis, ſed Patricius, & quidem in Cardinalium Collegium allectus; cæteris verò Eccleſiis totius Regni preficiuntur paſſim probatiſſimi quique ex Neapolitanis Clericis: quod ipſis quidem incitamento eſſe ſolet; vacantibus autem Eccleſiis maximè ſalutare. Pręſtat enim è ſinu cultiſſimæ Civitatis, & Eccleſiæ, Epiſcopos, in in ſacris rebus exercitos, & ſubactos, dari montanis, & incultis interdum populis, quam Clericos aſſumi ibidem enutritos, ſacrâ politiâ, literiſque non ſemper inſtructos. Itàque nihil infeſtius Neapolitano Clero accidere poteſt, neque eſt, quod magis ſtudiorum ſubſidia, & alaeritatem infringere valeat, quam ſi conſerantur Epiſcopatus eâ ratione, quam reſtituere nititur Anonymus, & dolet eſſe antiquatam. Neque gravior pœna irrogari poſſet Neapolitanis Clericis per Romanam Curiam, quam ut hæc Anonymi lex vinceret, & valeret* (b).

(b) *Anonym Regni Neapol &c. Religioſ. 65. § Juvabit*

10. Sed age:ità ſit: torqueantur jura; pertrahantur extrà propriam orbitam Canones, & vel inviti ad ſignificandum perducantur nomine indigenarum omnes incolas Regni, atque nomine extraneorum ſolos illos, qui intrà aliquam Neapolitani Regni partem non ſunt exorti. Nunquid propter hoc utile erit Siculis citrà Pharum repellere Clericos extraneos ab eccleſiaſticis beneficiis? Profectò non: Quarè? Quià multa inconvenientia indè manabunt, ac eventus, magis Regnicolis damnoſi, quam ſit admiſſio extraneorum ad ipſamet eccleſiaſtica beneficia. Nàm ſi Collatores beneficiorum, vel ad illa Nominatores, non poterunt admittere

Digitized by Google

Clericos extraneos ab beneficia; in primis nec etiam Rex Neapolis poterit eos ad illa admittere, quę ad ſuum pertinent patronatum: non enim eſt major ratio, cur id facere valeat ipſe; non vero alii ejuſdem Regni Collatores beneficiorum, atque ad ea Nominatores. Si Rex Neapolis, qui ſimul eſſe ſolet Rex Hiſpanię, cum totâ numeroſâ ſerie Regnorum, à Coronis Caſtellanâ, & Aragonicâ dependentium, non poteſt admittere ad beneficia patronata, quæ habet in Siciliâ citeriore, ſeu in Regno Neapolitano, viros extraneos; etiam Clerici Regni Neapolitani non poterunt conſequi beneficia in Regnis Caſtellę, & Aragonię, atque in earum dependentiis: debet enim eſſe par utrobique conditio, debet prohibitio ultrò, citròque afficere, & utrarumque Regionum loca debent sè viciſſim ad beneficia admittere, vel viciſſim arcerę. Hoc autem eritnè utile, an damnoſum Clericis Regni Neapolitani?

11. Prætereà ſi Romanus Pontifex, non poteſt Clericos, undecùmque Romanæ Eccleſię conſertos, & Sedi Apoſtolicæ, vel in Curiâ, vel alibi famulantes, beneficiis eccleſiaſticis in Regno Neapolis munerare; nec etiam viciſſim Cives Regni Neapolitani poterunt beneficia ſimplicia, Canonicalia, Parochialia, Abbatialia, Epiſcopalia, in ſtatu Eccleſiæ temporali adipiſci, neque Canonicatus Baſilicarum, Prælaturas, & Cardinalatus in Romanâ Eccleſiâ conquirere; Hoc autem erit nè utile, vel damnoſum incolis Regni Neapolitani? Sacrum Cardinalium Collegium, ex ſolis ſeptuaginta Purpuratis conſtat, de cunctis Chriſtianitatis partibus eligendis (*a*), & tamen ex unicâ Urbe Neapolitanâ, nunc cum hęc ſcribimus, adſunt ſeptem proceres, Cardinalatus honorę meritiſſimè decorati, & alii duo ad idem Regnum alitèr pertinentes: qui Cardinalatus citrà omnem ambiguitatem inter beneficia eccleſiaſtica computatur (*b*). Quid plura; excelſius omnium totius Orbis beneficiorum culmen, & apex, atque primum Eccleſiæ beneficium, eſt Summus Pontificatus (*c*), quem uſque nùnc nonniſi 247. Pontifices ſunt adepti (*d*), & tamen de hoc parvo numero, viginti circitèr fuerunt ex Regno Neapolitano progeniti, & inter hos, ſex ex ipſâ Urbe Neapolis prodiere.

12. Ex Regno præfato fuerunt Papæ Zacharias, Hormiſda, Sylverius, Agatho, Honorius I. Felix III. Joannes VII. Gelaſius II. Victor III. Cæleſtinus V. Innocentius VII. Gregorius VIII. & alii, quos videre eſt apud Ciaconium, & ſimiles (*e*). Cives Neapolitani fuerunt, Bonifacius V. Urbanus VI. Joannes XXIII. Bonifacius IX. Paulus IV. & Innocentius XII. (*f*) Quomodo autem ſubſiſtit, quod tot Neapolitani, & Regnicolæ potuerunt, & quod omnes Clerici illius Urbis, ac Regni, poſſint ſucceſſive, virtute duce, & comite fortunâ, ſupremum Pontificatum Romanæ Eccleſiæ adipiſci; Clericus verò Romanæ Eccleſiæ, non valet Abbatiolam, Beneficium, vel Epiſcopatum, aut alia majoris, vel minoris ordinis beneficia in Regno Neapolitano conquirere? Pratèr Papas, numerent Neapolitani quot Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, Prælatos, Canonicos Baſilicarum Romę, Abbates, Parochos, & alios Benificiarios, alienis Eccleſiis intulere, & poſtmodùm definiant, an ſit eis utile, admittere, & admitti apud illos Clericos extraneos ad eccleſiaſtica beneficia. Profectò hæc perpendentes prudentiores, & ſapientiores Regni Neapolitani Cives, cogitatoque quod cum expulſione extraneorum, ipſi contrà sè proferrent ſententiam proprię rejectionis à Papatu, Cardinalatu, Epiſcopatibus, Prælaturis, Abbatiis, & beneficiis aliorum locorum; nedùm non reputarunt utilem, ac proficuam Regno Neapolitano excluſionem extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis, ſed etiàm curſum inhibuerunt libello id ſuggerenti: *& privatę unius viri confidentię omnes undique reclamarunt, & Magiſtratus libellorum vulgandorum curſum inhibuerunt* (*g*). Si igitùr non eſt utile, ſed damnoſum Regno Neapolitano excludi extraneos à beneficiis, & uti damnoſum id definierunt Magiſtratus, interdicentes divulgationem libellorum talia ſuadentium; ſequitur quod in eodem Regno liberum, & licitum ſit, & eſſe debęat eccleſiaſtica beneficia etiàm Clericis extraneis, non ſecus ac indigenis elargiri.

(a) *Sixt. Pap. V. Conſt. 50. §. 1*

(b) *Barboſ. Jur. Eccl. Univ. l. 3. c. 4. n. 52. cũ aliis, ab eo citatis*

(c) *Layman. l. 4. tr. 2. c. 4. nu. 4. Mart. de juriſdict. p. 2. c. 29 n. 2. Gõzal. ad reg 8 Canc gloſ. 4 n 61. Barboſ. ubi ſuprà num 47*

(d) *Anton. Foreſt. Map. Hiſtor. tom 3*

(e) *Ciacon. Platina Joannettus, Foreſtus, et alii in vit. Pontif.*

(f) *Idem qui ſuprà in Vitis horum Pontif.*

(g) *Anonym cui tit. Regn Neapol. ergo Petri &c f 69.*

13 Nùnc

13. Nunc de zelo loquamur, quo Contradictores comminiſcuntur sè jura Regia, cauſamque regis tueri, promovendo excluſionem extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis. Et advertamus, quod *eſt zelus ad vitam, & eſt zelus ad mortem* (a): quod magnus Orbis Doctor Joannes Apoſtolus nos erudit, *ne credamus omni ſpiritui* (b): quod ubi magnus eſt zelus, *ubi vehemens æmulatio, ibi maximè diſcretio eſt neceſſaria, quæ eſt ordinatio charitatis* (c). An autem hæc in causâ Contradictorum, an in eorum ſcriptis, concurrant; egregius, ac peritus Lector dijudicet. Certè ſi rationem agendi, & Contradictorum ſcripta ſcrutemur, inveniemus (pace illorum dictum ſit) *quod æmolutionem Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam* (d). Quomodò enim cauſæ Regiæ ſubſerviunt, & jura Regis Neapolis contuentur, ſi primo loco Regis impetunt poteſtatem, ejuſque libertatem evertunt? Sanè facto diruunt, quod verbis jactitant sè conſtruere; illorumque vox, vox quidem Jacob eſt, ſed manus ſunt manus Eſaù, & rè verâ (dent veniam ſincera loquenti) non prò tuendis, ſed prò perdendis Regis juribus allaborare videntur, ac quærere, quæ ſua ſunt, non quæ Regis, etſi fortè ſatagant, per ea quæ loquuntur, vel Regis animum delinire, vel ſibi gratiam Regiam conciliare, ex ampulloſo illo prætextu, quod admiſſio extraneorum ad eccleſiaſtica beneficia, Regalibus convenientiis magnum inferat præjudicium: cum rè verâ negotium totalitèr sè habeat in oppoſitum, tametſi fortè, qui res non uſque ad ſua viſcera perſcrutantur, ludificari poſſint, & ſenſu hujuſmodi antiphraſis captivari.

(a) S. Ambroſ. in pſalm. 118.

(b) 1. Joann. cap. 4. n. 1.

(c) S. Bernard. ſermon. 49. in Cantic.

(d) Romanor. cap. 10. n. 2.

14. Profectò quis tantâ caret rerum humanarum cogitatione, atque indolis perſpicaciâ, ut non intelligat, hunc lapidem à Contradictoribus jaculatum, eò primò tendere, ut libertatem diruat, quâ præditus eſt Rex Neapolis, præficiendi ex quacumque Orbis parte Clericos Eccleſiis, ad ſuum patronatum Regium pertinentibus? Libertatem, quam nec Ferrandinus Rex, nec Fridericus, neque Ferdinandus V. Catbolicus, neque Carolus itèm V. Auſtriacus, nec Philippus II. neque alii ſubſequentes Reges Neapolis, unquàm dimittere voluerunt, ſed eam omni conatu, adversùs impetum illorum, qui eidem inſidiabantur, ſtrenuiſſimè defenderunt, in ſuâ sè confoventes poſſeſſione, nominandi etiam Clericos extraneos: rati nimium Regiæ utilitati conferre, ſi in Regno, à Principis oculo per ingens intervallum diſtante, ſemper adeſſent aliqui Præſules, & Beneficiarii extranei, qui contrà omnes novitates, & ſeditiones, juribus Regiis contuendis propenſius intenderent. Quidquid igitur in recto dicatur, & inculcetur, ſub lenocinanti prætextu conſulendi etiam juribus Regiis excluſione Clericorum extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis; ſumma ſummarum eſt, quod indirectè, ac in obliquo, per hanc novitatem primo loco jura Regia diuelluntur, quia Regi ſubtrahitur libertas propriis utilitatibus conſulendi, provectione extraneorum ad beneficia ſui Regii patronatus; libertas, quam Reges Neapolis nunquam ſibi ſubtrahi permiſerunt, neque permittere voluerunt.

15. Quæ adhuc Regia libertas, ſi per hypotheſim, non obſtante hac extraneorum rejectione, illæſa permaneret; vel meliùs, ſi ſpeculativè loquendo, illam illæſam permanere poſſe contenderetur; intrat alia difficultas in praxi, quæ totam theoricam irreparabilitèr evertit, & eſt; quomodo quæſo integra, & intacta ſervari poſſit præfata libertas Regis, deferendi beneficia ſui patronatus etiam Clericis extraneis; ſi hæc ipſamet libertas Papæ, ac Epiſcopis denegetur, atque cæteris Ordinariis locorum, ac Principibus, & Magnatibus Regni, cunctiſque demum Clericis, & Laicis, ad Regnum Neapolis pertinentibus, quorum ſit beneficia, pleno jure conferre, vel reſpectivè per viam juriſpatronatus Eccleſiaſtici, aut Laicalis, aut mixti quomodolibet diſpenſare? Hi namque omnes poterunt ſemper, & quandocumque, hoc Regiis auribus intimare: Vel vult Rex noſter ſuam in præſenti negotio minui libertatem, vel non. Si vult; minuat ſuam; ſed noſtram, quam à Deo, ab Eccleſiâ, à ſacris canonibus accepimus, non abſcindat. Si non vult; Cur ergo nobis noſtra tollitur, ſi ſua ſtare debet immota? Valeat notiſſimum illud Cice-

Ciceronis adagium, *patere legem, quam ipſe tuleris* (*a*). Vel cunctis,& etiam Regi, adimatur hęc libertas,vel nulli: aut ſi hæc Regi ſartatecta ſervanda eſt ; ſervetur & aliis. Prȩvidetur inſuper,tantam novitatem non poſſe ſinè magnâ Regni convulſione effectum ſortiri ; tum quià, uti cecinit Cornelius Gallus, *eventus varios res nova ſemper habet* (*b*), tùm quià ubi agitur de jure minuendo Papæ, multiſque, & magis prȩcipuis Prælatis, & Proceribus Regni, & imò cunctis beneficiorum Collatoribus, aut ad ea Nominatoribus, internoſcitur, hoc ſinè deſideratiſſimȩ pacis alteratione, ac magnâ Regni concuſſione tandem ad effectum non poſſe perduci : adeòque ſi volumus in ſenſu veritatis effari, non utilitati Regię conſulitur per conatum excluſionis extraneorum ; ſed potius in prȩjudidium jurium Regalium laboratur.

(a) *Michael. Maucler de Monarchia Sæcul. tom. 2. l. 4. c. 15 ſ. 1328.*

(b) *Ex Cornel Gall. Polyanth. V. novitas.*

16. Abſque eo quod ullatenus proficiat affectata illa contradictorum aſſertio, quod antiqui Reges Neapolis conferrent ex ſe ipſis eccleſiaſtica beneficia : quod fundaverint penè omnes Eccleſias Regni : Quod olim haberent magnam partem in electione Antiſtitum, atque Abbatum : quod demùm ſucceſſerint Imperatoribus Orientis, quos conſtet, sè in Præſulum electionibus ingeſſiſſe, & in diſtributionibus beneficiorum : undè inferendum eſſe contendant, Reges Neapolis poſſe præcipere, atque totâ vi conari, nè beneficia ipſa, & Prælaturæ aliis, quàm Regni indigenis conferantur : talitèr ut nihil Regio ſuper hoc arbitrio deperierit per novas inveſtituras Regni, Regi decerpentes jus sè clectionibus, vel beneficiorum diſtributionibus immiſcendi, quippè hæc ſint Regalia, & de Regalibus Principis, inabdicabilia, inammiſſibilia, & nulli ſivè neceſſariæ, ſivè voluntariæ perditioni ſubjecta. Non inquam hæc proficiunt, quià vel ſunt de ſubjecto non ſupponente, vel ſunt erronea. Dè ſubjecto non ſupponente eſt contendere, quod Reges Neapolis potuerit à beneficiis ſui dominii Clericos extraneos protelare, quandò non conſtat prius, quod de facto ullus eorum id præceperit, imò potius conſtat oppoſitum, per ea quæ diximus, ex hujuſmodi excluſione Regalibus ſuis juribus, & libertati maximum prȩjudicium inferri.

17. Erronea poſtmodùm ſunt alia, quæ dictitantur ; inſubſiſtentia, chimerica, & talia, quȩ nullum prorſus promerentur aſſenſum. Nam ſi antiqui Reges beneficia eccleſiaſtica conferebant, prius in facto eſt dilucidandum, an re verâ hoc facerent illi Principes, tamquam Reges Inſulȩ Siciliæ, cui tunc ſimùl præerant; an tamquam Reges Neapolis. Deindè videndum, quot, & qualia beneficia conferrent. Demum examinandum ; an verè beneficia ipſa conferrent ; an verò patronatus titulo ad illa ſolummodò nominarent, cum ex alibi notatis, olim, & antiquioribus, atquè rudioribus ſæculis, *collatio*, *donatio*, *Inveſtitura*, *largitio*, *nominatio*, *præſentatio*, *inſtitutio &c.* ad beneficia eccleſiaſtica, vel pro ſynonimis haberentur, vel promiſcuè ſumerentur, undè benè Julianus Vivianus ait, *hoc nomen collatio eſt latum, & prolatum à Lege comprehendit in ſe præſentationem, electionem, confirmationem, & inſtitutionem* (*c*). Et ità res sè habuit, donec ſucceſſiva materię beneficialis diſcuſſio has voces clariùs dilucidavit, atque diſtinxit, oſtendendo non paruam eſſe differentiam intèr *Callationem*, quæ eſt conceſſio juris in beneficio vacante, quod Collator liberè confert cui vult, dummodo idoneo (*d*), & *Præſentationem*, quȩ eſt exhibitio Clerici idonei per patronum facta Epiſcopo, vel alteri, ad quem pertinet inſtitutio beneficii (*e*), & *Inſtitutionem*, quæ eſt conceſſio beneficii, facta Clerico, per patronum præſentato, ab Epiſcopo, vel alio, ad quem pertinet inſtituere (*f*), & *Inveſtituram*, quæ eſt miſſio in corporalem poſſeſſionem beneficii (*g*), & *Nominationem*, quȩ eſt idem cum præſentatione (*h*).

18. Sed ſuppoſito etiàm, quod rè verâ Reges antiqui Neapolis aliqua beneficia liberè, ac pleno jure conferrent ; certè id non niſi ex privilegio Apoſtolico facere potuerunt, ut alibi demonſtravimus (*i*), & id verbis expreſſis docet Gloſſa dicens : *qui Eccleſiam conſequitur à laico, ipſo jure ſuſpenſus eſt &c. niſi auctoritate Papȩ habeat laicus inveſtituras, ſicut Rex Apuliæ* (*l*). Ergò Reges hi antiqui non poterant beneficia conferre, niſi ad tenorem Apoſtolici privilegii ; proferatur

ergò

(c) *Julian. Vivian. de Jurepatron. p. 2. l. 5. c. 1 n. 96.*

(d) *Gonzal. ad Regul. 8. Canc. § proem n. 46. Vivian. de jurepatr. p. 2. l. 6. c. 10. n. 29.*

(e) *Garcia de benef. p. 4 c. 1. n. 15. Barboſ. de poteſ. Epiſc. p. 3. alleg. 73. n. 105.*

(f) *Vivian. l. 5. c. 1. n. 104. p. 2. Barboſ. loc. cit. n. 174.*

(g) *Julianus Vivian. loc. cit.*

(h) *Vivian. ubi ſupr. p. 2. l. 5 c 1. n. 50.*

(i) *Marta de juriſd. p. 4. c. 40. n 5.*

(l) *Gloſ. in §. quod autem 16 q. 7. in princ. V. Eccleſias.*

ergò in medium Apoſtolicum privilegium, Regibus illis conceſſum, & videatur, an fuerit privilegium ſolummodò perſonale alicujus Regis; an verò gentilitium cunctorum Regum talis Familię: Similitèr an fuerit temporale, vigens durante aliquâ perſonâ, vel Familiâ Regali; an verò perpetuum, ad cunctos Reges, cujuſcumque lineę perennitèr dilatatum. Et poſteà perpendatur, an privilegium ipſum talibus clauſulis ſit refertum, quæ arcere valerent Clericos extraneos ab eccleſiaſticis beneficiis: Privilegia enim non plus operantur, quam verba eorum ſonent (*a*), & ideò ſi excluſionem extraneorum disertis verbis non continent, potiùs eſt præſumendum oppoſitum, pro eorumdem incluſione. Nàm cum beneficia ex ſuâ naturâ eſſent libera, & liberę diſpoſitioni Regum collatorum addicta, Reges de illis poterant pro ſuo arbitrio, ac libertate diſponere, non minus favore extraneorum, quam indigenarum. Prætereà Reges vigore Privilegii Apoſtolici, ſi qui ſunt conferentes eccleſiaſtica beneficia, ſubintrant in locum Papæ, ad quem, ceſſante privilegio, ſpectaret beneficia ipſa conferre (*b*). Nàm Reges hoc privilegio decorati, non ſunt niſi organa Papæ, ut expreſsè notant Doctores: & collatio in rigore non ſit niſi ab ipſo Papâ, miniſterialitèr per manus Regias (*c*), qui Rex proindè, tametſi externum actum collationis exerceat, intima tamen conceſſio juris ſpiritualis, in collatione contenta, non fit ab ipſo Rege, in quo jus ſpirituale non poteſt caderę (*d*), ſed à largitore privilegii: qua de rè Joannes de Lignano, & ex eo Marta de Juriſdictione ait, *Si Rex confert beneficia ex privilegio Papæ, nihil ſpiritualitatis dat ex ſe; ſed à Papâ, & per ipſum Regem tranſit ſpiritualitas, ſicut aqua per canale lapideum* (*e*).

19. Quibus ità ſe habentibus jam patet, quod per jus conferendi beneficia, ſi quo pollebant antiqui Reges Neapolis; nedum non probatur facultas repellendi ab illis extraneos, ſed imò potius probatur totum oppoſitum; probatur etenim quod Reges præfati eadem libertate potiebantur, quâ præditus erat Papa, privilegii collator; ſed Papa poterat, & poteſt, ac ſemper poterit beneficia eccleſiaſtica promiſcuè, ac prò ſuo libito, tàm Clericis extraneis, quàm indigenis impertiri; ergò etiam Reges illi poterant promiſcuè, ac prò eorum libito, beneficia illa eccleſiaſtica tàm Clericis extraneis, quàm indigenis elargiri. Et ſic ſi favore illius, qui prò tempore regnat apud Neapolim, quidquam rationis decerpi poteſt ex privilegio præfato; ſicut per illud probatur, Regem liberè poſſe Clericos extraneos admittere ad beneficia ſuæ largitionis; ità literis cubitalibus probatur, idem fieri poſſe à Papâ, nè plus juris videatur eſſe in Subſtituto, quàm in Subſtituente, ſivè in Delegato, quàm in Delegante, & idem proportionalitèr etiam verum erit de Epiſcopis, & Prælatis beneficiorum collatoribus, ac de Magnatibus, & aliis laicis Regni, beneficiorum patronis. Cæterùm dicimus, quod privilegium præfatum, ſi unquam fuit, perſonale fuit, non verò alligatum Coronæ: alioquin etiam fœminæ, quæ fuerunt Reginæ, potuiſſent conferre beneficia: & ad ſummum fuit gentilitium, ideòque cum proſapiâ expiravit. Quod ſi per hypotheſim, quæ non conceditur, fuiſſet etiam perpetuum; cum jam à quingentis annis, & ultrà, privilegium hujuſmodi non ſit ad praxim redactum, ſequitur quod jam ceſſaverit, eâ ratione, quod privilegia per non uſum amittuntur (*f*). Itàque hoc privilegium nihil proficit cauſæ Contradictorum, quià vel nou eſt, vel jam expiravit, vel à Regibus antedictis Siciliæ citerioris, *Andegavenſibus*, *Suevis*, *Aragoniis*, *Auſtriacis*, non eſt in uſum perductum, neque talis momenti eſt, ut nunc quidquam juris conferat ad repellendos à beneficiis extraneos, ſed potius valet ad evidentèr probandum, quod in Regno Neapolitano, etiam extranei ſunt ad eadem admittendi.

20. Ad id, quod innuitur de antiquis Regibus Neapolitanis, quod magnam partem in electionibus Præſulum olim haberent; reſpondemus circà hoc nobis nunc memoriæ non occurrere, quod alius Rex Neapolis talia effrenatè fecerit, niſi Fridericus II. homo perditæ conſcientiæ, ut notum eſt, & qui proptèr ſuas iniquitates meruit ſolemnitèr in Concilio Lugdunenſi deponi, prout infrà videbimus. Hic inter-

(a) *Cap. porrò de privileg. Seraph. deciſ. 605. n. 3.*

(b) *Marta ubi ſupr. par. 4. cent. 2. c. 46. num. 13.*

(c) *Card de Luca de benef diſc. 9. n. 12 Lotter. de rè benef. l. 2. qu. 6. n. 46 47. Fagnan. in c. quod nobis n 42. de Cland. deſponſ.*

(d) *Bonif. VIII. ap. Spondan. ann. 1303. Galli Vindic. diſſer. 2. §1 fol. 28.*

(e) *Jo: de Lignan. in cap. dilectus 3. in fin. de præbendis Marta de juriſd. p. 4. cent. 3. c. 46. n. 12.*

(f) *Bore. dec. 356. Guid. Pap. dec. 406. Seraphin. dec. 1410. num. 27.*

interdùm ſacra miſcuit cum profanis in provectione, electione, & deſignatione Præſulum Regni Neapolitani (*a*). Verùm hæc non de jure fecit, ſed ſolum de facto, temerè, ac tyrannicè, cum in Inveſtituris, per Sedem Apoſtolicam Regibus collatis, expreſsè in pactum deducta ſit libertas electionum, & proviſionum quarumcumque Eccleſiarum. Quem etiam Regem, & ſi qui alii fuerunt, ſimilia patrantes, uti Reges Rogerius Silivus, & Guillelmus Malus, qui interdùm hiſce rebus aliqualitèr ſe ingeſſere, prout ubi probatur, quod arcerent à beneficiis extraneos? Et ità arcerent extraneos, ut eos ſemper arcerent? Vel ſi ſolum illos arcebant interdum; non & interdum arcerent etiam indigenas. Certè Fridericus præfatus repellebat à beneficiis Epiſcopalibus Regni Neapolis nedum extraneos, ſed etiam Regnicolas (*b*). Quod autem hic Princeps, vel ſi qui alii fuerunt, ejus morum imitatores, malo animo, ac propriâ freti potentiâ, Deique timore poſtpoſito, canones ſint trangreſſi, pacta violaverint, & religionem, juramenti præſtiti ſint audactèr prævaricati; non eſt prò ratione allegandum, ſed pro faciuore commemorandum, omni execratione digniſſimo. Vel, ſi prout melius eſt loqui volumus, horum impia geſta ſunt ſub ſilentio tumulanda, & potius aliorum piorum Regum ſunt exempla recenſenda, qui à talibus rebus ſè religiosè compeſcuerunt. Non enim optandum eſt, quod Reges, qui prò tempore Neapolitano Regno præerunt, improborum Anteceſſorum ſuorum, ſed ſolummodò proborum ſemitas imitentur.

(a) Vide ſupr. in hoc Tomo cap. 31. n. 21. ad 29.

(b) Vid. ſupr. cap. 31. n. 24. & ſeq.

21. Paritèr quod Reges Neapolis Imperatorum ſint ſucceſſores, qui ſè Præſulum electionibus immiſcebant; quærimus primò, de quibus Imperatoribus ſermo ſit? Si de Romano Germanicis; negamus ſuppoſitum, quod hi Imperatores unquam Regno Neapolis dominati fuerint, antequam ibi Reges regnarent. Nec alius Imperator ibi ſimùl Rex fuit, quam Carolus V. Auſtriacus, electionibus certè Antiſtitum non ſè miſcens, ſed liberam ſinens beneficiorum diſpoſitionem tum Papæ, tum Epiſcopis, atque aliis eorum Collatoribus, aut Nominatoribus, tàm favore indigenarum, quàm extraneorum. Qui paritèr Imperator, etſi rogatus, ac interpellatus, ut vidimus, nè ad beneficia Regii patronatus extraneos à Regno proveheret; omninò huic inſtantiæ noluit aſſentiri. Si verò de Imperatoribus Græcis fiat ſermo; diſtinguendum eſt, an habeatur ſermo de hæreticis, & ſchiſmaticis, an verò de catholicis. Si de primis, eorum geſta non magis in exemplum proferenda ſunt, quam facinora prædonum, & latrocinia tyrannorum: quid mirum eſt enim, quod Hæretici, & Schiſmatici libertatem Eccleſiæ compreſſerint? Si de ſecundis; replicamus, non conſtare, quod repulerint à beneficiis extraneos, quà extraneos, & ſemper. Et ſi fortè aliqui eorum id egiſſent, dicimus quod injuſtè id feciſſent, ac vi non ratione id feciſſent. Cœterùm Imperatores Græci nunquam poſt Regnum Gothorum in Italiâ fueruut poſſeſſores legitimi Regni Neapolitani, ut ſuprà oſtendimus, & ad ſummum aliquas Urbes, ac loca Regni tenuerunt occupata per vim, donec indè fuerunt tandem expulſi (*c*). Ipſis autem expulſis, non ſucceſſerunt Reges, ſed Sedes Apoſtolica, quæ Regnum ipſum juſtis titulis eſt adepta, prout ſupra nos uberrimè oſtendimus, Sedi poſteà Apoſtolicæ ſucceſſerunt Reges, Regnum ipſum ab eâdem in feudum conſecuti: & ſic quidquid olim fecerint in Regno Neapolis Imperatores, nihil confert ad præſens negotium, ſed ſola conceſſionis Apoſtolicæ ratio habenda eſt, quæ extraneos à beneficiis non repellendos eſſe decernit, ſed potius unà cum indigenis admittendos. Verum de hac rè citò redibit ſermo.

(c) Vid. ſupr. in hoc Tom. ca. 31. à n. 39. ad 49.

22. Tandèm ad id, quod ſubjungitur, Reges Neapolitanos fundaſſe, ac dotaſſe omnes, vel penè omnes Eccleſias Regni; dicimus noſtrum eſſe venerari hoc aſſertum: ſed tamen ei non poſſumus adulari. Abſit quidem à nobis, ut unquam pietati Principum detrahamus, quam optamus plenis elogiis poſſe proſequi, ac integris præconiis cumulare; Nihilominus ſi reſpondendum eſt prò veritate; cogimur affirmare talia, quæ à Contradictoribus aſſeruntur, gratis dici, ariolando proferri, nec niſi divinatoriè declamari. Undenam enim conſtat de hujuſmodi fun-

fundatione ? Et tamen ubi agitur de ſervitute beneficiis, & Eccleſiis ingerendâ, fundatio non eſt ſupponenda, ſed probanda, ad effectum, quod fundator ſè valeat in earum diſpoſitione miſcere. Certè diù antequam regnarent in Siciliâ Citeriori Reges, & Duces Dynaſtiæ Normannicæ, qui antiquiores illius Regni ſunt Monarchæ; Eccleſię Regni Neapolitani utplurimum erant erectę: Nàm primus Epiſcopus Neapolis fuit S. Aſprenas (*a*), Beneventi S. Potinus (*b*), Taranti B. Amaſianus (*c*), Rubi S. Cletus (*d*), Capuæ S. Priſcus (*e*), Rhegii S. Stephanus (*f*), Lycii S. Orontius (*g*), & alii aliarum Eccleſiarum, omnes à Divo Petro, vel Paulo Apoſtolis, in illarum Urbium Antiſtites conſecrati. Succeſſivè alii fundati fuerunt Epiſcopatus, Eccleſiæ, Monaſteria, Prioratus, Abbatiæ, Parochię, prout fidem contigit in illis partibus dilatari. Multis ergo ſæculis, & mille annis antequam eſſent Reges Neapolis, aderant in Regno Neapolitano Eccleſiæ, illarumque Præſules, & alii Parochi, & Sacerdotes, ipſorum adjutores Clerici, & Monarchi, de reditibus Eccleſiæ, ac dè beneficiis ſacris viventes. Quomodò igitur Eccleſias illius Regni fundarunt Reges, ſi Reges nondùm erant à parte rei ? Imò & antequam Neapolitanis dominarentur Romanorum Imperatores, à Cæſare dimanantes, Eccleſiæ prę̨fatæ fundatę erant ab utroquę Apoſtolo memoratis: quo tempore Romanos videtur nondum dominium extendiſſe in Neapolitanos, ſub formâ Reipublicæ tunc viventes, & talitèr liberos, ut paulò anteà Imperator Auguſtus non auſus ſit eis Inſulam Capritanam adimerę, niſi Ænariâ per æquivalentiam ſubrogatâ (*h*).

(a) *Ughel. Ital. ſacr. to. 6 in Epiſc. Neapol. fol. 25.*
(b) *Idem tom 8. in Epiſc Benevent. f. 12.*
(c) *Idem in Epiſcop. Tarent. n f 410*
(d) *Ferdin. Ughelli to. 7. in Epiſc. Rubenſ. f. 1032.*
(e) *Idem tom 6. in Epiſc. Capuanis f. 351.*
(f) *Idem tom 9. in Epiſc. Rhegien f 415.*
(g) *Idem tom 8. in Epiſc. Lycien f. 93.*
(h) *Sveton. in Octav. Auguſt. cap. 92.*

23. Silemus de pluribus Epiſcopalibus beneficiis, erectis in Regno Neapolis, & prę̨ſertìm in Terrâ Hydrunti, à Patriarchâ Conſtantinopolitano, conſiderante Apuliam, & Calabriam, uti partem Gręciæ, quæ etiam Magna Græcia olim communitèr vocabatur (*i*), eamque ad ſuum Patriarchatum pertinere autumante, Silemus de numeroſâ ſerie beneficiorum Epiſcopalium, Abbatialium, & aliorum inferioris ordinis, erectorum ultimis hiſce ſæculis, non certè ex ęre Regis, ſed vel dotatione fidelium, vel elevatione Eccleſiarum inferiorum in Abbatiales, Abbatialium in Epiſcopales, vel tranſmutatione Parochialium, Monaſterialium, Collegiatarum &c. in alia diverſi generis beneficia, in quibus Reges nihil de proprio contulere. Quapropter, vel de recentioribus, vel de antiquioribus beneficiis ſit ſermo; apparet illa fuiſſe aliter conſtituta, quam per Regiam fundationem, Quodque falcem ponit ad radicem eſt, reperiri memorias apud Hiſtoricos, huic prætenſę dotationi per Reges factæ Eccleſiarum prorsùs contrarias. Nam Vvilſelmus Gemmeticenſis, primorum Regum, & Principum familiæ Normannicæ coætaneus, loquens de Roberto Guiſcardo, qui rem Normannorum, eorumque dominium in Apuliâ, & circumjacentibus partibus, mirificè propagavit, effatur hoc modo.

(i) *Philip. Ferrari Lexic. Geograph. V. Gręcia in fin. Maginus in Tab. Geogr. Italiæ.*

24. *Robertus Vviſcardus fratres ſuos, qui omnes Duces, vel Comites fuerunt, virtute, & ſenſu, ac ſublimitate tranſcendit. Nam totam Apuliam, Calabriam, & Siciliam ſibi ſubjugavit, & transfreato mari, maximam partem Græciæ invaſit, & Alexium Imperatorem, qui contrà Dominum ſuum Michaelem Auguſtum nequitèr rebellaverat; bello turpitèr cum immenſo exercitu victum, fugavit. Hic verò multa bona fecit, Epiſcopatus, & Abbatias plures reſtauravit. Hic domnum Rodbertum Abbatem S. Ebrulfi benignitèr ſuſcepit, & quandam parvam Eccleſiam, ſupra littus Calabrici maris ſitam, quæ in honore S. Euphemiæ Virginis, & Martyris dedicata erat, ei tribuit: at ille, ut erat magnanimus, ingens Cœnobium ibi condidit, & magnam multitudinem Monachorum ad militandum Deo congregavit &c. Præfatum itàque Cœnobium fere 17. annis rexit* (*l*). Attende quod *Robertus Guiſcardus*, alter Mars, & Achilles inter Principes Normannicæ Dynaſtiæ, (quæ fuit prima Regum Regno Neapolis dominantium) *multa bona fecit* ibi: tamen Eccleſias, Epiſcopatus, & Abbatias non de ſuo dotavit, ſed *reſtauravit*. Illæ igitur Eccleſiæ jam ibi aderant, ſuamque conſequentèr dotem habebant, non à Gui-

(l) *Villelm Gemmeticenſ. hiſt. Normannor. lib. 7. cap. 30.*

Guiſcardo habuerunt. Rursùs hic Eccleſiam S. Euphemiæ, in Calabriâ ſitam, conceſſit Rodberto Abbati S. Ebrulfi in Galliâ Diœceſis Lexovienſis, qui ut Abbas ſtrenuus, & magnanimus, celebre Cœnobium ibi fundavit, cui & 17. ferè annis præfuit: hoc faciens Guiſcardus oſtendit, quod etiam illâ ætate ſolebant Clerici extranei ad beneficia eccleſiaſtica in Regno Neapolis promoveri, prout ad Abbatiale admiſſus fuit Rodbertus Gallus, & Abbatiam illam non fundavit Guiſcardus, ſed fundatam invenit, eamque Rodbertus Abbas ampliavit. Ex his coniicitur quid de aliis Epiſcopatibus, Abbatiis, & beneficiis dicendum ſit. Etiàm quoddam Monaſterium Cuperſani dictum fuit fuiſſe fundatum à Goffredo Normanno cum res verè ità non eſſet (*a*).

25. De *Rogerio* Comite, Guiſcardi Fratre, & Rogerii Regis Patre, qui sè Comitem Siciliæ, & Calabriæ nominabat, hoc alibi legimus, *Goffridus Monachus Rogerio Comiti adſcribit fundationem, ſeu dotationem complurium Siciliæ Epiſcopatuum. Quo circà, & Epiſcopos eos nominabat Comes. At cum non fundarentur, vel dotarentur eæ Eccleſiæ, niſi reſtitutis iis rebus, quas olim poſſediſſent; hinc penès Eccleſiam jus fuit ſemper electi ones iis nominationibus ſubrogandi* (*b*). Vide quod antiqui Reges, & Domini Regni Neapolitani, non fundarunt Eccleſias, ſed ad ſummum eas ſarcierunt, illiſque reſtituerunt bona, quibus anteà fuerant exutæ, non quidquam de proprio donarunt; & ideò ſi ob hoc de ipſarum Eccleſiarum diſpoſitione ſe immiſcere voluerunt, potentiâ ſeculari abutentes; Eccleſia illis reſtitit, voluitque, ut beneficia illa per electionem Canonicam tunc vigentem diſpenſarentur; quia Principes illi nihil de proprio Eccleſiis ipſis contulerant; ſed ſolum reſtituerant id, quod prius illarum erat. Non negamus tamen, quod aliqui Principes, vel Principiſſæ Regii Cognominis, aliquid interdùm aliquibus Eccleſiis donaverint. Ut ſunt præbendæ quædam Luceriæ Paganorum (*c*), necnon duo Monaſteria condita à Carolo I. in Diœceſi Salernitanâ (*d*), & aliud Monaſterium apud Venuſiam, quod Drogo Dux Normannus reſtauravit, & deindè Guiſcardus ejus frater quibuſdam bonis auxit(*e*). Prioratus quoque Barii, cui Carolus II. Andegavenſis quędam bona prębuit, & Bonifacius VIII. aliquod ei beneficium uniri poſſe conceſſit (*f*), & ſi quæ alia ſunt ſimilia beneficia, vel fundata, vel aucta: quæ tamen pauca ſunt, & eorum memoria conſervatur. Verùm quod generalitèr Reges Neapolis Eccleſias omnes, vel etiam eorum magnam partem, & beneficia Regni fundaverint, ac de proprio dotaverint, niſi probetur oppoſitum, hoc, dent veniam Contradictores, concedi non poteſt, quià veracitèr non ſubſiſtit: nec adulandum eſt, ſed feriò loquendum.

26. Ad hæc notum eſt eruditis, magna diſſidia, & graviſſimas contentiones inter Reges, & Romanos Pontifices emerſiſſe, propter partem, quam ipſi Principes interdùm ſibi in beneficiorum diſpenſationibus arrogabant: jurgiis eouſque creſcentibus, ut Papæ, pro neceſſariâ Eccleſiæ libertate tuendâ, & Cenſuras vibrarent, & arma quoque temporalia pertractanda ſuſciperent, & ad officium ducendi exercitus, caſtra moderandi, & agendi prælia, ab eorum profeſſione prorſus alienum, cogerentur vel inviti manus extendere. Audiatur Azorius *Innocentius II. Rogerio Siciliæ Regni bellum intulit, eo quod electiones Epiſcoporum, & Abbatum ad sè contrà Canones, & jura trahebat, & quædam eccleſiaſticæ ditionis loca per vim occupaverat. Comparato igitur Romanorum exercitu, Innocentius, Leonis IX. exemplum ſecutus, adversùs illum progreſſus, eundem exitum habuit, quem Leo IX. &c.* Pax tandem inter eos inita eſt, his conditionibus inter alias, *Innocentius Rogerium anathemate ſolvit, eumque Regem Siciliæ, Ducem Apuliæ, & Calabriæ, & Principem Capuæ appellavit, & beneficiarium, ſive feudatarium Eccleſiæ confirmavit. Cautum quoque eſt, ut bona Eccleſiæ reſtitueret, & electiones Epiſcoporum, & Abbatum liberas ſecundum canones, & decreta relinqueret &c.* (*g*).

27. Si ergò Summi Pontifices eo uſque incaleſcebant, ut & excommunicatione,

(a) *Ughelli Italia ſacr. tom.7. f.952. n.7.*

(b) *Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſcipl. p.2. l.2. c.37. n.2.*

(c) *Vid. Ughell Ital. ſacr. in Epiſcop. Lucerie.*

(d) *Idem Ughell. tom.7. in Archiepiſc. Salernitan. à fol. 807. ad 812.*

(e) *Idem Auctor. in Epiſc. Venuſ. to.7. n 8.*

(f) *Ughelli Italia ſacra tom 7 f. 895.*

(g) *Azorius Inſt. moral. p.2. l.5 c.44.*

ne, & armis temporalibus ducerent reprimendum eſſe Regem Neapolis Rogerium, nè sè Præſulum electionibus, & beneficiorum proviſionibus immiſceret; incredibile omninò eſt, quod beneficia fuerint à Regibus Neapolitanorum erecta, ſive dotata. Nàm quotiès illa fundaſſent, aut propriis bonis contributis ditaſſent; Eccleſia ipſis Regibus non negaſſet Juſpatronatus, pro deſignandis, vel nominandis beneficiariis, quippè hanc prærogativam nullis denegat fundatoribus Eccleſiarum, earumve dotatoribus, ut illorum exemplo alios provocet ad ſimilia (*a*). Corruit ergo hæc ſuppoſita fundatio, vel dotatio Eccleſiarum, generalitèr concepta, & conſequentèr etiam cadit everſum quidquid ſuper eâ, per Contradictores erigitur, ad excludendos à ſacris beneficiis Regni Neapolitani Clericos extraneos, ſtatque libertas Eccleſiæ, ipſos quoque unà cum indigenis admittendi.

28. Imò quatenùs etiam per hypotheſim, Eccleſiæ, ac beneficia Regni Neapolitani fuiſſent fundata à Regibus, non benè inferretur intentum Contradictorum pro excluſione extraneorum, ſed potius totum oppoſitum. Nàm ſequeretur, quod iſta beneficia eſſent diſtribuenda eo modo, atque illis Clericis, quos Reges habent pro capacibus beneficiorum ſui Regii patronatus. (Non enim eſt rationabile, quod excludendi ſint à beneficiis, quæ ſupponitur, ſed non probatur, fuiſſe à Regibus fundata, vel dotata, cum uſque modo ſemper fuerint libera, & pro liberis reputata; Clerici, quos Reges non excludunt à beneficiis, quæ credi poteſt fuiſſe ab eis fundata, vel dotata, cum ad illos pertineant Jurepatronatus. Nec paritèr eſt juſtum excludi Clericos è beneficiis Juriſpatronatus Eccleſiaſtici, aut Laicalis, aut mixti, ſpectantibus ad ſubditos, incolaſve Regni Neapolitani; qui non excluduntur à beneficiis Regii patronatus). Sed Reges habent pro capacibus beneficiorum ſui Regii patronatus etiam Clericos extraneos: nèc unquam aſſentiri voluerunt, quod libertas eis adimeretur præficiendi eiſdem beneficiis etiam Clericos extraneos, uti ſuprà latè probavimus (*b*). Quibus addimus Carolum II. Andegavenſem, Regem Neapolis, decernentem, ad beneficia Barenſia ſui Regii patronatus provehendos etiam eſſe Clericos Romanæ Curiæ (*c*). Ergò ſicut beneficia Regii patronatus patent extraneis, ità etiam ad beneficia libera ejuſdem Regni, & ad patronalia Clericorum, aut Laicorum patere debet acceſſus non modò Clericis indigenis, verùm etiam extraneis.

(a) *Julian. Vivian. de Jurepatr. p. 1. l. 2. c. 3. n. 13. ant. medium.*

(b) *Vide ſupr. in hoc tom. c. 27. d. n. 17. uſque ad finem.*

(c) *Ferdin. Ughel. Ital. ſacr. to. 7. in Archiep. Bari fol. 896.*

CAPUT XXXVI.

In quo continuatur materia Capituli præcedentis, An Reges Neapolitani dotaverint Eccleſias illius Regni, undè habeant ſe illarum proviſionibus immiſcere, & per hoc extranei ſint repellendi.

SUMMARIUM.

1 *Bona Eccleſiis tradita, ſunt bona Dei, & patrimonium Chriſti, acquiſita ſine ullo onere, niſi aliud conſtet ex voluntate largitoris.*

2 *Si antiqui Reges Neapolitani ſe Antiſtitum electionibus immiſcebant, de facto non de jure id faciebant, nec excludebant extraneos.*

3 *Optandum eſt, quod Rex imitetur exempla ſuorum Anteceſſorum laudabilium, non verò eorum, qui fuerunt, & bellis attriti, & cenſuris plexi.*

4 *Omnes, qui regnarunt poſt Guillelmum Bonum, expreſsè ſpoponderunt liberas dimittere proviſiones Eccleſiarum, exceptis patronalibus Regiis.*

5 *Etiam ſi antiqui Reges dotaſſent Eccleſias, id feciſſent de bonis propriis, adeòque nil indè juris habuiſſent moderniores Reges.*

6 *Reges moderni non ſucceſſerunt antiquis Regibus jure ſanguinis. Juſpatronatus extinctâ lineâ vocatorum extinguitur.*

7 *Fundatoribus Eccleſiarum nullum acquiritur jus, niſi expreſsè fuerit reſervatum. Juſpatronatus eſt ſervitus, quæ de lineâ ad lineam non tranſit.*

8 *Si Rex ad beneficia ſui patronatus admittit extraneos, etiam alii Patroni, & Collatores poterunt illos admittere.*

9 *Perperàm diſcutitur, an Rex poſſit extraneos à beneficiis excludere, quando non conſtat hoc juſſiſſe. Reges Neapolis non ſuccedunt Imperatoribus Græcis.*

10 *Græcorum Imperium fuit à Mahomete II. Turcarum Sultano ſuppreſſum. Romano-Germanicum Imperium excitatum fuit à Leone PP. III.*

11 *Reges Neapolis in dominio illius Regni ſuccedunt Papæ, qui Regnum habuit à Carolo Magno, antequàm erectum eſſet præſens Imperium.*

12 *Si Reges Neapolis ſuccederent Imperatoribus Græcis, hoc faveret extraneis, qui ſub Imperatoribus ipſis beneficiis præficiebantur.*

13 *Græci enormi adulatione Imperatoribus ſuis omnem penè ſacram poteſtatem concedebant, excepto ſacrificii miniſterio.*

14 *Belſamon aſſerit, Imperatores Græcos fuiſſe Pontifices maximos, ritu Romanorum gentilium, & in Eccleſiâ ſediſſe intrà cancellos.*

15 *Potuiſſe decreta Conciliorum firmare: Eligere Antiſtites: Epiſcopatus in Archiepiſcopatus mutare; Monachis licentiam dare de Cœnobio diſcedendi, & ſimilia facere.*

16 *Alia recenſentur à Joanne Fileſaco, quæ adulatoriè Imperatori ſuo Græci attribuebant, quaſi eſſet ſimul Rex, & Sacerdos.*

17 *Diſponere de beneficiis eccleſiaſticis, & ab illis extraneos arcere, non eſt inter Regalia Principis. Nec omnia Regalia ſunt inabdicabilia.*

18 *Inabdicabilia ſunt illa, ſine quibus Corona ſtare non poteſt. Stare autèm poteſt ſinè eo, quod Rex ſe miſceat beneficiis.*

19 *Reges Neapolis, jurejurando de ſinendâ Eccleſiâ in libertate diſponendi de beneficiis, non abdicarunt à ſe Regalia.*

20 *Fridericus II. Imperator, & Rex Neapolis, etiam ex eo, quod libertatem proviſionum beneficiorum violaſſet, depoſitus fuit.*

21 *Doctrina parum ſana eſt, quod Rex non poſſit ulla à ſè Regalia abdicare: hæcque multo damnoſa eſſe poteſt Baronibus Regni Neapolitani.*

22 *Quid tutum erit, ſi Rex ad pacta ſervanda non teneatur. Tempore Caroli Claudi, & Franciſci I. multum de hac rè loquutum fuit.*

23 *Quid dicerent Contradictores; ſi Papa non ſervaret Regi Neapolis pacta edita in inveſtiturâ, vel concernentia beneficia ſui juriſpatronatus.*

24 *Eodem modo invehendum eſſet contrà Regem, ſi pacta non ſervaret, & libertatem Eccleſiæ in beneficiorum proviſionibus non ſervaret.*

25 *Si diſponere de beneficiis eſt de Regalibus inabdicabilibus, non poterit Rex beneficia ſui patronatus ad ſolos Regnicolas coarctare.*

26 *Rex de beneficiis diſponens eſt organum, & inſtrumentum, explicativum voluntatis Eccleſię, nec quid magis ea poteſt.*

1. BONA, quæ per fideles traduntur Eccleſiis, Deo dicuntur eſſe collata, ideòque bona Dei, & patrimonium Chriſti à ſacris canonibus nuncupantur (*a*), & eorum Dominium eſſe penès Deum communitèr fatentur, tam Eccleſiæ Patres (*b*), quam Scripturæ Interpretes (*c*), necnon & Theologi (*d*), & Juriſconſulti (*e*). Ac de talibus bonis pronuntiat Benedictus Papa III., *quis ignorat illa, quę collata ſunt Deo per fidelium manus, divinitati poſſidenda conſignari* (*f*). Sicut autem cœtera bona, quæ per donationem, aut per alterius nominis contractum, hominibus deferuntur, liberè prorſus tradita reputantur, niſi in actu contractus aliquod onus illis fuerit appoſitum (*g*); Ità etiam bona Deo, & Chriſto per fideles delata, liberè, & abſque ullo onere collata cenſentur; niſi aliud in actu traditionis, ex tradentis voluntate, ſit cautum. Hinc fit, quod quamvis aliqui Reges Neapolis, eorumve uxores, filii, filiæ, & conſanguinei quidquam aliquibus Eccleſiis, pietatis titulo contulerint (quod adhùc in caſibus individuis eſt probandum) non ideò ullum onus Eccleſiis illis intuliſſe dignoſcuntur, niſi expreſſe conſtet de onerosâ conditione appoſitâ, & acceptatâ: ſed eorum largitio reſolvitur in legatum pium, nullum onus Eccleſiis iniiciens: ac Largitores iſti non dicuntur dotatores, ſed ſimplices benefactores (*h*). Et ſanè quià præſumitur, quamlibet Eccleſiam à ſuo initio cum ſufficienti dote fuiſſe fundatam (*i*), augmentum dotis non præſumitur, ſed eſt probandum: & quatenùs etiam probetur; Augens dotem nullum acquirit ſuper Eccleſiâ, ut ſic, Juſpatronatus (*l*), & præſertim ſi Eccleſia erat jam conſecrata (*m*). Si autem ex pio legato, & ex augmento dotis, legans, & augmentans, non acquirit Juſpatronatus; multò minùs acquiret aliud Jus, per quod ſe poſſit in Eccleſiæ collatione miſcere. Adeoque etiam ſi antiqui Principes bona legaſſent, vel dotes aliquarum Eccleſiarum auxiſſent (de quo in individuo conſtare debet, non ideò poterant de Eccleſiis ipſis, pro eorum voluntate diſponere.

2. Quarè nihil proficit Contradictoribus, vel eorum Auctoribus, comminiſci, quod antiqui Reges Neapolitani maximam partem haberent in diſtributione beneficiorum, quæ per viam electionis Canonicæ præbentur, vel aliorum, quę ad ſuum patronatum non pertinebant. Nàm in primis non minus excludebant indigenas, quam extraneos: deindè, ut vidimus, partem illam non habebant, quia illis legitimè competeret, ſed quia de facto, & arma tractantes, & potentiâ præpollentes, faciebant pro libito, quidquid eis voluntas arbitraria ſuggerebat; & ità ſè miſcebant beneficiorum diſtributionibus, non juxtà leges, ſed contrà illas: non ſacris canonibus obſervatis; ſed iis portentoſiſſimè conculcatis. Noſtra non eſt hæc reſpon-

(a) *Conc. Trid ſeſ. 25 de ref c. 1. & 5. nullis 12. qu 2 Conc. Aurel c 7. ap. Canſium to 6. antiqu. lect f 245.*

(b) *S. Auguſt tom. 3 de oper. Monac S. Proſper, ſeu Julian Pomerius de vit. contempl. lib 2. c. 26.*

(c) *Toſtatus in 1. Paralipom 26 qu. 26.*

(d) *Jo: de Turrecrem. ſum Eccl. l. 2. c. 88. Bonacin. tom. 1. di p. 4. de oblig benef p. 2. num 2 Navar. to. 1. de redit. Eccl qu. 1. monit. 40. n 14, & alibi*

(e) *Fagnan. in cap. relatum n. 32. & 37. nè cler. vel Monac. lib. 3. Vivian. de jurepatron. p 1. l. 1. c. 1. n 42.*

(f) *Bened. Pap. V. in tom 8 Conc f 239 B.*

(g) *Vid. Steph. Gratian. diſcept. for. c. 82. num. 33.*

(h) *Ricc. prax for. Eccl. reſ. 123. n. 3 Garcia p. 5. c. 9. n. 52*

(i) *C. nemo 1. de conſec. diſt. 1. Barboſ. Jur. Eccl. Univ. l. 3. cap. 12 num. 59.*

(l) *Gloſ. in Cap. piæ mentis 16 qu. 7, & ibi Turrecrem. nu. 6 Gratian. diſcept for c. 177. nu. 24. 25. Barboſ. ubi ſuprà n. 57.*

(m) *Gloſ. ubi ſuprà Barboſ. loc. cit. n. 56.*

ſponſio, ſive noſter non eſt hic ſenſus, ſed Friderici II. Imperatoris, ac Regis Neapolis, ex Dynaſtiâ Svevorum, Eccleſiæ nil ultrà condignum deferentis, ſed eam pro viribus impugnantis, qui quandòque, antequàm in profundum iniquitatum ſuarum prorueret, ob quas meruit ſolemni depoſitione mulctari, dimittens in ſuâ libertate beneficia, Eccleſias, & Rectorum illarum electiones, ingenuè profeſſus eſt, *illum volentes abolere abuſum, quem quidam prædeceſſorum noſtrorum exercuiſſe dignoſcuntur, decretum de electionibus Prælatorum concedimus* (*a*). Et rè verâ quidquid fuerit de Regibus Dynaſtiæ *Normanniæ*, & *Svevicæ*; Reges profectò *Andegavenſes*, & *Aragonii*, Regno Neapolis dominantes, nunquam beneficiorum ſe diſpenſationibus miſcuerunt: multò minùs Reges *Auſtriaci*, piiſſimi, & clementiſſimi, optimè conſcii, non illis hoc competere, nec ſinè magno animæ periculo Principes partem ſibi in beneficiorum diſtributionibus, ad ſe Jure patronatus non pertinentium, arrogare (*b*).

(a) *Frideric. II. anno 1213. Thomaſſin. Vet. & nov. Eccl. diſc. p. 2. lib. 2. c. 37. n. 2.*

(b) *Marta de juriſd. p. 2. c. 40. n. 23*

3. Multimodè igitùr comprehenduntur Contradictores in conſiliis, quibus cogitant, ſi technis hiſce, quas proponunt, reſpondeatur. *Primò*, quod aliqui equidem Reges antiqui Siciliæ citerioris sè Antiſtitum electionibus, & beneficiorum diſpenſationibus miſcuerunt, at non id fecerunt juſtè, ac legitimè, ſed per vim, & contrà juſtitiam. Non eſt autem deſiderabile, quod unquam præſit illi Regno Princeps, qui velit de beneficiis eccleſiaſticis pro ſuo libito contrà omne fas arbitrari: ne paulatim Prelatos omnes Regni, cunctoſque Clericos, & Laicos patronos beneficiorum, libertate conferendi eadem ſpoliet, vel reſpectivè ad illa nominandi: ſicque tandèm langueſcat ibi pietas, diruatur juſtitia, omniſque pereat Dei cultus, & honor, ac libertas Eccleſiæ prorſus dilabatur in præceps. Undè quidquid fecerint pauculi illi Principes prævaricatores, non eſt in pretio habendum, ſed optandum, ut quicumque pro tempore Neapolis erit Rex, proborum, & juſtorum Regum, qui eum præceſſerunt, ſectetur opera, non verò deſipientium, & improborum imitetur exempla. *Secundò*, quod ſi antiqui Reges Siciliæ citrà Pharum ſe Antiſtitum electionibus, & beneficiorum diſpenſationibus miſcuerunt, fuerunt etiam, & cenſuris perculſi, & bellis attriti, & reſpective depoſitione mulctati, coactique reddere vel invitò, *quę ſunt Cæſaris, Ceſari; & quę ſunt Dei, Deo* (*c*). Abſit autem quod unquam pręſit Regno Neapolitano Rex ſimilis illis, cum quibus talia facta ſunt.

(c) *Marc. cap. 12. num. 17.*

4. *Tertiò*, quod Reges omnes Neapolis, qui poſt Guillelmum cognomine Bonum, fuerunt Coronâ Regiâ decorati, omnes expreſſiſſimè ſpoponderunt, ac ſub jurejurando, Deo invocato, promiſerunt liberum relinquere Eccleſiam in diſpoſitionibus beneficiorum (*d*): Et formam ergò dederunt, nunc in ſimilibus obſervandam, & facto ſuo comprobarunt, Reges non debere sè talibus immiſcere. *Quartò*, quod ſi Reges antiqui manus appoſuerunt in beneficiis diſtribuendis; vel id fecerunt quoad beneficia Regii patronatus, vel quoad libera. Si quoad libera, impiè fecerunt: irrationabilitèr fecerunt: injuſtè omninò fecerunt; *tantumque valent Principes, opinionem veritati præferentes, quantum prædones in ſolitudine*, inquit S. Juſtinus (*e*): illorum impietas, irrationabilitas, & injuſtitia, non debet Succeſſoribus regulam agendi præbere, nè ſicut illis intulit exterminium, ità & his pariat confuſiones. Si verò id operati ſunt, quoad beneficia ſui patronatus; uſi ſunt jure ſuo, & id facere poteſt, poteritque ſemper quicumque Rex Neapolis, nominando hunc, vel illum, dummodò idoneum, ad beneficium ſui regii patronatus, & hoc modo ſe illorum proviſionibus immiſcendo. Verùm non hinc probatur jus repellendi à beneficiis extraneos, ſed illos potius admittendi: nàm ſicuti tam antiqui, quam moderni Reges, potuerunt ſemper, ad beneficia ſui patronatus extraneos ęquè, ac indigenas admittere; ità etiam alii beneficiorum Collatores, vel ad ea Nominatores, beneficiis, ad eorum Collationem, vel patronatum pertinentibus, valent Clericos non minus extraneos, quam indigenas promovere.

(d) *Vid. ſupr. c. 31. 32. 33. & 34.*

(e) *S. Juſtin. Apolog. ad Antonin. Pium.*

5. Cæterùm tametſi juſtificaretur in facto, quod Eccleſię, ac beneficia Regni Nea-

Digitized by Google

Neapolis, vel omnia, vel pro majori eorum parte fundata, vel dotata fuiſſent ab antiquis Regibus, quod vel nunquam, ut putamus, poterit juſtificari, quandoquidem, antequam Reges illi eſſent, prius erant Eccleſiæ, quas præſumitur etiam fuiſſe convenientèr dotatas (*a*), adeoque non potuiſſe à Regibus fundari, neque dotari ex integro, niſi probetur, quod Eccleſiæ illę fuiſſent deſtructæ, & iterum excitatę, & quod primęva earum dos redacta eſſet ad nihilum (*b*), ut Reges poſſent eas verè dotare) tamen ſi eas dotaſſent, cum de bonis propriis, & patrimonialibus id feciſſent, jam nihil ibi juris habuiſſent moderniores Reges pręteriti, quippè qui antiquioribus illis, non jure conſanguinitatis, ſed jure feudali eis, ex conceſſione Pontificis ſucceſſêre: Nàm Dynaſtiæ *Normannicæ*, & *Svevicæ*, dudùm jam excifis, nullus poſt Corradinum capite plexum ſucceſſit in Regno Neapolis. Ubi primus quoque ex Dynaſtiâ *Aragonicâ* regnans fuit Alphonſus I. qui paritèr non jure ſanguinis ad Coronam provectus eſt, ſed ex liberâ conceſſione Eugenii PP.IV. vel ad ſummum, ex jure adoptionis, factę per Joannam II. ultimam ex lineâ Andegavenſium.

6. Itàque tametſi etiam probari poſſet, quod antiqui Reges Neapolis, de propriis bonis aliquas Eccleſias dotaſſent, vel beneficia fundaſſent; adhùc nihil afficeret quoad præſens negotium; tum quia non conſtat, quod eorum intentio fuerit excludendi extraneos, & eaſdem Eccleſias, ac beneficia diſpoſitioni Regum pro tempore exiſtentium ſubmittendi. Tùm etiam, quia illorum lineæ finitæ ſunt, & cum earum interitu ceſſavit etiam hoc vinculum. Tum demum, quia ut dicebamus, Regibus illis Reges ultimi non ſucceſſerunt, tamquam qui nullam ab eis ſortiti ſunt Naturæ, & Sanguinis traditionem (uti ex Arbore illorum conſtat, & ex documentis hucuſque productis e videntiſſimè patet) qui proptereà in uſum non perduxerunt ſe de illis beneficiis, & Eccleſiis, tamquam non patronalibus Regiæ Coronæ, quomodolibet immiſcendi. Notum eſt autem in jure, quod beneficia, quocumque vinculo irretita, præſertim patronatus, per non uſum illius vinculi, fiunt libera (*c*), & ſimiliter per extintionem lineæ Fundatorum, sè in totalem vindicant libertatem (*d*), proindèque fundatio illa beneficiorum, tametſi verificaretur fuiſſe ab antiquioribus ipſis Regibus facta, de bonis propriis, nullum præberet titulum Regibus pro tempore futuris, de beneficiis ipſis diſponendi, & multò minùs ab eiſdem, vel ab aliis liberis beneficiis, Clericos extraneos excludendi.

7. Ulteriùs ea eſt lex generalis, ut fundatoribus Eccleſiarum, & beneficiorum, nullum acquiratur jus eorum adminiſtrationis, vel patronatus, niſi hoc expreſsè fuerit reſervatum (*e*), ſive niſi expreſſus intervenerit ſuperioris eccleſiaſtici conſenſus, qui jus idem patrono reſervet (*f*). Juſpatronatus enim ſinè conſenſu Epiſcopi non acquiritur (*g*): Quippè hujuſmodi jus eſt quid ſpirituale, quod non poteſt à laico, ſinè auctoritate Superioris eccleſiaſtici acquiri (*h*), & ità ſi beneficium fundetur, aut dotetur, nec interponatur tùnc conſenſus Epiſcopi, ſed poſteà; Juſpatronatus non acquiritur, niſi à die preſtiti conſenſus (*i*). Et ipſo conſenſu ſemel interpoſito, Juſpatronatus non excędit lineam illorum, quorum favore eſt reſervatum, nec ad alias lineas poteſt extendi, vel diſcindi (*l*). Quandoquidèm Juſpatronatus eſt ſervitus impoſita rei ſacrę (*m*), rei autem ſacræ non poteſt ſucceſſu temporis inici ſervitus major, ſive majus gravamen, quam ei fuerit impoſitum ab initio (*n*). Quapropter ſi antiqui Reges Neapolis fundaverunt Eccleſias, vel beneficia eccleſiaſtica, docere oportet de reſervatione Juris patronatus, aliàs eâ deficiente, beneficia libera ſunt: doceri paritèr debet, quod Juſpatronatus fuerit reſervatum, nedùm favore lineæ Regum fundatorum, ſed etiam favore aliarum linearum, in Regni regimine ſuccedentium: alias ſi hæc non probentur, beneficia ipſa libera ſunt, nec ullâ debent comprimi ſervitute. Videant ergò Contradictores quot, & quanta ſint ab eis juſtificanda, ut ex fundatione Eccleſiarum, ab antiquis Regibus factâ, quidquam roboris ſuę opinioni valeant conciliare.

8. Sed demus Contradictoribus, non tamen concedamus, probationem reſervatio-

(a) *C. nemo 100. de conſec diſt. 1. Rot. corā Ludovis deciſ 483 n. 5 Barboſ. Jur. Eccl. univerſ l. 3. c. 12 n. 59*

(b) *Gonzal. ad reg 8 Canc. Gloſ. 18. nu 53. Barboſ. ubi ſupr. n. 58.*

(c) *Abbas Conſ. 108 l. 2. col. penult. Vivian. de jurepatr. p. 3. lib 15 cap. 1 n. 7 Barboſ Jur. Eccl. Univ lib 3. c. 12 num 257*

(d) *Vivian. loco cit. n. 14 Barboſ. ubi ſuprà num 258*

(e) *Vivian. p 1. l. 2. c. 2. n 12. & 10.*

(f) *Cap. placuit, & ibi Gloſ. 1 qu. 2. Lambert. de jurepat. l 1 p. 1 qu 2. ar. 3. Vivian p. 1. l. 2. c. 2. n 7 & 12*

(g) *C. nobis, & ibi DD. de jurepatr. Vivian. loc. cit. n. 10.*

(h) *Julian. Vivian. ibi num. 11*

(i) *Item Julian. Vivian. loco cit. n. 17*

(l) *Letter. de rē benef. l. 1. qu. 32. n. 12*

(m) *Vivian. de jurepatr. p. 1. l. 2. c. 1. n. 13. ante med.*

(n) *Melchior. Letter. de rē benef. ubi ſupr.*

vationis Juris patronatus favore cunctorum Regum, & comprehenſionis non ſolum lineæ fundatorum, ſed etiam omnium aliarum linearum, in officio Regio ſuccedentium; demus, inquam, hoc totum: Verum quid hoc eis proficiet? Adhùc totâ nocte laborantes nihil cęperunt; nàm probatâ auctoritate Regis, apponendi manum in diſtributione beneficiorum, ab antiquis Regibus fundatorum, nihil aliud probabitur, niſi quod ſicuti Rex beneficia, ut ſuprà, & ad ſuum patronatum pertinentia, liberè valet pro ſuo arbitrio, tùm Clericis extraneis, tum indigenis impertiri; ità etiam alii, ad quos ſpectat, vel collationis, vel patronatus jure, de beneficiis propriæ dependentiæ diſponere; illa liberè valent, non tàm Clericis indigenis, quam etiam extraneis impertiri: alioquin ſi Rex pro tempore exiſtens intendat alios Collatores, vel patronos arctare, ad repellendum à beneficiis extraneos; ipſe quoque ad idem arctabitur, per notiſſimam illam regulam legis, quod quiſque juris in alium ſtatuit, hoc & ipſe, uti debet (*a*). An autèm proficiat Regi, & Regibus inpoſterum futuris, hoc sè vinculo mancipare, quo anteacti Reges nunquam sè innectere voluerunt; eſt id, quod ponitur in quæſtione. Et quatenus agendum eſſet; oporteret videre de modo, & de tempore id agendi, ad effectum validitatis actus: quæ ſunt res requirentes altiorem indaginem. Itàque quocumque modo Contradictores argumentum proponant, etiam ex fundatione, vel dotatione Eccleſiarum non patronalium, à Regibus, ut ipſi ſuppomunt, factâ; quocumque modo illud exagitent, & impingant, ſemper verum erit, extraneis patere in Regno Neapolis acceſſum ad eccleſiaſtica beneficia.

9. Nec majoris momenti eſt ultimum commentum, per Contradictores ipſos expoſitum, dicendo nempè, quod Reges Neapolis ſuccedunt Imperatoribus Romanorum, quos notum ſit, prę ſertim Græcos, maximam habuiſſe partem in Prælaturis, & beneficiis ſui Imperii diſtribuendis: poſſe proindè etiam Reges de iiſdem beneficiis, pro eorum arbitratu diſponere, vel leges prę ſcribere, in ipſorum diſtributione ſervandas; ideòque poſſe præcipere, nè beneficia Clericis extraneis conferantur. Nàm (prætèr ea, quę diximus capitulo precedenti) in *primis* perperàm hic diſſeritur de poteſtate Regiâ, nùm ad hæc se extendat, nec nè; quandò non conſtat prius, Regem voluiſſe hoc re verâ inhibere: talem autem juſſionem neſcimus unquam prodiſſe. *Secundariò*, falſum eſt, quod Reges Neapolis ſuccedant Imperatoribus Romanorum in dominio illius Regni: nàm ſi vera volumus effari, certum eſt, quod antè Gręcos Cæſares dominabantur utrique Siciliç Imperatores Occidentales, Julii Cęſaris Succeſſores, quorum Imperio everſo per Odoacrem Herulorum Regem, in perſonâ Momylli Auguſtuli, prout ſuprà uberius oſtendimus, ſi admittamus eorum jura ad Gręcos Cæſares convolaſſe, dicimus quod ſicuti Græci Cæſares, potuerunt, poſt exactos Cæſares Occidentales in prę ſato Auguſtulo, Regni Neapolis, vel illius partis dominium adipiſci; ità etiam illud potuerunt poſteà ſubſequentèr amittere: Nàm imperia, & humanæ ditiones, non talis ſunt prerogativâ ſuffultæ, ut quidquid ſemel occuparunt, non illud amplius valeant relaxare: alioquin quià Hiſpania, Gallia, Anglia, Scotia, & aliæ partes Europę, Aſię, & Africę, ſuerunt aliquandò ſubjectæ Imperio Romano (*b*), poſſent nùnc tolli de manu Regum, eas legitime poſſidentium, quod quiſnam ex viris doctis, & politicis audiet ſinè riſu?

10. Præſertim cum jam ipſum Imperium Romano-Græcum penitùs ſit ſublatum, & à Mahomete II. Turcarum rege ſuppreſſum. Nec præſens Imperium Romano-Germanicum, nùnc ſubſiſtens, venit rectâ lineâ à Julio Cæſare, ſed ut aſſerunt Hiſtorici, fuit ex integro excitatum à Leone Papâ III. in perſonam Caroli Magni, cum jam Imperium Occidentale, à Cæſare dimanans, in memorato Auguſtulo cecidiſſet, atque in oblivionis latebris delituiſſet, per annos 324. uſque ad ipſum Carolum (*c*). Orientale verò Imperium ſubſiſteret quidem tùnc, ſed poſteà, emenſis quibuſdam aliis ſæculis (*d*), fuerit à præſato Turcarum Principe everſum, anno 1453. Profectò ſi præſens Imperium Romano-Germanicum, diruto Imperio Roma-

(a) *Leg.* 1 *ff. quod quiſque juris*

(b) *Marta de juriſd. p* 1. *cap.* 20 *n* 5

(c) *Onuphr. Panvin. de Rom. Princ. l.* 3. *nu.* 20 *in Momylo.*

(d) *Onuphr. Panvin. loc. cit. l.* 2.

mano-Græco ſuccederet, nec poſſet Imperium id ammittere, quod ſemel acquiſivit; ſequeretur, quod Imperio incorporandum eſſet quidquid ex Galliâ, Hiſpaniâ, Angliâ, Pannoniâ, Africâ, & Aſiâ occupari poſſet, eo quod hæ Regiones olim pertinuerint ad Imperium à Julio Cæſare conſtitutum, & inde in Orientale, & Occidentale diviſum. Damnandus quoque eſſet Carolus I. qui Regnum cum privato ſtatu commutans (*a*), Hiſpaniam cum ſuis dependentiis, olim ad Cæſaris Imperium pertinentem, Imperio Germanico non annexuit, ſed eas Philippo II. filio ejus tradidit; Imperium verò ipſum ſeparatim Ferdinando V. fratri ſuo adipiſcendum reliquit (*b*): quod quis audebit ſine dementiæ indiciis manifeſtiſſimis effutire?

(a) *Famian. Strada de Bell. Bellig. lib. 1. an. 1556.*

(b) *Idem Strada loc. cit fol. 10.*

11. Igitur eo modo, quo Imperatores Romano-Græci potuerunt poſt obitum Auguſtuli ditionem, quam habuerunt Regni Neapolis adipiſci; ità etiam eam potuerunt amittere: ergo ipſis in ejuſdem ditionis jure ille ſuccedit, cujus favore dominium præfati Regni (vel partis, quam in eo habebant) perdiderunt; ſed ex ſuprà relatis, illud perdiderunt favore Gothorum, quibus Italiam Zeno Imperator ſolemniter ceſsit: poſt quos Regnum Neapolis, cum reliquâ Italiâ, pervenit ad Longobardos: Longobardi verò illud amiſerunt favore Caroli Magni, qui Regnum ipſum tranſtulit in Pontificem; Ergò jam hoc Regnum pertinet ad Pontificem: qui de facto ab illo tempore uſque ad noſtram ętatem ejuſdem Regni dominium verum, & naturale, ac directum, & ſupremum tenuit: nec alium, quàm Pontificem pro vero Regni dominio recognoverunt Reges, qui illud in feudum à Sede Apoſtolicâ ſuſceperunt, & primo loco Reges, ac Principes lineæ Normannicę, qui Græcos, & Saracenos, virtute bellicâ pepulerunt, à quibus regnum ipſum, ſive illius pars, poſt Caroli Magni tempora, fuerat injuſtè occupatum. Reges ergò Napolis in dominio illius Regni non ſuccedunt Imperatoribus Romano-Græcis, ſed Papæ: neque ſuccedunt Imperatoribus Romano-Germanicis, quià nullus eorum dominatus eſt Regno Neapolis, tamquam Imperator, nec etiam Carolus Magnus, quippè hic Regnum Longobardis ſubtractum, ceſsit Pontifici antequam declararetur Imperator à Leone Papâ III. In rei ergò veritate Reges in Regno Neapolis ſuccedunt Papæ, ac Sedi Apoſtolicæ, non Imperatoribus, & Imperio. Quo poſito ſi quidquam probat argumentum Contradictorum; retorquetur adverſus eos. Nam probat, quod ſicut Imperatores (in eorum ſententiâ) poterant pro eorum libito de beneficiis eccleſiaſticis, in Regno Neapolitano ſitis, diſponere, & leges ſancire, in ipſorum diſpenſatione ſervandas; Ità etiam Papa, qui Imperatoribus Græcis, poſt Gothos, & Longobardos, opera Caroli Magni in dominio Regni ſuccedit, poterit, & poteſt de ipſis beneficiis pro ſuo arbitratu diſponere, & leges ſancire, admittentes ad ea, non tantum indigenas, quantum etiam extraneos.

12. Dato poſteà etiam, ſed non conceſſo, quod Reges Neapolis in Regno ſuccederent Imperatoribus Græcis, non verò Papæ; dicant quæſo Contradictores: Quomodo ergo ſubtrahi debet, vel poteſt Regi pro tempore exiſtenti libertas diſtribuendi beneficia tùm Clericis extraneis, tùm indigenis, ſi eâ potiebantur Imperatores Græci, cui ipſum ſucceſſiſſe ſupponitur? Profectò ſi res ità ſe habet, injuriam faciunt proprio Regi, jus illi ſubtrahendo, quo Cęſares Græci ejus anteceſſores, ut ipſi ſentiunt, potiebantur. Nec minorem injuriam faciunt aliis Collatoribus beneficiorum Regni Neapolitani, vel ad ea Nominatoribus, detrahendo ipſis libertatem, quâ Imperatores Græci pollebant, horumque in officio, & diademate Succeſſores. Quæ omnia ex abundanti, & ad exuberantiam ſint dicta, ut motiva, ſivè commenta Contradictorum, funditùs diruantur. Cæterùm dicimus quod Gręci Imperatores nihil juris unquam in Antiſtitum electione, ſeù in beneficiorum diſtributione habuerunt, proùt literis cubitalibus decernitur in Concilio Conſtantinopolitano IV. generali VIII. hoc modo: *Sancta, & Univerſalis Synodus definit, neminem laicorum Principum, vel Potentum, ſemet inſerere electioni, vel promotioni Patriachę, vel Metropolitæ, aut cujuslibet Epiſcopi, nę*

videlicèt inordinata hinc, & incongrua fiat confuſio, vel contentio, præſertim cum nullam in talibus poteſtatem quemquam poteſtativorum, vel cæterorum laicorum habere conveniat, ſed potiùs ſilere, ac attendere ſibi uſquequò regularitèr à Collegio Eccleſiæ, ſuſcipiat finem electio futuri Pontificis. Quiſquis autem ſæcularium Principum, & Potentum, vel alterius dignitatis laicæ, adverſus communem Eccleſiaſtici Ordinis agere tentaverit, anathema ſit, donec obediat, & conſentiat in hoc, quod Eccleſia de electione, & ordinatione proprii Præſulis ſè velle monſtraverint (*a*).

(a) *Concil. Conſtantinopol.* 4 *c.*22.

13. Quarè ſi Cæſares Græci beneficiis Epiſcopalibus, vel alterius generis (non ſui patronatus) diſpenſandis ſè immiſcuère; non jure, ſed facto id attentarunt; non rationabilitèr, ſed arbitrariè: non auctoritate legitimâ, ſed putidâ uſurpatione. Nec niſi adulatoriè à viris Græcis, vecordis animi, ſcriptum eſt, ſacra Imperatoribus licuiſſe (*b*). Sermonem habet ex propoſito hujuſmodi de rè Joannes Fileſacus, dicens; *In Oriente, quid auctoritatis habuerint Imperatores Bizantini in res Eccleſiaſticas, explicabo, quâ potero brevitate, nec an jure, vel injuriâ id factum ſit, pronunciabo: ſpectator ſum, non diſceptator, aut Judex, quamquàm liberè aſſerere poſſum, multa Grecos putidâ adulatione peccaſſe, homines ad ſervitutem paratos, ut Tyberius de Senatoribus Romanis ajebat, apud Tacitum lib. 3. Addo, & projectam illorum ſervientium patientiam. Imperatoris itàque Bizantini, ſeù jura, ſeù privilegia, ſeù quovis alio nomine donentur, hæc enumeras Archiepiſcopus Bulgariæ, Demetrius Chometenus, ad Conſtantinum Cabaſilam Archiepiſcopum, & Metropolitem Dyrrachenum, Juris Græco Romani lib. 5. ſeù Reſponſorum lib. 1. Imperator Bizantinus, ut communis Eccleſiarum Præſes, & Monarcha exiſtens, & nominatus, Synodalibus præeſt ſententiis, ac robur tribuit. Eccleſiaſticos Ordines componit, & legem dat vitæ, politiæque eorum, qui Altari ſerviunt, nec non ſtatuit ipſe quid agendum in litibus, & judiciis Epiſcoporum, ac Clericorum, tàm in ſuffragiis, & electionibus Eccleſiarum vacantium. E minore etiàm honore ad majorem reducit, ab Epiſcopatu videlicèt in Metropolim, & Archiepiſcopatum. Et uno verbo, ſolo ſacrificandi excepto miniſterio, reliqua Pontificalia privilegia, Imperator repræſentat, quandò legitimè, canonicèque facit. Subjungit, id competere Imperatori, proptèr unctionem Imperii, & cum ſit unctus Domini, meritò, & ipſe Pontificalibus decoretur gratiis* (*c*).

(b) *Vid. Thomaſſin. Vet. & nov Eccl. diſciplin. p.* 1 *l.* 2 *c.* 16 *n* 6.

14. Proſequitur Fileſacus: *Græculus tàm multa, & varia ſuo Imperatori tribuit, ea ex Balſamone Patriarchâ Antiocheno, ut qui poſt hunc vixeris, deſumpſit, & in primis id, quod poſtremo loco ſcribit, Imperatores Bizantinos, velut Pontifices Maximos habitos, ex veteri Romanorum Gentilium ritu: apud quos Imperatores Pontificatum Maximum ſibi uſurpabant, tradit Balſamo in cap.* 69. *Concil. Trullani. Sed præclarè ad rem iſtam Gelaſius I. P. R. in tomo de Anathematis vinculo: fuerunt hæc antè adventum Chriſti, & quidèm figuralitèr, ut paritèr Reges exiſterent, & Sacerdotes; Quod in ſuis quoque Diabolus imitatus eſt, ut in Romanis Gentilibus. Sed cum ad verum ventum eſt, id ad Fidem Chriſti, eundem Regem, atque Pontificem, ultrà ſibi nec Imperator Pontificis nomen impoſuit, nec Pontifex Regale faſtigium vendicavit &c. Balſamo in canonem citatum, ais, Imperatori licere intrà cancellos, qui Cleri locus erat in Eccleſiâ, conſiſtere, cum alioquin populus extrà cancellos locum haberet, nec id pati potuit in Theodoſio Magno D. Ambroſius, de qua rè Theodoretus, & Sozomen, & notum illud eſt, ac Græcis Imperatoria Majeſtas non parum Pontificiæ, & Sacerdotalis dignitatis in ſè complectitur, & ideò mirari deſino cum lego, Sancti titulo à Græcis Imperatorem, ſalutari. Meminit Balſamo in can.* 4. *&* 14. *Concil. Nicæn.* 2.

(c) *Ioannes Fileſacus de Sacr. Epiſc. Auctorit c.* 7 *§.* 7 *ſ.* 78.

15. Pergit idem Auctor: *De ſanctionibus, & decretis alicujus Concilii firmandis, & ſubſignandis ab Imperatore habes in epiſtolâ Epiſcoporum, qui Conſtantinopoli convenerunt, præfixâ Concilio Trullano. De electione Pontificum, undè Vincentius Lyrinenſ. Commonitor. I. ſcribit, Neſtorium magno Imperii judicio,*

ele-

electum Patriarcham Conſtantinopolitanum: Et de rebus Eccleſiæ componendis ab Imperatore Balſam. in c. 4. Concil. Chalcedonenſ. De Patriarchâ Conſtantinopolit. ab eodem Imperatore per invocationem S. Trinitatis provehendo. De Epiſcopatu, aliquo in Metropolim erigendo, noviſque Epiſcopatibus, vel Metropolibus inſtituendis, ſcribit Balſamo in c. 16. Concil. Carthag. Græc. in c. 38. & 69. Concil. Trullan. Item in jure Græcoroman lib. 4. ſentent. Synod. & lib. 2. Novell. produnt Imperatorem ſuum, etiàm contrà canones, facultatem dare Epiſcopis, & Monachis, ut civilia munia, & officia tractent, etiàm publica negotia, quorum ratio reddenda ſit, ut teſtatur idem Balſamo in c. 4. Concil. Chalcedonenſ. & in c. 4. Synod. Conſtantinopol. provincialis quæſt. 1. & 2. vocatur, & præſertim Monachis ab eo Imperatore dari licentiam Monaſteria egrediendi, ac ſæculari officio etiàm in mediis caſtris fungendi, tradit idem Balſamo ſcholio in illum can. 4. Synod. 1. 2. de Imperiali mandato, quo licet Clerico, ejus relicto Judice Eccleſiaſtico, quacumque in causâ ad Civilem confugere. Balſamo in c. 15. Concil. Carthaginenſ. Græc.

16. *Addit & alia ipſe Patriarcha Antiochenus utpotè Imperatorio diplomate, & beneficio, aliquem poſſe in alienâ Diœceſi, Epiſcopalia exercere, ut Confirmationis Sacramentum tribuere, & ſimilia tùm eodem loco, etiam invito proprio Epiſcopo, Sacram Liturgiam publicè, & ritu quidem ſolemni in ejus Eccleſiâ Cathedrali. In can. 14. Apoſtolorum, & c. 16. Carthag. Græc. Quin etiam licere ajunt Imperatori, quandò voluerit ad altare accedere, & intrò templi adyta ingredi: ſuffitum dare, cum cerâ characterem imprimere, quod eſt ſigillum ceræ imprimere, quod erat Epiſcoporum, ut Galli Epiſcopi olim ſigillo plumbeo in literis commendatitiis utebantur, Conc. Cabilon. 2. c. 41. & populum ad inſtituendum docere, ſic vertit Hervetus, quod ego interpretor, Catechiſtæ officio fungi, & homilias catechiſticas ad populum pronunciare, quales ſunt illæ D. Cyrilli Hieroſolymitani, & dubito nùm ſint ejus generis homiliæ Leonis cognomento Philoſophi Imp. Bizantini. At hoc Epiſcoporum erat proprium. Balſamo in c. 69. Concil. Trullani. Græcorum imitatione, video Reges iis vicinos Epiſcoporum translationes ſibi vendicaſſe, quod damnat Paſchalis II. pulcherrimâ epiſtolâ ad Archiepiſcopum Polonienſem, apud Bernardum Papienſem, Collect. 1. Decretal. lib. 1. tit. 4. de electione c. 21. quæ hic multo amplior eſt, quàm apud Raymundum. Quò res Græcorum, & totius Orientis reciderint, nemo eſt qui non videat. Quis talia fando temperet à lachrymis* (*a*). Falſa enim eſt hæc poteſtas, incompetens, & incongrua; Imperatoribus Græcis, vel adulatoriè attributa, vel ab eiſdem ſacrilegè uſurpata, quam certum eſt ad Eccleſiam pertinere, non ad Imperium, nec eſſe ad ullum hominem laicalis ordinis transmiſſibilem, niſi privilegio Eccleſiæ ſuffultum. Sed jam de haç rè ſatis.

17. Ad id tandèm, quod ſubjungitur in ſenſu Contradictorum, non potuiſſe Reges Neapolitanos in ſuſcipiendo Inveſtituras de manu Papæ, cedere juribus Regalibus, quippè quæ ſint Coronæ indiviſibilitèr adnexa, inabdicabilia, & inſeparabilia à Regiâ dignitate; Reſpondemus negando duo ſuppoſita. *Primum*, quod diſponere de beneficiis eccleſiaſticis, & ab eis extraneos arcere, ſit de regalibus Coronę Regiæ. *Secundum*, quod Regalia omnia ſint inabdicabilia. Inter Regalia computantur poteſtas creandi Magiſtratus (*b*), & eoſdem, ac dignitates publicas abrogandi (*c*), jus leges condendi, procudendi pecuniam (*d*), Notarios creandi, ac ſpurios legitimos declarandi (*e*), Vectigalia, Datia, & Tributa exigendi (*f*), Mineralia effodiendi (*g*), Feuda concedendi (*h*), & Regalia ornamenta induendi (*i*), ſunt & Salinæ, ac ſalinarum reditus (*l*), Piſcationes, & Venationes, ac illarum proventus (*m*), Tracta frumenti; atque ſegetum (*n*), Bona vacantia (*o*), & eorum, qui fuerunt capitali pœnâ damnati (*p*), Portizatio in publico flumine (*q*), Angariæ, & Perangariæ (*r*), Nundinæ, & Nundinarum conceſſio (*s*), Venia ætatis (*t*), Locorum, & ſituum publicorum conceſſio (*u*), Facultas doctorandi (*x*), & creandi Capitaneos, ac Belli Duces (*y*), demùm au-

(a) *Idem Joannes Fileſa. us loc. cit.*
(b) *Marius Giurba conſil. 19. n. 4.*
(c) Cravet. Conſ. 338 n. 2 & conſ. 92. n. 99.
(d) *Belles. diſquiſ. Cleric. de fav. Cler. real. § 3. n. 17. de Luca de regal. diſc. 128 n. 8.*
(e) *Luc. de Pen. in l. contrà C. de re milit. n. 12.*
(f) *Barboſ. Appell. 232. n. 2 Calvin lexic. Juriſd. V. Regalia de Luca de regal diſc. 110 n. 10. & 130 n. 10.*
(g) *Peregr. de jure fiſci l. 4. tit. 2. de Luca loc. cit. diſc. 247.*
(h) *Calvin. Lexic. Juris V. Regalia.*
(i) *Luitpran. l. 2. c. 7. Otho Friſing. l. 7. c. 23. & 30.*
(l) *Tuſcus lit. R. concl. 82. n. 27. de Luca de regal. diſc. 105. n 5.*
(m) *Menoch. conſ. 302 n. 31. conſ. 498. n. 30. Surd. conſ. 240 n. 20.*
(n) *Afflict. dec. 265 n 109. Tuſc. loc. citat. n. 16. Barboſ. Appel. 232 num. 7.*
(o) *L. vff. de jur. fiſci l. 1 C. de bon. vac. Menoch. con. 302. n. 28.*
(p) *L. Bona C. de bon. præſcript. Cravet. cõſ. 328. num. 4.*
(q) *Tuſc. lit. R. concl. 82. n. 17. Barboſ. Appel 232. n. 8.*
(r) *Card. de Luca de feud. diſc. 3 n. 4. diſc. 65 n. 8. & de Regal. diſc. 146. n. 8.*
(s) *De Luca de Regal. diſc. 231. n. 4. & 232. n. 3.*
(t) *Idem de donat. diſc. 2. n. 22.*
(u) *Idem de ſervit. diſc. 5. n. 5.*
(x) *Idem de Luca de regal diſc. 178. n. 4.*
(y) *Barboſ. tract. var. Appel. 232 n. 9.*

ctoritas plectendi reos morte, bellum indicendi, arces muniendi, portus, flumina, viæ publicæ, & ſimilia, quæ propriè ad Principem ſpectant. Ex his autem Regalibus plurima ſunt abdicabilia à Principe, & de facto in Regno Neapolitano abdicata ſunt favore Baronum, Imò & aliqua majoris momenti, uti nullum in terris recognoſcere Superiorem, homagium nulli exhibere, nullâ limitatione in Regni regimine coerceri, appellationem à ſententiâ non admittere &c. nedùm ſunt abdicabilia, ſed imò abdicatâ cernuntur in omnibus Regnis, & Dominiis, quæ feudali titulo alteri Principi ſubſunt: uti fuit olim Scotia reſpectu Angliæ (*a*), Vaſconia reſpectu Franciæ (*b*), Trinacria reſpectu Regni Neapolis (*c*), & ſunt adhuc Boemia reſpectu Imperii (*d*), & alii permulti Ducatus, & Principatus in Italiâ, Germaniâ, aliiſque Europæ partibus, reſpectu plurium Principum Supremorum.

(a) *Foreſt Mapp. Iſtor. in Odoard. I. Rè 29. d'Inghilter.*
(b) *Raynald. an. 1325 nu. 12.*
(c) *Raynald. an. 1372. nu. 5. 6. 7.*
(d) *Foreſt. Map. Iſtor. in Rodolf. I. Imperatore*

18. Quoàd aliud pariter, nempè quod pactio inita inter Reges Neapolitanos, ſuſcipientes Inveſtituras Regni, & Summos Pontifices, à multis ſæculis uſque ad noſtram ætatem, dè relinquendo in liberâ poteſtate Eccleſiæ, diſpoſitionem beneficiorum illius Regni, ſit dè Regalibus Regis; hoc citrà controverſiam eſt falſum, nec ullus ſanæ mentis id audebit pertinaciter ſuſtinere. Nàm Regalia vocantur illa, quæ Coronæ Regiæ ſunt coæva, & omnibus Regibus ſunt communia, taliterque Monarchico regimini ſunt connexa, ut ſine illis Monarchia ſtare non poſſit. Sed collatio beneficiorum, vel manuum appoſitio in eorum diſpenſatione, nec eſt quid coævum Coronæ Regiæ, nec quid commune omnibus Regibus, nec quid, ſinè quo Monarchicum regimen ſtare non poſſit; ergò non eſt dè Regalibus Regis, & per conſequens optimè poteſt abdicari. Quinimò à probis, & juſtis Regibus nedùm hoc jus non eſt cenſitum eſſe inter Regalia Principum, ſed potius eſſe ſacrilegium, abuſum, uſurpationem, & rem Regibus valdè periculoſam (*e*). Vidimus ſuprà Imperatores Carolum Magnum, & Ludovicum Pium refutaſſe morem, ſè in electione Antiſtitum immiſcendi (*f*). Vidimus Ludovicum VII., & IX. Reges Galliæ recuſaſſe Indultum Papale, diſponendi dè quibuſdam eccleſiaſticis beneficiis (*g*), Vidimus Eduardum III. Regem Angliæ à sè abſcidiſſe poteſtatem habendi partem in deputationibus Prælatorum (*h*), Vidimus Reges Aragoniæ juri patronatus, quo pollebant in pluribus beneficiis eccleſiaſticis renuntiaſſe (*i*). Vidimus tandèm in ſententiâ Barboſæ, Reges Caſtellæ jus deligendi Antiſtites in Eccleſiarum Capitula tranſtuliſſe (*l*), Vel ergò hæc non ſunt dè Regalibus Regum, vel Reges poſſunt à ſe Regalia iſta abdicare,

(e) *Vid. ſupr. in hoc Capit. n. 3.*
(f) *Cap. ſacrorum diſt. 63.*
(g) *Gallia vindic. diſſert. 1. § 2. verſ. qua in rè f 40.*
(h) *Raynald. an. 1343 n. 91.*
(i) *Joannes Mariana rer Hiſpan. l. 10.*
(l) *Barboſ. Jur. Eccleſ. Univ. l. 1. c. 8. n. 76*

19. Profectò nunquid tot Reges, totque diſtinctorum Regnorum Principes, ſacrilegi fuerunt, dum quidquid ſuum eſſet manus apponendi in beneficiorum diſtributionibus, à sè funditùs abſciderunt? Nunquid omnes Reges, qui Regnum Neapolis tenuerunt, ſacrilegi fuerunt, paciſcendo dè ſinendâ in ſuâ libertate Eccleſiâ, ut proviſiones beneficiorum ſine Regiâ fierent præceptione? Impii nè fuerunt Carolus V. Philippus II. III. & IV. atque Carolus II. piiſſimæ familiæ Auſtriacæ, qui in inveſtituris Regni Neapolitani ſuſcipiendis, pacti ſunt libertatem electionum, & collationum beneficiorum, Eccleſiis, & eccleſiaſticis viris ſervare; Nullus eorum, nullus ex Conſiliariis, & Magnatibus, qui illis aſſiſtebant; nullus ex Confeſſariis, qui eorundem animas regulabant; nullus inquam ex iſtis, tantæ fuit compos doctrinæ, ac perſpicaciæ, ut adverterit ipſos Reges pejerari, & pejeratos eſſe, pollicitando libertatem Eccleſiæ ſervare in beneficiorum diſpenſationibus, quippè hoc ſit Regalia abdicare, quæ jurarunt in receptione Regii diadematis, cuſtodire? Ergò nè cuncti Pontifices, qui inveſtituras Regni Siciliæ Principibus quinque diverſarum ſtirpium contulere, deductâ in pactum libertate, Eccleſiis ſinendâ, diſponendi dè beneficiis eccleſiaſticis; Pontifices, vel ſanctorum faſtis adſcripti, quemadmodùm S. Leo IX. (*m*), & S. Gregorius VII. (*n*), vel aliter apud Hiſtoricos, & Scriptores ſuorum temporum commendatiſſimi; hi omnes, inquam, ſacrilegi fuerunt, exigendo à Regibus pactum præfatæ libertatis, ceſ-

(m) *Martyrol. Rom. die 19. April.*
(n) *Martyrol. Rom. die 25. Martii.*

ſionem

ſionem Regalium in ſuis viſceribus continentis, quæ jurabant in eorum auſpicatione tueri? Ergò ne & quot Reges tot periuria commiſerunt, & quot Papæ tot periuria extorſerunt, quot inveſtituræ Regni Neapolitani fuerunt per ſeptingentos annos, uſque ad noſtra tempora Notariorum calamis exarata? Ponderet, ac dijudicet benignus Lector.

20. Concilium Lugdunenſe I. declarat quid in hâc rè ſit ſentiendum. In eo etenim communi Patrum conſilio, & Epiſcopis pręſertim Hiſpaniæ Innocentium IV. Pontificem confortantibus, uti ſuperiùs oſtendimus (*a*), decreta eſt depoſitio Friderici II. Imperatoris, ac Regis utriuſque Siciliæ: Interque cauſas depoſitionis, hæc ſignantèr eſt allegata; quod electionum Præſulum libertatem impediebat, & sè beneficiorum diſpenſationibus immiſcębat (*b*), contrà pacta in diplomate ſuſceptæ inveſtituræ contenta; quæ in Patrum Conventu Papa fecit publicè recitari, ab omnibuſque eſt auditum, quod Rex *concedebat, ac quitabat, ſi aliquod jus habuiſſet in electionibus Eccleſiarum Regni* (*c*). Aderant Concilio Thadæus dè Seſsâ, & Matthęus dè Ocrâ Friderici procuratores, magnę eloquentiæ viri, belli, atque jurium periti, taleſque, qui poſſent Generali Epiſcoporum Concilio reſpondere: hique junctis manibus omnem lapidem commoverunt, ut Fridericum à ſuis exceſſibus excuſarent (*d*). Mirum eſt autem, quod nihil dè Regalibus memoraverint, nec reſponderint, fruſtrà in culpam vocari Fridericum, libertatis demptę Eccleſiis in Præſulibus eligendis, & manus impoſitæ in beneficiorum diſpenſationibus, ad sè, non patronatus titulo pertinentium; cum hæc tamquàm Regalia non potuiſſet à sè abdicare, nec ſuper illis paciſci, neque pacta non obſervando, ullum prorſus periurium incurriſſet. Quæ adhùc omnia, tametſi non fuiſſent à procuratoribus allegata; debebant tamen à Pontifice, debebant ab Epiſcopis ſciri. Quâ ergò conſcientiâ tàm Innocentius, quàm 140. Patres, Concilium illud generalitèr celebrantes, candelis accenſis, & in terram projectis, adversùs Fridericum Anathema eccleſiaſticum fulgurarunt? Certe non aliâ de causâ, niſi quia optimè perſuaſum fuit Concilio, hęc non eſſe Regalia, nec debere inter Regalia Principum computari; potuiſſeque Fridericum ſuper ipſis paciſci; & pacta, juramento vallata, non obſervando, periurium incurriſſe, quod aliis criminibus junctum, promerebatur depoſitione percelli.

(a) *Vid. hic ſupr. c. 31 n. 29.*

(b) *Odoric. Raynald. an. 1245. n. 40.*

(c) *Thomaſſin. vet. & nov. Eccleſiæ diſcipl. p. 2. l. 2. c. 37. n. 2.*

(d) *Idem Raynald. an. 1245. n. 27. 31. 46.*

21. Nèc omittendum eſt, quod inſubſiſtens, & parum ſana doctrina eſt ea, quæ profitetur, non poſſe Reges ſuper ullis Regalibus pactum inire, & quę Regalia ſunt à sè non poſſe abdicare. Si enim hoc admittatur, jam conſortium hominum, & commercium inter Principes, non erit tutum: nulla pax valida: nullę conventiones legitimę: nulla pacta ſubſiſtentia: quippe vix ullum fit per Principes inſtrumentum, quod dè Regalibus non pertractet. Quę doctrina ſi ulli detrimentum afferre poteſt, poteſt pręſertim inclytæ Urbi Neapolis, eximiis ditatę privilegiis, nec non Dominis Ducibus, Principibus, & Baronibus Regni Neapolitani, qui valdè conſpicuis Urbibus, Oppidis, & Populationibus pręſunt: Hi namque omnes, ad nutum Regum, ſpoliari poterant adeptis indultis, & feudis; abſque eo quod illis quidquam proficiant diplomata, & inveſtiturę à Regibus prędefunctis obtentę: quippè Ducatus, Principatus, Marchionatus, & Comitatus concedere, eſt dè Regalibus Principis, & inter Regalia communitèr computatur (*e*). Regalia autem in ſententiâ Contradictorum inabdicabilia ſunt, nec Rex ad pacta ſervanda tenetur, ſuper illis inita: hocque pręſertim quando Regalia conceſſa valdè noxia ſunt Principi concedenti, ejuſque Coronę Regię, qualia ſunt Feuda, Principatus, Ducatus, & Baronatus Regni Neapolitani, taliter Magnatibus conceſſa, ut *Rex inveſtiens Vaſſallum dè mero, & mixto Imperio cum Regalibus, privet sè juriſdictione, & emolumentis*, inquit Aloyſius Riccius Canonicus, & Patritius Neapolitanus (*f*), non dubitans affirmare, quod Principes, Duces, ac Barones Regni, *cenſendi ſint ſupremi Principes in eorum titulis, & omnia poſſint, quę poteſt Imperator in toto orbe* (*g*). Hi omnes, inquam, poterunt pro Regum volun-

(e) *Roderic. l. 2. c. 25. Calvin. Lexic. Juris verb. Regalia Freccia de ſubfeudis.*

(f) *Aloyſ. Ricc. prax. for. Eccleſ. p. 2. reſ. 27.*

(g) *Idem Riccius loc. citat. n. 3.*

tate

tate feudis ſpoliari, etiam ſine cuplâ, & ſine demerito, ſed ex ſolo pretextu, quod feuda illa, & eorum juriſdictiones, ſint dè Regalibus, quę Rex non valeat concedere, nec à ſè ipſa abdicare,

22. Hoc autem ſi admittatur, gratum erit nè Regno? Gratum nè Urbi Neapolitanę? Gratum Principibus, & Magnatibus illius amplę Regionis? Profectò non. Nàm pręter damnum, quod indè illis omnibus obveniet; eccuinam gratum eſſe poteſt audire, quod ſuus Rex, & Monarcha, non teneatur ad obſervantiam pactorum, etiam juramento, & divinę invocationis pręſidio ſuffultorum? Si Reges ad conventiones initas non tenentur, ecquid erit tutum in mundo? Qui ſubditi cum ſuo Principe; qui Reges cum altero Rege, poterunt jam totâ confidentiâ paciſci? Contrà Franciſcum I, Galliarum Regem, plures conventiones cum Carolo V. Imperatore, dum Matriti, poſt prętium Ticinenſe, captivus retineretur, in pactum deducentem, & eorum poſtmodùm sè obſervantię ſubtrahentem (*a*), omnes penè linguę, ac plures calami Monarchię Hiſpanicę armatę ſunt, Principem illum dè infidelitate in promiſſis, & de ſacrilegio culpantes, ob jusjurandi vinculum non ſervatum: Quantumlibet pro eo facerct, quod in ſtatu captivitatis, & per metum cadentem in conſtantem virum, ea ſpopondiſſe invito animo diceretur, nec illa Carolo prodeſſe, quippè minus honeſta, & ad ęquiores terminos reducenda, prout & paulò poſteà factum eſt (*b*). Quid non murmuratum eſt in Aragoniâ adverſùs Carolum Claudum Regem Neapolis, ob non obſervatas pactiones, quas, in captivitate detentus, cum Jacobo Aragonenſi pridèm iniverat? Vix valuit illum ab hominum improperiis contueri decretum Nicolai Papę IV. Conſiſtorialitèr ſub his terminis explicatum: *Cum conventiones, promiſſiones, & innovationes præmiſſæ gravia in sè productura pericula, & ex iis quędam ferè impoſſibiles, quædam aliàs indebitæ, ac illicitæ, ac horrendæ, & abominandæ fidelibus, in grande præjudicium ipſius Eccleſiæ, ac præfati Regis Siciliæ, vaſſalli ejuſdem Eccleſiæ ſpecialis, per vim, & metum, contrà bonos mores, ac alias perperàm, & iniquè præſumptuoſius extortæ, & attentatæ noſcantur* (*c*).

(a) *Foreſt. Map. Hiſtor. to. 4. p. 1. c. 6. in Franciſc. I. Rè Franc.*

(b) *Petav. Ration. temp. p. 1. l. 9. c. 11. §. in Gallus.*

(c) *Odoric. Raynald. an. 1289. n. 13.*

23. Herclè quid dicerent Contradictores, & quid dicerent omnes Regis Neapolis, vel clientes, vel ſubditi, vel amantes; ſi Romanus Pontifex, poſt illi exhibitam inveſtitnram Regni, conventiones compactatas renueret obſervare? Si exempli gratiâ pactum, ſivè privilegium diſponendi de beneficiis eccleſiaſticis, Juriſpatronatus Regii, per Clementem Papam VII. Carolo V. Auſtriaco conceſſum (*d*). Romanus Pontifex detrectaret implere, ſub motivo quod poteſtas diſponendi de beneficiis eccleſiaſticis, præſertìm Epiſcopalibus, eſt de Regalibus Sedis Apoſtolicæ (*e*), & quod illud indultum Clemens VII. non ſpontè, ſed invitè contulit, formidine malorum pejorum, vel ob nimiam Cæſaris importunitatem (*f*): non potuiſſe proptercà hoc jus à Sede Pontificali abſcindi, & in Regem transferri. Quid inquam dicerent? Quid dicerent, ſi Papa recuſaret Regi Regiam dignitatem, & juriſdictionem manutenere, ſub obtentu quod Regni conceſſio ſit de Regalibus Sedis Apoſtolicæ, quæ non ſpontè ſit facta, ſed ex defectu virium, quibus reſiſteret Principi, conceſſionem ipſam petenti, & quocumque modo ſumatur, hæc ſit præjudicialis ſtatui Pontificio; Regalium autem conceſſio in præjudicium ſtatus, poſſit revocari, vel per concedentem, vel per ſucceſſorem (*g*): Quid inquam dicerent? Profectò ingentes darent ejulatus, ac totâ voce tonarent, Papam teneri ſtare pactis, & promiſſis, præſertìm juramento vallatis (*h*). Non poſſe revocare pacta prædeceſſorum (*i*), ſinè illorum, & juſtitiæ manifeſtâ læſione (loquimur hic extrà caſum gravis neceſſitatis, vel magnæ alicujus utilitatis Eccleſiæ, quæ alitèr poſtularet, ſervatâ alioquin æquitate) dicerentque, pactorum inobſervantiâ ſocietatis humanæ violari fidem, religionis Divinæ vinculum exinaniri: Et ſcriptis proindè, ac eo quo poſſet modo, in opppoſitum pugnandum eſſe clamarent,

(d) *Joan. de Ponte dec. 12. n. 14.*

(e) *Marta de Juriſd. p. 2. c. 40. n. 17.*

(f) *Idem loc. cit. n. 22.*

(g) *Idem Marta loc. cit. cap. 41. n. 13.*

(h) *Decius in cap. Canonum 2. de Conſtit. n. 23. Barboſ. Jur. Eccl. Univ. l. 1. c. 2. n. 13.*

(i) *Marta de Juriſd. p. 2. c. 41. n. 2.*

24. Si talitèr autem ipſi adverſùs Papam inveherentur, pacta non ſervantem, cum Rege Neapolis conventâ, abſque eo quod quidquam ei proficeret ratio defe-

ctus

ctus poteſtatis abdicandi Regalia Sedis Apoſtolicæ; eodem modo etiam invehendum eſſet in Regem, compactata cum eodem Pontifice non ſervantem, abſque eo quod quidquam ei proficeret ratio defectus poteſtatis abdicandi Regalia Coronæ Regiæ: quippè non minus Rex, quam Papa ſuis promiſſionibus, & pactis initis obligatur; præſertìm jurejurando munitis: ad eaque obſervanda tenetur, & vi humanæ promiſſionis, & vi religionis Divinæ, ob jusjurandum adjectum, aliàs tota ſubverteretur humana ſocietas, & irrita fieret Divini nominis invocatio. Etiam ergò Regalia valent per ſupremum Principem abdicari, præcipuè illa, ſinè quibus Regia Majeſtas optimè ſtare poteſt; & ideò, tametſi conventa in Inveſtituris Regni permiſſio libertatis electionis Clericorum ad eccleſiaſtica beneficia, eſſet de Regalibus Regis Neapolis (prouti de facto non eſt; & omninò non eſt de Regalibus, ſinè quibus Regia Majeſtas conſiſtere non valeat, quemadmodùm conſtitit uſquemodò in Regibus plurium Stemmatum ipſius Regni, & in Regibus aliarum Regionum, hac prærogativâ non præditorum) ſequitur, quod vi pactorum, intèr Romanos Pontifices, & Reges initorum, non poteſt rationabilitèr impugnari: Cumque ipſa libertas imbibat arbitrium dandi quibuslibet Clericis, dummodò benemerentibus, & dignis, acceſſum ad eccleſiaſtica beneficia; patet jam, quod ab eiſdem extranei, quà extranei, nullatenus ſunt excludendi.

25. Sed annuamus Contradictoribus: demus quod Rex prò tempore exiſtens non valeat à sè Regalia abdicare, & quod intèr hæc computetur etiam beneficiorum diſtributio, vel in eorum diſtributione manuum appoſitio; Quid hoc quæsò proficit cauſæ Contradictorum? Certè hoc nedum eis non proficit, ſed imò potiùs illorum totam intentionem evertit. Nàm prò eo, quod inde probetur obligatio conferendi beneficia eccleſiaſtica Clericis indigenis, viceversâ potius probatur libertas eadem extraneis quoque concedendi, & en ratio. *Primò*, ſi in ſenſu Contradictorum, diſponere de beneficiis eccleſiaſticis eſt jus Regale (quod rè verâ de ſui naturâ tale non eſt, præſertim quoàd beneficia, quæ non ſunt Regii patronatus); Et talitèr eſt jus regale, ſeu talis qualitatis, quod Rex à sè non valeat abdicare; ergò cur Contradictores, ſeu illorum Auctores, tot, & tantis conatibus, & infeſtationibus urgere aggreſſi ſunt Regem illis dominantem, ut proviſionem beneficiorum Regii patronatus ad ſolos Regni naturales reſtringat, quando hoc, tamquam quid Regale, Rex à sè non valeat adbicare? Ad quid tantoperè poſtulare rem, quam tametſi Rex concedat, conceſſio tamen in eorum ſenſu erit nulla? Nam diſpoſitio de beneficiis, tamquam quid regale, in illorum ſententiâ, eſt inabdicabilis, inamiſſibilis, & indiviſibilis à Regiâ Majeſtate. Imò tamquam quid Regale hæc diſpoſitio relinquenda erit in eo ſtatu, in quo ſemper fuit: Fuit autem ſemper libera prò admiſſione ad illa, non ſolum Clericorum indigenarum, ſed etiam extraneorum. Hocque ſi verum eſt de beneficiis Regii patronatus; quantò magis verum erit de cœteris beneficiis, vel liberè ad Sedem Apoſtolicam, ad Epiſcopos, & Ordinarios locorum ſpectantibus; vel patronatus titulo pertinentibus ad Clericos, aut laicos inferiores?

26. *Secundò*, Rex quocumque modo nominans Clericos ad beneficia, vel quocumque modo in beneficiorum diſpenſatione sè immiſcens, non id facit auctoritate Regiâ laicali, nam *laicis, quamvis religioſis nulla de eccleſiaſticis facultatibus aliquid diſponendi legitur attributa facultas* (*a*); Sed id facit conceſſione gratioſâ Eccleſiæ: Non enim laicus conferre poteſt eccleſiaſtica beneficia, niſi ex privilegio gratioſo Eccleſiæ (*b*). Neque paritèr ad illa valet nominare, vel præſentare, Clericos jure patronatus, niſi ex conceſſione gratioſâ ipſius Eccleſiæ: juſpatronatus enim eſt gratia, per Eccleſiam conceſſa (*c*). Rex ergò, & quilibet alius laicus, hoc faciens, ſubintrat in locum Eccleſiæ, cujus auctoritate dicitur beneficia ordinare (*d*), & diſpenſare bona eccleſiaſtica (*e*), neque nominat, neque reſpectivè confert, niſi ut miniſter Eccleſiæ (*f*): In hocque officio dicitur merum inſtrumentum, & organum explicativum voluntatis Eccleſiæ (*g*). Non ergò majus, aliudvè

(a) *Cap. Laicis* 16. *qu.* 7.

(b) *Decius, & alii DD. in c.* 2. *de Judic. col.* 7. *Mart. de juriſd. p.* 2. *c.* 40. *n.* 2.

(c) *Vivian. de Jurepatr. p.* 1. *l.* 2. *c.* 2. *num.* 35. *& l.* 2. *c.* 9. *n.* 8 *& p.* 2. *l.* 7. *c.* 2. *n.* 5.

(d) *Vivian. p.* 2. *l.* 5. *c.* 1. *n.* 5.

(e) *Petr. Aragonius in D. Thom.* 2. 2. *qu.* 63. *art.* 2. *§. Tertio Concluſio.*

(f) *Marta de Juriſd. p.* 2. *c.* 40. *n.* 13.

(g) *Card. de Luca de benef. diſc.* 9. *n.* 12. *Lotter. de benef. l.* 2. *qu.* 6. *n.* 46 47 *Fagnan. in cap. quod nobis n.* 42 *de Cland. deſponſat.*

aliudvè habet jus Rex ſubſtitutus, quam habeat Eccleſia ſubſtituens; ſed Rex beneficia ad ſuam diſpoſitionem pertinentia, æquè valet extraneis, ac indigenis impertiri; ergò etiam Eccleſia, & alii Eccleſiaſtici Miniſtri, tantundèm facere poſſunt de beneficiis, ad eorum diſpoſitionem pertinentibus. Et ſic quocumque modo ſumantur principia Contradictorum; ſub quocumque intuitu percipiatur poteſtas Regis Neapolis, quam habeat, sè in beneficiorum diſpenſatione miſcendi; nil aliud probat, niſi quod in eodem Regno, nedùm indigenis, verùm etiam extraneis patere debet acceſſus ad eccleſiaſtica beneficia.

C A P U T   XXXVII.

De libertate, quâ præditus eſt Rex Neapolis, præſentandi ad Beneficia ſui Regii patronatus etiam Clericos extraneos. Agiturque de Aſſenſu Regio, *ſivè de* Regio Exequatur, *quem, & qualem, ac ubinam locum habeat?*

S U M M A R I U M.

1 *Convenimus cum Contradictoribus, quod Rex poſſit beneficia ſui patronatus cuicumque præbere, & ſuſpectos excludere.*

2 *Papa tenetur ſtare promiſſis, nec detrahere debet Regi libertatem preſentandi quoſcumque Clericos ad beneficia ſui Regii patronatus.*

3 *Si poteſt Rex ad ſua; ergò etiam alii Collatores, & Nominatores admittere valent ad beneficia ſua Clericos extraneos.*

4 *Libertas admittendi extraneos non poteſt uni negari, quin tollatur & alii: ſicque argumentum Contradictorum nobis favet.*

5 *Rex poteſt excipere contrà Clericos rationabilitèr ſibi ſuſpectos, ne beneficia conſequantur. Sed hoc eſt verum etiam de indigenis ſuſpectis.*

6 *Non ſufficit, quod ſuſpicio ſit idealis, aliàs nullus eſſet Clericus, in quo non poſſet hæc proponi, ſicque tolleretur Eccleſię libertas.*

7 *Suſpicio debet eſſe rationabilis, & veriſimilis: talis autem non eſt illa, quę à ſolâ extraneitate patriæ deſumitur.*

8 *Clerici ſuſpecti à beneficiis excludi debent, quando ſunt rationabilitèr tales. Adducuntur de hac rè hiſtorię.*

9 *Eccleſia hoc ſemper ſervavit, & obſervat, ne præficiat beneficiis Clericos Populis, & Principi ſuſpectos. Afferuntur exempla hujus rei.*

10 *De jure poteſt Rex præſtare electionibus Præſulum aſſenſum, ſi habeat privilegium, at non proviſioni beneficiorum inferiorum.*

11 *Ubi deeſt privilegium, non poteſt* Aſſenſus Regius *interponi, nulliuſque valoris ſunt leges laicales, caventes oppoſitum.*

12 *Non licet Principi impedire, ne literæ Apoſtolicæ executioni dentur ſine aſſenſu Regio, niſi Rex habeat ſuper eâ rè privilegium.*

13 *Poteſtas Pontificalis eſt à Deo immediatè, nec poteſt ab hominibus impediri; ſeque diffundit per totum mundum.*

14 *Nulla*

14 *Nulla poteſt actio exerceri, quâ regius aſſenſus interponatur, quin excommunicatio Bullæ Cœnæ incurratur.*

15 *Bullæ beneficiales Papæ, & Epiſcoporum nullibi indigent Regio Exequatur, ſive aſſenſu regio, quia habent executionem paratam in ſuo territorio.*

16 *Nullus ex Catholicis, etiam inſenſiſſimis poteſtati eccleſiaſticæ, negat Papæ jus territoriale in toto orbe, cum plenâ poteſtate.*

17 *Impedire, nè literæ Apoſtolicæ executioni dentur ſine aſſenſu regio, pugnat cum immunitate, & libertate eccleſiaſticâ.*

18 *Non licet laicis reiicere Bullas Apoſtolicas, deferentes beneficia extraneis, ſed agendum eâ de rè eſt apud Judicem eccleſiaſticum.*

19 *Azorius, & Thomas del Bene ambigere videntur, an ullus Rex habeat privilegium interponendi aſſenſum regium Bullis beneficiorum.*

20 *Diana ſuſtinet, non licere laicis interponere aſſenſum regium, ſine Apoſtolico privilegio proviſionibus beneficiorum.*

21 *Nèc licere ulli Principi laico, ſine privilegio examinare literas Apoſtolicas, in eorum Statibus exequendas.*

22 *Papa non vult executioni dari ſuas literas, ſi veritati non nitantur: At de hoc non eſt agendum coram Judice laico, ſed eccleſiaſtico.*

23 *Rutilius Benzonius ſuſtinet, nullas eſſe leges laicorum, ſubiicientium literas Apoſtolicas beneficiales eorum examini.*

24 *Theologi ſentiunt, hanc examinationem literarum Apoſtolicarum Principi de jure non competere, quidquid aſſerant aliqui Juriſconſulti.*

25 Regium exequatur, *ſive* Placet, *laicali auctoritate juberi non poteſt, ſine incurſu cenſurarum, nec ſuffragantur prætextus in contrarium.*

26 *Non poteſt laicus impedire, ne poſſeſſio beneficiis ſine illius licentiâ ſuſcipiatur, vel ne beneficia exteris concedantur.*

27 *Non licet Principi temporali examinare præfatas literas, aliàs violat immunitatem eccleſiaſticam, & incidit in Bullam Cœnæ.*

28 *Quod ſi opus ſit de literarum ſinceritate diſcutere, id fieri debet coràm Judice eccleſiaſtico.*

29 *Regium exequatur non poteſt ad omnes literas Apoſtolicas, etiam Bullas generales extendi: reclamante Papâ contrà id quotannis in Bullâ Cœnæ.*

30 *Concordant ergò Doctores omnium Nationum in impugnando* Regium exequatur, *quod non niſi Apoſtolico privilegio ſalvari poteſt.*

1. NE prolungetur ultrà ſermo noſter optamus (*a*); Sed neceſſe eſt adhùc Contradictores audire, qui tandèm concludunt, quod duo certa ſunt, & omninò innegabilia: *primum*, poſſe Reges, qui Neapolitano Regno pro tempore dominantur, ad Eccleſias ſui Juris patronatus præſentare Clericos ſibi magis acceptos. Et *ſecundum*, poſſe Reges excludere quemcumque, ab aliis ad beneficia deſtinatum, ſi ſit eiſdem ſuſpectus. Quę ambo vera eſſe nos prompto animo confitemur, & pari alacritate non ambigimus affirmare, illa nihil omnimodè ipſorum Contradictorum cauſæ patrocinari. Nàm quoad primum; ecquid hucuſque nos apertis, ac repetitis eloquiis, inductionibus, illationibus, expreſſionibus, & motivis, probavimus, niſi quod Rex Neapolis ad beneficia ſui Regii Patronatus nominare, ſive pręſentare poteſt Clericos ſibi magis bene viſos, undecumque ortos, ac undecumque accerſitos, dummodò idoneos, & qualitatibus prędìtos, per ſacros Canones approbatis? Licuit hoc illis, ſemperque licebit: probavimus id hucuſque conſtantèr, ſemperque id conſtantiſſimè comprobabimus: & decus, & merces erit exiguitatis noſtræ calamo depugnaſſe, ut oſtendat, hanc libertatem Regi Neapolis eſſe debitam: eique à nobis hanc aſſeri, quæ ſcriptis Contradicto-

(a) *Ezechiel c.12 num.28.*

rum denegatur, ſi non apertè, & in recto, ſaltèm conſecutivè, & in obliquo.

2. Enim verò cum Summus Pontifex teneatur ſtare promiſſis, uti præcedenti Capitulo loquebamur (*a*), non poteſt detrahere Regi Neapolitanos Inveſtiturâ Regiâ decorato, libertatem nominandi Clericos ſibi magis acceptos ad beneficia, quæ ſive in ipsâ Inveſtiturâ, ſive in aliâ pactione declaravit, ad patronatum Regium pertinere: multò minùs autem hęc libertas Regi detrahi poteſt ab inferioribus Collatoribus beneficiorum, vel ab aliis quibuſcumque, eccleſiaſtici, vel laicalis ordinis viris: quippè Rex allegans pacta cum Apoſtolicâ Sede inita, & conceſſionem Inveſtituræ, vel alterius privilegii, cum expreſſione poteſtatis diſponendi per viam Juris patronatus de beneficiis ad sè pertinentibus, habet titulum juſtum, legalem, theologicum, & talem, quo vix meliorem habere poteſt: ideòque omnino debet in ſuo jure plenè, & liberè ſuſtineri. Nàm ſi hoc jus Regi obvenit ratione Inveſtituræ, cum hęc habeat naturam pacti, & contractus, ultrò citròque obligatorii (*b*); Pacta autèm, per quæ acquiſitum eſt jus Tertio, inviolabilitèr debeant obſervari (*c*); Sequitur, quod abſciſſio libertatis præſentandi quoslibet Clericos, etiam extraneos, ſit contrà amplitudinem pacti præfati, nullis limitibus coarctati, & per conſequens illicita, & injuſta. Si verò illud jus Rex habet ratione pacti, vel privilegii, notiſſimum eſt, quod allegans pactum, & privilegium, eſt in ejus liberâ poſſeſſione manutenendus (*d*). Et ideò ſub quocumque reſpectu conſideretur Juſpatronatus, Regi competens ad plurima beneficia Regni Neapolitani; tale eſt, ut libertate præſentandi Clericos extraneos, non minùs quam indigenas, omninò non valeat denudari.

(a) *Barboſ. jur. Eccl univ. l. 2. c. 2. n. 13. Decius in cap. Canonum lect. 2. de Conſt. n. 13.*

(b) *Camil. Borel. ſum. dec. 10. 1. tit 34 n. 564.*
(c) *Leg. final. ff. de pact. Seraph. dec. 341. numer. 18.*

(d) *Seraph. deciſ. 595. n. 2.*

3. Conſentimus ergò in hoc cum Contradictoribus, & ſi eorum facta expreſſionibus correſpondent, tam ipſi nobiſcum, quam nos cum ipſis, pro Rege in eodem ſtadio pugnamus. Sed hoc quid proficit eorum cauſę? Nedum illis non proficit, ſed imò probat ex diametro totum oppoſitum intentionis ipſorum: probat enim *primò*, quod Rex pro tempore dominans Regno Neapolis, tamquam poteſtate ditatus nominandi Clericos, beneficiis patronatus Regii præficiendos, plenâ libertate potitur ad ea nominandi, tum Clericos extraneos, tum indigenas, abſque eo quod hujuſmodi libertas, neque à Papâ, neque ab Epiſcopis, neque à Clericis, neque à Laicis, nec in recto, nec in obliquo, ei debeat minorari. Hocque probato, probat *ſecundò*, quod etiam à pari, vel ex conſequenti, ſicuti Rex, organum in hac parte, & miniſter Eccleſiæ (*e*), valet ad beneficia ſui patronatus Clericos extraneos cum indigenis præſentare; ità etiam alii, tam Clerici, quam Laici, quibus competit jus conferendi beneficia, vel reſpectivè ad ea nominandi, tamquam & ipſi in hac parte miniſtri Eccleſiæ, pari cum Rege libertate potiuntur ad eadem non modo Clericos indigenas, verum etiam extraneos, admittendi. Quid etenim in hoc plus juris habet Rex in patronatibus Regiis, quam Principes, & Barones, aliique incolę Regni Neapolitani, in patronatibus gentilitiis eorum Domuum? Quid plus juris in hoc habet Rex in patronatibus Regiis, quam habeant Papa, Epiſcopi, & alii Clerici beneficiorum Collatores, in beneficiis, ad eorum liberam Collationem pertinentibus? Nonnè omnes ſunt Eccleſiæ miniſtri, & Eccleſiæ nomine, atque auctoritate beneficia conferunt, vel reſpectivè ad ea præſentant?

(e) *Card. de Luc. de benef. diſc. 9. n. 12. Fagnan. in c. quod. nobis n. 42. de Clandeſt. deſponſ. Marta de juriſd. p. 4. cent. 1 caſ. 46 n. 13*

4. *Tertiò* probat, quod eſt talitèr connexa cauſa Regis cum cauſa omnium, ad quos pertinet in Regno Neapolitano beneficia ſacra conferre, ſive ad illa nominare; ut libertas admittendi ad eadem Clericos extraneos, non poſſit tolli Papæ, Epiſcopis, & aliis Clericis, aut Laicis, beneficiorum Collatoribus, vel reſpectivè ad illa Nominatoribus; quin decerpatur & Regi pro beneficiis ſui Regii patronatus: nec poteſt decerpi Regi, quin abſcindatur & Papæ, & Epiſcopis, aliiſque præfatis Clericis, aut Laicis, beneficiorum Collatoribus, aut reſpectivè ad illa Nominatoribus: nèc vel tantillum unus ex iſtis impeti poteſt in recto, quin & alter ſaucietur in obliquo; & ità hujuſmodi libertas, vel cunctis eſt abſtrahenda, vel nulli. Cunctis eam abſtrahere, eſt moralitèr, politicè, & naturalitèr impoſſibile: ergò

cun-

cunctis eſt in ſuâ integritate ſinenda. Itàque ratio hæc, ſivè motivum, à Contradictoribus allegatum, eſt tale, ut nedum libertatem Eccleſię, in admittendo Clericos extraneos ad eccleſiaſtica beneficia, non infirmet, ſed imò potiùs convalidet, ac faciat prævalere.

5. Quoàd *ſecundum* quoque aſſumptum, nimirum quod Regi Neapolis licitum ſit contrà Clericos proviſos eccleſiaſticis beneficiis excipere, quoties ipſi ſint eidem ſuſpecti; hoc paritèr veriſſimum eſſe dicimus, & paſſim à Doctoribus approbatum (*a*). Verùm hoc *primò*, tàm ſe porrigit ad indigenas, quàm ad extraneos. Non minus enim indigenę, quam extranei, eſſe poſſunt aliquâ de cauſâ ſuſpecti. *Secundò* locum habet, non ſemper, nec contrà omnes, ſivè à Papâ, ſivè ab Epiſcopis, & Ordinariis proviſos, aut à Patronis, Clericis, aut Laicis nominatos; ſed ſolummodò contrà illos, qui rè verâ, & ex motivis veris, non verò fictis, probabilique ratione, non vero commentitiâ, & ideali, ac merè poſſibili; qui demùm titulis juſtis, & rationalibus ſunt ſuſpecti (*b*). De hoc expoſtulatus Honorius PP. III. à Friderico II. Imperatore, ac utriuſque Siciliæ Rege, ità illi reſpondit, *non intendimus promovere ſuſpectos, dummodo non ultrà, notam ſuſpicionis extendas, quam rationis tramites patiantur* (*c*). Quid ſit autem notam ſuſpicionis ultrà terminos, quam rationis tramites patiantur, extendere; quiſque prudens, & peritus rerum ponderator benè cognoſcit: eſt nempè prò ſuſpectis allegare Clericos, in quibus nulla probabilis, & rationabilis ſuſpicionis cauſa concurrit. Oportet ergò, quod proviſi beneficiis eccleſiaſticis à Pontifice, vel ab Epiſcopis, vel ab aliis Clericis, aut Laicis, collatoribus, & reſpectivè patronis beneficiorum, ſint veracitèr, & non fictè, Regi Neapolis ſuſpecti, ad hoc ut ſecundum Deum, & homines, licitè valeant à beneficiis adipiſcendis ratione ſuſpicionis arceri: alioquin ſi ex ſolo pretextu arbitrariæ voluntatis, ad hoc ut beneficiis præfici non valeant Clerici, niſi illi, quos, & quales vult Princeps, denegatur aſſenſus Regius, provocabuntur eloquia, quibus Hincmarus Remenſis ad aures Ludovici III. Francorum Regis altis ejulatibus declamavit: ſi diſpenſatores beneficiorum *illum debent eligere, quem vos vultis, & quem jubetis* (*quæ non eſt divinæ legis electio, ſed humanæ poteſtatis extorſio*) *ſi ità eſt &c, ille malignus ſpiritus, qui per ſerpentem primos parentes noſtros in Paradiſo decepit, & indè eos ejecit, per adulatores in aures veſtras hæc ſibilat, quià hoc in ſcripturis, tam veteris, quam novi Teſtamenti, non continetur, neque in Catholicorum dictis, vel ſacris Canonibus, nec etiam in legibus, à Chriſtianis Imperatoribus, & Regibus promulgatis, hoc ſcriptum, vel decretum invenitur; ſed talia dicta Infernus evomuit* (*d*).

6. Non itàque ſufficit, quod frivolo aliquo titulo, & mendicato pretextu, atque ideali proponatur contrà Clericum nonnulla umbratilis, remota, effimera, & larvalis imaginatio ſuſpicionis merè poſſibilis, in concavo lunæ exiſtens, vel in ſpatiis imaginariis deliteſcens, quæ poſſit Regias res facere *trepidare timore, ubi non erat timor* (*e*). Quippè hoc modo nullus Clericus poſſet conſequi beneficia, quià nullus eſt Clericus, contrà quem non valeat aliquis, aut periculum, aut ſuſpicionem periculi, comminiſci: *Periculis fluminum*, inquiebat Apoſtolus, *periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus* (*f*). Nihil demùm eſt ſinè periculo, ità ut etiam in ſomno ſit periculum ſuffocationis: In cibo ſit periculum veneni: In motu ſit periculum lapſus, & præcipitii, & ſic de aliis. Undè ſicut in cunctis rebus nihil eſt ſinè periculo; ſic & nullus Clericus eſt, in quo non poſſit conſiderari periculum: ſivè ſit extraneus, ſivè indigena: etiam ſi ſit ſubditus, & etiam ſi eſſet Conſanguineus Regis. Nullus inquam ex his eſt, cui vel ex uno, vel ex alio capite; vel magis, vel minus remotè; non poſſit ratio aliqua ſuſpicionis iņuri. Et ſic, ſi ad pericula, & ſuſpiciones tales debet attendi, oportebit cuncta beneficia de medio tollere; ne unquàm dentur Clericis, cum nullus ſit

(a) *Afflict.q.18.n.7. Cabed.de patron. Reg. Coron.c.37.n.5.Mart. de juriſd.p.2.c. 40.n. 26.*

(b) *Germanius de ſacroſ. Immun.l.3.c.11. n.21. & 24. Vivian. de Iurepatr.l.2. c.9.n.20.*

(c) *Odoric.Raynald. ann.1226.n.9.*

(d) *Hincmar. Remenſ. epiſt. ad Ludovic. III. c.1.in opuſc.Hincmar. f.603 & in Bibliot.Veter.Patr.tom.16.f.601*

(e) *Pſalm. 13. n. 5.*

(f) *2. Corinth, cap. 11.n.26.*

ſit Clericus, de quo, vel uno, vel altero modo; ſivè magis, ſivè minùs remotè, qui ſuſpicari vult, non valeat ſuſpicari: vel omninò neceſſarium erit nullum ad beneficium quodcumque provehere, niſi quem Princeps abſolute voluerit, *quę non eſt divinæ legis electio, ſed humanæ poteſtatis extorſio*, inquiebat Hincmarus: hoc modo namquè non jam Papa, & Epiſcopi, ac Ordinarii locorum; non jam eccleſiaſtici, aut laici Patroni beneficiorum, eadem conferent, vel reſpectivè ad ea nominabunt, ſed cuncta beneficia ſi non directè, certè indirectè, conferet Rex, qui pro tempore Regno Neapolis præſidebit.

7. Suſpicio ergò, & periculum in Clerico, à beneficiis Regni Neapolitani repellendo, debet eſſe rationabilis, probabilis, veriſimilis, & talis, quę prudentèr, & moralitèr loquendo, immineat, aliquodque notabile detrimentum Regi, Regno, ac publicæ quieti, ſit illatura: talis autem non eſt ſuſpicio illa, quæ à ſolâ extraneitate patriæ Clerici deſumitur (a), præſertim ſi patriâ non hoſtili, vel à Natione prodeat, nihil inimicitiæ, nihil æmulationis habente cum Regno, vel Rege Neapolitano. Nàm ſi Clericus è Statu Eccleſiaſtico, ex Etruriâ, ex Inſubriâ, ex Liguriâ, & ſimilibus Italiæ locis, trahat originem, intèr quæ loca, & Regnum Neapolis, nulla intercedit hoſtilitas, & diſcrepantia, ſed plena, & integra conſenſio, (ità ut hinc indè ultrò citròque intercurrant, ac permeent, & ſuſcipiantur homines, cambia, feuda, commercia, mercaturę, Nobiles, Cives, Famuli, Monachi, Milites, Cauſidici, Artifices, Advocati, Lectores, & imò plures ex his Nationibus poſſideant in Regno illo etiam Oppida, & Civitates, cum Ducatus, & Principatus honore.) Eccur ſoli Clerici iſtorum locorum habendi ſunt in ipſo Regno prò periculoſis, & ſuſpectis? In quo fundata eſt iſta ſuſpicio, & periculum? in ſolâ poſſibilitate, quod machinentur malum? At hæc poſſibilitas, reduplicata ſuper nudam extraneitatem ratione originis, eſt merè idealis, & captioſa, improbabilis, & moralitèr inveriſimilis, ideòque non attendenda. Vel ſi attendenda, cum hæc poſſibilitas æquè accidat in indigenis, ac in extraneis, oportebit etiàm indigenas à beneficiis eccleſiaſticis excludere. Et cum æquè accidat quoque in Monachis Mercatoribus, Artificibus, Doctoribus, Militibus, Famulis, & in Magnatibus feuda tenentibus, atque in aliis præmemoratis; oportebit etiam hos omnes à Regno Neapolis ablegare, quod non eſt ſapere, ſed delirare.

(a) *Vid. ſupr. tom.1. ſæcul.12.c.33 n.10.11*

8. Sanè in infauſto illo, ac deplorando diſſidio, quod invaluit intèr Philippum IV. agnomine Pulchrum, Regem Gallię, ac Bonifacium Papam VIII. Philippus adversùs Bonifacium declamabat, quod beneficia Epiſcopalia ſui Regni Clericis non ſibi gratis fuiſſet elargitus. Verùm Cardinales, qui cuncta diſſidii capita congruis reſponſionibus diluerumt; hunc articulum ſatis evacuatum eſſe cenſuerunt, dicendo, proviſos illos debuiſſe eſſe gratos Philippo, quippè non ei erant *probabili ratione* ſuſpecti. *Noſtræ*, inquiunt, *memoriæ non occurit, quod Cathedralibus Eccleſiis dicti Regni providerit de perſonis Italicis, niſi Bituricenſi, & Attrebatenſi Eccleſiis, quibus de perſonis providit, ipſi Regi non ſuſpectis, & Regno: quorum eminens ſcientia latè patet, nec ſunt eorum conditiones incognitæ: multis verò aliis Eccleſiis Cathedralibus providit de perſonis oriundis de Regno prædicto, nec Regi, nec Regno prædictis probabili ratione ſuſpectis*. Et paulo poſt: *Invenietis pro uno Extraneo, cui eſt per iſtum Dominum in dicto Regno proviſum, ferè centum, qui de prædicto Regno traxerunt originem, ab eo proviſionis gratiam accepiſſe* (b). Paritèr Innocentii Papæ III. tempore, cum Princeps Pictavienſis obſiſteret Ademaro, electo ad beneficium Epiſcopale illius Eccleſiæ, tamquam ſibi ſuſpecto; Pontifex totâ rerum allegatione diſcuſsâ, visâque levitate rationum decantatæ ſuſpicionis; electionem ipſam plenum ſortiri effectum voluit, & electum in adeptæ dignitatis aſſecutione foveri (c). Quo utroque facto docemur, rationem quidem habendam eſſe ſuſpicionis in Clericis, ad beneficia promovendis, ſed quoties hęc eſt frivola, commentitia, & non probabili rationi eſt inhęrens; ſpernendam eſſe, ac pro nihilo reputandam.

(b) *Hiſt. Univerſitat. Pariſienſ. tom.4. ſæcul. 6 f.27.*

(c) *Innoc. III. epiſt. ad Ademarum Pictavienſ. tom.1. l.1 f.36.*

9. Nec

9. Nec ulli, ſacræ Antiquitatis, & Diſciplinæ Eccleſiaſticæ perito, incompertum eſt, quod totâ condeſcenſione ſemper in hoc sè flexit Eccleſia, ut beneficia, præſertim curam Animarum præſeferentia, non dentur, niſi Clericis populo gratis, & acceptis, ut ex ſacris Canonibus (*a*), & ex epiſtolis Romanorum Pontificum eniteſcit (*b*). Multò magis autem intendit, ut promovendi non ſint ingrati, aut ſuſpecti Principi terreno, in cujus ditione ſacra beneficia continentur. Supèr quo nè à Regno Neapolis diſcedamus, notum eſt, quod Gregorius Papa IX. Friderico II. Imperatori, & Regi illius Regionis, quantumvis de Eccleſiâ malè merito, favens; totam adhibuit ſollicitudinem, ne in ipſo Regno, quiſquam ad Epiſcopale aſcenderet beneficium, qui eidem Principi eſſe poſſet probabili ratione ſuſpectus (*c*). Paritèr Nicolaus Papa IV. favore Caroli Claudi Regis, decrevit, ne cuiquam liceret Eccleſias intrà illius Dominii limites adipiſci, quem Rex ipſe haberet juſtâ ex ratione ſuſpectum (*d*). Quam ob cauſam de facto Carolo II. Rege intercedente, Landulphus Cardinalis in Regno Neapolitano Legatus, inter coelectos ad beneficium Epiſcopale Cathedralis Melitenſis, Manfredum Ciphonium, ejuſdem Eccleſiæ Canonicum, & conſequentèr indigenam, poſtpoſuit, eo quod hoſtium Caroli partes fuiſſet ſectitatus; & Andream Abbatem S. Stephani Diœceſis Squillacenſis, tametſi extraneum à Melito, & Eccleſię Abbatiali S. Stephani deſponſatum, totalitèr prælegit (*e*). Demùm Nicolaus Papa V. ad interpellationem Alphonſi Regis, Eccleſiam Terracinenſem Alexandro Cajetano, cui eam deſtinaverat, non contulit, tamquam Regi odioſo; ſed illam Leonello Subdiacono Surrentino, licet extraneo eſt largitus (*f*). Verùm hoc intelligitur pro ſolis caſibus, & adverſus illos ſolos Clericos, tum extraneos, tum indigenas, in quibus verè cadere poteſt ſuſpicio rationabilis, & veriſimilis alicujus præjudicii, Principi, vel bono publico inferendi.

(a) *Cap. illud 5. diſt. 23. c. nullus 3. & ibi gloſ. V. invitis diſt. 61. c. 4. 5. 6. diſt. 92. c. licet 8. qu. 1.*

(b) *S. Leo epiſt. 84. c. 5. Caleſt. 1. epl. 2. c. 5.*

(c) *Gregor. IX. epl. 17 ad Frider. II.*

(d) *Nicol. IV. Bulla ſub die 28. Junii ann. 1288.*

(e) *Ughell. Ital. ſacr. to. 1. in Epiſc. Militen. n. 16.*

(f) *Idem Ughellius in Epiſcop. Terracinenſ.*

10. Hinc ipſum jus Canonicum approbavit, quod poſſit Regi competere facultas præſtandi *aſſenſum* electionibus Antiſtitum, & Abbatum, nempè Clerico in Antiſtitem, vel Abbatem electo, poſt electionem factam, & dummodò electio facta fuerit liberè ab iis, ad quos eam pertinet celebrare? Textus eſt expreſſus in jure, ubi dicitur: Factâ electione, *non prohibemus quin Regis &c. qui pro tempore fuerit requiratur aſſenſus, ſed propter hoc ipſam electionem nolumus impediri* (*g*), intelligitur hoc de caſu, in quo Rex habeat privilegium: quarè ibi Auguſtinus Barboſa ſcribit: *Notatur ad hoc, quod privilegio, vel conſuetudine poſſunt Reges habere jus nominandi Epiſcopos, vel eorum electioni aſſenſum præſtandi* (*h*), ſed cum ſimus in odioſis, jus iſtud ſi cui competit *aſſenſum Regium* præbendi quoad beneficia Epiſcopalia, & Abbatialia, ſeu ut habet textus, *Conventualia*, non extenditur ad alia beneficia minoris Ordinis, tum ne onus eccleſiaſticæ libertati imponatur, ultrà metam à jure permiſſam: tùm etiam quia beneficia minoris ordinis, valdè ſunt diverſa ab Epiſcopalibus, & Conventualibus: à diverſis autem, ex notiſſimis (*i*). Tùm demum quia ex proviſione beneficiorum inferiorum ceſſat ratio ſuſpicionis, ob quam ſibi Rex debeat poſſe cavere, Proviſo aſſenſum prębendo.

(g) *Cap. cum terra 14. de Elect.*

(h) *Barboſ. in d. cap. cum terra n. 7. de elect.*

(i) *L. ult. in fin & ibi Bart. ff. de Calumniat. Grat. diſcept. for. to. 3. c. 516. n. 6. & c. 524. n. 16. & to. 1. c. 819. n. 20. Barboſ. Axiom. 114.*

11. Ubi autem privilegium hoc, ad terminos præfati juris aptatum, deeſt, vel Indultum Apoſtolicum, aut immemorabilis conſuetudo, cum famâ privilegii, indulti præfati, & quidem talis naturæ, ut ad beneficiarios, nedum Epiſcopales, & Abbatiales, ſed etiam ad alios ordinis inferioris, protendatur; Jus *aſſenſum Regium* præbendi locum non habet: neque retinendi Bullas Apoſtolicas, & eaſdem examinandi, recognoſcendi, excribrandi, illarumque executionem impediendi, vel remorandi, ſive beneficiariis novitèr proviſis *Aſſenſum Regium* denegandi, ob quem à capiendâ poſſeſſione beneficii obtenti impediantur. Nam hæc omnia Eccleſiaſticæ libertati ſunt contraria: *quia Eccleſia habet jus immittendi Clericos in poſſeſſionem beneficiorum, & Clerici ex tali ſtatuto redduntur timidiores, Laici autem audaciores* (*l*). Undè leges, & ſtatuta, caventia, ne quis poſſeſſionem beneficii apprehendat ſine facultate Principis, ſuorumve miniſtrorum, ſunt nulla, invalida, & Eccleſiaſticæ

(l) *Thomas del Bene de Immun. c. 8. dub. 10. n. 4. & 16.*

Digitized by Google

ſiaſticæ Immunitati contraria (niſi id faciat Princeps ex privilegio Apoſtolico) poſſuntque iſtæ leges impunè contemni, & poſſeſſio apprehendi, abſque incurſu pœnarum: ſi leges illę, ut innuimus, merè ſint laicales (*a*), Eccleſia enim de ſui naturâ libera eſt, ab hoc jugo prę̄ſtolandi aſſenſus Regii generalitèr eſt exempta, & ex hiſtoriis innoteſcit eam ab hujuſmodi onere ſe pro viribus exemiſſe (*b*).

12. Examinant hanc quęſtionem Doctores, & illi, qui veritati ſcribunt, non politicè Principibus adulantur, in eo ſenſu conveniunt, quod literis Apoſtolicis executio negari non poteſt, ſub prætextu aſſenſus Regii præſtandi, & quod leges ſæculares, caventes, ne quis poſſeſſionem apprehendere poſſit beneficiorum, ſinè impetrato aſſenſu Principis, illiuſve miniſtrorum, injuſtę ſunt, & inanes. Quâ de rè Alexander *Peſantius Romanus* ait, *dico cum communi ſententiâ Canoniſtarum, quos refert Felynus* (*c*), has leges *non valere, quoniam derogant Eccleſiaſticæ Immunitati: Eccleſia enim habet jus, & poteſtatem mittendi Clericos in poſſeſſionem Eccleſiarum, & beneficiorum. Itâ omnes Canoniſtæ &c.* (*d*). Similitèr Vincentius. *Fillucius* Etruſcus ſcribit, Principes quoàd literas Apoſtolicas, *ſive ſimplicitèr impediant, quià ſcilicèt nullâ ratione volunt prædictas literas executioni mandari; ſive ſecundum quid, quia ſcilicèt requirunt beneplacitum proprium, conſenſum, examen; ſive apertè impediant, prohibendo expreſſè, nè citationes, monitoria, & alia dicta executioni mandentur, ſive aliâ ratione, ut non permittendo executores in ſuo territorio ingredi, vel à quoquam recipi; ſive denique de mandato alterius hoc faciant, utpote Principis mandantis, ne admittant Clericos ad poſſeſſionem beneficiorum accipiendam in ſuis locis, in omnibus his caſibus incurrunt* excommunicationem Bullæ Cœnę: *Debent enim ab iis actionibus prohibitis abſtinere, niſi ſciant Principem habere de hâc rè privilegium à Papâ* (*e*).

13. Et ratio evidens, atque à priori eſt hæc. *Primò* quià poteſtas Pontificis, & Eccleſiæ, non eſt ab hominibus, ſed à Deo immediate (*f*), ergò non poteſt à Principibus, eorumve miniſtris impediri, minorari, fruſtrari, vel alio modo infirmari. Nam ſi par in parem non habet imperium (*g*), multò minùs imperium habet inferior in ſuperiorem: ſuperior autem ſinè dubio eſt poteſtas eccleſiaſtica poteſtati ſæculari, & auctoritas Pontificis Regiæ facultati (*h*). *Secundò*, quia in unoquoque Regno, Provinciâ, & loco, duplex eſt Principatus, eccleſiaſticus, & ſæcularis (*i*). Non minus autem eſt ſuprema poteſtas Pontificis in quolibet loco, quoàd ſpiritualia, quàm ſit ſuprema poteſtas Principis ſæcularis quoàd temporalia (*l*), ergò poteſtas Pontificis impediri non valet in executione ſuarum literarum, quas tinenti ab eo beneficium concedit. *Tertiò*, quià nullus ex Monarchis, & Principibus ſupremis, nunc exiſtentibus, eſt in aliquâ mundi parte, quin ibidem ſit prior poteſtas Pontificalis. Poteſtas enim Pontificalis incæpit à Chriſto, vel à Petro ejus Vicario: cunctæ autem Dynaſtiæ temporales, nunc ſubſiſtentes, incæperunt dudum poſt tempora Chriſti, & Petri; Nam Imperium Romanum, quod tùnc erat, nunc eſt prorſus deſtructum: alia verò Regna, & Principatus, ex ruderibus ipſius Imperii emerſerunt: cumque prior in tempore ſit etiam potior in Jure (*m*), non potuerunt emergere novæ temporales Dynaſtiæ in præjudicium anterioris poteſtatis Pontificalis, & iſtius exercitium impedire.

14. Sed pergamus audire alios, aliarumque nationum Doctores. *Valerius Reginaldus* Burgundus, expendens Excommunicationem 13. in Bullâ Cœnæ contentam, contrà eos, qui prohibent exequi literas Apoſtolicas ſinè illorum aſſenſu, ait, *Notandum eſt ſextò circa verba*, ſinè eorum beneplacito, conſenſu, vel examine, *quodcumque horum trium interveniat ſufficere ad incurrendam hanc Cenſuram, hoc eſt ſivè Magiſtratus prohibeat executioni mandari Scripturas Apoſtolicas ſinè ſuo beneplacito, & conſenſu, quæ duo in idem recidunt, etiam ſi de examine nihil curet: ſivè contrà prohibeat executioni mandari ſinè ſuo examine, ſed itaut nolit requiri ſuum conſenſum, ſed ſolum velit eas examinare, & poſt examen reddere ità illæſas, & immutatas, ac accepit, nullo addito ſigno, vel notâ ſui conſenſus* (*n*).

(a) *Idem loc. cit. n. 15 & 17. & c. 9. dub. 33. per tot.*
(b) *Vid ſupr. tom. 1. Sæcul. 12 c. 28 n. 15. & c. 33 n. 2. & alibi.*
(c) *Felyn. c. Eccl. S. Mariæ de Conſtit n. 96*
(d) *Alex. Peſantius in 1. 2. D. Thom de Immun. q. 108, art. 4 diſp. 10.*
(e) *Vincent. Filliuc. to. 1. tr. 16 c 5 n. 202.*
(f) *Matthæi c. 16. n. 19. Joann. cap. 21. n. 15.*
(g) *L. nam & ff de recept. arbitr. cap denique c inferior. diſt. 21 Jura alia & DD. ap. Barboſ. Axiom. 174.*
(h) *Cap unam ſanctã Extr. de Major. & Obed.*
(i) *Cap. duo ſunt 90. diſt 96.*
(l) *Reginald. tom. 1. lib. 9. c. 22. n 338.*
(m) *C. qui prior. 54. de reg. jur. in 6 l. qui balneum l potior. ff. qui potiores &c. DD. apud Barboſ. a SS. 1.*
(n) *Reginald. prax for. pœnit. l. 8, c. 21, n. num. 325.*

Adeo

Adeò certum eſt, nullam poſſe actionem exerceri, per quam Regius aſſenſus, ſivè in ſcriptis expreſsè, ſivè alitèr ſinè ſcriptis interponatur, quin excommunicatio protinus incurratur, in Bullâ Cœnæ contenta: Intelligendo ſemper, niſi Princeps habeat ex Apoſtolico indulto, quod aſſenſum iſtum valeat interponere.

15. Sanè literæ beneficiales, hucuſque per Epiſcopos, & locorum Ordinarios exaratæ, favore cujuslibet Clerici, nullibi, quod ſciamus, indiguerunt *Regio Exequatur*, neque oneri *Placet Regii* obtinendi proſtratæ fuerunt, itaut paſſim Archiepiſcopi, Epiſcopi, aliique locorum Ordinarii, ſuas Bullas ediderint favore Clericorum, de Parochiis, Canonicatibus, Manſionariis, Præbendis, & ſimplicibus beneficiis, & Proviſi poſſeſſionem beneficiorum adepti ſint, abſque aliâ Regiâ executoriâ. Cur autem hoc? Profectò non ob aliud, niſi quià Bullæ Ordinarii habent executionem paratam, tanquam editæ à legitimo ſuperiore, habeute jus exercendi ſuam ordinariam poteſtatem in ſuo territorio. At etiam Bullæ Apoſtolicæ habent executionem paratam (*a*). Etiam Summus Pontifex habet juriſdictionem territorialem in locis, in quibus erecta ſunt beneficia eccleſiaſtica, quæ confert; ideoque dicitur communitèr, quod Papa habet totum Orbem prò territorii (*b*), & in quâlibet mundi parte facere poteſt quidquid ibi valet facere Diœceſanus: cum ipſe ſit Ordinarius Ordinariorum (*c*); ergò illius Bullæ, ſivè literæ beneficiales nullibi ſubjacere debent aſſenſui, per laicos Principes adiiciendo, extrà loca prædita privilegio, vi cujus debeat aſſenſus ipſe preſtari.

16. Hocque eſt adeò verum, ut etiam juxtà Doctrinam Cardinalis de Luca, Principes ſeculares, qui de facto impediunt executionem literarum Apoſtolicarum, & proviſionum beneficialium abſque illorum ſcientiâ, & conſenſu, *non id referant negationi territorii, quodque Papa indigeat communicatione aliquâ juriſdictionis, ac poteſtatis Principis ſæcularis in cauſis Eccleſiaſticis, ac ſpiritualibus, cum nullius ex Catholicis Scriptoribus id aſſerat, etiam ex iis, qui Eccleſiaſticæ poteſtati inſenſiſſimi expreſſè damnati ſunt ab Eccleſiâ, eorumque lectura eſt interdicta* (*d*), *ſed id referunt eidem extrajudiciali notitiæ de facto, quam expedit habere de omnibus iis, quæ in proprio Dominio, vel Principatu contingunt, nè ſub hoc pallio, vel prætextu, publicæ quieti Principatus, ac Reipublicæ regimini, & juribus præjudicia generentur, & ſic per quandam ſpeciem notitiæ extrajudicialis de facto* (*e*). Qui tamen obtentus notitiæ extrajuditialis, non juſtificat interpoſitionem regii aſſenſus, niſi accedat Apoſtolicum privilegium: nam ſi Papa in loco beneficii habet jus territoriale, quoad res Eccleſiaſticas, cum totâ juriſdictione, quæ illi competit, tamquam Vicario Chriſti (*f*); nulli poteſt licere aliquid, quod ejuſdem juriſdictionis exercitium, ſub prætextu interponendi Regii aſſenſus, impediat.

17. Audiamus quoque *Joannem Azorium* Luſitanum, Virum Doctrinâ, & pietate maximè commendatum (*g*). Quærit ipſe, an cum immunitate, libertateque Eccleſiaſticâ pugnent eæ leges Principum, quibus ſtatuitur, nè beneficia eccleſiaſtica conferantur externis, nève illis ſolvantur ex beneficiis penſiones; nè admittantur literæ, ſivè diplomata Pontificia, quæ derogant juripatronatus Principum; nè literæ Pontificiæ executioni mandentur, niſi in Curiâ Regiâ per Regios Judices prius diſcutiantur, vel niſi Rex ipſe, aut Princeps ſuum aſſenſum ante præſtiterit, quo annuat, ut Pontificiæ literæ executioni tradantur (*h*). Et reſpondet, hæc omnia cum immunitate Eccleſiaſticâ pugnare, non obſtante opinione contrariâ Covarruviæ, ſatagentis hæc fucare variis rationibus, vel ratiunculis, & hac intèr alias, nè contingat aliquos Eccleſiis præfici, qui ſint Regis inimici, vel ipſi minus accepti, vel etiam infenſi. Ait enim Azorius: *Unus eſt omnium conſenſus Auctorum, poſſe Romanorum Pontificem juripatronatus laicorum derogare, ſi velit, ac proindè, ſi deroget, violentiam, aut injuriam laicis non inferre, quia utitur jure ſuo, & ſolum id jus adimit laico, quod habet ab Eccleſiâ, & hoc docent Gloſſa, & Archidiaconus, Innocentius, & Abbas, quos refert Covarruvias* (*i*).

(a) *Card. de Luca de benef. diſc. 72. n. 5. 6.*

(b) *Felyn. in c. gratiæ n. 2 poſt med. verſ. Et hoc de Off. Ordin. Barboſ. Jur. Eccleſ. Univ. l. 1. c. 2. n. 13.*

(c) *Borel. Sum. Deciſ. to. 1 tit. 4 n 10 Gomez. in proœm reg. Canc. qu. 2 Franc. Marc. qu. 249 n. 1. p. 2. Barboſ. loc. cit. n. 15.*

(d) *Salgad. in tract. de retent. Bullar. & reg poteſt.*

(e) *De Luca Rel. Rom. Cur. diſc. 2. n. 36.*

(f) *Cap. inter corporalia cap. quanto cap. licet de transl. Epiſc. Franc Marcus dec. 1321. nu. 1. to. 1. Barboſ. Jur. Eccleſ. Univ. l. 1. c. 2. n. 17.*

(g) *Anton Baldaſſar. Compendios. Riſtretto &c. in Gio: Azorio fol. 76.*

(h) *Azor. Inſtit. mor. p. 2. l. 5. c. 14. qu. 3.*

(i) *Didac. Covarruv. pract. quæſt. c. 36.*

18. Sub-

18. Subdit Azorius, non licere Civilibus Magiſtratibus literas Pontificias reiicere, aut excludere, deferentes eccleſiaſtica beneficia Clericis extraneis, ſed debere excipere de talium literarum ſubreptione apud Judicem Eccleſiaſticum, qui perpendat, an adſit privilegium Apoſtolicum, excludens extraneos nec ne? Item non eis licitum eſſe impedire, nè Penſiones e beneficiis ſolvantur Clericis alterius Nationis, quia hæc eſt Cauſa Eccleſiaſtica, non Sæcularis (*a*). Deindè tranſit ad alium quæſitum hoc modo: *Quæritur, liceatnè Civilibus Magiſtratibus literas Apoſtolicas, ad Provincias, vel Regna directas, de Cauſis Spiritualibus, & Eccleſiaſticis recognoſcere, diſcutereque, falſæ nec ne ſint, ſubreptitiæ, an legitimæ* (*b*), & contrà eundem Covarruviam reſpondet negativè, niſi id faciant privilegio, beneficio, & conſenſu Romani Pontificis, qui poteſt, ſi velit, juſtâ de câusâ, id Regibus, vel Principibus demandare, atque committere: ut ipſi non auctoritate, & poteſtate civili, Regiâ, vel Imperatoriâ, quam habent, literas Apoſtolicas recognoſcant, relegant, diſcutiant, ſed auctoritate Pontificiâ ipſis delegatâ, & eiſdem commiſſâ, ut tamquam Romani Pontificis ad id delegati Miniſtri id faciant, & executioni mandandas curent. Quam poteſtatem habeat nec nè hic Rex, & Princeps, aut ille, quæſtio eſt facti, non juris: ipſi Reges, & Principes videant, inquit idem Azorius, veluti dubitans de eâ (*c*).

19. Thomas quoque del Bene ambigere videtur, an dentur Principes, quibus rè verâ conceſſum fuerit hoc privilegium, & quatenus conceſſum fuerit, an revocatum ſit per Bullam Cœnæ, & per Bullam Urbani VIII. præſervantis jura Sedis Apoſtolicæ (*d*). Utcumque ſit, ait Azorius, quod ſinè Apoſtolico Diplomate, nec *Regius aſſenſus* interponi, neque Bullæ, aut literæ Pontificiæ licitè poſſunt retineri, & examinari à Judice laico. Non negat tamen eas poſſe recognoſci, an ſint falſæ, ac ſubreptitiæ &c. *Sed hæc cauſa*, inquit, *& controverſia eſt Eccleſiaſticorũ, & Sacrorum Judicum, non civilium, & profanorum: hoc enim Judicium ad Epiſcopos, vel Archiepiſcopos, Primates, vel Patriarchas, vel Legatos, ſivè Nuncios Pontificios, qui ad Provincias, & Regna mittuntur, ſpectat. Nam ſecundum Canones, non ſecundum Leges judicari debet, hujuſmodi literæ ſint falſæ, an veræ, ſint ſubreptitiæ, an ſecus. Quid ſi Pontifex contradicat? Quid ſi prohibeat quominus id faciant? Debent certè Pontifici parere, aut oſtendere, quo jure id faciant. Nam cum laici ſint, jure poteſtatem Eccleſiaſticam non habent: nec eam præſcriptionis jure habere queunt; quoniam laicus juris, & poteſtatis Spritualis, & Eccleſiaſticæ capax non eſt, nec vi ullius diuturnæ, & longæ conſuetudinis* (*e*).

20. Similia docet *Antoninus Diana* Siculus, celeberrimus Theologus, quoàd recurſum habendum ad Judices Eccleſiaſticos, non vero laicos, ſi de validitate, vel ſubreptione Bullarum dubium excitetur (*f*). Paritèr & quoàd *Regium exequatur*, ſinè Apoſtolico namque privilegio interponi non poſſe affirmat (*g*). Introductâque diſputatione, *An Miniſtri Regii poſſint detinere in Cancellarias Bullas Apoſtolicas ad examinandum, & executioni mandandum* (*h*), ponderat motiva plurium Doctorum, ſivè melius Politicorum, affirmativam ſuggerentium, tandemque reſolvit: *Sed his non obſtantibus, communitèr Theologi docent, nullo modo ſuſtineri poſſe uſum retinendi, & examinandi literas Apoſtolicas per laicam poteſtatem*, citatque prò hac ſententiâ, præter Doctores, à nobis in capitulo præſenti allegatos, etiam Alterium, Duardum, Acoſtam, Souſam &c. (*i*): tum addit, *Et probatur ex verbis Bullæ ibi*, capi, & retineri faciunt. *Et ibi*: qui impediunt, & prohibent ſimplicitèr, vel ſinè eorum beneplacito, & conſenſu, vel examinari, executioni mandari. *Non tamen negant hi Doctores literas Apoſtolicas recognoſci quidem poſſe, & diſcuti, cum dubitatur de earum ſubreptione, aut falſitate, ſed hoc ad eccleſiaſticum Judicem pertinet, & non ad ſecularem. Hæc igitur cauſa diſcuti debet apud Epiſcopos, Archiepiſcopos, & Nuncios Apoſtolicos, qui ad Provincias, & Regna mittuntur, & non apud profanos Magiſtratus, qui juris, & poteſtatis eccleſiaſticæ incapaces ſunt. Sed circa præſentem quæſtionem vide omninò Acoſta ubi ſuprà* (*l*).

21. Et

(a) *Azorius Inſt. mor. p. 1. c. 14 qu. 3. § Item*

(b) *Joann. Azorius ibi cit. qu. 4.*

(c) *Idem Azorius ibidem.*

(d) *Thomaſ. del Bene de Immun. c. 8. dub. 10. n. 6.*

(e) *Joannes Azorius ubi ſupra.*

(f) *Antonin. Diana par. 3. tr. 1. reſ. 26.*

(g) *Diana p. 4. tr. 1. reſ. 9. § igitur.*

(h) *Diana p. 1. tr. 2. reſ. 13.*

(i) *Alterius de Cenſur. to. 1. diſp. 15. c. 2. col. 3. Duard. in Bul. Cœn. l. 2. c. 13. qu. 5. Acoſta. in Bul. Cruciat q 96. per tot. Souſa in Bull Cœnæ c. 13. diſp. 76. concl. 1. n. 3. 4 9.*

(l) *Antonin. Diana par. 1. tract. 2. reſol. 13.*

21. Et quoniàm poſt hæc ſcripta per Dianam, acritèr inſurrexit adverſus eum Joannes del Caſtillo Sottomajor; Diana ipſe iterùm apprehenſo calamo, vim retorſit in eum, ſcribens: *Quià adverſum mè acritèr colluctatur Sottomajor; ideò iterum defenſionis causâ, affirmativam ſententiam ſtabilire cogor. Dico igitur, quod poteſtas recognoſcendi, & examinandi literas Apoſtolicas, utrum ſint veræ, aut falſę, ſubreptitiæ, aut legitimę, eſt pura, & merè Eccleſiaſtica ex ipſo objecto. Et ideò in ſolas perſonas Eccleſiaſticas cadit, ideſt in Legatos, Nuncios, Patriarchas, Archiepiſcopos &c. non autem in Laicos quoſcumque, & quemadmodum Laici, etiam Principes, non poſſunt sè intromittere ullo modo in judicandis, aut diſponendis aliis rebus Eccleſiaſticis: capit. benè quidem diſt.96. & cap. decernimus de judic. & ſpecialitèr in recognoſcendis, aut examinandis ſententiis, & Cenſuris, ſed illas tenentur ſtatim acceptare, & exequi, & præbere Epiſcopis prò illarum executione etiam auxilium brachii ſæcularis, ut patet ex Trident. ſeſs.25. cap.5. de Regular; Ità nec poſſunt sè intromittere in recognoſcendis literis Apoſtolicis: Et cum hujuſmodi facultatis Eccleſiaſticæ, qua Laici ſunt, ſint plenè incapaces; ſequitur, ut nullâ, quamvis longiſſimâ, præſcriptione poſſint illam præſcribere, cum præſcriptio tribuat jus in ſubjecto capaci, non autem tribuat ipſam capacitatem, ſi non invenit* (a).

22. Subjungit Diana profuſo ſtylo motiva, quę Sottomajor congerit in contrium, tum ea ſigillatim diluit, opportunè reſpondens: *Fateor Summum Pontificem nolle ſua reſcripta, ſi veritati non nitantur, executioni mandari; ſed non ex hoc ſequitur, illa à laicis examinari poſſe. Quamobrem ſi dubitetur de validitate literarum Apoſtolicarum, vel etiam de illarum invaliditate conſtat; Laici judices de hoc opponere poſſunt coram eccleſiaſtico Judice, cujus eſt Apoſtolicas literas examinare, diſcutere, & recognoſcere; vel etiam Summo Pontifici ſupplicationes exhibere, modò ſupplicationem coram Sede Apoſtolica legitimè proſequantur. Imò ſi detur caſus, ut aditus ad Judicem eccleſiaſticum non pateat, vel ipſe nollet declarare ſubreptionem literarum, & periculum ſit in morâ gravis damni, ſi Literæ Apoſtolicę ſubreptitiæ executioni mandentur, poſſe Principem laicum illarum executionem impedire, & interim hac de rè cum humilitate certiorem facere Summum Pontificem, tradit Bonacina in Bullâ Cœn. diſp.1. qu.14. punct.2. num.20. Praxim igitur de quâ loquimur, & defendit Sottomajor, dicendum eſt imponere maximum gravamen Bullis Pontificiis, dum non poſſunt in partibus dari executioni ſine examine, & approbatione Cancellarię, per quod Summus Pontifex, ut patet expreſsè in Bullâ Cœnę, reputat eccleſiaſticæ juriſdictioni violentiam inferri, & ideò adversùs contravenientes cenſuras fulminat: etſi in Concilio Tridentino ſeſſ. 25. c.20. Pontifex hortetur Reges, ac Principes, ne permittant eccleſiaſticos à Judicibus ſęcularibus in aliquo gravari. Jam autem maximè gravantur perſonę eccleſiaſticæ, ſi proceſſus citationum, ac cauſarum beneficialium, à Judicibus laicis examinentur, cum coram ipſis ex eo litigare cogantur: ergo &c.*

23. Deindè Diana ſubſequitur. *Verùm poſt hæc ſcripta inveni omnia ſupradicta non ſolum à cit. DD. ſed etiam confirmata eſſe à Rutilio Benzonio diſp. 2. de Interd. Pauli V. cap. 7. fol. 133. qui noſtram ſententiam acritèr docet, & quia codex rarus eſt, ponam hic per extenſum ejus verba: Sic enim ait: Non mè fugit, Covarruviam pract. qq. cap.10. n.56. & Driedonem ab eo citatum, defendere nonnullas leges Principum ſęcularium, ſtatuentes in defenſionem Juriſpatronatus Principum, ne Literæ Apoſtolicæ executioni mandentur ſine conſenſu eorum. Non enim hę leges juſtę ſunt, ſi fiant ſine participatione, & nutu Papę; nec locum habent, quando Papa expreſsè derogat Juripatronatus laicorum, hoc enim ſi velit facere poteſt, nec injuriam, vel vim laicis infert, cum ſuo jure utatur, licet rè ipsâ Papa hujuſmodi laicorum Juripatronatus rarò derogare intendat. Sic Pius V. expreſsè decrevit in Bullâ Cœnæ, ann. 1568. Ratio autem cur nullâ laicâ poteſtate, etiam Regiâ, Literæ Apoſtolicæ impediri poſſint, eſt quoniam poteſtas ſęcularium Principum eſt Civilis,*

(a) *Idem Diana p.5. tr.3. reſ.32. ſ.16.*

& non Spirituali, & Eccleſiaſtica, quæ cum illi dominetur, & præſit, ab eâ cum ſit inferior, nequaquam impediri, interpretari, vel diſcuti poteſt. Illud autem remedium, tamquam licitum pro laicis adinventum eſt, ut opponant de ſubreptione talium literarum apud Judicem eccleſiaſticum, vel etiam quando Papa expreſsè derogat Juripatronatui, coram Judice competente eccleſiaſtico, ſervato tamen juris ordine, ad ipſum Romanum Pontificem reverentèr appellent, & libellos ſupplices ei offerant, nè literę Pontificię exequantur, dummodò id faciant operâ, & miniſterio Judicum eccleſiaſticorum, & poſteà verè appellationem juxtà mentem Pii V. proſequantur.

24. *An verò Literæ Apoſtolicæ, cauſas Spirituales continentes, poſſint à Principibus ſæcularibus recognoſci, & diſcuti, ſint ne falſæ, vel ſubreptitiæ, quæri poſſet? Et quicquid dicat Covarruvias loco cit. certiſſimè dicendum eſt, hanc recognitionem jure communi, tantum ad Judices eccleſiaſticos pertinere, non autem ad laicos, niſi ſolo privilegio Sedis Apoſtolicę cujus tenorem docere tenentur. Hucuſque Benzonius. Et ideò Caſtrus Palaus ubi ſupra, & alii, quos ego retuli in part. 4. tract. 1. reſolut. 9. docent, Regem noſtrum ex concordatis, & privilegio Summi Pontificis Bullas ejus examinare. Sed Sottomajor, & aliqui juniores Juriſconſulti aſſerunt, hoc de jure Regibus competere, quod Theologi mordicus negant, & rè verâ negandum eſt. Alii verò excuſant examinationem Literarum Apoſtolicarum ex tacito conſenſu, & præſumptâ mente Summi Pontificis. Sed contrà illos vide noviſſimè Blondum de Cenſ. diſput. 5. art. 26. num. 3. & omnes Expoſitores Bullę Cœnę, aſſerentes Summum Pontificem in eâ ſingulis annis reclamare, & tollere quamcumque patientiam, tolerantiam, & conſenſum circà præſentem caſum* (a).

(a) *Idem Diana par. 5. tr. 3. reſ. 12.*

25. Opportunum quoque hic ducimus tranſcribere doctrinam Auctoris Regnicolę, nempè Joannis Mariæ Belletti, Epiſcopi Hieracenſis, quæ ſic ſe habet. *Suſtineri neque poteſt ſtatutum, quo cavetur, quod poſſeſſio Eccleſiæ, vel beneficii accipi non poſſit ſine licentiâ dominorum temporalium, quam appellant Exequatur, quia eſt contrà libertatem eccleſiaſticam*, citans inter alios. *Prax. Archiep. Neap. c. 92. n. 1. & Marta de Juriſd. par. 4. cap. 4.* contrà Covarruviam, & alios, *dicentes, finem dandi Exequatur, ſive, ut alii dicunt, Placet, non eſſe opprimendi eccleſiaſticam libertatem, neque in aliquo ſuper illâ ſtatuendi, neque retinendi proviſiones Apoſtolicas, ſive Ordinariorum, ſed cauſa ſe informandi, & poſteà exequendi, & conſulendi bono publico, non auctoritativè in ſignum ſuperioritatis. Quia ſi non ſimpliciter directè, ſaltem indirectè impeditur, ſive retardatur executio dictarum literarum, cum non ſit curandum quomodò, & cum quoquis loquatur, ſed in quem voluntas, & loquentis intentio, & affectus dirigatur &c. Quarè executionem Literarum Apoſtolicarum impedientes, ſive ſint ii eccleſiaſticâ, ſivè mundanâ dignitate inſigniti; niſi prius ab illis fuerint examinatæ, vel ſine ipſorum licentiâ, & conſenſu; eorumque fautores, ſi Univerſitates fuerint, ipſo facto interdicti; ſi ſingulares perſonæ, excommunicationis eo ipſo ſententiam Summo Pontifici reſervatam incurrunt, & aliis pœnis ligantur, de quibus Leo X. in ſuâ Conſtit. 26. quæ incipit. In ſupremo, Clemens VII. Conſtit. 42. incip. Romanus Pontifex, & Gregorius XIII. Conſtit. 24. quæ incipit: Ad Romani.* Hęc Bellettus (b).

(b) *Bellet. Diſquiſ. Cler. par. 1. de exemp. Cler. à ſtatut. ſecul. §. 3. n. 26. 27.*

26. Alterius demùm Regnicolę, viri docti, ac timoratę conſcientię, & ſincerè de rebus, prout ſunt in veritate ſcribentis, doctrinam adjungere ducimus neceſſarium, nempè Thomę del Bene Marubienſis, qui non ſemel, ſed bis hâc de materiâ ſermonem habet, aitque: *Nullus Laicus poteſt de rebus ſpiritualibus (qualis eſt materia beneficiorum) diſponere &c. Nullus Laicus poteſt habere jus preſentandi ad beneficiâ, niſi fuerit ei à Pontifice conceſſum: ergò multò minus poterit habere jus excludendi à Pontifice præſentatos, niſi à Pontifice hæc excluſio concedatur. Vide Azorium 1. p. l. 5. c. 14. qu. 3. Reginald. in prax. tom. 2. l. 30. tr. 3. c. 11. n. 160. &c. Tamburin. de jur. Abbat. to. 1. diſp. 15. qu. 19. n. 21. & Baldellum to. 1. l. 5. diſp. 36. n. 14. qui propterea rectè ſubdunt, quod non poſſint Principes præcipere, ut poſſeſſio*

bene-

beneficii ſine licentiâ, & conſenſu ſuo, vel ſui Gubernatoris, vel Præſidis &c. non apprehendatur. Et poſt reprobata motiva in contrarium proſequitur: *Ex his ſequitur, quod non ſit liberum Magiſtratibus, & Judicibus ſecularibus, literas Pontificias, quibus beneficia exteris conferantur, retinere, quamvis licitum ſit illis de talium literarum ſubreptione apud Judicem eccleſiaſticum deponere*: intelligendo id pro locis, à quibus exteri, ex privilegio Apoſtolico, à beneficiis arcentur. Et infrà. *Idem dico de legibus, & ſtatutis, quibus cavetur, ne quis poſſeſſionem alicujus Eccleſiæ, vel beneficii, ſine facultate Principis, vel ſuorum miniſtrorum apprehendat, quod ſcilicèt id fiat ſimilitèr, ex privilegio Romani Pontificis, à quo Princeps habet collationem, & inſtitutionem beneficiorum, vel privilegium, ut in ipſius Regno nullus exterus beneficium poſſit obtinere &c. & non aliâ viâ, proptèr rationes dictas, & quia Eccleſia habet jus immittendi Clericos in poſſeſſionem beneficiorum, & Clerici ex tali ſtatuto redduntur timidiores, laici autem audaciores. Aque ità contrà Angelum Castellium &c. docent communitèr DD. Marta, Duardus &c. Alterius de Cenſur. tom. 1. diſp. 16. lib. 5. c. 5. & 6. Ubi propterea rectè ſubdit, quod ſi poſſeſſio beneficii legitimè à Clerico capiatur, independentèr à facultate Principis; nec Teſtes, nec Notarius, qui interfuerunt, pœnas ſtatuti incurrant* (a).

27. Et alibi, motâ quæſtione, an liceat Principi laico examinare, & executioni mandare Literas Apoſtolicas, reſpondet negativè, auctoritate novem Doctorum, quos citat, tum ſubdit: *confirmatur ex verbis Bullæ Cœnæ, ibi: cap. 1. & retineri faciunt. Et ibi: qui impediunt, & prohibent ſimplicitèr, vel ſine eorum beneplacito, & conſenſu, vel examinari, executioni mandari &c. Confirmatur 2. quia poteſtas recognoſcendi, & examinandi Literas, ſeu Bullas Apoſtolicas, an ſint veræ, vel falſæ, an legitimæ, vel ſubreptitiæ, eſt purè, & merè eccleſiaſtica ex ipſo objecto, ergò non poteſt cadere niſi in perſonas eccleſiaſticas, ut Epiſcopos, Nuncios &c. tamquam in Summi Pontificis miniſtros, non autem in perſonas laicales. Confirmatur 3. quia laici, etiam Principes, nullo modo poſſunt ſe intromittere in judicandis aliis rebus eccleſiaſticis, cap. benè quidem diſt. 96. & c. decernimus de judic. & præcipuè in recognoſcendis, ſeu examinandis ſententiis, & cenſuris, quas tenentur ſtatim acceptare, & exequi, quin & præbere pro earumdem executione Epiſcopis auxilium brachii ſecularis, ut patet ex Trid. ſeſ. 25. c. 5. de regul. ergò neque poſſunt ſe intromittere in recognoſcendis Literis Apoſtolicis. Adde quod cum laici ſint incapaces hujuſmodi eccleſiaſticæ facultatis, non poſſunt poſſeſſione quacumque longiſſimâ illam præſcribere: nam præſcriptio tribuit jus ſubjecto capaci, non autem tribuit ipſam capacitatem, ſi eam non invenit in ſubjecto* (b).

28. *Confirmatur 4. quia Catholicus Ferdinandus Rex, ut id in Regnis ſuis* (nempè Hiſpaniæ) *facere poſſet, obtinuit, ut videre eſt in quodam diplomate apud Azevedum tom. 1. lib. 3. tit. 6. leg. 17.* (c) *licentiam à Pontifice: ergò ſignum eſt non poſſe Reges jure proprio Literas Apoſtolicas recognoſcere &c. Confirmatur 5. quia negari non poteſt quin per iſtam praxim, quam adverſarii defendunt, maximum gravamen Bullis Pontificiis imponatur, cum executioni illæ mandari non poſſint ſine examine, & approbatione Regiæ Cancellariæ: ergò &c. Quaproptèr meritò Summus Pontifex expreſſè in Bullâ Cœnæ, reputat, per id eccleſiaſticæ juriſdictioni violentiam inferri, & ibi advertùs contravenientes fulminat cenſuras. Accedit quod cum in Tridentino ſeſ. 25. c. 20. hortentur Reges, & Principes, nè permittant eccleſiaſticas perſonas à Judicibus ſæcularibus in aliquo gravari; nunc quam maximè gravantur, ſi proceſſus citationum, & cauſarum beneficialium &c. examinentur à Judicibus ſecularibus*. Obiicit poſteà ſibi, quod poſſit dubitari de falſitate, vel ſubreptione Literarum Apoſtolicarum, quodque mens Papæ ſit, nolle executioni mandari ſuas literas, quæ veritati non nituntur; & reſpondet, hoc non concludere, niſi quod diſcuti debeant, ſed coram Judice eccleſiaſtico (d). Obiicit item ſibi, quod jure naturalis defenſionis debeat poſſe Rex damnum præcavere, quod à di-

(a) *Del Bene de Immun. c. 8. dub. 19. nu. 3. 10. 25.*

(b) *Del Bene de Immunit. cap. 9. dub. 33. n. 4. 5. 6. 7. 8.*

(c) *Vid. etiam Diana p. 5. tr. 2. reſ. 32.*

(d) *Del Bene loc. cit. n. 13. 19. 20.*

ctis literis ſubreptitiis obveniat; & fusè oſtendit, hoc motivum nullum locum habere. Tum ſubdit: *Hinc Pontifex prævidens, & exprimens rationes omnes, quæ pro parte oppoſitâ facere poſſunt, excommuuicat his non obſtantibus, ut videre eſt in Bullâ Cœnæ maximè quoad illa verba* (etiam pretextu violentiæ, ſeu ut ajunt, ad nos informandos) *omnes, & quaſcumque perſonas, quæ quocumque prætextu retardaverint in ſuis Cancellariis Bullas Apoſtolicas* (a).

(a) *Del Bene loc. cit. n. 14. 15. 16. 17. 18.*

29. Notat ſubindè abuſum illum effrænatum alicubi inundantem, cunctas Bullas Regio exequatur, ſive aſſenſui, ſubjugandi: abuſum quem & ipſi Scriptores oppoſitæ ſententiæ deteſtantur; aitque: *omnes illas indiſcriminatim ſupprimere, & impedire, ne virtute illarum ad executionem procedatur; abſurdum planè videtur, nec Doctorum ullus hactenus auſus eſt dicere* (b). Et infrà: *Neque dicas, Reges, eorumque miniſtros examinare Literas Apoſtolicas ex tolerantiâ, & ſic ex tacito conſenſu, & præſumptâ mense Pontificis. Nam reſpondetur, tolerantiam iſtam eſſe tantum permiſſivam ad evitanda incommoda majora, non autem approbativam, cum in Bullâ Cœnæ quotannis Pontifex expreſſè reclamet. Vide noviſſimè Blondum de Cenſur. diſp. 5. ar. 6. n. 3. &c. & Bullam Urbani VIII. ſuper præſervatione jurium Sedis Apoſtolicæ, & inferiorum Eccleſiarum &c. Reſtat ſolum dicere, id miniſtros Regios efficere ex concordatis, vel ex privilegio, à Pontifice Regibus conceſſo, atque ità docent Bannez, Graſſius &c. At reſpondetur, viderint ipſi, an tale privilegium Regibus conceſſum ſit, cum ſic illud edocere, ſeu oſtendere teneantur: præſertim quia multi &c. negent illud unquam conceſſum fuiſſe. Item dato quod olim conceſſum fuerit, viderint etiam ipſi, an non revocatum modo ſit, cum quotannis in Bullâ Cœnæ Domini, coram Principum Oratoribus, omnia privilegia, & conſuetudines contrà immunitatem eccleſiaſticam (quæ ex causâ revocare abſque dubio poteſt) tamquam corruptelas, & abuſus, Summus Pontifex revocet. Tandem dato quod tale privilegium, olim conceſſum, nunquam ſit revocatum, illud tamen omnino dicendum eſt, quod Regium exequatur requiritur tantum quoad reſcripta privata, obtenta inter partes, vel ad inſtantiam alicujus, non autem quoad leges generales, & ſtatuta univerſalia, prout ſunt Bullæ, & Extravagantes Pontificiæ, ſicuti rectè præter alios obſervavit Rao in reſponſ. ad dubia circ. immun. Eccleſ. fol. 32. & ratio eſt, quia ſi dictæ Bullæ generales executoriis indigerens, univerſalis Eccleſiæ regimen in preceps rueret* (c).

(b) *Idem ubi ſupr. n. 41.*

(c) *Del Bene ubi ſupr. c. 9. dub. 33. n. 33. 34. 36. 37.*

30. Vides quanto conatu, quâ verborum efficaciâ, & quam unanimi ſenſu, conveniant Doctores; Romani, Etruſci, Burgundi, Luſitani, Siculi, Regnicolæ, omnium tandem Nationum, in tuendo, nulli Principi laico licere, ſine gravi peccato, & ſine incurſu diri anathematis, impedire executionem Literarum Apoſtolicarum, non obſtantibus quibuſcumque motivis, technis, ac vaniloquiis in oppoſitum ſolitis allegari, *ad excuſandas excuſationes in peccatis* (d). Nec ullum aliud expediens inveniri, quod ſalvare valeat interpoſitionem *Regii exequatur*, niſi hoc unicum, Apoſtolici privilegii, quod verè conceſſum fuerit, & non ſit jam revocatum. Cætera quæ congerunt Politici, & Juriſtæ aliqui, prurientes auribus, & ad fabulas ſe convertentes (e), ut adulentur Principibus, & meritum ſibi apud illos confiſcant, divinæ legis oppreſſione, ac everſione eccleſiaſticæ poteſtatis; inania ſunt, fabulatoria, & impietatis commenta; quæ Principum famam opprobriis hominum exponunt: eorum animas ad inevitabilem pertrahunt damnationem: & regias quoque ipſorum familias, atque ipſa illorum Regna interdum celerem perducunt ad interitum: Hic etenim eſt finis Potentum, qui Eccleſiam Dei ſuis juribus privant, qui poteſtatem eccleſiaſticam deprædantur, qui Eccleſias tandem ſuis bonis, honoribus, & rationibus ſpoliant, de quibus Carolus Magnus: *Novimus multa Regna, & Reges eorum propterea cecidiſſe, quia Eccleſias expoliaverunt &c. quapropter nec fortes in bello, nec in fide ſtabiles fuerunt, nec victores extiterunt: ſed terga multi vulnerati, & plures interfecti verterunt, &*

(d) *Pſalm. 140. v. 4.*

(e) *2. Timoth. cap. 4. v. 3.*

quod

Digitized by Google

quod pejus eſt, regna cęleſtia perdiderunt, atque propriis hęreditatibus caruerunt, & hactenùs carent (a). Videndum eſt nunc, an Reges Neapolis præditi ſint Apoſtolico privilegio pro *Regio Exequatur*, Bullis Pontificiis apponendo, & hoc eſt quod in duobus Capitibus ſubſequentibus diſcutietur.

(a) Carol. Magn. in Capitul. tom. 1. f. 524.

CAPUT XXXVIII.

In quo examinatur, quid in Regno Neapolitano ſentiendum ſit de Aſſenſu Regio, *ſivè de* Regio Exequatur. *Et an ibi haberet locum ſub* Imperatoribus Græcis, *ac ſub Regibus* Normannis, Svevis, & Andegavenſibus.

SUMMARIUM.

1 *Nullus laicus apponere poteſt* Regium Exequatur *literis Apoſtolicis, ſinè privilegio Pontificio: nec ſuffragatur prætextus Bullæ Cœnæ non acceptatæ.*

2 *Videndum eſt, an Reges Neapolis hoc privilegio prędití ſint, quod non fuerit revocatum; Privilegium autem non eſt ſupponendum, ſed oſtendendum.*

3 *Sub* Imperatoribus Græcis *indultum hoc non fuit. Imò legem Nicephori, vetantem electionem Antiſtitum, ſine ipſius aſſenſu, Polieuctus Patriarcha fecit revocari antequam illum Cęſareo diademate coronaret.*

4 *Sub Regibus lineæ* Normannicæ *Aſſenſus Regius qualitèr fuerit in pactum deductus inter Hadrianum PP. IV. & Guillelmum Malum Regem.*

5 *Reges lineę Normannorum abutebantur poteſtate interponendi aſſenſum Regium intrudentes Præſules Eccleſiis.*

6 *Regibus lineę* Svevorum *ab Innocentio PP. III. indultum fuit expreſſè, ut Regium aſſenſum interponere poſſent in electionibus Præſulum.*

7 *Regium aſſenſum à ſè vice Regis pueri peti voluit Innocentius III. quando officio Balii, & tutoris Regni fungebatur.*

8 *Innocentius III. abolevit ea, quæ Guillelmus Rex malus extorſit à Papâ, & conceſſit lineę Svevicę aſſenſum Regium, ſed qualiter?*

9 *Florus Magiſter oſtendit, nullum olim provectionibus Antiſtitum Principis temporalis acceſſiſſe conſultum.*

10 *Reges Svevi ſtemmatis poterant aſſenſum præbere in ſolis provectionibus Prælatorum, nec illum negare, niſi* probabili ratione *ſuſpectis.*

11 *Fridericus II. Rex omnibus provectionibus Præſulum aſſenſum Regium denegabat, ut illi ſoli elegerentur, quos ipſe vellet.*

12 *Innocentius III. reſtitit Friderico II. neganti electo Policaſtreaſi aſſenſum Regium. Alii Papæ propter ſimilia contra ipſum reclamarunt.*

13 *Honorius III. monet Fridericum, ut ab incæptis deſiſtat, oſtendens talia commune illi odium conciliare: Favorem vero indè accedere Eccleſiæ, & cur?*

14 *Clamat, non debere Sedem Apoſtolicam minùs poteſtatis in Regno utriuſque Siciliæ habere, quam haberet in aliis Regnis.*

15 *Depoſito Friderico II. Papæ decreverunt ex inveſtiturâ Regiâ, inpoſterum dandâ, Regium aſſenſum auferre, & abſtulerunt.*

16 *In*

16 *In inveſtiturâ collatâ Carolo* Andegavenſi *ſublatus fuit aſſenſus Regius, nedum quoad Prælaturas, ſed etiam quoad omnia beneficia.*

17 *Inveſtitura hęc, dicta Clementina, fuit norma cæterarum, per Papas Regibus Neapolis collatarum, excluſo inde aſſenſu Regio.*

18 *Benedictus PP. XI. indulſit Carolo Claudo Regi interpoſitionem aſſenſus Regii in Eccleſiâ Luceriæ.*

19 *In pactis, initis inter Joannam I. Neapolis, & Fridericum II. Trinacriæ Reges, ſuper Inſulâ Siciliæ, expunctus eſt Regius aſſenſus.*

20 *Ex lineâ* Normannicâ *duo Reges Aſſenſu Regio abuſi ſunt. Ex* Svevicâ *habuerunt poteſtatem interponendi aſſenſum unus ſolus Rex, qui eo uſus eſt. Sub Andegavenſi non fuit ullus Regius Aſſenſus.*

21 *Regius aſſenſus intolerabilem ſe reddidit, & propter enormem ejus abuſum fuit ab inveſtiturâ Andegavenſium evulſus.*

22 *Juſta fuit evulſio Regii aſſenſus ab inveſtiturâ Andegavenſium, quâ reſtituta eſt Eccleſiæ primæva libertas.*

23 *Expunctio ergo aſſenſus Regii à tempore Caroli I. incæpit, & ſub Regibus ſuccedentibus continuavit, ſub eadem formulâ inveſtituræ.*

24 *Carolus Claudus Rex ad Legatum Apoſtolicum recurſum habuit, ut ab Eccleſiâ Melitenſi excluderetur quidam ſibi ſuſpectus.*

1. LUCULENTER vidimus capitulo prætergreſſo, & audivimus, & perſpeximus oculis noſtris, & manus noſtræ contrectaverunt (*a*), quod nullibi poteſt ab ullo Supremo Principe temporali, vel illius miniſtris apponi literis Apoſtolicis *Regium Exequatur*, vel *Aſſenſus Regius*, aut aliud impedimentum, ne executionem promptam obtineant; ſine violatione eccleſiaſticæ immunitatis, & libertatis, ac ſine incurſu gravis peccati, dirique anathematis, & communicationis, quę in Bullâ Cœnę verbis expreſſiſsimis continetur (*b*); Niſi Princeps ille ſit ſpeciali privilegio Pontificio communitus, quod ipſi hanc indulgeat facultatem, nec fuerit per eandem Bullam revocatum: per quam cuncta præcedentia indulta fuiſſe ſublata verba Bullæ clarè declarant, & Doctorum vox uniſona manifeſtat (*c*). Abſque eo quod alicui ſuffragentur prætextus illi futiles, quos aliqui in oppoſitum comminiſcuntur, narrantes iniquè fabulationes, ſed non ut lex Dei (*d*), quemadmodum eſt ille, quod Bulla Cœnę pręfata alicubi non fuerit publicata, vel acceptata: nam etiam ſine hiſce technis, Bulla eadem citrà dubium obligat in conſcientiâ, & eius excommunicationes animas fidelium afficiunt, uti fuſius probant Doctores, & nos infrà faciemus ſequenti capitulo manifeſtum (*e*).

(a) I. Joannis c. 1. num. 1.

(b) Bulla in Cœna Domini § 14.

(c) Bonacin. tom. 3. diſp 1. q. 15. pu. 4. § 1. n 6. cum aliis ab eo allegat

(d) Pſalm. 118. num. 85.

(e) Bonacin ubi ſupr. § 1. n 1. & 2. Albitius de inconſt. in fide c 30 à n. 423 Vid hic infr. c. 35 à n. 21.

2. Intuendum eſt ergò, num Reges Neapolitani, pro tempore exiſtentes, privilegio Apoſtolico prędìti ſiut, integro, ſubſiſtente, & adhùc non revocato, cujus vigore illis liceat, eorumve miniſtris, *Regium Exequatur* Bullis, & Literis Apoſtolis apponere, abſque incurſu peccati, & memoratæ cenſuræ. Profectò privilegium, cum ſit quid facti, non ſupponitur, ſed probandum eſt, & oſtendendum (*f*). Singulaque ipſius verba ſunt omninò ponderanda, nè trans limites debitos pertrahatur (*g*): Et ut pateat, an illi ad quos ſpectat, juxtà normam præfati privilegii *Regium Exequatur* apponant, an vero extra omnem æquitatis orbitam illud, etiam ubi non debent, intrudant. Sanè ſi hoc privilegium eſt, vel fuit unquam in rerum naturâ, debet alicui eorum, qui dominium Regni Neapolis tenuerunt, fuiſſe conceſſum, niſi ſupponere velimus, illud ignotum caput habere, quemadmodum de Nilo aſſeritur, cujus acquam, *profluentem à tenebris* appellavit Pomponius Mela (*h*), & Claudianus, de illo dulcitèr cantitavit: *Secreto de fonte cadit, nec contigit ulli,*

(f) Barboſ. in cap. porro 7 de privil. n. 5. Maſcard de prob. concl. 1200 n. 37. Bonac. ubi ſupr § 1. n. 2.

(g) Barboſ. loc. cit. n 7. & Axiom. 190. n. 7 Bonac. ibid. n 4.

(h) Pompon. Mela com. l. b. 1.

nec

nec vidiſſe caput: fertur ſine teſte creatus (a). Videamus ergò, procedendo ab enumeratione partium, an fuerit conceſſum Imperatoribus Græcis, vel alicui Regum Normannorum, Svevorum, vel Andegavenſium, qui Regno Neapolis præfuerunt.

(a) *Claudian. epiſtol. de Nilo.*

3. Sanè Imperatoribus Græcis nullum unquam Pontificum Romanorum privilegium hujuſce qualitatis legitur contuliſſe, ſed potius toto tempore, quo ipſi Græci, contrà omne fas, & ſolum de facto, Regni Neapolis partem aliquam tenuerunt viribus militaribus occupatam, tùnc Eccleſiam fuiſſe liberam ab onerosâ ſervitute *Regii Exequatur*, Literis Apoſtolicis, & Bullis beneficialibus apponendi, ſatis validum eſt judicium, quod cum Nicephorus Phocas Imperator, qui regnare incępit anno Chriſti 963. intèr alias leges inſanas, quas promulgavit, libertati Eccleſiæ injurioſas, hanc quoque ſanxiſſet, ut nullus poſſet ad Epiſcopale beneficium, ſine illius aſſenſu Cęſareo promoveri, (quà de rè Cedrenus, *id omnium graviſſimum, quod legem tulit, cui & Epiſcopi quidam leves adulatores ſubſcripſerunt, ne abſque Imperatoris ſententiâ, ac permiſſu, Epiſcopus, vel eligeretur, vel ordinaretur* (b), cum hanc, inquam, legem edidiſſet; eam adeò iniquam, & execrabilem tota reputavit Eccleſia, ut Polieuctus Patriarcha Conſtantinopolitanus Joannem Zemiſcen, Phocę Nicephori, tam Occiſorem, quam in Imperio Succeſſorem, renuerit inſigniis Cęſareis decorare, donec legem ipſam diſcerpſit, atque ſolemnitèr abrogavit. *Patriarcha*, inquit idem Auctor, *jubet conſcindi libellum edicti, quod ad confundendas res eccleſiaſticas, Nicephorus Phocas ediderat &c.* (c). Per illud ergò tempus, quo Regnum Neapolis, in aliquâ ſui parte, captivitati Gręcorum Cæſarum ſubjacebat, *Regius aſſenſus* in beneficialibus non erat, & ſi fuiſſet intruſus, fuiſſe etiam è veſtigio diſpulſus cum pręfatâ lege, quæ fuerat *ad confundendas res eccleſiaſticas* adinventa, & à ſolis *levibus adulatoribus* approbata.

(b) *Georg. Cedren. hiſt. f. 618.*

(c) *Idem Cedren. hiſt. f. 664. 665.*

4. Sub Dynaſtiâ quoque Regum *Normannorum*, qui Græcos ex utrâque Siciliâ, uſque ad ultimas reliquias, pepulerunt; *Aſſenſus Regius*, antè Guillelmum Malum Regem non erat: ipſe tamen illius apponendi poteſtatem de manu Papę violentèr extorſit, ut elucet ex conditionibus initis inter Hadrianum Papam IV. & ipſum Guillelmum Regem, in quarum unâ Pontifex loquitur: *Electiones ſecundum Deum per totum Regnum canonicè fiant, de talibus quidem perſonis, quibus vos, & hæredes veſtri requiſitum à vobis prębere debeatis aſſenſum* (d). Cui correlativè Guillelmus in diplomate ſuper his exarato: *De electionibus quidem ità fiet: Clerici conveniant in perſonam idoneam, & illud inter ſe ſecretum habebunt, donec perſonam illam excellentiæ noſtræ pronuntient &c. Et ſi perſona illa de proditoribus, aut inimicis noſtris, aut hęredum noſtrorum, non fueris, aut magnificentiæ noſtræ non extiterit odioſa, aſſenſum præſtabimus* (e). In rei tamen veritate loquendo, in hoc eventu, poteſtas interponendi Regium Aſſenſum non fuit ex parte Pontificis liberè conceſſa, ſed à Rege per vim, & metum violentèr extorta. Quâ de rè Cardinalis Baronius: *Ità omnia &c. contrà eccleſiaſticam libertatem, urgente neceſſitate, per vim, & metum extorta ſunt, ab Hadriano Romano Pontifice, per Villelmum cognomento malum Siciliæ Regem* (f).

(d) *Card. Baron. an. 1097. n. 66.*

(e) *Baron. loco citat. & an. 1156. n. 5.*

(f) *Idem Baron. an. 1156. n. 4. 7. 8.*

5. Quantâ iniquitate hac utcumque obtentâ poteſtate abuterentur Reges lineę Normannorum, indè facile deduci poteſt, quod Guillelmus Rex, Mali filius, malus & ipſe, tametſi comparativè ad Patrem dictus fuerit Bonus, ſub prętextu aſſenſus regii, promovendis ad Prælaturas eccleſiaſticas adhibendi, liberè non ſinebat electiones Pręſulum celebrari, ſed ipſe ex ſè Antiſtites, etiam injuſtis Capitulis, Eccleſiis intrudebat. Patet hoc ex epiſtolâ Petri Bleſenſis, ad Capellanum Regium ſic ſcribentis: *Diù eſt quod rumor inſonuit, & publicè jam crebreſcit, quod Dominus tuus Rex Siciliæ, ſalutis ſuæ, & paternæ traditionis oblitus, cum Comite Lauritelli, in ruinam, & deſolationem Eccleſiæ Agrigentinæ conjuravit, intenditque Epiſcopare fratrem Comitis, & ipſum reclamante capitulo violentèr intrudit &c. O deteſtanda operatio, ò adoleſcentia deploranda. Filius Eccleſiæ quare ſe erigit contrà Matrem &c.* (g). Siciliæ Regnum tùnc utramque illius partem, tam citrà

(g) *Petrus Bleſenſ. epiſt. 10.*

quam

quam ultrà Pharum complectebatur: undè quod Rex in inſulâ hujus nominis exercebat, reſpectu ad Eccleſiam Agrigentinam; proculdubiò etiam quoad alias Eccleſias, in Regno Neapolis conſtitutas, quis dubitet pro ſuo arbitrio exercuiſſe?

6. Ipſo Rege proindè ſine liberis tandem obeunte, ac in illo excisâ virili ſobole Normannorum, cogitarunt Pontifices libertati Eccleſiæ providere; ſed quià ſequaces Tancredi Nothi Regnum ſibi deberi contendentis, & in ejus poſſeſſione ſe validè conſoventis, mala potèrant adverſus Conſtantiam, ad Regnum vocatam, & Fridericum Svevum ejus filium excitare; ne beneficia Prælaticia fortè ad manus hominum pervenirent, de quibus eſſet ab ipſis Conſtantiâ, & Friderico rationabilitèr metuendum, in renovatione Regiæ inveſtituræ, poteſtas interponendi Aſſenſum Regium electionibus Antiſtitum fuit per Sedem Apoſtolicam Regibus Dynaſtiæ *Svevicæ*, ex ſpeciali indulto conceſſa, prout clare deducitur ex literis Innocentii Papæ III. ad eoſdem Conſtantiam Reginam, & Fridericum ejus filium, ità præſcribentibus, *Sede vacante Capitulum ſignificabit vobis, & veſtris hæredibus obitum deceſſoris: deindè convenientes in unum, invocatâ Spiritus Sancti gratiâ, ſecundum Deum eligent canonicè Perſonam idoneam, cui requiſitum à vobis præbere debeatis aſſenſum, & electionem factam non different publicare. Electionem verò factam, & publicatam denunciabunt vobis, & veſtrum requirent aſſenſum. Sed antequam Aſſenſus Regius requiratur, non inthronizetur electus, nec decantetur laudis ſolemnitas, quæ inthronizationi videtur annexa: nec antequam auctoritate Pontificali fuerit confirmatus, adminiſtrationi sè ullatenùs immiſcebit. Sic enim honori veſtro volumus condeſcendere, ut libertatem canonicam obſervemus, nullo prorſus obſtante reſcripto, quod à Sede Apoſtolicâ fuerit impetratum* (a). Nota ſermonem fieri de ſolis Antiſtitum electionibus, adeoque iſtis ſolis, non verò proviſionibus aliorum beneficiorum, potuiſſe Aſſenſum Regium adhiberi, vi diplomatis Innocentii, favore lineę Regum Svevorum.

(a) *Innoc. III. to. 1. l. 1 epiſtol. ad Conſtantiam Imper f. 204.*

7. Quam prærogativam Regii aſſenſus, tempore ipſius lineæ Svevicæ, idem Innocentius Papa III. dum in minoritate Friderici II. præfati, officio Balii Regni perfungeretur, ad effectum perduxit, agens ut à sè ipſo, nomine Regis exigeretur dictus aſſenſus: & ità dùm ſcriberet Capitulo, & Canonicis Capuanis, de electione Antiſtitis illius Eccleſiæ, hæc præcepit: *mandamus quatenus, invocatâ Spiritus Sancti gratiâ, perſonam idoneam per electionem Canonicam concorditèr aſſumatis, ad regimen Capuanæ Eccleſiæ; conſequentèr ad audientiam noſtram nuncios idoneos tranſmiſſuri, per quos à nobis vice Regiâ, poſtuletis aſſenſum &c.* (b). Quem paritèr aſſenſum fuiſſe à Rhegienſibus, in electione illorum Præſulis poſtulatum, patet ex ejuſdem Pontificis regeſtis, ubi memoratur fuiſſe petitum à Cardinali Sanctæ Mariæ in Porticu, illarum partium tùnc Legato, Baliatum Regni, nomine Innocentii eodem tempore exercente, ut ex aliâ ejuſdem Innocentii epiſtolâ, ſic ſonante, *Cumque ad prædicti Cardinalis præſentiam acceſſiſſent, ut ab eo, tàm aſſenſum, quàm confirmationem etiam obtinerent; ipſe aſſenſum ei Regiâ vice concedens, & electionem examinans, cum eandem inveniſſet canonicè, & de perſonâ idoneâ celebratam, auctoritate Apoſtolicâ confirmavit &c.* (c). Idipſum tradidit in aliâ epiſtolâ ad Capitulum Pennenſe. Undè in dubium revocari non poteſt, quin Aſſenſus Regius per ea tempora eſſet proviſionibus Antiſtitum adhibendus, nempè ſub Regibus *lineæ Svevicæ*, vi diplomatis Apoſtolici.

(b) *Innoc. III. ep. ad c. Capuan. to. 2. l. 2 f. 181.*

(c) *Innoc. III. epl. ad Cler. Rhegienſ.*

8. Tùnc autèm non *ratione jurispatronatus, nec feudi, aut conſuetudinis, ſed ex ſpeciali privilegio Innocentii III. Regius Aſſenſus in electionibus Prælatorum Regni Siciliæ petebatur* (d), prout etiam ponderaut Canoniſtæ (e), alioquin ſi de jure, vel aliter quam ex privilegio Apoſtolico, ad Reges pertinuiſſet, hanc poteſtatem adhibendi Aſſenſum Regium à Pontifice ex gratiâ Reges lineæ Svevicę non imploraſſent: neque illam reſtrictam, ad ſolas electiones Pręſulum accepiſſent, ſi Reges anteceſſores lineæ Normannicæ habuiſſent eandem legitimè fundatam, & ad omnium beneficiorum proviſionem extenſam. Porrò capitula pręfata, quæ Guil-

(d) *Ughellius Ital. ſacr. to 6. in Archiep. Capuan. n. 20 § ad hoc.*

(e) *Canoniſtæ in cap. cum inter univerſas de elect.*

lelmus

lelmus Malus Rex lineæ Normannicæ, de manu Hadriani Papę IV. per vim, & metum extorſerat; idem Innocentius abolevit (*a*). Qui nihilominus volens gratioſè agere cum Conſtantiâ Reginâ, & filiis ejus, *lineæ Svevicæ*, quam vocabat ad Regnum, ut contrà ſequaces Tancredi Nothi, & alios quoslibet adverſarios, Regnum imperterritè retineret; eis indulſit, ut *Aſſenſum Regium* poſſent inpoſterum interponere, non tamen cunctis beneficiorum proviſionibus, neque cunctis literis Apoſtolicis, ſed ſolis electionibus Præſulum, ſalvâ Eccleſię libertate. Quâ de rè idem Innocentius hæc Epiſcopis, & Clero in universâ Siciliâ, tam citrà, quam ultrà Pharum exiſtentibus, ſuis literis intimavit; *Si chariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Conſtantiæ Imperatrici, Reginę, unà cum chariſſimo filio noſtro illuſtrì Rege Siciliæ in multis gratiam facimus ſpecialem, non eſt ab aliquibus in admiratione ducendum, cum Regnum Sicilię ad jus, & proprietatem Eccleſiæ Romanæ pertineat, & in ejus fidelitate perſtiterit, ac permanſerit unitate* (notetur quod indultum adhibendi Aſſenſum Regium, etiam ſolis electionibus Antiſtitum, tale erat, & tanti ponderis, ut ejus conceſſio Regi facta admirationem gigneret in Regnicolis: undè benè deducitur, quod Reges antecedentis lineæ Normannorum hac poteſtate legitimè non erant prædití. Quid autem dixiſſent, ſi Aſſenſus Regius fuiſſet adhibendus, non ſolum electionibus Antiſtitum, verum etiam cunctis aliis proviſionibus beneficiorum, & cunctis literis Apoſtolicis?) Innocentius tamen Papa docet ſe habuiſſe juſtas cauſas hoc indultum ità limitatum Regibus lineę Svevicæ concedendi, adeòque proſequitur: *Noſtis etenim qualitèr Inclytę recordationis R. Vuillelmus, & Vuillelmus Siciliæ Reges illuſtres in Apoſtolicâ devotionis ferè ſemper permanſerint firmitate, qualitèr prædeceſſores noſtros fuerint humilitèr venerati, qualitèr etiam in Eccleſiâ Romanâ poſt Deum ſuæ ſpei poſuerint, & gaudii fundamentum, & in ea, & per eam ſe crediderint exaltari. Noſtis etiam qualitèr prædeceſſores noſtri Romani Pontifices Reges ipſos, ac Regnum Sicilię quâdam ſemper prærogativâ dilexerint, & ad augmentum ipſius, utpotè quod peculiare (ſicut eſt) & proprium reputabant, intenderint & quietem. Quià verò quantumcumque velimus eorum honori deferre, libertatem canonicam, & honeſtatem eccleſiaſticam intendimus obſervare. Ne igitur ulla de cætero inter nos, & Succeſſores noſtros, & prędictam Imperatricem, & filium ejus Siciliæ Regem illuſtrem, vel hæredes eorum ſuper electionibus denuò diſſenſio ſuſcitetur, quæ hactenus inter Eccleſiam, & Regnum rancoris cujuſdam, & indignationis fomitem miniſtrabant* (diſcat hinc lector, quod Papę Anteceſſores impavidè reſtiterant appoſitioni Aſſenſus Regii electionibus Præſulum, undè contentiones inter ipſos, & Reges emerſerant, nùnc de medio tollendæ,) *modum faciendæ inpoſterum electionis præſentibus curavimus literis explicare: in quibus ſic Regiæ ſerenitati deferimus, ut libertatem eccleſiaſticam nunc lędamus. Sede vacante ſignificabit Capitulum eis &c.* prout ſuprà numero pretergreſſo (*b*).

9. Ità ergò indulſit Pontifex *Aſſenſum Regium* ſolis provectionibus Præſulum interponi, ut ſartatecta remaneret electorum libertas: nec quidquam Eccleſia contraheret ſervitutis ex hoc actu liberali, per quem electionibus Antiſtitum Regalem quoque ſatiſfactionem requirendam eſſe ex propriâ condeſcenſione permitteret. Itàque hoc certum eſt, & incontrovertibile, quod nulli ſæcularium potentatuum jus aliquod ineſt interponendi aſſenſum electionibus Pręſulum, vel alitèr liberis beneficiorum diſpoſitionibus sè immiſcendi, niſi vi privilegii ſuper hoc eis per Eccleſiam conceſſi. Quæ ſanè non eſt doctrina novitèr nata, neque Romæ ſubtilitèr adinventa, ſed eſt verus, communior, atque magis fundatus Doctorum ſenſus, jam ſuperius luculentèr expoſitus (*c*), & ſacrę quoque antiquitatis eloquio roboratus, per verba Flori Magiſtri, Monachi S. Trudonis Leodieſis (*d*), quę ſunt apud Joannem Fileſacum, in libro de ſacrâ Epiſcoporum auctoritate, ſub his verbis, *ut ad inceptam de Regiâ nominatione ad Epiſcopatus diſpoſitionem revertamur, abſolvemus eleganti loco Flori Magiſtri, qui ſub Ludovico Pio vixit, & de quo Sige-*

(a) *Card. Baron. & Spondan. ad an. 1156. S. Antonin. in Chron. p. 3. tit. 19. cap. 1 § 1. Ughel. in Epiſc. Policaſtr. n. 4. & quatuor. tom 7.*

(b) *Innoc. III. to. 1. l. 1 f. 205. Vid. ſupr. in hoc capit. n. 6.*

(c) *Vid. cap. præcedent. à num. 10. uſq. ad finem*

(d) *Andreas Sauſſai Apparat. ad Martyrol. Gallic. to. 1 fol. 35. t. 2.*

bertus lib. de Script. Eccl. in Collectaneis. Is de eâ rè ſic diſserit: ut primum oſtendam per annos ferè quadringentos, abſque ulla conſultu mundanę poteſtatis, à temporibus Apoſtolorum inſtitutos fuiſſe. Ex quo autem Chriſtiani Principes eſſe cœperunt, eandem Epiſcoporum ordinationibus; eccleſiaſticam libertatem, ex parte maximâ permanſiſſe, manifeſta ratio declarat: Quod verò, inquit, in quibuſdam Regnis poſteà conſuetudo obtinuit, ut conſultu Principis, ordinatio fieret Epiſcopalis, valet utique ad cumulum fraternitatis, propter pacem, & concordiam mundanæ poteſtatis, non tamen ad complendam veritatem, vel auctoritatem ſacræ Ordinationis, quę nequaquam Regio potentatu, ſed ſolò Dei nutu, & Eccleſiæ Dei conſenſu, cuique conferri poteſt, quoniam Epiſcopatus non eſt munus humanum, ſed Sancti Spiritus donum. Paulò poſt hæc ſubjicit: Quæ omnia non ideò dicimus, quaſi poteſtatem Principum in aliquo minuendam putemus, vel contrà Religioſum morem Regni, aliquid ſentiendum perſuadeamus, ſed ut clariſſimè demonſtretur, in rè hujuſmodi divinam gratiam ſufficere, humanam verò potentiam, niſi illi conſonet nihil valere. Quapropter in ſacris canonibus Patrum, ubi plurimę cauſæ commemorantur, ſine quibus Epiſcopalis ordinatio irrita habenda eſt, de hac rè nihil invenitur inſertum (a). Nota non ubilibet, ſed tantum *in quibuſdam Regnis*: neque auctoritatem, & aſſenſum, ſed ſolummodò *conſultum Principis* locum habuiſſe: nec quoad omnia beneficia, vel literas Apoſtolicas, ſed quoad ſolam *ordinationem Epiſcoporum*: neque de jure, ſed ſolum ex tolerantiâ, *ad cumulum fraternitatis, propter pacem, & concordiam*.

(a) *Joannes Fileſacus de ſacr. Epiſcop. Auctorit. c. 7. §. 7. f. 83.*

10. Itàque clarè conſtat, quod Reges *lineæ Svevorum*, qui Sicilię citrà Pharum Regio nomine præfuerunt, jus aliquod non habuerunt interponendi Aſſenſum Regium, niſi quatènus Eccleſia id eis ex propriâ humanitate, & expreſſo privilegio conceſſit. Hoc autem illa privilegium ſine ambiguitate conceſſit, non talitèr, ut Electores, ſive Collatores beneficiorum, aut aliter de illis diſpoſitores, & proviſores, naturali ſuâ libertate nudarentur; ſed taliter, ut cum convenientiæ Regię honeſtate, Eccleſia quoque in propriâ libertate ſubſiſteret. Uno verbo, *ſic Regiæ ſerenitati deferimus, ut libertatem eccleſiaſticam non lædamus*, inquiebat ubi ſuprà Innocentius Papa III. (*b*). Poterant Reges Svevi ſoli provectioni Pręſulum interponere Aſſenſum Regium, hocque tali modo, ut requiſiti non valerent illum legitimè denegare. Et ſicut in pactis, per vim initis intèr Hadrianum Papam IV. & Guillelmum Malum Regem, Stemmatis *Normannici*, fuerat conventum, *electiones ſecundum Deum per totum Regnum canonicè fiant; de talibus quidem perſonis, quibus vos, & hæredes veſtri, requiſitum à nobis præbere debeatis aſſenſum* (*c*). Ità & in conceſſione Innocentii, factâ Friderico II. Regi, ſtemmatis *Sveviei*, ac ejus Matri Conſtantiæ, decretum eſt: *eligent canonicè perſonam idoneam, cui requiſitum à vobis præbere debeatis aſſenſum* (*d*). Quod & totidem verbis pollicitus eſt Fridericus, ſpeciali diplomate ſuper his ad eundem Papam directo (*e*). Per quæ patet, habuiſſe quidem Reges jus interponendi Regium aſſenſum electionibus Antiſtitum, ſed talitèr, ut requiſiti non poſſent illum legitimè denegare. Tota ergò vis aſſenſus Regii, per Reges Svevos adhibendi, eo proſpiciebat, ut ſi fortè Clericus ad Prælaturam deſtinatus, eſſet illi *probabili ratione* ſuſpectus; nec utcumque, ſed probabili ratione ſuſpectus, de proditione ſuſpectus, de ſeditione, de pacis publicæ perturbatione ſuſpectus, aut alitèr notabili modo periculoſus, poſſet Rex illi Aſſenſum Regium denegare, atque ità diſcrimen averteret. Sed ſi nullum ex his periculis immineret, nec ulla ſuſpicio notabilis, & rationabilis intereſſet, Aſſenſum Regium non ei poterat pro jure, & pro conſcientiâ denegare.

(b) *Innoc. III. tom. 1. lib. 1. f. 205.*

(c) *Card. Baron. an. 1156. num. 5.*

(d) *Innoc. III. epl. ad Conſtan[illegible] Imper. et Frideric. to. 1. l. 1 f. 204*

(e) *Odoric. Raynald. an. 1213. n. 5.*

11. Verum quià nulla, vel vix ulla eſt forma ſermonis, quę tametſi caſtigata, & accuratè diſpoſita, non valeat cavillatorum artibus lacerari, ac extrà ſuum ſenſum pertrahi, & trans propriam ſignificationem impelli; Fridericus Rex Svevus, ſive illius Miniſtri (quorum *in Regem culpa cunctorum redit, qui non vetat peccare cum poſſit*, inquit Seneca (*f*), abutentes jure interponendi Aſſenſum Regium, cunctas

(f) *Senec. in Traged.*

Digitized by Google

ctas quodammodò Præſulatuum proviſiones, in Regno utramque Siciliam complectente, vel per Sedem Apoſtolicam, vel alitèr per quoſcumque Electores factas, impugnare cęperunt, ſubtractione Aſſenſus Regii, vel dilatione illius porrectionis, Electores paritèr, & electos diutiùs fatigando, ſicque illos eò per tranſverſum impellendo, ut non concederent beneficia, niſi ſolis illis Clericis, quos Rex, vel directè, vel indirectè, vel expreſsè, vel tacitè deſignaret. Adverſus ergò intolerabilem hanc ſacrorum Canonum prævaricationem, & adeptę poteſtatis abuſionem altis ejulatibus exclamavit, nec verbis tantum, ſed & operibus validiſſimè decertavit Innocentius Papa III. qui fuerat ipſius privilegii conceſſor.

12. Nàm audito, quod Fridericus II. præfatus electo Policaſtrenſi Aſſenſum Regium porrigere detrectabat, nullâ juſtâ causâ id expoſcente, ſed ſolum, ut & electum excluderet, & Electores fatigaret, hoſque tædio affectos induceret ad quemdam Jacobum Medicum ſuum in Antiſtitem deligendum; Pontifex electionem tandem Jacobi factam effectu penitùs vacuavit, & primam auctoritate Apoſtolicâ confirmavit, datis eâ de rè literis ad Epiſcopum Caputaquenſem, & Abbatem Cavenſem (*a*). Altioribus adhùc querelis Gregorius Papa IX. in eundem Fridericum II. Regem, & Imperatorem, cunctas opprimentem Eccleſias, inſurrexit: *Ecce*, inquit, *in Regno prædicto per miniſtros Imperiales nudatæ privilegio libertatis Eccleſiæ, bonis, ſacris deputatis uſibus, ſpoliantur &c. Et ſi quando eas contingit paſtoris ſolatio viduari, non permittuntur ſibi ſponſum eligere, & viduitatis veſtimenta deponere, donec adulterinis alicujus amplexibus, qui non canonicè, ſed per impreſſionem electus, aut alias intruſus, extiterint copulatæ* (*b*). En quo pergebat Regius aſſenſus *Suevis* Principibus ex privilegio conceſſus! ad captivandam Eccleſiam, & quæ libera erat, immaniſſimæ ſervitutis vinculis implicandam, aſſenſu ipſo cunctis negato, etiam dignis, benemerentibus, & canonicè ad Prelaturas electis, & ſolum conceſſo illis, quos Rex pro libito ſuo Eccleſiis appetebat intrudere.

(a) *Vide Ferdin. Ughel. Ital. ſacr. tom 7 in Epiſc. Policaſtren. n. 3. f. 759.*

(b) *Gregor. IX. lib. 1. epiſt. 165.*

13. Honorius quoque Papa III. Friderico præfato Regi lamentabundus expoſuit, quod ejus Orator coram ſe hoc modo fuiſſet auſus obloqui: *ut quandoquidem nolebamus à te nominatos recipere, nullos ad præfatas mitteremus Eccleſias, quià non reciperes aliquos, nec recipi ſuſtineres, à nobis ad ipſas Eccleſias deſtinatos. Sanè non ſatis ſano, ut cum pace tuâ loquamur, fuiſti uſus conſilio, quandò mandaſti talia dici nobis, quià ſic innuiſti tè, quod non credimus eſſe paratum, & promptum ad rumpendum inter nos, & tè, vinculum charitatis. Deſideramus fili chariſſime, ut omni tempore, & maxime noſtro ſit inter te, ac Eccleſiam Romanam firma, & ſincera dilectio, quià id, & ipſi Eccleſiæ, & tibi, & toti Chriſtianitati cognoſcimus expedire: nec quicquam amarius facile poſſet nobis accidere, quam ſi Statum tuum, quem multâ curâ promovere ſtuduimus, cogeremur, aut perturbare, quod abſit, aut perturbari ab aliis, illum, ſi tibi favorem Apoſtolicum deeſſe cognoſcerent, perturbare paratis, conniventibus oculis, pertranſire. Sed ſi, quod Deus avertat, neceſſe eſt, ut veniant ſcandala; quę cauſa excogitari poteſt conſtatura tibi plus odii, vel conciliatura Eccleſiæ plus favoris, quam ſi tu per intolerabilem uſurpationem attentes eccleſiaſticam libertatem evertere; Apoſtolica verò ſedes illam ſecundùm divinas, & humanas ſanctiones ſtudeat conſervare? Certè vides, quod qui talia perſuadent, aut ſua cæcati ambitione falluntur, aut malitiosè te fallunt, & greſſuum tuorum vias fraudulentis diſſipare conſiliis, & machinationibus pravis ſubvertere moliuntur. Videre potes etiam, quam ſincero, quamque paterno te zelemur affectu, qui non ſolum tuorum verborum injuriam patienter accipimus, verum etiam contrà nos ipſos te quodammodò præmunimus, dùm diſſuademus te cauſam illam aſſumere, ex quâ poſſes quaſi commune incurrere odium, Sede Apoſtolicâ ex eadem favorem publicum aſſequente.*

14. Deindè Honorius proſequitur. *Quid enim? Non obtinebimus eam juriſdictionem, vel poteſtatem in Regno Siciliæ, quam in Franciæ, Angliæ, Hiſpaniæ, ac cæteris Chriſtianorum Regnis, & in ipſo Imperio noſcimur obtinere? Nunquid in Regno Siciliæ minus auctoritatis, vel poteſtatis habebimus, quam in eo, tamquam*

Sedis Apoſtolicæ patrimonio, plus juris, & juriſdictionis habemus. Quid conaris aggredi, quid meditaris incipere, ſeductas falſis conſiliis, & animatus tuæ calore, & robore juventutis? An credis eſſe prudentiam, vel conſilium, aut potentiam contrà Deum; & ejus timore poſtpoſito ſperas, te poſſe prævalere adverſus ejus Eccleſiam, cum quâ promiſit ſe uſque ad conſumationem ſæculi permanſurum? Si contemnis noſtris acquieſcere monitis; domeſticis ſaltèm acquieſcas exemplis, tecum ipſe recogitans manum Domini abbreviatam non eſſe, ut non poſſit erigere, ac deprimere; perdere, ac ſalvare. Hæc tibi benigno animo, & ſincero affectu, Princeps inclytiſſime, ſcribimus, ſatagentes inconſultos animi tui motus paternâ commonitione, redargutione, obſecratione, ac increpatione, compeſcere: teque ad ea, quæ terrenum ſtabiliant tibi Regnum, & æternum præparent, informare (a).

(a) *Odoric. Raynald. an. 1223. n. 15. 16.*

15. Magna, ex hoc Friderici exceſſu, fomentum habuere certamina, quæ in Pontificatibus Honorii III. Gregorii IX. Cœleſtini IV. & Innocentii pariter IV. Eccleſiam cum Imperio colliſerunt. Dejectoque demum ab Imperiali, & Regiâ dignitate in Concilio Lugdunenſi I. ipſomet Friderico, & cum eo excluſâ à Regnis utriuſque Siciliæ totâ ejus poſteritate lineæ Svevorum, Romani Pontifices ex futurorum Regum Inveſtiturâ privilegium interponendi Aſſenſum Regium prorſus expungere decreverunt. Prouti de facto in Inveſtiturâ Regiâ Siciliæ, tùnc utramque tam citrà, quam ultrà Pharum, complectentis, ab Alexandro Papa IV. oblata Edmundo, filio Regis Angliæ, ſuppreſſa eſt mentio Regii Aſſenſus, & deducta in pactum expreſſum libertas Eccleſię, ut tam Papa, quam alii beneficiorum Collatores, vel alio titulo diſpoſitores, in eorundem beneficiorum diſpenſatione uterentur pleniſſimâ libertate: *Omnes*, inquit, *Eccleſię de Regno, & terrâ prędictis, tam Cathedrales, quam aliæ regulares, & ſæculares, necnon & univerſæ eccleſiaſticæ perſonæ illis libertatibus, & immunitatibus omninò gaudebunt, quę ipſis competunt ſecundum canonicas ſanctiones. Itàque circa eaſdem Eccleſias, & Perſonas, tam in faciendis proviſionibus, & electionibus confirmandis, quam in omnibus aliis, Romanus Pontifex, & Romana Eccleſia juriſdictionem, & auctoritatem omnimodam liberè exercebunt, ſalvo debito Regi, & ſuis heredibus jure patronatus, ſi quod Reges Siciliæ, ſeù ejuſdem Regni, & terræ Domini, hactenùs in aliquâ, vel aliquibus Eccleſiarum ipſarum conſueverunt habere: intantum tamen, inquantum Eccleſiarum patronis canonica inſtituta concedunt* (b). Non habuit effectum tractatus ipſe cum Edmundo initus; quippè illius Pater, bellis inteſtinis exagitatus, minus aptus fuit, ut filio ſubſidia traderet opportuna, ad Siciliæ Regnum ſibi armis, & virtute bellicâ ſubigendum: ſatis tamen indè conſtat, jus, ſive indultum *Aſſenſus Regii* porrigendi, fuiſſe ab oblatæ Inveſtituræ textu diſpunctum: neque aliter fuiſſet illi collata inveſtitura Regni, quam Regio aſſenſu ipſo prorſus ablato, uti nimium libertati Eccleſiaſticæ pernicioſo.

(b) *Card. Baron. an. 1097. num. 11. f. 696.*

16. Novus ergò tractatus eſt inſtitutus inter Clementem Papam IV. & *Carolum I. Andegavenſem*, huicque tandem inveſtitura conceſſa, cum ſequenti expreſſo paragrapho: *Omnes inſuper Eccleſię tàm Cathedrales, quàm aliæ regulares, & ſæculares, necnon & omnes Prælati, & Clerici, ac univerſæ perſonæ eccleſiaſticæ, ſæculares, & religioſæ, & quæcumque religionis loca, cum omnibus bonis ſuis, in electionibus, poſtulationibus, nominationibus, proviſionibus, & omnibus aliis plenâ libertate gaudebunt: nec antè electionem, ſive in electione, vel poſt, Regius Aſſenſus, vel conſilium aliquatenus requiretur, quam atique libertatem vos, & veſtri in Regno hæredes ſemper manutenebitis* (c). Quæ verba perperàm torquentur à Contradictoribus, ut non niſi de ſublato Aſſenſu Regio in proviſione Cathedralium loquatur, relicto ipſo in vigore, quoad cœtera beneficia, cum ibi reſonantibus verbis, atque literis cubitalibus, comprehendantur omnes beneficiorum diſpoſitiones, per qualemcumque viam, ſive electionis, ſive poſtulationis, ſive nominationis, ſive proviſionis &c. utendo uberius verbo electionis, quià quocumque modo deputetur ille, qui beneficio augendus eſt, ſive per Collationem, ſive per Nominatio-

(c) *Baron. loc. cit. Raynald. an. 1265. n. 19.*

nem, ſive per aliam formam legalis, & Canonicæ proviſionis; ſemper dicitur electus, & ejus proviſio dicitur illius electio (*a*).

17. Inveſtitura hæc Regi Carolo I. collata, quę à primo ejus Conceſſore Clemente Papâ IV. communitèr dicitur *Clementina*, fuit norma cæterarum, quæ ſucceſſivi Summi Pontifices ſuccedentibus Regibus ſunt largiti: & talis eſt Inveſtitura, per Urbanum VI. Carolo III. Dyrrachino collata (*b*). Talis alia per Eugenium Papam IV. Alphonſo I. Aragonio porrecta (*c*). Talis illa, quam impertitus eſt Pius Papa II. Ferdinando I. Alphonſi I. notho (*d*). Talis illa quâ Alexander Papa VI. Alphonſum II. Ferdinandi nothi filium decoravit (*e*). Tales demùm ſunt reliquæ ſubſequentes, à quibus jus, ſivè indultum interponendi aſſenſum Regium eſt expunctum, nec aliquam invenire facile eſt, in quâ privilegium, ſivè jus, ſivè indultum interponendi aſſenſum ipſum Regium, ſit inſertum. Itàque durante lineâ *Regum Andegavenſium*, nullatenùs locum habuit *Regius aſſenſus*, niſi in ſolâ Eccleſiâ, & reſpectu ad ſolum Epiſcopatum *Lucerię Saracenorum*: hocque ex ſpeciali privilegio Benedicti Papæ XI. Nam cum Carolus II. Rex Urbem illam Saracenorum covile, pulſis iiſdem infidelibus expurgaſſet, & præbendas Capitulares, ac ipſam Sedem Epiſcopalem ſuo ære dotaſſet; Pontifex illi jus interponendi aſſenſum regium, de poteſtatatis plenitudine indulſit.

18. Ait etenim diploma: *Quodque quoties electionem Epiſcopi S. Marię* Luceriæ, *per quos Capitulum contigerit vacationis ingruente tempore celebrari, teneantur ipſi Capitulum, priuſquam ejuſdem electionis confirmatio poſtuletur, tuum*, idest Regis Caroli, *& eorundem ſucceſſorum tuorum, aſſenſum requirere, nec poſſit eadem electio, niſi prius hujuſmodi requiſitus aſſenſus fuerit, confirmari* (*f*). Quam quidem Conceſſionem Robertus Rex Neapolis, præfati Caroli filius, vocat *ſingulare privilegium* (*g*), & uti ſingulare privilegium oſtendit, quod peculiari hoc diplomate ceſſante, & extrà locum privilegiį ipſius Regibus Neapolis jus interponendi aſſenſum Regium proviſionibus beneficiorum nullatenùs competebat: alioquin non uti *ſingulare privilegium* imploraſſent id, quod ad illos de generali lege ſpectaſſet (*h*). Imò nedum in inveſtiturâ Regni Napolis, verum etiàm in illis, quæ Siciliam ulteriorem, tetigerunt, idem aſſenſus Regius eſt expreſſiſſimè avulſus (*i*), & ità quando Gregorius Papa XI. pacta approbavit, inita inter Joannam I. Neapolis, & Fridericum II. Trinacriæ Reges, ut hic ab eâdem Joannâ, & ſimùl à Sede Apoſtolicâ, in feudum Regium Trinacriam retineret; eſt individualitèr definitum, ut electiones, & proviſiones beneficiorum liberè fieri poſſent ſinè Regii aſſenſus acceſſu: Nè in Trinacriâ factâ tunc ſubordinatâ, & feudali Regni Neapolis, aliter obſervaretur, quam in ipſo Regno Neapolis. Non enim debet pars à ſuo toto, & membrum à ſuo capite diſſidere.

19. En verba pactorum: *Omnes Eccleſiæ, tàm Cathedrales, quàm alię Regulares, & Sæculares, nec non omnes Prælati, & Clerici, ac univerſæ perſonę Eccleſiaſticæ, Sæculares, & Religioſæ, in electionibus, poſtulationibus, nominationibus, proviſionibus, & omnibus aliis, plenâ libertate gaudebunt; Nec antè electionem, nec in electione, vel poſt, dicti Friderici, ſeù ejus Succeſſorum in Regno, ſivè inſulis prædictis, conſenſus, vel conſilium aliquatenus requiratur: quam utique libertatem ipſe Fridericus, ipſiuſque in dictis Inſulis, ſeù Regno ſucceſſores, ſemper manutenebunt, & conſervabunt, & manuteri facient ab omnibus Subditis ſuis: dictæque Eccleſiæ, ac perſonæ, & omnia religioſa, & pia loca, utentur liberè omnibus bonis, & juribus ſuis, ſalvo ſibi, & ſucceſſoribus ſuis in Regno prædicto Trinacrię, ſeù Inſulis, jurepatronatus, prout & ſecundum quod patronis Eccleſiarum canonica inſtituta concedunt, & in illis tantum Eccleſiis, in quibus Reges antiqui Siciliæ hujuſmodi juspatronatus habuerunt. Salva ſemper circà Eccleſias Cathedrales, & alias Regulares, & Sæculares quaſcumque, ac perſonas, & loca Eccleſiaſtica, tàm in faciendis proviſionibus, & electionibus confirmandis, quàm in reſervationibus de ipſis Eccleſiis faciendis, quam in omnibus, & quibuſcumque*

aliis

(a) *Fagnan. in cap nullus 2. de Election. n.9.& 21.l.1.*

(b) *Odoric. Raynald. an.1381 n.3.*

(c) *Idem Raynald. ann.1443.n.1.&c.*

(d) *Idem an.1458.n. 20 27.28*

(e) *Idem ann.1494.d n. 8.*

(f) *Thomaſſin.Vet.& nov. Eccl.diſcipl.p. 2. l 2.c.37 n 4.*

(g) *Bened XI.epl.ad Carol.II. apud Ferdin. Ughel.Ital ſacr.tom 8 in Epiſc. Luceriæ in princ.f.453.*

(h) *Robert Rex Neap. apud Ughell. loc. cit. paulo ante f.452.*

(i) *L.2.C.de theſau. l.10.c.ult 25.qu.2.Sylveſt V. privilegiū qu. 3.Barboſ.in c.30.n° 2. de privileg.*

aliis Romani Pontificis, & Eccleſiæ Romanæ juriſdictione, ordinatione, & auctoritate plenariâ, & liberâ poteſtate (a).

(a) Odoric. Raynald. ann. 1372. n. 11.

20. Itâ quoàd partem Regni Siciliæ, nempè quoàd Trinacriam factum eſt, nè pars, ut innuimus, à ſuo toto, & membrum à ſuo capite diſſideret. Itàque ab initio Eccleſiæ, uſque ad annum 1156. in Regno Neapolis nullus fuit aſſenſus Regius, & quià poteſtas illum interponendi proviſionibus Eccleſiarum ſine privilegio Apoſtolico obtineri non poteſt, Guillelmus Malus Rex, qui ejus uſum introducere peroptavit, nec poterat rectâ viâ; ad malas artes converſus eſt, extorquens per vim ab Hadriano PP. IV. facultatem eum interponendi: hæcque facultas quoad Reges *lineæ Normannicæ*, duravit ſub ſolis duobus Regibus, nempè Guillelmo Malo, & Guillelmo Bono. Hac lineâ extinctâ, cum Innocentius Papa III. *Lineam Svevicam* ad regnandum vocaſſet, ei dedit indultum, ut Regium aſſenſum interponere poſſet, quippè adverſus ipſam lineam diſſidia plura, bella, & turbulentiæ ingruebant (b). Et quoniam Epiſcopi, & Præſules magnam in Republicâ partem faciunt (d), incæperunt Papæ Epiſcopatus Regni ſibi aliquos reſervare (c), ac Regibus jus concedere aſſenſus Regii interponendi, nè unquam ad Præſulatus pervenirent Clerici, Regibus ipſis ſuſpecti. Benè proindè Clemens VIII. Comiti de Olivares Proregi Neapolis in memoriam revocavit, Regium aſſenſum olim fuiſſe indultum propter bella, quæ illis Regibus imminebant, qui poteſtatem adepti ſunt illum interponendi. Ex hac lineâ autem Svevicâ unus ſolus Rex jure iſto potitus eſt: quo ſolemnitèr depoſito, Regnum ad *lineam Andegavenſem* tranſivit, ſub eaq; nullus Rex habuit, ut poſſet aſſenſum Regium interponere. Itaq; ſoli tres Reges hac poteſtate uſi ſunt, duo ex lineâ Normannicâ, & unus ex Svevicâ. Primi duo, tamquam rè, malis artibus exortâ. Tertius verò, tamquam indulto, ſibi, & ſuæ familiæ legitimè conceſſo, ſed tam malè per eum adhibito, ut Eccleſiam intolerabilis ſervitutis vinculis implicaret.

(b) Thomaſſin. Vet. & nov. Eccl. discipl. p. 2. l. 2. c. 37. n. 4.
(c) Germonius de ſac. Immun. l. 2. c. 12. n. 43.
(d) Theodoric. Niemenſ. l. 1. c. 26. Thomaſſin. loc. cit. c. 36. n. 9.

21. Hoc modo, hiſque de cauſis, datus aliquando eſt locus in Regno Neapolis Aſſenſui Regio: cujus vi nullâ fiebat imminutio Eccleſiaſticæ libertatis, ſi ejus ſi dem interpoſitio fuiſſet ſemper eâ moderatione adhibita, quâ fuerat intentione primitus introducta; ſed quià effectus ſpem Eccleſiæ fefellit, quippè Reges cæperunt ipſo aſſenſu extrà æquitatem abuti; quâ auctoritate fuit primo introductus, eâdem fuit etiàm ſucceſſivè ſublatus. Exclamat Petrus Bleſenſis adverſus Regis intemperantiam, qui Clericum quendam Epiſcopali beneficio ſubintruſit (e). Alios ſimiles conatus Friderici II. Regis ſuperius vidimus: nec alia plura deerunt exempla ſimilia ſcrutatoribus antiquitatis. Adhunc abuſum ergò extirpandum, eccleſiaſticæ libertatis ſuppreſſivum, ſub obtentu aſſenſus Regii, oportuit ipſum aſſenſum, qui à primævâ citò deſciverat innocentiâ, totalitèr abrogare. *Nihil periclitari*, ait Thomaſſinus, *videbantur electiones ab hoc Regum Aſſenſu. Sed eâ poteſtate tàm impotentèr uſi ſunt Siculi Reges, ut per Pontifices revocanda tandem fuerit* (f). Cum primo ergò Regnum, è Dynaſtiâ reprobatâ *Svevorum*, in *Andegavenſem* Gallicam eſt traductum, in inveſtiturâ nedùm jus aſſenſus Regii præſtolandi eſt ſilentio involutum; ſed imò eſt apertè prohibitum, *Nec antè electionem*, ut inquit textus inveſtituræ Andegavenſis, *ſivè in electione, vel poſt, Regius aſſenſus, vel conſilium aliquatenus requiretur, quam utique libertatem vos, & veſtri hæredes ſemper manutenebitis* (g). Nec novitas hæc fuit injuſta, indiſcreta, vel aliter à recti limine aliena; ſed æquiſſima, rationabilis, opportuna, & talis, ſinè quâ magnis vulneribus libertati Eccleſiaſticæ illatis, non poterat medicamen congruum adhiberi. Præterquam quod cuilibet domino directo licitum eſt in concedendâ emphyteuſi rei ſuæ, conditiones ſibi benè viſas apponere.

(e) Petrus Bleſenſis, epiſt. 10.
(f) Thomaſſin. Vet. & nov. Eccl. diſcipl. p. 2. l. 2. c. 27. n. 2.
(g) Odoric. Raynald. ann. 1265. n. 19.

22. En judicium quod de hujuſmodi rè profert enuntiatus doctiſſimus Thomaſſinus, -- Ea autem tunc Pontificum charitas, & benevolentia effuſior in Galliæ Reges, proficiſcebatur, tùm ex memoriâ, & pietate in eos, à quibus tot beneficiis cumulata eſſet Romana Eccleſia: tùm ex ſpè, & neceſſitate ingentis, & præ-

præpotentis tuitionis, ad Eccleſię hoſtes pertinaciſsimos propulſandos. Itàque non Gallicæ gentis Regibus Siculis hinc conflanda invidia eſt, quaſi adversùs eos illud tunc novatum primò ſit, ut ne aſſenſus Regius amplius requireretur, tùm ad faciendas, tùm ad confirmandas electiones. Sed cum innovatum, invectumque jàm id fuiſſet adverſus Fridericum II. internecinas cum Pontificibus inimicitias exercentem; tantis, & ab ipſo, & à prædeceſſoribus ejus graſſationibus in electiones olim iteratis; ex re viſum eſt Pontificibus Romanis retinendum id eſſe, ut ab aſſenſu Regio requirendo abſtineretur: cum ea non novi juris inſtitutio eſſet, ſed reſtitutio vetuſtiſſimi. Eſt certè cauſa ſpecialis, & perneceſſaria, ut vigeant, & dominentur libertates eccleſiaſticæ in iis maximè Regnis, & locis, quę in ditione ſunt Apoſtolicæ Sedis, earum vindicis, & cuſtodis. Honorius IV. anno 1285. videtur primus omnium ſibi integram ſervaſſe collationem omnium Siciliæ Epiſcopatuum, dum æſtuarent bella intèr Francos, & Aragonios Principes, ne ii eligerentur Epiſcopi, qui Arragoniis ſtuderent, & adverſabantur Gallis, hoc eſt Pontificibus, qui Gallis hoc Regnum donarant, & aſſerebant * (*a*).

(a) *Thomaſſin. ubi ſuprà p. 2. l. 2. c. 37. n. 4. & 4.*

23. Expunctio aſſenſus Regii ſub Carolo I. Rege incæpta, ſub Regibus Andegavenſibus ejus ſucceſſoribus continuavit: Inveſtituræ namque, quas ſucceſſivi Pontifices, de manu in manum, ſubintrantibus Regibus contulerunt, formam ſumpſerunt, ut innuimus, à primâ illâ Clementinâ, per Clementem Papam IV. Carolo I. Andegavenſi collatâ: nec ulla ex eis à pactis, expreſſis inibi, reſilivit. Adeoquè ſi vera loqui, ſi de hac rè volumus prò veritate ſentire; jàm ipſe aſſenſus Regius, vi pactorum eſt totalitèr abrogatus, ab eo tempore, quo Regnum utriuſque Sicilię ad lineam Andegavenſem pervenit. Et ideo Reges Neapolis lineæ Andegavenſis, ſi quando alicubi *aſſenſum Regium* interponere voluerunt, pro aliquo caſu, vel Eccleſiâ peculiari, ut fuit illa Luceriæ; id ex *privilegio ſingulari*, ab Apoſtolicâ Sede impetrarunt (*b*): Et ſi quando aliundè aliquem uti ſibi ſuſpectum à conſecutione alicujus Eccleſiæ repellere ſatagebant; non per viam *Aſſenſus Regii* porrigendi, ſed per viam ſupplicationis, ſivè denunciationis, ſibi conſulebant, rogando Pontificem, vel ejus miniſtris inſinuando, talem ad Eccleſiam deſtinatum, ſive indigenam, ſive extraneum; ſive Regnicolam, ſive alterius Nationis, eſſe ſibi *rationabiliter* ſuſpectum. Et ità Carolus II. Rex (auditâ electione diſcordi Eccleſiæ Melitenſis, cujus pars Manfredum Ciſonium, alia vero pars Andream Squillacenſem elegerat) interpellavit Legatum Apoſtolicum, ut Manfredo rejecto, præferret Andream; quod certè non feciſſet, ſi jure præditus fuiſſet *Aſſenſum Regium* univerſalitèr porrigendi: ex ſe ipſo namq; obſtitiſſet Manfredo: nec propter hoc ad Legatum Apoſtolicum recurriſſet. En verba epiſtolæ Caroli II. pręfati.

(b) *Vid. hic ſupr. n. 17 & 18.*

24. – Venerabili in Chriſto Patri amico chariſſimo, D. Landulfo Dei gratiâ Sancti Angeli Diacono Cardinali, Apoſtolicæ Sedis Legato. Carolus Secundus eâdem gratiâ Rex Hieruſalem, & Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuę, Provinciæ, & Folqualquerii Comes, votivæ proſperitatis lætitiam, & ſalutem. Pro bono communi, noſtrorumque ſereno ſtatu fidelium, curam, & diligentiam habere nos expedit, quod in Cathedralibus Eccleſiis Regni noſtri eæ perſonę præferantur ad regimen, quas fides, & probitas ſpecialitèr comprobent. Illud quoque per conſequens attentis ſtudiis debemus avertere, nè tales admittantur ad prælationis officium, quas infidelitatis infamia maculat, vel exindè ipſa ſaltim nota ſuſpicionis accuſat. Sicut igitur ad noſtrę majeſtatis producto notitiam, vacante jàm pridem Eccleſiâ Militenſi, de religioſo viro fratre Andreâ Abbate Monaſteri S. Stephani de Boſco, dilecto Cappellano, familiari, & fideli noſtro, ac de Manfredo Ciſonio Canonico Militenſi; contrà quem, quià noſtris adhæſit hoſtibus, prout à fide dignis accepimus, juſtam cauſam ſuſpicionis habemus, eſt electio diſcorditer celebrata, ipſiuſque electionis negotium ad noſtram audientiam devolutum, pro conſideratione præmiſsâ noſtris affectibus gratum accederet, quod præfatus Abbas, quem fide clarum, devotione ſincerum ab experto cognovimus,

nec

Digitized by Google

nec ab honeſtatis, & probitatis meritis alienum, præfatæ præficeretur Eccleſiæ in Paſtorem: propter quod Paternitatem veſtram deprecandam, ut ſi canonum aliquod non obſiſtit, dignumque duxeritis, quod de præfato Abbate dictę Militenſi provideatur Eccleſiæ, velitis annuere, & quod dictus alter electus, adverſus quem clamat infidelitatis infamia, ad prælationem non admittatur eamdem, pro præmiſſorum conſideratione, quę obviant aliquatenus aſſentiri. Datum Neapolis anno Domini 1299. die 15. Aprilis 12. indicti * (a). Rogando igitur, non adhibendo *Aſſenſum Regium*, ſivè *Regium Exequatur*, ſibi præcavebant Reges Neapolis lineę *Andegavenſis* contrà ſuſpectos. Qui certè non ſe talitèr continuiſſent, ſi eiſdem fas fuiſſet Regium Aſſenſum ipſum interponere, nec jam ceſſaſſet facultas illa, quam præcedentes Reges lineę *Normannieę* malis artibus extorſerant, & Reges lineę *Suevicę* legitimè impetraverant, donec eorum linea ſubſiſteret, Regium Aſſenſum interponendi electionibus Prelatorum.

(a) *Apud Ferdinand. Ughellum Italiæ Sacræ to. 1. in Epiſc. Militenſibus n. 16.*

C A P U T XXXIX.

In quo continuatur ſermo de Aſſenſu Regio, *an locum habuerit ſub Regibus linearum* Aragonenſis, & Auſtriacæ. *Et an proficiat cauſæ Contradictorum.*

S U M M A R I U M.

1 *Uſque ad annum 1435. Regius aſſenſus ſub duobus ſolis Regibus lineæ* Normannicæ *uſurpativè fuit, & ſub uno Suevicæ, licitè.*

2 *Eugenius PP. IV. Inveſtituram contulit Alphonſo I. deductâ in pactum expreſſâ Regii aſſenſus expunctione.*

3 *Indè Alphonſus ſubripuit à Papâ, ut Regium aſſenſum poſſet interponere, ſi, & ubi jus, aut conſuetudo ei aſſiſteret, quæ verè non ſubſiſtebat.*

4 *Etiam ſi dicta poteſtas in Alphonſo I. fuiſſet legitima; non tamen egreſſa eſt ejus perſonam. Nec ad omnes literas Apoſtolicas ſè profudit.*

5 *Sub illo Rege promptè dabatur executio literis Apoſtolicis; nec fiebat de aſſenſu Regio negotium, ad impediendas omnes Bullas Pontificias.*

6 *Alphonſus I. jubet de proventibus Eccleſiæ Marturanenſis reſponderi Martino, ad illam Sedem ab Inſulanâ translato.*

7 *Succeſſit in Regno Ferrandus, indè Alphonſus II. poſteà Ferrandinus, ſucceſſivè Fridericus, demùm Ferdinandus V. Rex Aragoniæ.*

8 *Durante iſtâ lineâ Regius aſſenſus locum habuit per ſolos annos 15. & quoàd Præſulatus tantum. De ejus abuſus vocatus eſt in culpam Rex Fridericus.*

9 *Fuerunt inter Innocentium PP. VIII. & Ferdinandum I. Regem diſſidia propter beneficia: res demùm ſarcita eſt, nulla pactis interjectâ lege Regii aſſenſus.*

10 *Ex Auſtriacis nullus habuit indultum aſſenſus Regii: Imo in eorum Inveſtituris deducta eſt in pactum expreſſum ipſius Regii aſſenſus excluſio.*

11 *In Concordiâ inter Clementem VII. & Carolum V. reſervatum eſt Regibus Neapolis jus patronatus in 24. Eccleſiis. Quid importet dictio* liberè.

12 *Poſt Alphonſum I. nullus Rex poſitus eſt facultate interponendi aſſenſum Regium. Undè mirum eſt fuiſſe interpoſitum, & tantoperè dilatatum.*

13 *Nil refert, quod aliqui uſi ſint, & extenderint aſſenſum Regium. Attentata non faciunt legem, nec ſunt adducenda in exemplum.*

14 *Aſ-*

14 *Aſſenſus Regius talis eſſe non debet, ut judicium Apoſtolicum à Regiæ voluntatis arbitrio dependeat, vel ſuſpicio ultrà rationis limites dilatetur.*

15 *Plures Papæ obſtiterunt interpoſitioni aſſenſus Regii, Conſtitutiones contrarias edentes. Clemens VII. de hâc rè interpellavit Carolum V.*

16 *Antonius Montaltus Promotor Fiſcalis Siciliæ Carolo V. ſcribit, illum teneri, ex vi pactorum Inveſtituræ abolere ſervitutem aſſenſus Regii.*

17 *Reclamatio facta à Cardinali Juſtiniano, nomine S. Pii V. Philippo II. Regi: & alia, quæ ſub eodem Sancto Pontifice evenerunt.*

18 *Bulla Cœnæ impediri non poteſt à Principe nè acceptetur, vel publicetur: nec prætextus quod non ſit publicata, eximit ab ejus obſervantiâ.*

19 *Cardinalis Alexandrinus apud eumdem Regem reclamavit nomine S. Pii V. ſuper* Regio Exequatur *Neapolis, ut removeretur in vim pactorum.*

20 *Contentiones tempore Clementis VIII. propter Regium exequatur, avulſum ab Inveſtituris, & cui Bulla Cœnæ quotannis publicata reſiſtit.*

21 *Non benè ſupponitur, in Regno Neapolis* Bullam in Cœnâ Domini *non fuiſſe publicatam, & acceptatam.*

22 *Acceptata enim, & publicata optimè fuit, & Rex Proregi mandavit, ut deſiſteret ab hujus rei impugnatione.*

23 *Quidquid ſit de legibus laicalibus, an indigeant acceptatione populi; hoc locum non habet quoàd Conſtitutiones Apoſtolicas.*

24 *Propoſitio quod leges Papæ non obligent, niſi acceptentur, qualem cenſuram habeat à Doctoribus? Contrà ipſas dari non poteſt de non uſu.*

25 *Conſtitutiones Apoſtolicas ſufficit publicari Romæ, & id à ſat eſt etiam leges Regias publicari in eorum Curiâ.*

26 *Bulla Cœnæ publicata, & acceptata in Regno Neapolis reſiſtit appoſitioni Aſſenſus Regii Bullis Apoſtolicis.*

27 *Quæ dicuntur, non ut jura Regia minuantur, ſed ut veritas innoteſcat: & hoc agendo benè Regno deſervitur.*

28 *Indultum* Aſſenſus Regii *in Regno adeſſe non invenitur, & contrà eum Pontifices prò viribus reclamarunt.*

29 *Etiam ſi adeſſet, nihil ſuffragaret prò excludendis extraneis: vel hæc actio competeret Regi, non privatis perſonis.*

30 *Reges Neapolis, nunquam juſſerunt excludendos eſſe extraneos à beneficiis generalitèr, vel vigore aſſenſus Regii.*

1. AB initio Eccleſiæ uſquè ad totum tempus, quo præfuerunt Regno Neapolis Principes linearum Normannicæ, Svevicæ, & Andegavenſis, nempè uſque ad annum 1435. *Regius aſſenſus*, ſivè *Regium Exequatur* non habuit locum, uti vidimus, niſi ſub duobus Regibus Normannicis, nimirùm Guillelmo Malo, & Guillelmo Bono, per vim, & uſurpationem, ſpatio annorum 33. ſcilicèt ab anno 1156. in quo Guillelmus Malus jus iſtud ab Hadriano PP. IV. extorſit (*a*), uſque ad annum 1187. in quo Guillelmus Bonus ejus filius interiit (*b*), & cum eo linea Normannica extincta eſt. Tranſlato poſt hunc Regno ad lineam Svevorum, dictus Regius aſſenſus locum habuit licitè, per conceſſionem Innocentii III. ſolo durante Regno Friderici II. Regis, & Imperatoris, per annos 47. videlicèt ab anno 1197. in quo Inveſtituram Regni adeptus eſt (*c*), uſque ad annum 1245. in quo ſolemnitèr à Regno, & Imperio in Concilio Lugdunenſi I. eſt depoſitus (*d*). Sicque Regius aſſenſus quà licitè, & quà illicitè ſub ſolis tribus Regibus, & per annos 80. locum habuit: inter quos licitè ſub unico Rege Friderico II. & per annos 47. tantummodò potuit interponi.

(a) *Vid. hic cap. præced. n. 4.*
(b) *Card. Baron. an. 1189. n. 14.*
(c) *Odoric. Raynald. an. 1168.*
(d) *Raynald. an. 1245 num. 41.*

2. Extinctâ poſtmodùm lineâ Andegavenſium, deſcendentium à Carolo I. in perſonam Joannæ II. quæ ut innuimus obiit anno 1435. (*e*), Regnum reverſum eſt ad

(e) *Blond. dec. 3. l. 8 Raynald. an. 1435. n. 12*

Apoſtolicam Sedem, verùm invaleſcente viribus Alphonſo I. *Aragonio*, quem etiam Joanna præfata primo loco adoptaverat; poſt multas contradictiones, & diſſidia, tandem Eugenius Papa IV. illi Regalem contulit Inveſtituram, anno 1443. (*a*). In quâ nedùm non ei poteſtatem indulſit apponendi aſſenſum Regium, ſed imò in pactum expreſſum deduxit, nè aſſenſus ipſe poſſet ullatenùs interponi. En verba Inveſtiturę, incluſæ diplomati, quo illam Rex, per biennii tempus ſubtilitèr ponderatam, tandem acceptavit (*b*). *Omnes inſuper Eccleſię, tàm Cathedrales, quàm alię Sęculares, & Regulares, necnon omnes Pręlati, & Clerici, ac univerſę perſonę Eccleſiaſticę, Sęculares, & Religioſæ, ac quęcumque religioſa loca, in Regno, & terrâ prędictis conſiſtentia, cum omnibus bonis ſuis, in electionibus, poſtulationibus, nominationibus, proviſionibus, & omnibus aliis, plenâ libertate gaudebunt, nec ante electionem, ſivè in electione, vel poſt, Regis aſſenſus, aut conſilium aliquatenùs requiretur. Quam utique libertatem, tù, & tui in Regno heredes, ſemper manutenebitis, & conſervabitis, ac manuteneri, & conſervari facietis ab omnibus Subditis veſtris, dictęque Eccleſię, & perſonę utentur liberè omnibus bonis, & juribus ſuis &c.*

(a) *Raynald. an. 1442 num. 1. & ann. 1445. num. 1.*

(b) *Raynald. an. 1445 à num. 1. ad 11.*

3. Inveſtiturâ Regali adeptâ, Rex Alphonſus I. Eugenio Papæ IV. expoſuit, minus tamen ſincerè, Neapolitanos Reges ſemper conſueviſſe aſſenſum Regium literis Apoſtolicis adhibere, nè contingeret quemquam, eorum hoſtem, illiſve ſuſpectum, ad beneficia eccleſiaſtica promoveri; rogabat proindè, ut & ſibi tantundèm facere liceret. Papa Regi annuit, non tamen abſolutè, ſed conditionatè, nempè *ſi, & ubi jus, vel conſuetudo* eidem aſſiſteret, non obſtantibus pactis in Inveſtiturâ, prout ſuprà contentis. Verùm iſta conceſſio, tamquam conditionalis nihil poſuit in eſſe, niſi exiſtente conditione (*c*): Eâque deficiente, contractus quoque, & conceſſio reſoluta eſt (*d*). De facto autem neque jus, neque conſuetudo interponendi aſſenſum Regium erat in Regno, nam non adfuit niſi uſurpativè per 33. annos, & licitè per 47. annos, uti ſuprà vidimus: & ab iſto ultimo anno, qui eſt 1245. in quo depoſitus eſt Fridericus II. uſque ad annum 1443. in quo provectus eſt Alphonſus I. ferè 200. anni jam intercurrerant, in quibus regnaverant ſeptem Reges lineæ Andegavenſis, nec ſub ullo ipſorum jus, vel uſus ullus fuit interponendi Regium aſſenſum. Si enim viguiſſet, illo ex ſe ipſis uſi fuiſſent, non præſidium miniſtrorum Sedis Apoſtolicæ prò caſibus particularibus imploraſſent (*e*) Sed & in inveſtituris Regiis clarè excluſus eſt.

(c) *L. Cedere ff. de verb ſignif. l. ſiquis fundum ff. de contr. empt. Afflic. dec. 359. n. 4.*

(d) *L. pecuniam, & ibi Alex n. 4. ff. ſi certa petit. Menoch conſ. 134 n 30. Barboſ. Repert. Jur. Can. V. Conditio.*

(e) *Vid. Cap. præced. n. 17. 18. 23. 24.*

4. Itàque nullatenus verificata fuit conditio conceſſioni Eugenii Papæ interjecta, & per conſequens Alphonſus Rex nullum jus legitimum eſt adeptus interponendi proviſionibus Apoſtolicis aſſenſum Regium, ſivè Regium exequatur. Nihilominùs dato etiam, ſed non conceſſo, quod purificata fuiſſet præfata conditio; adhuc tamen ipſa facultas apponendi aſſenſum Regium non fuit niſi perſonalis, vel ad ſummum gentilitia, neque duravit, niſi prò illo ſolo tempore, quo duravit inveſtitura Regni, Alphonſo Regi conceſſa. Sed hæc inveſtitura non eſt egreſſa ipſius Alphonſi perſonam, quia hic obiit ſine filiis legitimis, anno 1458. (*f*), ergò cum eo finivit linea ſuæ familiæ, ac per conſequens periit etiam poteſtas interponendi Regium aſſenſum, quæ nulli amplius Regum ſuccedentium fuit per Pontificem renovata. Prætérquam quod ipſa poteſtas in Rege Alphonſo non fuit niſi talis, qualem ipſe ſuppoſuit fuiſſe in antiquis Regibus: in antiquis autem Regibus Guillelmo Malo, & Bono, atque in Friderico II. (qui tres tantummodò hâc poteſtate uſi ſunt) illa non fuit niſi prò ſolis provectionibus Antiſtitum, & ad eas reſtricta, non verò ad cuncta beneficia, etiam minoris ordinis dilatata, & multò minus ad alias Bullas, ac literas Apoſtolicas, non concernentes materiam beneficiorum, adeoque iſta poteſtas nedùm jam ab anno 1458. expiravit, nec unquam amplius fuit in ſuccedentibus Regibus excitata; ſed etiam in eâ latitudine, quâ ultimis temporibus adhibita fuit, nunquam extitit.

(f) *Æneas Sylv. hiſt. Boem. c. 71. Raynal. an. 1458. n. 30.*

5. Bonum erit autem hìc attendere promptitudinem, quâ tempore Alphonſi I. Regis

Regis executio dabatur literis Apoſtolicis. Nàm ſtatim ac viſæ fuerant, exequendæ ad loca debita mittebantur, non per plures menſes, & annos retinebantur: non extorquebantur notabiles pecuniȩ ſummȩ: non defatigabantur proviſi pluribus technis: non venditabantur prò ſuſpectis, qui ſuſpecti non erant: nemo audebat calamum literis Apoſtolicis apponere, illiſque Regium exequatur inſcribere: non tandèm fiebat de aſſenſu Regio negotium, ad impugnandam, & perturbandam, aut retardandam executionem Bullarum, ac proviſos defatigandos, & ſemina diſcordiæ inter Regnum, & Sacerdotium inopportunè ſpargenda. Sed bonâ fide, in ſimplicitate candidâ, & de plano, legebantur Bullæ ipſæ, obſervabatur, an Proviſus eſſet ex hoſtibus Principis, & talis, qui ſivè indigena, ſivè extraneus, eſſet Regi *probabili ratione* ſuſpectus: & quatenùs talis non eſſet; ingenuè, abſque aliâ contradictione, dilatioue, ac fatigatione, reſtituebantur ei literæ Apoſtolicæ intactȩ, & Rex propriis adjectis literis proviſum ipſum comitabatur, atque ut ſinè morâ in poſſeſſionem mitteretur, diſtrictiſſimè præcipiebat. Cernitur hoc totum ex ſequenti epiſtolâ præfati Alphonſi I. Regis, quâ ſub die 9. Julii anni 1451. exequi mandavit Bullas Romæ datas die 27. Junii ejuſdem anni: talitèr ut intrà breve ſpatium duodecim dierum, Bullæ fuerint Romæ editæ, Neapolim delatæ, Regi exhibitæ, viſæ, & executioni mandatæ: tanta erat promptitudo, & honor, tunc literis Apoſtolicis ſolitus exhiberi.

6. Regia epiſtola talitèr ſe habet. *Alphonſus Rex. Magnifico Viro Franciſco Siſcar Militi Vicegerenti in Ducatu Calabriæ Conſiliario, necnon Canonicis, & Clero Epiſcopatus Marturanenſi, & ejus Diœceſis, Juſtitiario inſuper Civitatis Cuſentiæ, Gubernatori quoque, Capitaneo, & Magiſtris Juratis dictæ Civitatis Maturanenſis, & Terræ Xilliani, & aliis, ad quos, ſeù quem ſpectat, præſentibus, & futuris, fidelibus noſtris dilectis, gratiam noſtram, & bonam voluntatem. Santiſſimus Dominus Noſter Nicolaus PP. V. ſuis cum Bullis Apoſtolicis Dat. Romæ ap. S. Petrum, anno Incarn. Dominicæ 1451. 5. Kal. Junii, Pontificatus ſui anno 5. tranſtulit Vener. in Chriſto Patrem M. Epiſcopum Inſulanum ad majorem Eccleſiam Marturanenſem, ipſique de eâdem Eccleſiâ providit, committendo eidem M. Epiſcopo in ſpiritualibus, & temporalibus curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius Marturanenſis Eccleſiæ, prout in dictis Bullis Apoſtolicis pleniùs continetur. Et propterea volentes eum votis Apoſtolicis eſſe conformes, vobis, & ſingulis veſtrum, dicimus, & mandamus expreſſè, ſub incurſu noſtræ iræ, & indignationis, ac pœnâ unciarum centum, quatenus eidem M. Epiſcopo circa adeptionem, & receptionem jurium, fructuum, redituum, & proventuum ipſius faveatis, & aſſiſtatis, & aſſiſti, & faveri mandetis, ope, operc, auxiliis, præſidiis, & favoribus opportunis, juxtà dictarum Bullarum, & proceſſuum illarum tenores, & contrarium non faciatis, ſi gratiam noſtram charam habetis, iramque, & indignationem noſtram, ac pœnam prædictam cupitis non ſubire. Dat. in Turri Octavi die 9. Menſ. Julii 1451. Rex Alphonſus* (*a*).

7. Ex quâ Regione nativus eſſet iſte M. nempè Martinus, nobis non conſtat. Certè tamen in Marturanenſi Sede illi ſucceſſerunt plures extranei, videlicèt Angelus Græcus, Jacobus Antonius Ferdutius Anconitanus, Tolom[illegible]us Gallius Novocomenſis, Hieronymus de Federicis, Diœceſis Mediolanenſis, Gregorius de Cruce Hiſpanus, Marianus, & Robertus Perbenedicti, fratres, Camertes, Lucas Celleſius Piſtorienſis &c (*b*). Ut non dubites, quod ab eo tempore citrà aditus ibi patuit etiam Clericis extraneis ad eccleſiaſtica beneficia. Poſt Alphonſum I. Regnum pervenit ad alios Principes ejuſdem lineȩ Aragonenſis, nimirùm ad Ferrandum, ſeu Ferdinandum I. Alphonſi nothum, cui Pius PP. II. Regalem contulit inveſtituram anno 1458. (*c*), Eique ſucceſſit Alphonſus II. ejus filius ab Alexandro PP. VI. inveſtiturâ Regiâ decoratus, anno 1494. (*d*). Alphonſo ad privatam vitam ſecedente, ſubintravit in Regnum Ferdinandus II. illius filius, vulgo Ferrandinus, anno 1495. (*e*). Quo poſt annum defuncto, Regnum conſecutus eſt Fride-

(a) *Ughell. Ital. Sac. tom. 9. in Epiſc. Marturan. n. 24.*

(b) *Ughell. loc. cit. num. 24. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 34.*

(c) *Raynal. an. 1458. num. 31. & an. 1458. n. 27. & 2.*

(d) *Raynal. an. 1592. n. 13. & an. 1494. n. 3 loc.*

(e) *Raynald. an. 1495. num. 6.*

Digitized by Google

ricus ejus Patruus, anno 1496. (*a*). Hunc Regno depulit Ferdinandus V. Catholicus Rex Aragoniæ, qui & Regiam inveſtituram à Julio PP.II. anno 1510. eſt adeptus (*b*), obiitque anno 1516. (*c*). Ità ſex Reges familiæ Aragonicæ, regnarunt per annos 73. nimirum à die adeptæ inveſtituræ Alphonſi I. anno 1443. uſque ad mortem Ferdinandi V. qui ut innuimus anno 1516. diem ſuum clauſit extremum: horum autem quatuor intermedii fuerunt ex lineâ illegitimâ: ſoli verò primus, & ultimus fuerunt ex legitimâ, non rectâ deſcendentiâ, ſed tranſverſali. Ferdinandus enim V. fuit filius Joannis, fratris germani Alphonſi I.

(a) *Surit.to.5.l.2.c.33 Marian. l.27.c.7. Raynald. an.1496.n.12.*
(b) *Raynald.an.1510 n.26.&c.*
(c) *Marian.l.30.c.27 Surit.to.6.l.10.c.99.*

8. Durante autem hujus Regii Stemmatis dominatu, ſolus præfatus Alphonſus I. per annos 15. nempè ab anno 1443. uſque ad 1458. in quo obiit; uſus eſt poteſtate interponendi aſſenſum Regium proviſionibus Apoſtolicis, quam etiam potius ſubreptitie impetravit, ſuppoſitâ illâ narrativâ Papæ factâ, quod anteacti Reges fuiſſent ſoliti aſſenſum Regium interponere, cum hoc non eſſet; quam eam legitimè ſit adeptus: hæcque nihilominus adhuc non amplectebatur omnes literas Apoſtolicas, ſed ſolas illas, quæ de Præſulatibus Regni agebant, quemadmodum ſuppoſuit, licet perperàm, fuiſſe præcedentèr in more. Cœteri autem Reges Aragonicæ ſtirpis, nedum non habuerunt poteſtatem aſſenſus Regii adhibendi, ſed imò expreſſè, in eorum inveſtituris in pactum deducta eſt præfati aſſenſus excluſio, ut videre eſt in illarum tenore. Singulæ namque habent paragraphum, ſivè particulam illam, incipientem, *Omnes inſupèr Eccleſię &c.* quę in Clementinâ Caroli I. & in Eugenianâ Alphonſi I. poſita eſt, coque paragrapho aſſenſus Regius evidentèr excluditur (*d*). Nec à Summis Pontificibus ulla alia ſuper hoc fuit unquam præfatis Regibus attributa poteſtas. Quinimò in ſententiâ privationis Regni Neapolis, quam Alexander Papa VI. adverſus Fridericum Aragonium Regem ſolemnitèr pronuntiavit; inter alia crimina, de hoc etiam in culpam Rex vocatus eſt, quod literarum Apoſtolicarum executioni appoſuiſſet impedimentum: recidente hoc in idem, ac ſi diceretur, quod voluerat aſſenſum Regium contrà jus, & contrà pacta, beneficiorum proviſionibus adhibere.

(d) *Vid. ſupr. in hoc cap.n.6.*

9. Paritèr inter Innocentium PP.VIII., & Ferdinandum I. Regem Neapolitanum, non parva emersère diſſidia, propter eccleſiaſtica beneficia, contendente Rege, quod à sè deberent Clerici deſignari, quibus eadem conferrentur, tamquam qui melius quam Pontifex, doctrinam, honeſtatem, & benemerentiam ſuorum ſubditorum, haberet cognitam, & perſpectam: contrà verò fortiſſimè reſiſtente Pontifice, & clamante, diſpenſationem bonorum Eccleſię, ac beneficiorum adminiſtrationem, alto, & pleno jure, ad Sedem Apoſtolicam pertinere, nec quidquam in his, laicis, tametſi Principibus, juris ullo modo competere. Utrimque igitur eſt enixius colluctatum, reſque demùm talitèr eſt ſarcita, ut beneficia Regni Neapolitani, ad proviſionem Sedis Apoſtolicę pertinentia, per Pontificem juxtà Conſtitutiones canonicas diſpenſarentur, nullâ pręſtolandi Regii aſſenſus, pactis tunc initis, aut lege, vel conditione interjectâ (*e*). Qui paritèr Innocentius gravem edidit Conſtitutionem adverſus impedientes quomodocumque executionem literarum Apoſtolicarum (*f*). Ex quibus omninò patet, quod Reges Neapolis lineæ Aragonicę (dempto Alphonſo I., in terminis, de quibus ſuprà) caruerunt poteſtate Regium aſſenſum beneficiorum proviſionibus apponendi: ſicque Regius aſſenſus, ſive Regium Exequatur, durante eorum lineâ, quæ pervenit uſque ad annum 1516. Locum in Regno Neapolis, licitè, atque legitimè non invenit.

(e) *Vide Raynald an. 1484.num. 33.34.ann. 1486. n.13.14. & 36. an.1377.num 12. Thomaſſin.par. 2.l.2.c.36. n.11.*
(f) *Innoc.VIII. Conſtit.17.n.2. & 3.*

10. Poſt Reges Aragonios regnarunt *Auſtriaci*, quorum primus fuit Carolus V. Imperator, ex filiâ Nepos Ferdinandi V. à Leone Papâ X. Inveſtiturâ Regiâ decoratus, anno 1521. (*g*). Indè regnavit Philippus II. ejuſdem Caroli filius, Regalem inveſtituram Regni Napolis contulit Julius Papa III. anno 1554. (*h*). Moriens Philippus II. Succeſſorem in Regno habuit filium ejus Philippum III. inveſtitum anno 1599. à Clemente PP. VIII. Huic obeunti ſubintravit filius ejus Philippus IV. quem anno 1621. Gregorius XV. Pontifex inveſtivit. Succeſſor hujus fuit Caro-

(g) *Odoric.Raynald. ann.1521.n.85.*
(h) *Marta de Juriſd. p.1.c.26.n.32.*

Carolus II. anno 1666. Regiâ inveſtiturâ donatus ab Alexandro PP. VII. ac nupèr extinctus anno 1700. nullo relicto ſuperſtite Regalis Domus Auſtriacæ, lineæ Hiſpanicæ. Itàque Familia Auſtriaca regnavit Neapoli per annos 184. in quinque Regibus, qui nedùm non habuerunt à Sede Apoſtolicâ indultum apponendi proviſionibus Apoſtolicis Regium aſſenſum, ſed imò in ſingulis eorum inveſtituris expreſſè deducta eſt in pactum dicti Regii aſſenſus excluſio, contenta in illo inveſtituræ paragrapho, quod incipit, *Omnes inſuper Eccleſiæ &c.* de quo pluries dictum eſt (*a*). Hiſque ſtantibus pactis jam patet, quod nullus ex Regibus lineæ Auſtriacæ poteſtate legitimâ fuit præditus interponendi aſſenſum Regium: quippè hæc ſine indulto Apoſtolico poſſideri non poteſt: Reges autem præfati nedum indulto iſto caruerunt, ſed imò prohibitione patentiſſimâ in pactis inveſtiturarum contentâ inhibiti fuerunt: & ità res pro veritate ſe habet.

(a) *Vid. ſupr. in hoc cap. n. 6. & antea cap. 34. n. 2. 3.*

11. Ad hæc facit, quod in Concordiâ, intèr Clementem PP. VII. & Carolum V. præfatum initâ, reſervatum eſt Regibus Neapolis, pro tempore exiſtentibus juſpatronatus in 24. Eccleſiis Cathedralibus Regni (*b*), Octo Metropolitanis, quę ſunt Brunduſium, Hydruntum, Tarantum, Tranum, Lancianum, Rhegium, Salernum, & Matera, ſexdecim verò Epiſcopalibus, nempè Auria, Acerra, Aquila, Cotronum, Caſſanum, Caſtellamare, Cajeta, Gallipolis, Jovenatium, Motula, Monopolis, Puteoli, Potentia, Triventum, Tropea, & Ugentum (*c*). Tuncque non ſolum nulla eſt facta mentio interponendi aſſenſum Regium proviſionibus cæterarum Eccleſiarum, & beneficiorum, ad proviſionem Pontificis pertinentium, verum imò potius adjecta eſt pactis hęc particula, *Salvâ poteſtate Apoſtolicæ Sedi liberè diſponendi de reliquis Eccleſiis, & beneficiis, exceptis his, quæ juriſpatronatus exiſterent, juxtà inveſtiturarum formam*. Quid autem ſibi vult dictio illa *liberè*, niſi plenum arbitrium Sedis Apoſtolicæ (*d*), nulli legi, nulli oneri, nulli obligationi ſuppoſitum (*e*)? Nam uti ſcitè advertit Barboſa, dictio *liberè* ſi ſit *adjecta in facultate alicui conceſſâ de conferendâ aliquâ rè, importat ut facultas illa non reſtringatur ad certum genus perſonarum* (*f*), *ſed quad ſuâ abſolutâ voluntate, alio non requiſito, facere poſſit* (*g*). Nedùm igitur inveſtiturarum vigore, ſed etiam hujus concordiæ vi, Aſſenſus Regius remanet prorſus expunctus.

(b) *Marta de juriſd. p. 2. c. 40. n. 5.*

(c) *Joannes de Ponte dec. 12. n. 34.*

(d) *Cened. prac. qu. 1. ſingul. 58. n. 4. Alciat. Conſ. 212. n. 4.*

(e) *C. 2. de arbitr. cap. licet de ſepult. Rot. in Valliſol. præmin. 24. Novemb. 1603. cor. Pamphil.*

(f) *Barboſ. tr. var. dict. 1190. n. 13.*

(g) *Idem Barboſ. loc. cit.*

12. Et ità ſi vera loqui volumus, ſi de his ſincerè profari, à die mortis Alphonſi I. Regis, quæ contigit anno 1458. uſque ad noſtram ætatem per annos 261. nullus Regum Neapolis legitimâ potitus eſt facultate interponendi proviſionibus Apoſtolicis Aſſenſum Regium, ſive Regium Exequatur, ſed ſolummodo recurrendi ad Summos Pontifices, in caſibus particularibus, inſtando, nè alicui Clerico, ſibi *probabili ratione* ſuſpecto, beneficium aliquod conferretur, hanc etenim facultatem ſic inſtandi cunctis Principibus ineſſe tradunt Doctores (*h*). Undè non ſinè admiratione referri poteſt, quod, ut audivimus à Regnicolis, *Aſſenſus Regius*, ſine *Regium Exequatur*, Neapoli, nedum Bullis beneficiorum Epiſcopalium apponatur, prout ad ſummum fiebat, quando introductum fuit, modis, & temporibus ſuperiùs expreſſis, verùm etiam ei ſubjugentur aliæ quoque Bullæ beneficiorum ordinis inferioris, ac generalitèr quælibet Bullę, Decreta, Reſcripta, & Literę Apoſtolicæ, quando teſtibus Dianâ, & del Bene, etiam ſuppoſito privilegio illud interponendi, *Regium exequatur conceditur tantum inter reſcripta privata, vel obtenta inter partes, vel ad inſtantiam alicujus, non autem in legibus generalibus, & ſtatutis univerſalibus, prout ſunt Bullæ, & Extravagantes Pontificiæ &c. Nam ſi dictæ Bullæ executariis indigerent; univerſalis Eccleſiæ regimen in præceps rueret &c.* (*i*). Quod ſi verum eſt generalitèr loquendo; quid dicemus de Regno Neapolis, patrimoniali Romanæ Eccleſiæ, atque Sedis Apoſtolicæ feudo? Hęc dicimus candido eloquio, non ut prærogativas Principum, qui dominati ſunt Regno Neapolis impugnemus (abſit enim à nobis, ut unquam Regum honorificentiis detrahamus, quas augere poſſe optaremus, non imminuere feſtinamus) ſed quia propoſita Contradictorum nos urgent ad veritatem patefaciendam:

(h) *Abbas in c. cum in jure col. 3. de elect. Marta de juriſd. p. 2. c. 40. n. 26. Jur. Lavorius de elect. tit. 4. n. 56.*

(i) *Diana p. 4. tr. 2. reſ. 9. in fin. del Bene de Immun. cap. 9. dub. 33. n. 37.*

dam: veritas autem eſt illa, quam expoſuimus.

13. Nèc quidquam proficit, ſi dicatur, miniſtros Regni, vel etiam Reges aliquos anteactos Neapolis, mandata dediſſe pro Regio Aſſenſu, ſive Regio Exequatur literis Apoſtolicis adijciendo, & renuentes illi oneri ſe ſubiicere pœnis plexiſſe, ſequeſtratione bonorum, carcere, atque aliis incommodis afflixiſſe, pragmaticas demùm edidiſse, literas miſiſse, pœnas comminatos eſſe, contra eos, qui proviſionibus Apoſtolicis uterentur, Regii Exequatur præſidio non ſuffultis. Nam & alia ſimilia, & pejora fortè in interdum eodem Regno potuerunt evenire; ſed an rectè, & juſtè prodierint; hoc opus, hic labor eſt. Vocibus conſonis, pariterque notiſſimis recenſent hiſtorię, quod Joanna I. Virum ſuum Andreaſcum fecit immaniſſimè ſtrangulari (*a*). Joanna II. Jacobo Conjuge carceribus mancipato, inhoneſtè cum quodam Amaſio converſata eſt (*b*). Fridericus Svevus Blaſphemias enormiſſimas, & hæreſes pronunciavit (*c*). Alphonſus I. ſchiſma, & Antipontificem fovit (*d*). Fridericus Aragonius ſocietatem cum Turcis inivit (*e*). Nunquid autem hęc omnia licebunt in Regno Neapolitano, quià pręfati illa fecerunt? Abſit. Sic & tametſi Reges aliqui, vel eorum miniſtri, aliqua exercuerint, quæ non debebant pro interponendo Regio Exequatur contra canones, & contra pacta; nil refert, nam ſic facentibus dicendum eſt cum D. Bernardo, *factis quia poteſtis, ſed utrum debeatis, quæſtio eſt* (*f*). Facta hujuſmodi qualitatis, à viris juſtitię, & veritatis amantibus, ad illa rerum genera pertinere dicuntur, quę totam ſuam vim ab agentium præpotentiâ, & interdum pravitate repoſcunt: adeoque, nec in exemplum adducenda ſunt, nec legem faciunt, nec habent quidquam ponderis, vel momenti.

14. Nobis memoriæ occurrit, quod Honorius PP. III. Friderico II. Imperatori, & Regi Neapolis, querulosiſſimis næniis ejulanti, quod ſine aſſenſu Regio, & communi formâ non ſervatâ, Clerici Eccleſiis Regni præficerentur, reſpondit, *Aſſeris inſuper nos præter formam communitèr requiſitam, te inconſulto quibuſdam Eccleſiis Regni vacantibus præfeciſſe perſonas. Sed quæ ſit illa forma neſcimus, quę pro certo nimis eſſet infirmis, per quam Apoſtolicæ Sedis judicium ex tuę voluntatis arbitrio dependeret &c. Non tamèn intendimus promovere ſuſpectos, dummodò non ultrà, notam ſuſpicionis extendas, quam rationis tramites patiantur* (*g*). Si prò illo ipſo tempore, quo Inveſtituræ Regiæ inerat clauſula Regii aſſenſus interponendi (qualis erat Inveſtitura Friderici præfati) adhuc illa talis non erat, nec tantę virtutis, ut judicium Sedis Apoſtolicæ faceret ex Regiæ voluntatis arbitrio dependere, ac notam ſuſpicionis ultrà rationis tramites dilatare valeret; cogitet prudens lector quid dicendum ſit de attentatis Regum, vel Regalium miniſtrorum, factis ad interponendum, vel roborandum, per vim, & metum Regium aſſenſum, ſive Regium Exequatur, poſtquam poteſtas illum interponendi fuit ab inveſtituris Regiis expuncta, & ne interponatur inhibitum, rebus hinc inde ſic in pactum deductis.

15. Certè prohibitio, ne Clericus apprehendat poſſeſſionem beneficii, ſinè Regis facultate, vel ejus Miniſtrorum, grave peccatum eſt contrà libertatem eccleſiaſticam (*h*). Quâ de rè ſuprà uberius locuti ſumus, & omnium nationum Scriptores ità docentes abduximus (*i*). Prætèr hanc autem rationem generalem, habemus facta particularia Pontificum, toto conatu, prout potuerunt, intruſioni, & exercitio præfati aſſenſus Regii obſiſtentium. Nam quid Innocentius PP. VIII. contrà Ferdinandum I. Regem, & quid Alexander VI. contrà Regem Fridericum Aragonium egerint, jam retulimus (*l*). Quid fecerit Clemens IV. delendo prorſus ex Inveſtiturâ Regiâ, Regium aſſenſum, quando eam Carolo I. contulit, eſt notiſſimum. Leo PP. X. ſeveriſſimam edidit Conſtitutionem adverſus præſumentes impedire executionem literarum Apoſtolicarum ſine eorum *Placet*, ſive *Aſſenſu*, vel quod in idem recidit, *Exequatur*, comprehendens in eâ quaſcumque perſonas, ętiam Imperiali, & Regiâ præfulgentes dignitate (*m*). Eandem conſtitutionem novâ

(a) *Jo. Villan. l. 12. c. 90. Petrarca epiſt. lib. 6 n. 5.*
(b) *Collenut. hiſtor. Neapol. l. 5. Summont. l. 4. c. 3.*
(c) *Odoric. Raynald. an. 1239. n. 26.*
(d) *idem ann. 1436. n. 21. & an. 1440. n. 13.*
(e) *Raynald. an. 1499 n. 5. & an 1501. n. 51.*
(f) *S. Bernard. de conſid. l. 3. c. 4.*
(g) *Apud Raynald. an. 1226. n. 8.*
(h) *Diana p. 1. tr. 1. reſ. 63.*
(i) *Vid. hic ſupr. c. 37. à n. 11. &c.*
(l) *Vid. in hoc cap. n. 8. & 9.*
(m) *Leo PP. X. Conſt. 20.*

novâ ſuâ Sanctione confirmavit Clemens PP. VII. die 1. Januarii anno 1533. diro anathemati quoſcumque ut ſuprà ſubijciens (*a*). Quâ Sanctione Carolum V. tunc Regem Neapolis, & Imperatorem, fuiſſe percuſſum, conſtat ex eo, quod idem Pontifex Regem ipſum eodem anno interpellavit, ut Exequatur Regium aboleret, id teſtantibus literis Antonii Montalti, Promotoris Fiſcalis Regni Siciliæ, datis die 20. Decembris 1533.

(a) *Clement. PP. VII. Conſtit. 19.*

16. Ait enim in illis, prætèr alia: *Ricerca ancora Sua Santità da Voſtra Maeſtà, che levi dal Regno di Napoli quella ſervità del Regio Exequatur, impoſta alle lettere Apoſtoliche, ſi come Voſtra Maeſtà è obligata di levarla per le conditioni dell'Inveſtitura, che hà di quel Regno, e del giuramento preſtato in eſſa, come appariſce dall'infraſcritte clauſole: Salvâ tamen Romani Pontificis, & Apoſtolicæ Sedis auctoritate, & juriſdictione plenariâ, & liberâ poteſtate circà Eccleſias, & alias Regulares, & Sæculares perſonas, & loca eccleſiaſtica prædicta, tam in faciendis proviſionibus, & electionibus confirmandis, quam in quibuſcumque aliis exemptionibus, & gratiis, ac ſuper eis conficiendis literis Apoſtolicis, quas ceſſante omni impedimento per eos, ſeu Officiales, & Subditos ſuos præſtando, permittent liberè, & abſolutè executioni debitę demandari* (*b*). Attende *primò*, quod uſque ad annum 1533. Reges Neapolis non erant præditi facultate interponendi aſſenſum Regium, ſive Regium Exequatur. Attende *ſecundò*, quod hæc interpoſitio non vocatur jus, neque legitima facultas, nec alio juſto titulo decoratur; ſed appellatur *ſervitus*, quæ incompoſſibilis eſt cum Eccleſiâ, quam Chriſtus creavit liberam, non captivam. **Attende *tertiò*, quod Reges Neapolis ex conſcientiâ**, & juſtitiâ, in vim pactorum cum Romanâ Sede initorum, tenentur Exequatur Regium abolere, ipſo Promotore Fiſcali Regni eo animi candore, quo loqui debet quilibet Regius Miniſter, reddens quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.

(b) *Ex Arch. Vatic. Cod. 668. Bzov. to. 19. ann. 1512.*

17. Tempore paritèr S. Pii PP. V. miſſus fuit Matritum Vincentius Juſtinianus Generalis Ordinis Prędicatorum, & poſteà Cardinalis, qui Papę nomine Philippo II. Hiſpaniarum, & Neapolis Regi, exponeret inter cætera, *molti capi di gravami, e abuſi, che ſi fanno in Napoli, e in tutto quel Regno, i quali di giorno in giorno ſono andati cumulandoſi, e creſcendo di ſorte, che come Voſtra Maeſtà potrà vedere, ſi trova in detto Regno perturbato ogn'ordine di giuriſdizione Eccleſiaſtica* (*c*). Nec proficientibus hiſce Officiis, Papa juſſit Bullas ſine Exequatur Regio publicari: quarè Orator Philippi Regis Romę conqueſtus eſt, *di eſſerſi publicata ne' ſuoi Regni, e ſpezialmente in quello di Napoli la Bolla in Cœna Domini, ſenza il Regio Exequatur* (*d*). Cui querimonię reſpondit S. Pius: *Che la Bolla in Cœnâ Domini, tanto antica, quantunque ſolamente in Roma ciaſcun Pontefice la publicaſſe, havea forza per tutto il mondo, ſicome le altre Conſtitutioni generali, e haver per l'addietro i Prencipi, e i loro popoli, che ſi trovavano haver contravenuto ad alcuna prohibitione di queſta Bolla, dimandata l'aſſoluzione da Pontefici: di eſſa eſſerſi fatta menzione ſempre in tutti i Giubilei, e Indulgenze, e nella Bolla della Crociata, conceduta alle volte à richieſta de' Re di Spagna. Perciò haver commandato agl'Arciveſcovi, e Veſcovi, che la publicaſſero, molto più perche havea inteſò, che in diverſe provincie non ſi faceva, acciochè non iſtaſſero i popoli inviluppati nelle ſcommuniche, non iſcuſandoli l'ignoranza* (*e*). De hâc Bullâ vide latiùs paulò infrà (*f*).

(c) *Memorial. P. Juſtinian. in Archiv. Vatic. Cod. 66. f. 145.*

(d) *Girolam. Catena Vit. di S. Pio V. f. 92.*

(e) *Catena loco cit. f. 101.*

(f) *Vid. infr. hoc cap. à n. 21. ad 26.*

18. Sequitur D. Pii PP. V. reſponſio, data Oratori Regis præfati. *L'ammonire i Confeſſori del debito loro, convenire al vero. Paſtore, acciochè eſſi ſappiano fra lepra, e lepra diſcernere, e de' peccati maſſimamente ne' caſi riſervati al Papa giudicare. Il preteſò Exequatur Regio, o alcuna licenza de' Secolari non haver luogo nell'eſſecutione di alcun ordine eccleſiaſtico. Ciò eſſere chiaramente decretato da' Sacri Canoni, e Concilii, e non diſſimile dalla predicazione della parola di Dio, della quale chiedere alcuna licenza a' Secolari, intolerabil coſa ſarebbe &c. E conchiuſe non intender sì gravi abuſi in diſonor di Dio, e della Santa Sede tolerare.*

Chi

Che gl'Ufficii erano diſtinti, e però i Prencipi conſervaſſero il loro, e laſciaſſaro alla Chieſa quel ch'è di Dio, replicando ſpeſſo quelle parole: rendete quel ch'è di Ceſare à Ceſare, quel ch'è di Dio à Dio (*a*). Profectò de Bullâ in Cœnâ Domini (& idem dic proportionalitèr de aliis Bullis Generalibus, totam concernentibus Eccleſiam) optimè ait Marius Alterius, *nullâ ratione licet Regi, & Principi non agnoſcenti ſuperiorem, quicumque ille ſit, impedire, nè Bulla Cænę Domini in ſuo Regno, & Dominio promulgetur, aut ne à ſuis populis, & ſubditis obſervetur* (*b*). Et ideò prætextus, quod hæc Bulla non ſit alicubi publicata, ab ejus obſervatione non eximit (*c*): Tùm quià obſequi debent Principes Chriſtiani decretis Eccleſiæ, non ſuam ei pręponere poteſtatem: Tùm etiam quià lex Papæ, utpotè cujus auctoritas non ab hominibus, ſed ab ipſo Chriſto procedit, non indiget acceptatione (*d*). Quâ de rè fuſiùs infrà (*e*).

19. Subindè S. Pius V. tranſmiſit Matritum Cardinalem Alexandrinum, ejus Pronepotem, qui Philippo II. Regi ſupplicem libellum porrexit, narrantem inter cætera, pluries nomine Pontificio interpellatū fuiſſe Regem de aliis malis, additque: *Col quale abuſo furono accumulati quelli di Napoli, ove in moltiſſimi capi non ſi oſſerva il Concilio Tridentio, ed in infinite maniere s'impediſce l'eſſecutione delle lettere, ed eſpeditioni Apoſtoliche: a' quali abuſi, e particolarmente à quello dell'Exequatur Regio è obligata la Maeſtà Voſtra per proprio giuramento à rimediare, e rimovere, come potrà vedere dalle clauſole dell'Inveſtitura di Giulio II. in perſona di Ferdinando Catolico, e di Giulio III. in perſona della Maeſtà Voſtra, da lei giurata* (*f*). Igitur uſque ad annum 1571. in quo acta eſt Legatio Cardinalis Alexandrini, Reges Neapolis nedùm nullius erant compotes poteſtatis interponendi proviſionibus Apoſtolicis Regium Exequatur, ſed imo in vim pactorum, Inveſtituris uſque tunc editis, inſertorum, ac juramento roboratorum, tenebantur illo non uti. Si adeſt ergo privilegium iſtud, oportet quod poſt hæc tempora fuerit ab aliquo ſubſequentium Pontificum conceſſum: alioquin interpoſitio Regii Exequatur evidentèr eſt inſubſiſtens, & contrà omne fas frequentata, ſed rè verâ nullus Pontificum ſubſequentium hoc indultum contulit. Per quę cernit hìc Lector, atque manibus attrectat, quod cum *Regium Exequatur* abſque privilegio Apoſtolico, cunctorum Theologorum uniſono conſenſu, interponi non poſſit literis Pontificiis, ſine gravis culpæ, atque diri anathematis incurſu; Privilegium tamèn hoc in Regno Neapolis non habetur: nec interpoſitio ipſius Regii Exequatur poteſt ibi adminiculum ſumere à conſuetudine: *Primò*, quià conſuetudo hæc (pace Contradictorum dictum ſit) eſt corruptela ſacris canonibus evidentèr oppoſita. *Secundò*, quià ad inducendam conſuetudinem contrà Canones, requiritur expreſsus conſenſus Papæ, aliàs nunquam per conſuetudinem contrariam lex abrogatur (*g*), quià Summus Pontifex non habet poteſtatem à populo, ſed immediatè à Deo. Iſte autem conſenſus hìc nedùm non adeſt, ſed imò expreſſus adeſt diſſenſus. *Tertiò*, quià conſuetudo hæc quotannis revocata fuit, & toties improbata, atque impugnata, quoties Summi Pontifices annuam Bullam in Cœnâ Domini promulgarunt. *Quartò*, demùm quià ipſi Summi Pontifices ſemper, & quandocumque potuerunt, ac quotquot eis modis permiſſum fuit, conſuetudinem iſtam damnaverunt, contrà eam reclamarunt, ac ejus praxim, illiuſque effectus deteſtati ſunt, ac ſignantèr Innocentius VIII. Alexander VI. Leo X. Clemens VII. S. Pius V.

20. Quibus adde Clementem Papam VIII. cujus tempore magnæ contentiones ſuper hâc eâdem rè viguère, in defenſionem Alphonſi Cardinalis Geſualdi Archiepiſcopi prius Compſani, & deindè Neapolitani, reclamantis contrà Regium Exequatur, Rexque Philippus II. literis datis ad Regentem Vicariæ, mandavit eſſe Cardinalis inſtantiæ deferendum (*h*). Sed quid quærimus obſiſtentias factas Regio Exequatur ex parte Eccleſię? Poſt S. Pii V. & Clementis VIII. acta recenſita, ipſe Clemens Inveſtituram Regiam contulit Philippo III. Gregorius XV. eam contulit Philippo IV. & Alexander VII. illam ipſam elargitus eſt Carolo II. ultimis

Re-

(a) *Idem Catena loc. citat.*

(b) *Alter. de Cenſur. diſp. 1. l. 5. c. 8.*

(c) *Diana p. 7. to. 1. reſ. 18. Bonac. 1. 3. diſp. 1. qu. 15 par. 4. §. 5. n. 1. & 2.*

(d) *Suarez de leg. l. 4 c. 16. n. 2. Vaſqu par. 1. diſp. 156. c. 3. Rot. 10. 2. p. 4. rec. dec. 154. n. 4.*

(e) *Vid. infr. in hoc cap. n. 22. & ſequ.*

(f) *Ex Archvi. Caſt. S. Angel. cap. 14. 9. nu. 22.*

(g) *Rot. in Trevìren. Abbatiæ 24. Januar. 1625 coram Coccin. Navarin. in Lucerna Regular. V. Electio. n. 34. Diana p. 6. tr. 3. reſ. 13. n. 6.*

(h) *Die 2. & 13. Octobris 1567.*

Digitized by Google

Regibus lineę Auſtriacæ Hiſpanæ. In cunctis autem iſtis Inveſtituris, ut innuimus, appoſitus eſt paragraphus incipiens *Omnes inſupèr Eccleſię &c.* quo in pactum juratum deducitur excluſio Regii Aſſenſus, ſeu Regii Exequatur. Reges igitur, qui uſque nunc fuerunt, attentis Inveſtituris, poteſtate legitimâ ipſum interponendi caruerunt, & præterà, ut notavimus, ſingulis annis Summi Pontifices promulgarunt Bullam in Cœnâ Domini, in quâ diſertis verbis excommunicatio vibratur contrà impedientes executionem literarum Apoſtolicarum, ſine eorum beneplacito, & conſenſu (*a*). Quarè ſi ſub Regibus præfatis appoſitum fuit iiſdem literis Regium Exequatur, potuit eſſe motus illorum Officialium, qui eidem Regno præerant, Regibus ipſius neſcientibus, vel non advertentibus, aut putantibus bene fieri, quod faciebant. Non ſemel etenim contingit, quod Regii Officiales, Dominis eorum longè abſentibus, & rerum inſciis, vel eas non advertentibus, aliqua faciant, quę fieri non deberent: Quâ de rè Auguſtum faciebat monitum Mecænas, apud Dionem: *Nulli Officialium nimia eſt indulgenda licentia, ne in reprehenſionem, & in culpam coniiciant: quiquid enim bi rectè, vel ſecùs egerint, id vero tibi adſcribetur: talemque te cuncti cenſebunt, qualia eos facta exercere permiſeris* (*b*).

(a) *Bulla Cœnæ §. 13. & ibi Duardus Souſa Bonac. diſp. 1. qu. 14. pun. 2. n. 14. & 17.*

(b) *Dio. lib. 52.*

21. Rebus ità ſe habentibus, nil ſupereſt impugnantibus hanc veritatem adeò manifeſtam, niſi recurrere ad frigidum illud, ac languidum effugium, & ad miſerabilem prætextum, quo aliqui comminiſcuntur, Bullam in Cœnâ Domini non eſſe in Regno Neapolis acceptatam: paralogiſmus, quem neſcias, an magis irriſione, an commiſeratione ſit dignus. Ad illum tamen funditùs evertendum placeat Lectori ad verbum audire doctiſſimum Cardinalem Albitium, eos de mendacio evidentiſſimè redarguentem (*c*). *Horret animus*, inquit, *dum video, non ſolum Scriptores Laicos, parum timoratæ conſcientiæ, ſed etiam Eccleſiaſticos, & Religioſos, temerè aſſerere, in nonnullis Provinciis Catholicis Bullam in Cœnâ Domini non eſſe uſu receptam: & quod pejus eſt, judicio meo, dum docere audent, ſolum in aliquibus Capitulis, non autem in omnibus eſſe receptam: inter quos* Salgad. de Protect. Regiâ p. 1. c. 1. prælud. 5. n. 321. & de retent. Bullar. p. 1. c. 2. n. 114., *dum conatur defendere damnatam illam praxim recurrendi per viam violentiæ ad Judices ſæculares, & retinendi Bullas Apoſtolicas, inquit in Regnis Hiſpaniarum, quoad illa Capitula Bullam Cœnæ non fuiſſe uſu receptam: contrà quem inſurgit, licet ejuſdem farinæ homo*, Gonzalez de lege politicâ lib. 2. cap. 5. n. 290. *Peſſimè vero quidam Auctor in tractatu* de Contrabannis Clericorum, *à Sacrâ Congregatione Indicis proſcripto, in eam prorupit audaciam, ut dicat in Regno Neapolitano, Sanctę Romanę Eccleſiæ feudo, Bullam in Cœnâ Domini non fuiſſe uſu receptam, nec publicatam* (*d*). *Totum enim contrarium apparet ex conſultationibus, & literis directis ad Regem Catholicum Philippum II. à Duce de Alcalà Prorege Neapolis de anno 1567. videlicet, Bullam hanc fuiſſe, non ſolum in Civitate Neapolis, ſed per totum Regnum publicatam.*

(c) *Cardin. Albitius de Inconſt. in fide cap. 30. à n. 403.*

(d) *Carol. Calà de Contraban. Clericor. n. 77. & ſequ.*

22. Subdit Auctor *fuiſſe monitum Proregem ab eodem Philippo, ut niteretur juriſdictionem eccleſiaſticam conſervare, ut ipſe poſſet animo quieto permanere, neve incurreret in cenſuras, latas in eâdem Bullâ. Et quamvis vanis ſub prætextibus, & præſertim quod fuiſſet publicata ſine Regio Exequatur, plures emerſiſſent controverſiæ, & violentię de facto ab eodem Prorege emanatę, & à Collaterali Conſilio, contrà quas B. Pius V. ſacris interdicti legibus agere conſtituerat, eiſque Civitatem affeciſſet, niſi pietate Philippi Regis, omnes ſopitæ fuiſſent. Is enim uti filius obſequentiſſimus Sanctæ Matris Eccleſiæ, mandavit, ut ab illis omnibus controverſiis Prorex, & Collaterale Conſilium deſiſterent, & publicationi dictę Bullæ acquieſcerent, quod etiam in inſtructione, data Marchioni de las Navas, Romam miſſo de anno 1578., ut ageret cum Pontifice Gregorio XIII. ſuper moderatione nonnullarum clauſularum, in dictâ Bullâ contentarum, ſaſſus eſt dicendo: In omnibus ſuis Regnis Bullam Cœnæ fuiſſe publicatam, & acceptatam. Et ego, qui per triennium exercui officium Auditoratus Nunciaturæ Neapolis, ſub fel. rec. Ur-*

bani VIII. Pontificatu, ſeſtor acceptationem, & ejus uſum in prædictâ Civitate, & Regno &c. Et dum hec tranſcriberem, de mandato ſan. mem. Alexandri VII. fuit à Qualificatoribus S. Officii qualificata infraſcripta propoſitio: Bulla, quæ promulgatur in Cœnâ Domini, non eſt in Belgio uſu recepta, juxtà probabilem multorum opinionem: *& omnes Qualificatores nemine excepto, cenſuerunt, hanc propoſitionem eſſe falſam, temerariam, erroneam, auctoritati Summi Pontificis injurioſam, & ſternentem viam ad ſchiſma, ut ex decreto ſub die 20. Septembris 1657. &c.* (*a*).

23. Porrò de Legibus Principum ſecularium, ad quas alioquin conſenſum populi non eſſe neceſſarium plurimi cenſent (*b*), diſputari nihilominùs poſſet, an obligent, nec nè, ſi non fuerint acceptatæ, quatenùs aliqua Principatus illius Conſtitutio, vel Conſuetudo ità diſponat, vel ipſa natura rei ſic ferat, eo quod Principatus ſæcularis, licèt radicalitèr ſit à Deo, qui ne humanæ poteſtati reſiſtatur præcipit (*c*), & Regi, ac Ducibus, tamquam ab eo miſſis, obtemperandum eſſe decernit (*d*), tamen quod Principatus ipſe ſit Monarchichus, vel Ariſtocraticus, vel Democraticus, adeoque hìc, vel illìc; in hac, vel in illâ Regione, Princeps ſit Rex, vel Dux, vel Reſpublica popularis, aut à nobilibus, vel à magnatibus recta; quodque Princeps ex hac, vel illâ familiâ ſit; non à Deo immediatè eſt, ſed ab hominibus, qui convenerunt inter ſè, ut ſubderentur Principi, ac Principatui, talis, aut talis familiæ, vel talis, & talis formæ, & illi tamquam Domino obtemperarent, ſub talibus, aut talibus conditionibus, transferendo, ſive excitando in eo publicam poteſtatem, uſque ad talem, vel talem gradum, prout alicubi magis, alicubi minus liberè, aut limitatè in diverſis Regnis eam cernitur exerceri. Quarè cum poteſtas Principis ſæcularis ſit immediatè à populo, ſive ab hominibus, qui ſicut potuerunt sè tali, vel tali Principi, aut Principatus formę, non ſubiicere; ità sè illi ſubdere potuerunt ſub conditione, quod ejus leges non afficerent, niſi ab ipſis acceptarentur; hinc fit, quod ſi de facto ſubditi non conveniant in acceptatione legis, editæ ab ipſo Principe; lex illa afficere non videtur. Quarè benè ait Gonet: *In Galliâ Regiæ leges non obligant, niſi à Parlamentis recipiantur. Undè aliquæ leges ſervantur verb. gr. Pariſiis, quę non obligant Burdigalæ, vel Toloſe* (*e*). At de legibus Pontificiis hæc diſputatio non habet locum, quia Papa non obtinet ſuam poteſtatem à Populo, ſed immediatè à Deo. Chriſtus etenim porrexit Petro, & ſucceſſoribus ejus Claves Regni Cœlorum, dicens: *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis* (*f*). Quæ verba nullam admittunt reſtrictionem, & dependentiam conſenſus, vel obſiſtentiæ populi, ſed totam poteſtatem ligandi, & ſolvendi, adeoque leges ligantes, vel ſolventes edendi, in ipſum Pontificem, independentèr à cujuſcumque aſſenſu, refundunt. Similitèr Chriſtus ſub allegoriâ paſtoris, & ovilis, dixit Petro, & ſucceſſoribus ejus, *paſce agnos meos, paſce oves meas* (*g*), non eſt autem ovium paſci, quando, ubi, & qualitèr volunt, ſed paſtoris: alioquin non paſtor paſceret oves, nec eas regeret, ſed regeretur ab illis: eodem ergò modo, non eſt hominum paſci à Pontifice his, vel illis legibus, dependentèr ab ipſorum acceptatione, ſed Pontificis eſt eoſdem paſcere illis legibus, quas videt eorum utilitatibus, vel generali Eccleſiæ profectui deſervire, ſive ipſas acceptent, ſive non (*h*).

24. Hinc fit, quod contrà Conſtitutiones Pontificis promulgatas non poteſt dari de non uſu, ut unâ voce docent Canoniſtæ (*i*), & pluries inconcuſsè firmavit Rota, ex Prælatis omnium Nationum compoſita (*l*). Et quod Leges Apoſtolicæ non indigeant acceptatione populi, communi ſenſu affirmant Doctores Theologi, & Canoniſtæ ex cunctis orbis Nationibus, quorum ingens Catalogus poſſet hic facillimè conglobari, ſi opus eſſet: ſed quia multos allegant Albitius, & Diana, in margine notati (*m*), eos lector videat apud iſtos, & nos ab onere ipſos cum aliis hìc enumerandi ſigillatim abſolvat. Itàque Conſtitutiones Pontificiæ,

(a) Item Cardin. Albitius loc. cit. nu. 404. 405. & 413.

(b) Major, Navarrus, & alii apud Gonet. Clyp. Theol. tom. 3. de legib. diſp. 4. art. 3. § 1. n. 28. 29.

(c) Romanor. cap. 13. num. 1.

(d) 1. Petri cap. 2. n. 23.

(e) Jo. Bap. Gonet. Clyp. Theol. to. 3. de leg. diſp. 4. art. 2. n. 20.

(f) Matthæi cap. 16. num. 19.

(g) Joannis cap. 21. num. 15. 18.

(h) Albitius loc. cit. nu. 407. & ſeq. Diana part. 7. tract. 1. reſ. 10. alias 28. & in eo Coordin. tom. 9. tract. 2. reſol. 34. n. 2. & 3.

(i) Bald. in c. fin. n. 4. de tregua, & pace Felyn c. 2. n. 6. eod. titul. Covar. Variar. l. 2. c. 16 num. 6 v. 5.

(l) Rot. cor. Merlin. dec. 814. cor. Cavaler. dec. 77. n. 3 dec. 85. n. 2. & 93. n. 7. & in Meſſan. Decanat. 27. Maij 1641. coram Dunozet.

(m) Albitius de inconſt. in fid. cap. 30. nu. 408. & 400. Diana part. 7. tract. 2. reſol. 30. vel Coordinat. loc. cit. n. 3 & 5.

tametſi

tametſi non ſint acceptatæ, adhùc tamen afficiunt, & contraria opinio, nedum probabilis non eſt, ut eam probabilem non eſſe cenſet Amicus (*a*). Sed imò eſt erronea, prout eam declarat Juniperus à Drepano (*b*), & eſt propoſitio contrà fidem, quemadmodùm illam reputant Suarez, & Villalobos (*c*). Ideoque qui aſſerunt leges Pontificias non obligare, niſi acceptentur à populo, hoc dicunt ſub ſuppoſito, quod Papa leges ſuas ferat cùm hac conditione, ſi acceptentur à populo; non vero quod abſolutè non valeat promulgare leges independentèr à populo (*d*). Suppoſitum autèm iſtud non ſubſiſtit. Sed quatenùs etiam per hypotheſim ſubſiſteret, *non procederet, quando Pontifex in lege contrarium expreſſiſſet: nam in tali caſu, nec deeſt poteſtas, nec voluntas: ergo renuente populo, leges Pontificis obiigabunt, & idem dicendum eſt de earum publicatione, & de contrario uſu* (*e*).

25. Profectò quoàd publicationem, ad hoc quod Conſtitutiones Apoſtolicæ obligent, & afficiant, ſufficit, quod Romæ fuerint publicatæ in acie Campi Floræ, ad valuas Baſilicæ D. Petri, ac magnæ Curiæ Innocentianæ, & per alia ſolita Urbis loca: nec neceſſe eſt, quod in cunctis Chriſtianitatis urbibus, atque oppidis publicentur (*f*), *quià Papa neque ſolet, neque tenetur diſcurrere per ſingulas provincias, deferendo per illas promulgationem ſuarum legum, eo quod ſit totius orbis unicus Paſtor, ac Vicarius Chriſti in rebus ſpiritualibus, ad animæ ſalutem conducentibus, de cujus proindè decretis agnoſcendis majorem curam debent habere fideles, quam de legibus temporalibus, à Principibus ſæcularibus editis* (*g*). Et ità ſentiunt communi calculo Doctores, nedum Romani, aut ex ſtatu eccleſiaſtico prodeuntes, verùm etiàm ad quaſcumque Nationes Catholicas pertinentes Germani (*h*) Galli (*i*) Hiſpani (*l*) Luſitani (*m*) Poloni (*n*) Navarri (*o*) Siculi (*p*) Neapolitani (*q*) Allobroges (*r*) &c. quorum aliquos in margine citabimus, infinitis aliis prætermiſſis, qui eiſdem poſſent adjungi(*s*). Et ſanè ſi *leges Galliæ Regis, & Regis Hiſpaniæ* (& idem dicendum erit de legibus aliorum Regum, ac Principum, ſuperiorem in terris quoad temporalia non agnoſcentium) *non requirunt promulgationem in ſingulis provinciis, nec duos menſes poſt promulgationem, ſed ſufficit promulgatio, quæ ſit in curiâ Principis, ideſt in urbe in quâ reſidet, ex quâ ad alia loca divulgetur* (*t*); neſcimus videre, cur idem non ſit dicendum de legibus Pontificiis: niſi velimus contentiosè nugari, quod major ſit poteſtas habentis auctoritatem à populo, quam habentis illam à Deo.

26. Bulla ergò in Cœnâ Domini, quæ non indiget publicatione in quocumque individuali loco, quippè millies penè in Urbe publicata fuit, & *quotannis Romæ publicatur, magnâ populi frequentiâ adſtante, ex omnibus mundi partibus, habetque decretum irritans, quod operatur, ut de non uſu dari non poſſit* (*u*): Et publicatur ipſis Oratoribus Imperatoris, Regum, & Principum adſtantibus, audientibus, & intelligentibus; hæc, inquam, Bulla ex abundanti fuit in Regno Neapolis publicata. Ipſamet de ſui naturâ non indiget populi acceptatione, quippè provenit à poteſtate immediatè à Chriſto inſtitutâ, cujus mandata etiam independentèr à conſenſu ſubditorum afficiunt (*x*), & hoc eſt de fide, ut ſentit Suarez (*y*), conſentitque Villalobos dicens: *Para que la ley obligue nò es neceſſario, que el pueblo la reciva con el uſo. Eſta concluſion es muy certa: porque de otra manera fuera ſer ſuperior el pueblo al Principe: y hablando de las leyes del Papa, es de fè, y conſta por las parablas de Chriſto: quodcumque ligaveris, & paſce oves meas: las quales dixo ſin condicion ninguna de ſi el pueblo las acceptaſſe, o nò* (*z*). Nec res alitèr eſſe poteſt: quippè alioquin, poteſtas à Chriſto collata Petro, & in eo Papæ, *ſæpè fruſtraretur diſſentiente populo: redderetur inefficax remedium capitis diſſentientibus membris: minueretur ſubordinatio membrorum ergà caput: daretur occaſio relaxandæ diſciplinæ, & demùm tolleretur regimen Monarchicum, quod Chriſtus induxit in Eccleſiam* (*aa*). Ipſamet, inquam, Bulla Cœnæ ex abundanti fuit etiam, teſte Albitio, in Regno Neapolis acceptata. Et cum hæc Bulla expreſsè ſub æternæ male-

(a) *Amicus tom 5. diſp. 1 ſect. 5. n. 75.*
(b) *Juniperus à Drepano Juris Pontif. defenſ. diſp 6 qu. 2. c. 2.*
(c) *Suarez de legib. lib 4. cap 16. n. 12 Villalob tom 1. tract. 2. diff 16. n 1.*
(d) *Stephan. Baunius Theol. Moral. to. 2. diſp. 3 tr. 2. qu 19.*
(e) *Diana p. 7. tract. 1. reſ. 30. alias 28. vel in eo Coordin to. 9 trac. 2 reſol. 345. n. 4. Molfeſ. ſum 1. tr. 9. c. 8. n. 51*
(f) *Albitius de inconſt. in fid. cap. 28 nu. 14.*
(g) *Gonet Clyp. Theolog. to. 3 de legib. diſp. 4. art. 2. n 22.*
(h) *Layman. Theolog. Moral. lib. 1. tract. 4. c. 3 n. 3.*
(i) *Jo. Bapt. Gonet. loc. cit. n. 21.*
(l) *Suarez de leg. lib. 4. c. 19. nu. 3. Vaſquez. 1. 2. diſp. 156. c 2. Valent. tom. 3. diſp. 7 qu. 3 pun. 5.*
(m) *Jo. Azorius Inſtit Moral. tom. 2. lib. 5. c. 7. qu. 3 & c. 12. qu. 1.*
(n) *Abraham Bzovius de Pontifice.*
(o) *Martin. Navarrus Conſil 1. qu. 4 n. 18 de Conſtitut.*
(p) *Abbas in cap. 2. num 71 de Conſtit & in cap noverit de ſent. excom. n. 6. Diana loc. cit n 1.*
(q) *Molfeſius in ſumma tom. 1. tract 9. cap. 8. n 38.*
(r) *Sylveſt. in ſumma verb. lex. queſt 6.*
(s) *Vid multos apud Card. Albitium de inconſt in fid. cap. 28. nu. 14. Dianam par. 7. tr. 1. reſ. 30. alias 28. vel in eo Coordin tom 9 tr. 2. reſol 345 n. 1. Farinac. Repert. Judicial. qu 3 c. 1. n 17.*
(t) *Gonet. Clyp. Theol. tom. 3 de legib. diſp 4. art. 2. n. 20.*
(u) *Albitius ubi ſupra c. 30. n. 410. Merlin. deciſ 814. in fine.*
(x) *Albitius loc cit. n. 409. cum aliis ab eo allegat.*
(y) *Suarez de legib. lib 4. c. 16 n. 12.*
(z) *Villalob to. 1 trac. 2. diffic. 16. n. 2.*
(aa) *Gonet. Clyp. Theol. tom. 3. de legib. diſp. 4. art. 3. ſ. 1. n. 29.*

maledictionis,& anathematis pœna interdicat quidquid per *Aſſenſum*, ſive *Placet Regium* in eodem Regno fieri poſſe autumatur, ad impediendas literas Apoſtolicas, earumve executionem remorandam, nè ſuum plenum conſequantur effectum (*a*); non ſapit, ſed deſipit, quicumque vult cavillari, licitam eſſe (citrà privilegium Apoſtolicum, quod in præfato Regno non adeſſe conſtat ex dictis) interpoſitionem Aſſenſus Regii Bullis quibuslibet Pontificiis.

27. Hæc ſunt, quæ de præfato *Aſſenſu Regio*, ſive *Regio Exequatur*, nobis dicenda occurrunt, ſalvâ veneratione cunctis debitâ, & meliori peritorum judicio: ipſaque repetitis vocibus proteſtamur nos protuliſſe, non ut jura Regia ullatenùs minuamus, ſed ut ſolam veritatem omnium notitiæ, ac ſub cunctorum oculis proponamus: ad hoc etenim nos obligant ſcripta Contradictorum. Et ſanè circà hujuſmodi rem, nos de noſtro nihil commenti ſumus, ſed quidquid diximus, marginali Auctorum teſtificatione munivimus: illis proindè credatur, non nobis: qui *quod* illi *tenent tenemus*: *quod docent docemus*: *quod prędicant prędicamus* (*b*), nec alitèr loqui poſſumus, quippe, non ad opportunitatem cauſæ, ſed prout rei ſinceritas, & juſtitia poſtulat, pro libertatis eccleſiaſticæ defenſione ſcribentes, *non poſſumus aliquid adversùs veritatem*, *ſed pro veritate* (*c*). Remurque nos, & ſacrificium præſtare Deo, & toti Regno Neapolis utilitatem publicam impertiri, ſi veritatem in propatulo ponamus, quæ talibus tenetur velaminibus obvoluta, ut pro eo, quod cunctis pateat, potiùs ſub nubibus quodammodò deliteſcat: quis enim veritatem audebit dicere, ſi non audeat Sacerdos (*d*). Obſequium quoque Coronæ Regiæ, ac Regi, qui pro tempore ibidem dominabitur, nos præſtare humillimè cogitamus, ſi tantæ rei obſcuritatem dilucidemus: nam qui ſincerè loquuntur fideliùs Principi, & Principatui deſerviunt, quam qui adulatorio ſermone veritatem technis involuunt. Undè D. Fulbertus, nomine Carnotenſium tres Epiſcopos Regni Gallicani interpellans, ut quædam neceſſariò ſcienda eorum Principi denuntiarent, ait: *nec proptèr Regis reverentiam hoc agere pigritemini, quaſi hoc pertineat ad fidelitatem ejus. Verè etenim illi fideliores eritis, ſi quę ſunt corrigenda in Regno ejus correxeritis, & animum ejus ad eandem correctionem compuleritis* (*e*).

28. Itàque candido ſermone loquendo, juxtà hucuſque probata, in Regno Neapolis *Aſſenſus Regius*, ſeu *Regium Exequatur*, cum primò introductum fuit; illud Guillelmus Malus Rex lineæ Normannicæ, ab Hadriano PP. IV. in obſidione poſito, per vim, & metum extorſit, nec duravit, niſi per annos 33. periens cum familię Normannicæ interitu. Subintravit poſteà licitè cum lineæ Svevicę ingreſſu, ex privilegio Innocentii PP. III. nec tamen duravit niſi per annos 47. deficiens cum Friderici II. depoſitione. Iterùm ſubreptitiè ſe intruſit ſub Alphonſo I. quando hic petiit ab Eugenio IV. iſtam poteſtatem, ſub inſubſiſtente ſuppoſito, quod nunquam fuit verificatum, tuncque etiam non niſi per ſolos annos 15. perſeveravit, quot ſupervixit Alphonſus ipſe, obiens ſine filiis legitimis: tranſeunte Regno exindè ad Ferdinandum nothum ejus filium, non ſine magnis, & diutinis contentionibus. Cui, & cæteris Regibus linearum *Andegavenſis*, *Aragonicæ*, & *Auſtriacæ*, hoc jus fuit abſolutè negatum, & ejuſdem excluſio ſemper pactis, & conventionibus, juramento vallatis, fuit expreſſa in Regiis Inveſtituris: nec à tempore mortis Alphonſi præfati, quæ contigit anno 1458. uſque ad hanc diem, reperire eſt ullum indultum, quod Regibus Neapolis hanc poteſtatem conceſſerit: Vel ſaltèm nobis non contigit reperire talis indulti notitiam, non obſtantibus diligentiis hac de rè factis. Nihilominus ſi datur, libenter veritati deferimus: & facile erit illud oſtendere. Viceverſà verò infinitę ſunt querimoniæ, & acta, quibus Summi Pontifices exercitio Regii Exequatur, pro poſſe obſtiterunt. Adde quod hæc ſervitus ab initio non niſi proviſiones Præſulatuum complectebatur, nunc autem trahitur, ut audivimus ad omnes proviſiones Apoſtolicas, & ad cunctas alias literas Pontificias dilatatur, etiam non beneficiales, ſed generales, dogma-

(a) *Bulla in Cœna Domini Can* 13. *& ibi Bonacin. tom.* 1. *diſp.* 3. *quæſt.* 15. *pun.* 2. *&* 2. *per tot.*

(b) *S. Auguſtin. lib.* 2. *contr. Julian. cap.* 8.

(c) 2. *Corinth. cap.* 13. *num.* 7.

(d) *S. Ambroſ. ius epiſt.*

(e) *S. Fulbert. Carnotenſ. epiſt.* 312.

maticas,& totius Eccleſiæ Dei regimen concernentes.Quâ operandi methodo,ipſis lippis, & tonſoribus innoteſcit, quod Eccleſia Dei ſubjugatur intolerabili ſervituti: Regnicolæ quoque ſe defatigari, & diſpendiis affici conqueruntur, ut ex plurium ore nos ipſi audivimus: Spiritualis demùm poteſtas, ut de sè patet, ruit in præceps. Ubi eſt enim ibi libertas eccleſiaſtica de quâ Arnulphus Lexovienſis: *Regalis dignitas eccleſiaſticam conſervare potius conſuevit, quàm tollere libertatem* (a).

(a) *Arnulph. Lexovienſ. epiſt. 54. ad Alex. III. Pap.*

29. Sed quatenùs etiam per hypotheſim, quę ut vidimus, non ſubſiſtit, *Regius Aſſenſus*, vel *Placet*, vel *Exequatur* locum haberet; hoc cauſæ Contradictorum nihil proficit ad repellendos extraneos ab eccleſiaſticis beneficiis, quippè poteſtas hæc (etiam ſi legitimè adeſſet) cunctos percutit Clericos Regi ſuſpectos, tam ſi naturales ſint, quam ſi extranei: & ideò non afficit ad repellendos extraneos, quia æquè afficit ad repellendos etiam indigeuas, quoties ſint Regi probabili ratione ſuſpecti. Præterea in hypotheſi etiam, quod, ut innuimus, dicta poteſtas, ſive jus adhibendi Regium exequatur adeſſet, aliquidque in sè virium contineret ad ſolos Clericos extraneos à beneficiis eccleſiaſticis repellendos; hęc actio ſoli Regi pro tempore exiſtenti competeret, non verò ulli Regnicolarum: adeòque non privatâ auctoritate, neque à paucis, neque à multis incolis Regni; demùm non ab unâ, vel ab alterâ Urbe Regni; ſed à ſolo Rege, & publico decreto, promovendâ eſſet, quandoquidem ſolus Rex præditus eſſet (ut ſupponitur) jure interponendi Regium Aſſenſum.

30. Oſtendant ergò Contradictores, vel quicumque illis dant cauſam, Regiam juſſionem, ab aliquo Rege factam,Regios codicillos, decretum tandèm patefaciens Regiam intentionem, excludendi à beneficiis eccleſiaſticis Regni (tam liberæ collationis Papæ, & Prælatorum, quam Juriſpatronatus Eccleſiaſtici, & Laicalis, ac mixti, quorumcumque Clericorum, aut Laicorum, Magnatum, & Privatorum ipſius Regni) quemcumque Clericum extraneum, vigore aſſenſus Regii: vel mandatum Regis exhibeant, quo ipſi conſtituantur procuratores ad hanc cauſam introducendam, ventilandam, ſive alitèr prout de jure tractandam; & tunc poterunt proprium conatum aliqualitèr intuitu Aſſenſus Regii ſuffulcire: alioquin actionem promovent ad sè non pertinentem, ſuntque à judicii limine repellendi. Profectò namque, nullam juſſionem Regiam proferre poterunt in propatulo, talia ſancientem, quia nullus ex Regibus, quod ſciatur, unquam eam edidit, rati, non poſſe politicè, ac prudentèr loquendo, vi ſolius Aſſenſus Regii præſtandi, omnibus beneficiorum proviſionibus obviari: neque unius hujus obtentu præſtare,quod lex generalis adversùs cunctos extraneos promulgetur, nullâ inter eos habitâ probitatis, & benemerentiæ, vel alterius tituli diverſitate, ac ratione; ſed potius operę pretium eſſe, ut in caſibus particularibus agatur adversùs quoſcumque, ſive extraneos, ſive indigenas, pro modo rationabilis ſuſpicionis, ad effectum remorandi proviſiones beneficiales, prout opus eſſe agnoſcatur, ſicque imminenti periculo, ſi quod interdùm eſt, occurratur.

Digitized by Google

C A P U T XL.

In quo oſtenditur praxis, ab initio Eccleſiæ uſquè ad noſtra tempora, in Regno Neapolis obſervata, ibidem præficiendi Eccleſiaſticis Beneficiis, non ſolùm Clericos indigenas, verùm etiàm extraneos.

S U M M A R I U M.

1 *Argumentum ſumptum à ſolito efficax eſt. Conſuetudo eſt lex non ſcripta, & quę veritati, ac fidei conſonat, eſt obſervanda.*

2 *Eccleſiarum conſuetudines ſunt ſervandæ: conſuetudo, & ſtatutum pari paſſu procedunt, & ab illâ ad hoc valet argumentum.*

3 *Olim conſuetudine tenebatur orbis terrarum. Mutatio conſuetudinis novitate perturbat. In diſtributione bonorum Eccleſiæ, conſuetudo ſervanda eſt.*

4 *Varias Eccleſias Regni Neapolitani conſtituerunt Sancti Petrus, & Paulus. Epiſcopatus intèr beneficia eccleſiaſtica numeratur.*

5 Primo Chriſti Sæculo *erant beneficia Epiſcopalia, non vero alia minoris ordinis. Extranei hoc Sęculo Epiſcopatus habuerunt in Regno Neapolis.*

6 *Recenſentur Epiſcopi ejus ætatis Eccleſiarum Rubenſis, Rhegienſis, & Crotonienſis, in Regno Neapolis exiſtentium.*

7 *Si extraneos præficere beneficiis eſt crimen, divino, naturali, & humano jure prohibitum, non licuiſſet ſanctis hiſce viris Epiſcopatus illos ſuſcipere.*

8 *Neapoli, Tarenti, Lycii eodem Sæculo conſtituti ſunt Epiſcopi ex iiſdem Urbibus nati: undè promiſcuè præficiebantur Eccleſiis tum indigenæ, tum extranei.*

9 *Clemens PP.VI. hoc eodem argumento, quod ex primis rectoribus Epiſcopatuum, aliqui erant extranei, probat extraneos eſſe admittendos.*

10 *Si ergò juxtà ſtylum primi Sæculi in Regno Neapolis præficiebantur beneficiis etiam extranei, nùnc quoque ad ea debent admitti.*

11 *Apoſtoli ubi disseminabant Evangelium, conſtituebant in Epiſcopos Advenas, quos ſecum habebant. Fit ſermo de Flavio Dextro.*

12 *Enumerantur extranei, qui* Secundo Chriſti Sæculo *beneficium Epiſcopale tenuerunt in variis Eccleſiis, Regni Neapolitani.*

13 *Oſtenditur, quod ſecundo Sæculo tantoperè creverat fides Chriſti, ut fideles cuncta replerent, non obſtantibus perſecutionibus.*

14 *Tertullianus aſſerit, quod ſuo tempore Chriſtiani adeò creverant, ut omnia replerent, & potuiſſent Imperatores, eos perſequentes, armis impugnare.*

15 *Etiàm ergò in Regno Neapolis tanti erant indigenæ Chriſtiani, ut poſſent cunctis præfici Epiſcopatibus, ſi indigenatus fuiſſet neceſſarius.*

16 *Fit mentio aliquorum, qui in Eccleſiis, Brundusinâ, Tranenſi, Nolanâ, & Lucerinâ beneficia obtinuerunt, tametſi extranei,* Sæculo Chriſti Tertio.

17 Sæculo Chriſti Quarto *Epiſcopale beneficium poſſederunt S. Paulinus Nolæ, Vincentius Capuæ, & alii extranei in Regno Neapolis.*

18 *Indicantur plures Epiſcopi extranei, qui* Sæculo Chriſti Quinto *Eccleſiis præfuerunt, in Regno Neapolis conſtitutis, Capuæ, Beneventi, Surrenti &c.*

19 *Alii*

Digitized by Google

19 *Alii recenſentur, qui eodem Sæculo aliis Regni præfuerunt Eccleſiis, & individuè Joannes Talaida Alexandrinus.*

20 Sæculo Chriſti Sexto *Neapolitani bis elegerunt ſibi in Præſules viros extraneos. S. Gregorius Monaſterio ibi ſuo præfecit extraneos.*

21 *Sæculo ſexto nil obſtabat, quin extraneis Epiſcopatus Neapolitanus pateret: in quâ urbe non deerant idonei indigenę.*

22 *Non poterant Neapolitani cedere juri ſuo in præjudicium indigenarum, ſi hoc tantum vocaſſent jura ad Epiſcopale beneficium illius Urbis.*

23 *Ex epiſtolis D. Gregorii liquet, quod Clerici Capuani in quâdam Eccleſiâ Neapoli collocabantur. Quid ſignificet Presbyterium.*

24 *Clerici Capuani erant extranei Neapoli, & tamen ibi beneficia poſſidebant. Gremium Eccleſiæ quid ſignificet.*

25 *Memorantur extranei, qui* Sæculo Chriſti Septimo *præerant Abbatiæ apud Neapolim, & pluribus Eccleſiis Regni: Quid, & quantum S. Gregorius jubeat peregrinis pręberi?*

26 *Illę portiones, quas juſſit D. Gregorius dari Clericis Neapoli, tum indigenis, tum peregrinis, erant veluti totidem beneficia.*

27 *Si beneficia Regni eſſent danda ſub eâ proportione, quam ſervari mandavit D. Gregorius, ferè tertia pars illorum deberet extraneis tradi.*

28 *Aliqui memorantur beneficiarii extranei in Regno Neapolis* Sæculo Chriſti Octavo, *alii* Sæculo Chriſti Nono, *& alii* Sæculo Chriſti Decimo.

29 *De beneficiis minoribus Epiſcopatu difficilè eſt invenire, an remotis iſtis Sæculis fuerint ab advenis, vel à nativis poſſeſſa.*

30 *Plures extranei* Sæculo Chriſti Undecimo *Epiſcopatibus Regni præfuerunt. Alii* Sæculo Duodecimo. *Et alii* Sæculo Decimotertio.

31 *Currente* Sæculo Quartodecimo *plures fuerunt in Regno Neapolitano Præſules extranei, quam indigenæ, ducto argumento ex Archiepiſcopatibus.*

32 *Idipſum fit pro* Sæculo Chriſti Quintodecimo, *recenſendo ſeriem plurium extraneorum, quorum nomina intèr Metropolitas Regni Neapolis inveniuntur.*

33 *Similis fit recapitulatio extraneorum, qui* Sæculo Chriſti Decimoſexto *Archiepiſcopalibus beneficiis in Regno Neapolitano potiti ſunt.*

34 *Hoc Sæculo plures fortè fuerunt extranei, quam indigenæ. Praxis ergò ab initio Eccleſię uſque ad noſtram ętatem eſt, quod etiam extraneis pateant beneficia.*

35 *Si beneficia ſolis ſunt indigenis tribuenda, excluſis extraneis; cur per 18. ſæcula in Regno Neapolis eſt obſervatum oppoſitum?*

36 *Jephte Ammonitis repetentibus terram Amorrhęorum ait; quarè tanto tempore nihil ſuper hâc repetitione tentaſtis?*

37 *Serventur termini, quos poſuerunt patres noſtrì: fiat quod ſemper factum eſt. Eccleſia cum ſit libera, captivitati ſubdi non poteſt.*

38 *Nunquàm proſperum finem habuerunt impetus contrà Eccleſiam excitati. Rogatur Deus, ut avertat omne malum à Contradictoribus, eorumque Auctoribus.*

1. VALIDISSIMUM, ac ſuprà modum efficax eſt argumentum, quod deſumitur ab eo, quod eſt ſolitum obſervari (*a*). Nàm cum conſuetudo ſit lex non ſcripta, *& jus quoddam moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur, cum deficit lex,* ut inquit S. Iſidorus (*b*); Nulla autem unquam edita fuerit lex generalis, aut particularis, à legitimâ poteſtate latâ, vi cujus in Regno Neapolitano arcendi ſint Clerici extranei ab eccleſiaſticis beneficiis; imò è contrà vigeat ibi conſtans, & perpetua obſervantia, ab Eccleſiæ initio, uſque ad noſtra tempora perennitèr obſervata, admittendi ad ſacras præbendas indifferentèr, tam Clericos extraneos, quam indigenas; certè praxis hæc, atque longiſſima 18. ſæculorum obſervantia ineluctabile porrigit argumentum methodi, etiam in futurum, ſuper eadem

(a) *Jura (a) DD ap. Barboſ. tract. var. loco 102.*

(b) *Iſidor. Etymolog. l. 2. de Luca de Juriſd. diſc. 34. n. 29.*

Digitized by Google

dem rè obſervandæ (*a*). Et quamvis conſuetudo veritati obſiſtens, vel fidei contraria, nullatenùs ſit attendenda, cum ſit potius abuſus, quam uſus (*b*); tamen quando neutri opponitur, ſed potiùs veritati conſonat, & rationi ſuffragatur, ac legibus eccleſiaſticis conſantanea eſt; proculdubiò cuſtodiri debet, ac religioſè obſervari (*c*). Talis autem eſt praxis, quâ in Regno Neapolis acceſſus patet extxtraneis ad eccleſiaſtica beneficia, ut ex hucuſquè allegatis patet, ac evidentius adhùc ex his, quæ in præſenti Capitulo ſubjungimus, innoteſcet.

2. Sanè tàm in Oriente, quàm in Occidente, ſeu, quod idem eſt, in totâ Eccleſiâ, ſemper viguit hæc perſuaſio, quod in rebus dubiis, deficiente expreſsâ textus publici definitione; ſtyli, uſus, atque conſuetudinis ratio habeatur, undè apud Occidentales D. Auguſtinus: *In his rebus, in quibus nihil certi divina ſtatuit Scriptura &c. Statuta majorum pro lege tenenda ſunt: & ſicut prævaricatores legum divinarum, ità contemptores conſuetudinum eccleſiaſticarum coercendi ſunt* (*d*). Statuta inquam majorum, inter quæ etiam conſuetudo numerari debet: Conſuetudo namque, & Statutum pari paſſu procedunt (*e*), & à conſuetudine ad Statutum, valet efficacitèr argumentum (*f*). Ex Orientalibus quoque Nicephorus hęc habet, *Conſuetudines Eccleſiarum ſunt ſervandæ ab incolis: differentiæ namque morum Eccleſiarum, & conſuetudinum invaluerunt reverentiâ eorum, qui illis ab initio præfuerunt: & qui illis deincepi ſucceſſerunt. Nàm hi tamquam leges acceptas per manus poſteris tradiderunt: non ſatis pium atque ferendum arbitraci, ſi traditiones, in quibus educati eſſent, non honorificè colerent, ſed contemptui reiicerent* (*g*). Si res igitur, de qua impręſentiarum eſt quęſtio, ambigua, vel dubia eſſet; ſola ſufficeręt conſuetudo, ad eam intra ſuos limites continendam: multo magìs autem ea ſufficit, dum res alioquin non eſt dubia, ſed certa, quod extraneis quoque patère debeat acce ſſus ad eccleſiaſtica beneficia.

3. Itàque magni ponderis eſt praxis, & conſuetudo alicujus loci, aut regionis; hæcque non contemnenda eſt, ſed eſt fidelitèr obſervanda (*h*), cum eam attendendam eſſe tota perſonet Eccleſia, cujus ſenſus non poteſt cum verbo Dei pugnare (*i*), & ſicut olim *conſuetudinis robore tenebatur orbis terrarum, & hæc ſola opponebatur inducere volentibus novitatem* (*l*); Sic & nunc geſtientibus ablegare Clericos extraneos à beneficiis Regni Neapolitani, præter alias rationes, opponenda eſt quoque conſuetudo, ſtylus, mos, & obſervantia, ibi à primordiis Eccleſiæ, ad præſens uſque tempus ſervata, ad tantam novitatem longius protelandam. Præſertim cum hęc novitas magnum ſcandalum ſecum trahere valeat: & oh utinam tandem gravem aliquam perturbationem inter Eccleſiam, & Regnum non ſit paritura, niſi protinùs evellatur. Quo periculo vigente, abſque dubio novitas ipſa eliminanda eſt (*m*), prævaletque ſapientiſſima paritèr, ac prudentiſſima D. Auguſtini elocutio: *Ipſa mutatio conſuetudinis, etiam quę utilitate adjuvat, tamen novitate perturbat: quapropter quę utilis non eſt, perturbatione infructuoſâ, conſequenter noxia eſt* (*n*). Et ſanè ſi in bonorum Eccleſiæ diſtributione ſervanda eſt loci conſuetudo (*o*); Eccur parvipendenda erit in diſpenſatione beneficiorum, quæ non eſt aliud, quem Eccleſiæ bonorum provida diſtributio?

4. Quęnam autem ſit, fueritque ſemper, obſervantia, ſtylus, atque conſuetudo in Regno Neapolis, quoad Clericos providendos beneficiis eccleſiaſticis, cuſtodita, ex his quæ ſubſequuntur elucet. *Manifeſtum eſt*, inquit Concilium Sveſſionenſe, *per omnem Italiam, Galliam, & Hiſpaniam, nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos Venerabilis Petrus, aut ejus ſucceſſores conſtituerunt Sacerdotes* (*p*). In Regno autem Neapolis potiſſimè, fidem habuiſſe initium à D. Petro Apoſtolo, quando Romam veniens, Tarentum adiit, & Neapolim, ubi aliquantulum conſtitit, ibique ſemen Evangelii diffudit; Hiſtorici conteſtantur (*q*). Appulit illuc & D. Paulus Rhegium perveniens, Tarentum pergens, Neapolim, Puteoloſque divertens, ac alias pertranſiens Urbes ipſius Regni (*r*). Tuncque primò fundatæ ſunt varię illius Regni Eccleſiæ, quæ poſteà multiplicatæ ſunt in uberrimum numerum, &

con-

(a) *Marta de juriſd. p. 2. c. 6. n. 2*
(b) *Cap Veritate cū 2. ſeq diſt. 8. c. 1. 2, & diſt 11. Tertul. de Virgin. veland.*
(c) *C. fruſtra diſt. 8. cap. illud diſt. 12. Vide Barboſ. Repert. prac. Concluſ. V. Conſuetudo*
(d) *S. Auguſt. epiſt. ad Caſulanum*
(e) *Menoch. de arbitr. l. 1. qu. 71 n. 3.*
(f) *Mantic. pract. Concl. 10. 1. lit. A concluſ 507. n. 20. Barboſ tract. var. loc. 25. n. 3.*
(g) *Nicephor. hiſt. Eccl. l. 12. c. 34.*
(h) *Maſcard. de probat. concl. 2415. n. 12. Barboſ. Repert. pract. concl. V. Conſuetudo.*
(i) *Bellarm. to. 3. de Sacrament. l. 1. cap. 26 §. ex quo.*
(l) *S. Auguſt lib. 2. de Baptiſ. c. 9*
(m) *De Luca de præem diſc. 39. n 3. de Regular. diſc. n. 3 diſc. 27. n. 8. &c.*
(n) *S. Auguſt epiſt. ad Januarium*
(o) *Cap nec numerus 5. in fin 10 qu. 3*
(p) *Conc. Sveſſion. an. 909. c. 15. Bin. to 7. p. 1. fol 170.*
(q) *Anton. Caraciol. de Sacris Eccl. Neapol. Monum c. 3. & 4*
(r) *Act. Apoſt. c. 28. 13. & ibi Lorin. Vid. Ughell. Ital. Sacr. in Epiſc. Neapol. Rhegien. Tarentin. Puteolan.*

Digitized by Google

conſtitutis ibi pluribus Epiſcopis, totidem quoque conſtituta ſunt beneficia Epiſcopalia, eæque à primo Chriſti Sæculo ſuum profitentur initium. Et ità uſque ad hoc tempore incæpiſſe beneficia eccleſiaſtica in Regno Neapolitano, revocari in dubium non poteſt: citrà controverſiam namque Epiſcopatus inter beneficia eccleſiaſtica numerantur (a).

5. Et quià alia beneficia inferiora, uti Abbatiæ, Parochiæ, Canonicatus, Præbendæ &c. aliquantò poſt Eccleſiæ initium, ſuam originem habuerunt, ut alibi in hoc opere per nos oſtenditur; hinc fit quod reſpectu ad primum Chriſti Sæculum, alitèr de beneficiis haberi ſermo non poteſt, quam loquendo de beneficiis Epiſcopalibus. In primo igitur Chriſti Sęculo, beneficia Epiſcopalia Regni Neapolis incæperunt concedi viris extraneis. Nàm *Capuanæ* Eccleſiæ hoc tempore pręfuit *S. Priſcus* (b), qui fuiſſe dicitur unus è 72. diſcipulis Chriſti, tametſi à Dorotheo Abbate aliorum diſcipulorum elencho non reperiatur adſcriptus: fuiſſeque illum Patrem familias, in cujus Domo Chriſtus ſibi parari Paſcha præcepit (c). Paulò poſt hunc Eccleſiam ipſam, intrà idem primum Chriſti Sæculum, tenuit *S. Rufus* Rąvennas, qui à B. Apollinare ad Chriſti fidem converſus, cum 400. familiam ſuam componentibus, Capuanam deindè Eccleſiam dirigendam ſuſcepit (d). *Puteolanorum* quoque tunc temporis Epiſcopus fuit *Patrobas*, unus ex 72. Diſcipulis Chriſti, à D. Petro ordinatus: qui & ei ſucceſſorem dedit *S. Celſum*, Romæ ordinatum, tantę fidei, & virtutis virum, ut populum ſuum ferè totum ad veri Dei cultum perduxerit (e).

6. Eâdem ætate ad *Atinenſis* Eccleſiæ clavum moderandum aſſumptus eſt *S. Marcus*, natione Galilæus, Romæ à B. Petro Epiſcopali Ordine decoratus (f). *Rubi* quoque ordinatus eſt Epiſcopus *S. Cletus* ab eodem Apoſtolo: ad quem ſucceſſivè Romam profectus, tandem poſt Linum Summi Pontificatus culmen dicitur aſcendiſſe (g). *Rhegii* pariter à D. Paulo conſtitutus eſt Epiſcopus *S. Stephanus*, ex Nicæâ Urbe Bithyniæ, undè diſcedens, Apoſtolo ſe conjunxerat, ſociuſque peregrinationis illius, Romam ſe conferebat (h). Quo Sęculo adhùc perſeverante, *Crotonienſes* etiam Antiſtitem habuerunt *S. Dionyſium* Areopagitam, qui, ut fertur, Romam B. Joannis Evangeliſtæ monitu proficiſcens, dum Crotone tranſiret, ab incolis illius loci, (jam anteà fide inſtructis, vel ab Apoſtolis Petro, ſive Paulo, aut ab aliquo ex eorum diſcipulis) acclamatus fuit Antiſtes: ubi poſtquam per aliquod ſpatium temporis pręfuiſſet, relicto Coadjutore, Romam progreſſus eſt, & alia fecit, quæ in ejus vitâ uberrimè recenſentur (i). Alii quoque diverſis è Regionibus prodeuntes, facillimè alias Regni Cathedrales per idem Sæculum tenuerunt, quorum fortè memorias tempus antiquitatum edax conſumpſit: ſed octo recenſiti ſufficiant ad inſtructionem animi pro rè adeò antiquâ: nec enim neceſſarium eſt ea omnia, quæ primo Chriſti Sæculo contigerunt, minutatim hìc aggregare.

7. Dicet fortaſſis aliquis, horum Sanctorum Antiſtitum facta nihil probare, quià cum evangelium diffundendum eſſet in Regno, non poterat hoc fieri alitèr, quàm per extraneos, è Scholâ Chriſti, ejuſque diſcipulorum venientes: Undè iſtorum promotio, ad beneficia Epiſcopalia, tamquam edita occaſione prædicationis exercendæ, ac fidei ſeminandæ, nec legem faciat, nec ſit trahenda in exemplum. At nos reſpondemus *primò*, quod neceſſitas prædicandi evangelium cogebat quidem admiſſionem extraneorum ad ſermonem populis habendum, ad catechizandos homines, & ad imbuendos fide auditores, non verò ad Epiſcopatus officium aſſumendum, cum unum ſinè altero ſtare poſſet: ſicuti noſtrâ ætate in pluribus orbis partibus praxis oſtendit: pergunt etenim Presbyteri, Monachi, & alii pii viri, ad partes Infidelium, ibique prædicant verbum Dei, Miſſionarii officio perfunguntur, Paganos, Hęreticos, Infideles, convertunt, & tamen Epiſcopale ibi officium non aſſumunt. Ità, ſi in ſententiâ Contradictorum, beneficia eccleſiaſtica poſſideri ab extraneis, eſt crimen, divinâ, humanâ, & naturali lege

(a) *Marta de Juriſd. p.1.c.39.nu 7. Barboſ. Jur Eccl.univ. l.3.c.4 num 49*

(b) *Cardin.Baron. an.46.n.2*

(c) *Petrus de Natalibus l.8.n.17*

(d) *Rubeus Hiſt.Raven.lib 1 Ugbel.Ital.ſacr.to.6.in Epiſc.Capuę num.3.*

(e) *Ughell. to. 6. in Epiſc.Puteolan. n.1.2.*

(f) *Chronic.Atinenſis Eccleſ.apud Ughel. tom.1.& in Epiſc.Atinenſ.n 1.tom.6*

(g) *Ughel Ital.ſacr. to 7. in Epiſc. Rubenſ. num.1.*

(h) *Ughel tom 9.in Archiepiſc. Rhegienſ. num.1.*

(i) *Idem in Epiſc. Croton.n.1.tom.9*

prohibitum; poterant ſancti illi viri extranei fidem in Regno Neapolis prædicatione diſſeminare, non ibi tamen beneficium Epiſcopale ſuſcipere, ſicuti non poterant furari, mæchari, blaſphemare, occidere, & alia facere, quę ſunt pręfatis juribus interdicta. Quapropter ibi Epiſcopatum ſuſcipiendo demonſtrarunt, beneficia non minus extraneis, quam indigenis patere debere, dummodò benemerentibus, & idoneis.

8. Paritèr, *Secundò* advertimus, quod Sancti viri pręfati, ac S. Petrus, Paulus Apoſtoli, qui in evangelio Regni Neapolis incolas erudierunt, magnas ibi converſiones hominum fecerunt; ſicque cum ingreſſu fidei, non deerant indigenę jam credentes, qui poterant ad Epiſcopale beneficium promoveri. Et quemadmodum S. Petrus conſtituit Epiſcopum *Neapolis S. Aſprenatem* illius Urbis Civem (*a*); S. Marcus *Tarentinæ* Eccleſię pręfecit *Amaſianum*, ex eâdem Civitate, hortorum cultorem (*b*); S. Paulus *Lyciensium* Antiſtitem ordinavit *S. Orontium* incolam ipſius urbis (*c*); Ità etiam in aliis præmemoratis locis deputandi fuiſſent in Præſules viri indigenæ, non extranei, ſi extraneos beneficiis præficere, piaculum eſſet adeò enorme, quale illud Contradictores exaggerant. Undè ſi Sancti Apoſtoli, virique Apoſtolici, qui primi fidem in Regno Neapolis promulgàrunt, alicubi Clericis indigenis, alicubi Clericis extraneis Epiſcopalia beneficia commiſerunt; ſuo facto docuerunt, tam extraneos, quàm indigenas, beneficiorum eſſe capaces, & in eodem Regno, uſque ab initio fidei, mixtim cum indigenis, apertum ſemper fuiſſe aditum, etiam Clericis extraneis ad eccleſiaſtica beneficia.

(a) *Anton. Caracciol. de Sacr. Neap. Eccl. Monum. cap. 6. & alii.*
(b) *Ughell. Ital. Sacr. tom 9. in Archiep. Tarent. n. 1.*
(c) *Paul. Rhegius de SS. Regni Neapol Ferrarius die 1. Novemb. Ughelli in Epiſc. Lycii tom 9.*

9. Demum, *Tertiò* legimus in Hiſtoriis Clementem VI. Papam moleſtias eſſe paſſum ab Alphonſo Caſtellæ Rege, ſatagente Clericos extraneos repellere à beneficiis eccleſiaſticis, intrà ſui Regni Provincias erectis: de quâ rè ſuprà ſumus fuſius elocuti (*d*). Ad iſtum autem Regis Angli conatum retundendum, Clemens eâ ratione uſus eſt, quâ nos modo hìc utimur. Ad Regem etenim ſcripſit: *Nunquid fili charìſſimè Apoſtoli Domini, quorum doctrinâ fulget Eccleſia, & Chriſtiana fides incrementa ſuſcepit, imò in quibus jacta ſunt fidei fundamenta, & quorum ſunt Epiſcopi ſucceſſores; extrà proprias nationes, & gentes, provincias alias, atque Regna, in ſortem prædicationis, diſponente Domino, non ſuſceperunt. Nunquid B. Jacobus, per quem Hiſpaniis Evangelicæ veritatis lumen reſplenduit, & ſacri baptiſmatis innotuit Sacramentum, in Hiſpaniis ortus eſt? Quid igitur mirum ſi Romanus Pontifex, ad exequendum Miniſterium ſervitutis injunctę, illius, cujus vicem gerit in terris, & apud quem non eſt Judæi, Græcique diſtinctio, neque acceptio perſonarum, inſtructus exemplo, perſonas idoneas eligit, & quamquàm alienas, vacantium Eccleſiarum regimini præficit, deputatque paſtores ad Dominici gregis Curam* (*e*)?

(d) *Vid. ſupr. tom. 1. Sæcul. 14. c. 42. à n. 19.*

(e) *Odoric. Raynald. an. 1348. n. 14.*

10. Cenſuit ergò Clemens VI, argumentum deſumptum ex ſtylo, ac ex methodo obſervatâ primo Eccleſiæ ſæculo, in diſpenſatione beneficiorum Epiſcopalium, etiam in perſonâ Apoſtolorum, eſſe validum, & ſufficiens, ad evertendum conatum Regis Caſtellæ, ſatagentis expellere cunctos Clericos extraneos à conſecutione beneficiorum, in ſuo Regno erectorum. Igitùr etiam nos optimè procedimus, eodem argumento utendo ad evertendum ſimilem conatum, à Contradictoribus, eorumve Actoribus introductum, prò Regno Neapolitano: & dicimus, quod ſi primo Eccleſiæ ſæculo currente, ex multis Epiſcopalibus beneficiis, in eodem Regno excitatis, in locis, ubi plurium fidelium converſiones fiebant, alia viris localibus, & indigenis collata fuerunt; alia verò ſunt commiſſa viris extraneis; ergò in Regno Neapolitano uſque à primo tempore, quo erecta ſunt beneficia Epiſcopalia, invaluit ratio, ſtylus, conſuetudo, & obſervantia, ut beneficia ipſa non tàm paterent Clericis indigenis, quàm etiam extraneis. Et quidquid dicitur de beneficiis Epiſcopalibus, afficit etiam prò aliis minoris ordinis, vel ob identitatem, ſimilitudinemve rationis (*f*), vel ratiocinio ducto à majori ad minus, à quo notum eſt eſſe validum, & efficax argumentum (*g*).

(f) *Leſſius de Juſt. & Jur. l. 2 c 34 dub 14 num 54. Barboſ Vet. Deciſ l. 1 vot 33 n 14.*
(g) *Jura & DD ap. Barboſa Tractat. Var. Loc. 57.*

11. Cœ-

11. Cœterùm praxis obſervata ab Apoſtolis in Regno Neapolitano, eſt eadem, ac illa, quæ per ipſos eſt alibi cuſtodita. Nàm varias Orbis provincias adeuntes, Verbum Dei diſſeminabant, & ut plurimum ſocios peregrinationum ſuarum, aliundè ſecum àdvenientes, conſtituebant Epiſcopos, nullâ attentâ extraneitatis, vel indigenatus ratione. Et ità de S. Jacobo teſtatur L. Flavius Dexter: *Jacobus Sanctus Apoſtolus Zebedęi filius, peragratis Urbibus Hiſpaniæ, multiſque erectis Eccleſiis, & Epiſcopis creatis ex advenis, Petrum Bracaræ primum reliquit Epiſcopum, ac Templum, vel Oratorium B. Virgini, ex ejus juſſu, præſentiâque ſuper Columnam Cæſarauguſtæ erexit* (*a*). Scimus auctoritatem Lucii Flavii Dextri apud aliquos nutare: nec noſtrum eſt hìc Apologiam prò illius ingenuitate contexere: Sat ſit attamèn ipſius memoriam fieri à D. Hieronymo (*b*), ab Honorio Auguſtodunenſi (*c*), ab Helecâ, & Maximo Cæſarauguſtanis (*d*), ab Hugone Portugallenſi (*e*), & ab aliis; quos inter Franciſcus Bivarrius ex propoſito eum vindicat, & exponit (*f*). Nobiſque ſufficit ex eo oſtendiſſe praxim Apoſtolorum, in beneficiis Epiſcopalibus diſpenſandis etiam viris extraneis, ut indè colligamus, nil mirum ſi eandem diſciplinam Apoſtoli in Regno Neapolis obſervarunt: ex quâ benè deducatur, praxim, uſque à primordiis fidei apud Regnum Neapolis introductam, fuiſſe, ut ibi ſinè diſcrimine advenæ mixtim cum indigenis beneficiis Epiſcopalibus præficiantur, attentâ ratione meriti, non originis, & nationis.

(a) *Flav. Dexter. anno Chriſti 37. Chron.*

(b) *S. Hieron. de Scriptor. Eccl. cap. 132.*

(c) *Honor. Auguſtod. de illuſtr. Eccleſ. Script. n. 132.*

(d) *Heleca Cæſaraug. & Maximus ap. Bivar. comment. in Fl. Dextrum.*

(e) *Hug. Portugal. in hiſt. Compoſtellan.*

(f) *Bivar. in Fla. Lucio Dextro.*

12. Ad *Secundum Eccleſiæ Sæculum* tranſeamus. Sedes *Brunduſina*, una è nobilioribus cathedris Regni Neapolitani, hoc tempore obtigit *S. Leucio* natione Ægyptio, ac Patriâ Alexandrino (*g*), & nedum ipſe, tametſi extranationalis, Epiſcopale ibi eſt beneficium adeptus, ſed cum vigintiſeptem millia Brunduſinorum ad fidem ſuo tempore fuiſſe perductos, ejus Acta commemorent; attamèn ex tanto numero nullus ei Brunduſinus ſucceſſit, ſed alii tres Ægyptii, & Alexandrini, unus poſt alium, nempè *Leo*, *Sabinus*, & *Euſebius* (*h*). Paritèr una ex antiquioribus Regni Neapolitani ſedibus eſt Eccleſia *Attinenſis*, cui hoc ſecundo Chriſti Sæculo præpoſitus fuit *Salomon* natione Romanus, qui penè per 37. annos illam rexit Eccleſiam (*i*). Metropolim quoque *Tarentinam* tunc temporis illuſtravit *S. Cataldus*, ex partibus Hiberniæ, oppido Humeniæ, patre Eucho, matre Athenâ progenitus (*l*). Demùm, nè plures addamus, in *Lycienſi* Cathedrâ per eundem temporis curſum ſedit *Donatus*, S. Cataldi Tarentini germanus frater, & ex conſequenti è partibus Hiberniæ illuc profectus (*m*), qui propterèa indè erat nedum patriâ, ſed etiam provinciâ, & natione extraneus. Aliorum Præſulum origine extraneorum, qui ſecundo Chriſti Sæculo ſedibus Epiſcopalibus Regni Neapolis præfuerunt, major numerus non deeſt, ſed neceſſe non eſt eorum omnium hìc elenchum contexere: ſufficiant ergò illi, quos memoravimus.

(g) *Bolland. in Act. Sanct. die 11. Januar.*

(h) *Ughell. Ital. Sacr. to. 8. in Archiepiſcop. Brunduſ. n. 2. 3. 4. 5.*

(i) *Idem to. 6. in Epiſc. Atinenſ. n. 6.*

(l) *Idem to. 9. in Archiepiſc. Tarent. n. 2.*

(m) *Idem tom. 9. in Epiſc. Licienſ. n. 3.*

13. Si dicatur, idcircò Viros iſtos extraneos, ad beneficia Epiſcopalia memorata fuiſſe promotos, quià exiguitas fidelium indigenarum non permittebat, ut è propriis civibus, vel natione, quælibet Eccleſiæ ſibi Antiſtitem deſignarent; futilis eſt iſta objectio: recurrentque reſponſiones mox allatę ad evertendum objectum, pro illis ſæculi primi propoſitum: quæ ſi non ſufficiunt, adhùc alias hìc ſubjungamus. Falſum eſt ſuppoſitum, quod currente ſecundo Chriſti Sæculo exiguus eſſet fidelium numerus in Regno Neapolis, ubi jam præcedenti ſæculo fides Chriſtianam per Apoſtolos Petrum, & Paulum, ejuſque Diſcipulos, & introducta, & fortiſſimè fuerat radicata. In Italiâ, Hiſpaniâ, Africâ, atque aliis, tàm Orientis, quàm Occidentis Regionibus, Chriſtiana religio ſecundo Chriſti Sæculo non erat infans, ſed jam adulta: tantâque fidelium multitudine redundabat, ut cuncta ubique repleret. Septimius Florens Tertullianus, qui ſub fine ſæculi ipſius effloruit, in Apologetico, à ſe edito, dùm Severus Imperator quintâ perſecutione Chriſtianos exagitabat, ad bella proſpiciens, quibus Parthi, Mauri, & Marcomanni Cæſarem, & Imperium fatigaverant, modeſto, ſed benè ſonanti eloquio, exprimere

non omittit, quod Chriſtiani multo majores erant illis populis, quibus debellandis Severus fuerat occupatus, adeòque ſi voluiſſent, potuiſſent Imperium graviùs infeſtare.

14. *Sed abſit*, inquit Tertullianus, *ut aut igni humano vindicetur Divina Secta, aut doleat pati in quo probatur. Si enim & hoſtes exſertos, non tantum vindices occultos, agere vellemus; deeſſet nobis vis numerorum, & copiarum? Plures nimirùm Mauri, & Marcomanni, ipſique Parthi, vel quantæcumque, unius tamen loci, & ſuorum finium gentes, quàm totius Orbis? Heſterni ſumus, & veſtra omnia implevimus, Urbes, Inſulas, Caſtella, Municipia, Conciliabula, Caſtra, ipſas Tribus, Decurias, Palatium, Senatum, Forum. Sola vobis relinquimus Templa. Cui bello non idonei, non prompti fuiſſemus, etiam impares copiis, qui tàm libentèr trucidamur? Si non apud iſtam diſciplinam magis occidi liceret, quàm occidere (a)?* Tàm amplè, ſignificat, jàm tunc fuiſſe dilatatam Chriſtianam fidem, ac numerum Chriſtianorum, ut hi cuncta loca replerent, ſolis Templis Idolorum relictis, quibus non sè ingerebant. Cœterùm Caſtra, Urbes, Inſulas, Municipia, Senatum, loca tandem omnia, plena eſſe fidelibus, qui cum per totum Orbem diffuſi eſſent, majores erant numero, & Mauris, & Marcomannis, & Parthis, atque idcircò potuiſſent ipſi quoque, qui tàm libenter prò fide sè trucidari permittebant, arma ſumere, & contrà Imperium pugnare: perſecutionem vim vi repellendo diſpungere: fidem demùm, vitam, & bona propria enſe tueri; niſi mitiſſima Chriſtianę fidei profeſſio occidi doceret, quàm occidere; probari ſatius duceret perſecutione, quàm vi, & armis tyrannidem, quâ exercitabatur, evertere (*b*).

(a) *Tertull. Apologet. l. 1. c. 37. n. 2.*

(b) *Jo: Lud. de la Cerda in notis ad Tertull. loc. cit.*

15. Si itàquè jam tanti erant Chriſtiani in toto Orbe; quis dubitat fuiſſe quoquè infinitos numero in Regno Neapolitano. Hocque poſito, & ſub tàm uberi numero fidelium, quomodò quæsò potuit oportere, ut neceſſario extranei quærerentur, qui præficerentur Eccleſiis Regni? Si abſque prævaricatione Divinæ, naturalis, & humanæ legis, non eſt permiſſum Clericis extraneis ad ſacras præbendas aditum aperire, cur, quomodo, & quâ conſcientiâ, potuerunt indigenis poſtpoſitis, ibi extranei accerſiri? Nonnè debebant ex propriâ diœceſi, vel ex circumjacenti provinciâ, vel ſaltem ex toto Regno, deligi Antiſtites, quibus beneficia Epiſcopalia eſſet licitum adipiſci? Et quemadmodùm Eccleſia *Neapolitana* hoc tempore commiſſa eſt *S. Agrippino*, Neapoli orto, in regione Herculeâ ad Aream Fucillenſem (*c*), cur non & aliæ propriis Civibus commiſſę fuerunt? Certè omnia hęc alitèr conſiſtere non poſſunt, quàm firmato conceptu, quod nunquam fuerit interdictum Clericos extraneos beneficiis Epiſcopalibus inſignire, ſed potius, quod ab ipſis fidei Chriſtianæ primordiis, ac præſertim ab uſque Sæculo Chriſti ſecundo, praxis Eccleſiæ id obtinuerit, ut in Regno Neapolis, tùm viris indiginis, tùm extraneis apertus fuerit aditus ad Eccleſiaſtica beneficia, dummodò benemerentibus, atque dignis, nullâ factâ inter promovendos diverſitate originis, vel nationis, utpotè ad rem, vel nihil, vel penè nihil faciente.

(c) *Anton. Caraciol. in Monum. Eccl. Neap.*

16. Proſequamur ſermonem ad alia ſæcula ſubſequentia. *Tertio Chriſti Sæculo* ſterilis eſt memoria plurium Sacrorum Antiſtitum, qui Eccleſiis Regni Neapolis præfuerunt; cumque ultrà nomen eorum, pauca diſtinguantur in illius temporis monumentis; difficile eſt divinare, undè ortum habuerint. *S. Dionyſium* tamen conſtat Epiſcopum *Brunduſinum*, natione fuiſſe Ægyptium, Patriamque habuiſſe Alexandriam (*d*). Sanctus quoque *Magnus* Epiſcopus *Tranenſis*, ex patre Etruſco natus eſt (*e*). Et quoàd ordines inferiores, legimus, quod *S. Felix* Senior Epiſcopus *Nolanus*, Præsbyterum apud sè habuit, nomine Elpidium, natione Græcum, à quo poſt obitum ſepultus eſt (*f*). Prout & Joannes Epiſcopus *Lucerinus*, Marcum accivit ex Ecana Apuliæ, illumque Sacerdotali gradu inſignitum, habuit in Epiſcopali munere ſucceſſorem (*g*). Et quoniam, juxtà doctrinam Contradictorum, priſcis illis temporibus, ordo, & officium, non diſtinguebatur à beneficio;

(d) *Ughelli Ital. Sacr. to. 9. in Archiepiſcopis Brunduſ. n. 5.*

(e) *Idem tom. 7. in Archiepiſcopis Tranenſ. n. 2.*

(f) *Idem to. 6. in Epiſc. Nolan. n. 1.*

(g) *Idem tom. 8. in Epiſc. Lucerinæ n. 2.*

neficio; patet, quod eo tempore viri, tàm urbe, quàm provinciâ, & natione extranei, admittebantur in Regno Neapolis ad Ordines, & Officia, & conſequentèr etiam ad eccleſiaſtica beneficia. Nam ſi hoc factum eſt in recenſitis Eccleſiis; quis dubitet idipſum etiam factum eſſe in aliis ejuſdem Regionis? Et ſi talitèr fiebat quoàd beneficia Epiſcopalia, & Presbyteralia, intentum jam habemus, de quo fit quæſtio, & multo magis pro beneficiis inferioribus.

17. Sequenti *Sæculo quarto* faſtis Eccleſiaſticis, pluribus in locis, Regni Neapolitani reperiuntur adſcripti Clerici extranei: & ſignantèr *Nolæ S. Paulinus*, origine Romanus, ortu Aquitanus, Baptiſmo Burdigalenſis, Presbyteratu Barcinonenſis (*a*), de quo quandoquidem ſuprà magis ex propoſito locuti ſumus, inutile eſt hìc plura contexere (*b*): qui tamen etſi vixerit etiam hoc ſæculo, pertinet nihilominus potius ad Sæculum quintum: obiit etenim anno Chriſti 431. *Capuanam* Eccleſiam eodem quarto Sęculo rexit *Vincentius*, celeberrimus Præſul; qui cum anteà Presbyteratus officio in Romanâ Eccleſiâ perfungeretur, Nicæno I. Concilio interfuit, uti legatus S. Papę Silveſtri. Adfuit quoque ut Antiſtes Synodo Sardicenſi, de cujus indictione cum Conſtantio Imperatore, nomine Julii Papę I. tractaverat (*c*). *Theanenſem* Eccleſiam tenuit *S. Paris*, origine Græcus, ac patriâ Athenienſis, qui à memoratos S. Silveſtro in Epiſcopum ordinatus eſt (*d*), huicque in munere ſucceſſit *S. Amaſius* itidem Græcus, à facie præfati Conſtantii Cęſaris Arriani ad Julium Papam profectus (*e*). *Brundusina* Metropolis Rectorem ſui habuit hoc Sæculo quarto *S. Aproculum* natione Romanum (*f*). Eo defuncto, *S. Pelinum* natione Macedonem, ac patriâ Dyrrachienſem (*g*). Quo paritèr ad Cœlites translato, infulæ Epiſcopales delatę ſunt *S. Cyprio*, Hilladii filio, Gręco, S. Pelini diſcipulo, ac ſocio peregrinationis ejus, adoleſcenti admodùm, cunctiſque Civibus Chriſtianis, quibus illa Urbs abundabat, prælato (*h*).

(a) *Vid. ejus vitam ante illius Opera. Et Ughell. to. 6. in Epiſc. Nolan. n. 7.*
(b) *Vide ſupr. tom. 1 Sæcul. 5. cap. 9. à n. 26.*
(c) *Idem tom. 6. in Epiſc. Capuan. n. 8.*
(d) *Idem to. 6. in Epiſc. Thean n. 1.*
(e) *Ibidem n. 2.*
(f) *Ferrar in Catal. SS. Ital. die 5. Decemb.*
(g) *Idem loc. cit.*
(h) *Ughelli Ital. Sacr. to. 9. in Archiepiſc. Brundus n. 8.*

18. Succeſſivè *Sæculo Chriſti quinto* Epiſcopalibus tęniis redimiti in Regno Neapolis effulſerunt, *Beneventi S. Sophius*, Britannus. *Surrenti S. Renatus*, natione Gallus, ac patriâ Andegavenſis, qui ut vitam ſolitariam ageret propè Surrentum, AndegavenſemEccleſiam, cui pręeratdereliquitque, ceſſavitque eſſe Epiſcopus loci, cujus erat indigena, ut fieret Antiſtes Urbis, à quâ erat prorſus extraneus (*i*). In *Capuæ S. Priſcus* junior, natione Africanus, qui in perſecutione Vandalorum patriâ expulſus, vetuſtoque navigio impoſitus, ad littora Campanię appulit, unà cum pluribus Sociis, qui Antiſtites in diverſis illius Regionis Eccleſiis ſunt conſtituti, eorumque nomina ſunt, *Caſtrenſis*, *Temmarus*, *Roſſius*, *Heraclius*, *Secundinus*, *Adjutor*, *Marcus*, *Auguſtus*, *Elpidius*, *Canion*, & *Vindonius* (*l*). Ità duodecim viri extranei, nedum charitativè in Regno Neapolis ſunt excepti, ſed etiam beneficiis Epiſcopalibus decorati, tametſi Regio Campaniæ, illâ ætate tota eſſet Chriſtiana, & Clericis, & Presbyteris nationalibus abundaret, quibus poſſent Eccleſię illæ committi. Valdè igitur à priſcâ ſuorum Antenatorum charitate deviant Contradictores, dum nolunt dari acceſſum ad præbendas Eccleſiaſticas Clericis Româ venientibus, in eorum Regno, quando ibi viris etiam Africanis, illùc fortuitò appulſis Epiſcopales infulas, illorum antiqui progenitores liberaliſſimè deferebant.

(i) *Idem tom 6. in Archiepiſc. Surrentinis n. 2.*
(l) *Ex Breviar. Capuan. Ughell. to 6. Epiſc. Capuan. n. 12.*

19. Paritèr eodem ſæculo intèr Epiſcopos effulſerunt in prænotato Regno, *Siponti S. Laurentius*, qui cum fuerit Zenonis Imperatoris conſanguineus (*m*), oportet illum apud Græcos, vel ortum, vel originem habuiſſe: illeque idem eſt, quo ſedente S. Michael Arcangelus Montem Garganum apparitione ſuâ glorioſiſſimâ decoravit. *Andriæ* quoque ſedit Antiſtitis officio fungens *S. Richardus* natione Anglus, à Gelaſio Papâ I. ordinatus (*n*). Apud *Frequentinos S. Marcianus*, natione Græcus, à S. Leone I. Epiſcopus conſecratus (*o*). *Nolæ Joannes Talaida*, Patriarcha Alexandrinus, qui à ſuâ Cathedrâ juſſu Zenonis Imperatoris ejectus (*p*), Appellatione ad Papam interpoſitâ, Romam venit, ubi ejus cauſa ventilata eſt (*q*), obſiſtenteque Auguſto, nè Alexandriam remearet, Nolanæ Eccleſiæ, à Felice Papâ

(m) *Ughell. to. 7. in Epiſc. Sipont. n. 3.*
(n) *Ughell. Ital. Sacr. to. 7. in Epiſc. Andr. num. 1.*
(o) *Idem tom. 8. in Epiſc. Frequent. n. 1.*
(p) *Baron. an. 482. num. 21. 23. 36. &c.*
(q) *Idem Baron. an. 483. num. 1. 2. 17.*

Papâ III. præfectus eſt. De quo Liberatus in ſuo Breviario: *Joannes Talaida, habens Epiſcopatus dignitatem, remanſit Romę, cui Papa Nolanam dedit Eccleſiam, quę eſt in Campanię regione, in quâ plurimos reſidens annos, in pace defunctus eſt* (*a*). An Joannes Eccleſiam hanc in titulum habuerit, vel in commendam, ambiguum eſt (*b*). Quocumque autem modo id acciderit, confert ad cauſam noſtram, quandoquidem Contradictores non abnuunt impugnare collationes Eccleſiarum Regni, tàm in titulum, quàm in commendam, factas extraneis, cum hìc palmaritèr diſcernatur praxis, quâ uſque à Sæculo Chriſti quinto, Romanus Pontifex beneficia, etiam Epiſcopalia, Regni Neapolis, vel in titulum, vel in commendam conferebat Clericis, nedum patriâ, & provinciâ, ſed etiam linguâ, populo, & natione extraneis, Græcis tandem, & Ægyptiis, totoque diſſitis cœlo.

20. Implebunt *Sæculum Chriſti ſextum* res Eccleſiæ ipſius Metropolis Neapolitanæ. Erat in illâ Civitate Monaſterium, cui D. Gregorius Abbatem præfecit quendam Monachum, Româ miſſum, adeoque extraneum: qui cum tandem viam univerſæ carnis ingreſſus fuiſſet; Sanctus Pontifex eidem Cœnobio præfecit alium Monachum, illòc tranſmiſſum, ſub titulo, vel officio Præpoſiti, ut ſi laudabilitèr ei præeſſet, dignitatem quoque Patris, & Abbatis, poſt aliquantum temporis, obtineret (*c*). Satis clarè hoc inſinuat, quod tunc extraneis patebat acceſſus extraneis in ipsâ Urbe Neapolis, & conſequentèr etiam in aliis locis ejuſdem Regni ad beneficia Abbatialia. Et quoàd beneficia Epiſcopalia; audiatur attentè. Depoſito proptèr gravia facinora Demetrio Epiſcopo Neapolitano, S. Gregorius Magnus ſcripſit *Ordini, & Plebi conſiſtenti Neapoli*, ut alium ſibi Antiſtitem eligerent, virum benemerentem, & dignum (*d*). Interimque Neapolitanam Eccleſiam commiſit *Paulo* Epiſcopo Nepeſino (*e*), in quem ſtatim Neapolitani vota concordia dirigentes, illum, tametſi extraneum, ſibi dari in Præſulem à D. Gregorio poſtularunt. Abnuit Summus Pontifex eorum ſupplicationibus adhęrere, quippè Paulus erat alteri Eccleſiæ, quam habebat in titulum, alligatus: tempuſque ad rem melius ponderandam exegit (*f*). Neapolitani interim alium elegerunt, itidem extraneum, nempe *Florentium* Subdiaconum, ſeu Prælatum Romanæ Eccleſię (*g*), quo munus illud ſuſcipere detrectante, S. Gregorius alium eligi præcepit.

21. Sed quià ſuffragia electorum intèr ſè diſciſſa, in unum non conveniebant, & Paulus Nepeſinus inſtabat ſibi reditum ad ſuam Sedem permitti; Sanctus Pontifex Petro Subdiacono Campaniæ commiſit, ut Clero Neapolis intimaret, quatenus citò duos, aut tres ex eorum corpore deputarent, qui Romam peterent, ibique electionem novi Præſulis coram Sede Apoſtolicâ celebrarent (*h*). Obtemperarunt Pontifici Neapolitani: eorumque Deputati, ſivè Compromiſſarii elegerunt *Fortunatum*, quem extraneum fuiſſe cenſemus, tùm quià illius indigenatus nullum reperitur veſtigium: tùm etiam, quià cum D. Gregorio denunciaverit, sè fuiſſe libentèr à Neapolitanis ſuſceptum (*i*), qui mox Paulum, aut Florentium extraneos habere in Præſulem peroptaverant; ſatis indicio eſt, sè aliundè Neapolim adiiſſe. Igitur ſexto Chriſti Sæculo nulla erat lex prohibens, quominus Neapolitanæ Eccleſiæ præficeretur extraneus, ſi Summus Pontifex transferre illùc voluiſſet de Sede Nepeſinâ Paulum Viſitatorem; vel ſi Florentius Prælatus Romanæ Eccleſiæ oblatas ſibi Metropolis illius infulas acceptaſſet. Si dicatur, electos fuiſſe hos extraneos, quià tunc Neapoli non eſſent Viri ad tantum onus idonei; ſit injuria magnę ipſi Metropoli, de quâ congruè cum D. Paulino concini poteſt, *Urbes innumeras una miramur in Urbe* (*l*). Nèc ſinè ignominiâ hoc ſupponi poſſe præfatus D. Gregorius Neapolitanis ipſis perſcripſit: *Nàm grave Cleri illius erit opprobrium, ut ſi hic fortaſſe approbatus non fuerit, alium ſè dicat, qui eligi debeat, non habere* (*m*). Fuſiùs proſecuti ſumus hanc rem, totamque ſeriem ipſius, Sæculo ſeptimo, in quo contigit mors præfati Sancti Pontificis Gregorii I. Undè illùc Lectorem remittimus (*n*).

(a) *Liberat. Breviar. cap. 18.*
(b) *Thomaſſin. Vet. & Nov. Eccl. Diſcipl. p. 2. l. 3. c. 10. n. 15.*
(c) *S. Gregor. lib. 7. epiſt. 93.*
(d) *S. Gregor. l. 2. indic. 10 epl. 2.*
(e) *S. Greg. l. 2. ind. 10. epl. 12. & 20.*
(f) *Idem loc. cit. epl. 6. & 7.*
(g) *Idem l. 2. indic. 11 epl. 15.*
(h) *Idem loc. cit. epl. 35*
(i) *S. Greg. l. 2. ind. 11 epl. 61.*
(l) *S. Paulin. Natal. 2 de S. Felic. Nolan.*
(m) *S. Greg. l. 8. ep. 40*
(n) *Vid. ſupra to. 1. Sæcul. 7. cap. 14. à n. 22*

22. Si

22. Si replicetur potuiſſe illos extraneos Paulum, Florentium, & Fortunatum, eligi, quià Neapolitani ceſſerint juri ſuo, eligendo concorditèr ipſos; hæc reſponſio non ſubſiſtit, quià nemo cedere poteſt juri ſuo, in præjudicium eorum, favore quorum Divinum, naturale, & humanum jura alitèr poſcunt. Et ità ſi in ſententiâ Contradictorum prohibitum eſt jure Divino, naturali, & humano, pręficere Eccleſiis extraneos, non poterant Neapolitani cedere proprio juri favore extraneorum: eligere namque omninò debuiſſent, vel Clericum, vel ſaltem laicum poſtulare, natum in illâ urbe, non in extraneos conſentire. Præterquam quod ſatis erat, ut unus de tanto numero non conſentiret: major enim pars non potuiſſet præjudicare minori in jure electionis paſſivo (*a*). Non ergò aliâ de cauſâ Neapolitani tunc ſucceſſivè duos extraneos elegerunt, niſi quià liberum illis erat, prò eorum arbitrio, tàm Clericos extraneos, quàm nationales eligere. Et electi illi Paulus, ac Florentius, non ſunt à beneficio Epiſcopali Neapolitano repulſi, quià obſiſteret eis extraneitas, ſed quià eorum alteri obſtitit vinculum prioris Eccleſię; alter verò noluit Epiſcopale pondus humeris ſuis imponere. Igitùr ex totâ ſerie utriuſque electionis patet, quod praxis Sęculi ſexti hoc ferebat, ut in primariâ Regni Neapolitani Eccleſiâ (& multò magis in aliis inferioribus) pateret acceſſus ad beneficia, non modo Clericis indigenis, verum etiam extraneis.

23. Quo ſimilitèr Sęculo decurrente, ex memorati D. Gregorii epiſtolis intelligimus, multos Clericos Diœceſis Capuanę ſolitos eſſe Neapoli commorari, quibus deſignata quędam ſubſidia conferri Sanctus Pontifex mandat Gaudentio Epiſcopo Nolano, tunc Eccleſię Capuanę Viſitatori ſcribens: *Qui Eccleſiaſticis famulantur obſequiis, Eccleſiaſtica, ut poſſibilitas exigit, debent adipiſci ſubſidia. Proindè fraternitatem tuam præſentibus hortamur affatibus, ut Clericis Capuanę Eccleſiæ, qui in Civitate Neapolitanâ conſiſtunt, quartam in presbyterum eorum, de hoc quod ante Eccleſię ſingulis annis acceſſerit, juxtà antiquam conſuetudinem diſtribuere, ſecundum perſonarum ſtudeat qualitatem: quatenus aliquod ſtipendiorum habentes ſolatium, miniſterium, officiumque ſuum circà eandem Eccleſiam, devotiori mente provocentur impendere* (*b*). Habebant Clerici Capuani Eccleſiam intrà Urbem Neapolis (*c*), in quâ conveniebat *presbyterium eorum*, nempè vel ibi ſimul concurrebant ad Sacra Myſteria exercenda, & laudes in choro Domino perſolvendas: *presbyterium* enim in Sacris Canonibus ſignificat *Chorum* (*d*). Vel ſimul inibi congregabantur, tamquam Collegium agentes, vel Conſiſtorium, aut Senatum: *Presbyterium* namque apud Sanctos Patres aliquandò ſumitur prò congregatione, vel adunatione Sacerdotum (*e*).

24. Et quià Eccleſia Neapolitana tunc Metropolis nondum erat, prout & nec talis adhùc erat Capuana; ſequitur, quod nulla ex his Eccleſiis eo tempore ſubjectionem habebat reſpectu alterius, ſed utraque independens ab alterutrâ erat. Quare licèt jam tunc Eccleſia Capuana eviciſſet, ut poſſideret Baſilicam intrà męnia Neapolis; tamen ſaltem quando primò adepta eſt hoc jus poſſidendi ipſam Baſilicam, & conſequentèr ejuſdem quoque reditus, & proventus; certè verificatum fuit, quod intrà męnia Neapolis beneficia, & pręb endas illius Baſilicę poſſiderent Clerici extranei, quales erant Capuani: qui tametſi ex eâdem regione prodiiſſent, quantum ad Principatum politicum (quod tamen ſine magna difficultate admitti non poteſt, cum utraque Urbs antiquis temporibus proprium haberet Principem, aut Ducem) certè quantum ad ſpiritualia, ad aliam ſpectabant Eccleſiam, Canoneſque uſque ad illud tempus editi, quos magnificiunt Contradictores, uti pręſcribentes electiones fieri de gremio Eccleſię, quemadmodùm & aliquandò pręſcripſit ipſe D. Gregorius (*f*), prò gremio Eccleſię, non ſignificabant cunctas alicujus Regni Diœceſes, ſed propriam uniuſcujuſque Epiſcopatus Eccleſiam: adeòque Clerici Capuani, apud Neapolim erant extranei, non indigenę: & nihilominus ibi poſſidebant Eccleſiam cum tot proventibus, & pręb endis, quot tantis Clericis reſponderent, qui ibi convenirent in Choro, vel

Col-

(a) *Fagnan. in cap. cum dilectus 8.n.13.de Conſuet.l.1.*

(b) *S.Greg. lib. 4. epl.26.*

(c) *Ughell. Ital.Sacr. to.6. in Epiſc.Capuan. num.10.*

(d) *Cap.30. de Conſec.diſt.2.cap.1. & ibi Canoniſtæ de Vit. & honeſt.Cler.Magri Notitia Vocab. Eccleſ.V. Chorus & V. Presbyterium.*

(e) *S.Cypr. epl.35. & 46. Magri & Ughelli locis citat.*

(f) *S.Greg. lib.11. epiſt.16.*

Collegium Sacerdotale componerent. Undè patet ad ſenſum, quod Sęculo Chriſti ſexto, intrà ipſum ambitum Urbis Neapolis, aditus patens erat ad beneficia Clericis extraneis, nedùm perfunctoriè, vel caſu, ſed etiam firmo, ſtabili, & invariabili modo, ſic ut beneficia illa ſemper ad extraneos, nempè ad Capuanos, deberent pervenire, donec res alitèr eſt mutata.

(a) *Beda tom.3.Hiſt. Angl.lib 4.c.1*
(b) *Ughel. Ital ſacr. to 9 in Archiep.Brundus.n.9.*
(c) *S.Greg.l.7.ind.2 epiſt.105.*
(d) *Ughel. in Archiep.Tarent.n.3.to 9.*

25. Ad *Sæculum Septimum* progrediamur. Hoc tempore propè Neapolim erat celebre Monaſterium, Niridanum dictum, cui pręerat Abbas Hadrianus, natione Afer, ductus poſteà in Angliam à S. Theodoro Epiſcopo Cantuarienſi, & ibi Vitaliani Papæ mandato, præpoſitus Monaſterio S. Petri Apoſtoli: Quâ de rè fuſius Venerabilis Beda (*a*). *Brunduſina* Eccleſia Præſulem habuit *Theodorum*, ſive Theodoſium, natione Græcum, qui floruit circà annum Chriſti 695. (*b*) *Gallipolitana*, Sabinum, ſive *Sabinianum*, natione Romanum, cui ſcripſit epiſtolam S.Gregorius Magnus (*c*). *Tarentina*, *Maſonam*, natione Gothum (*d*), cujus etſi pręciſa ętas neſciatur, tamen hoc ęvum non exceſſiſſe probabilitèr judicamus. Et ut hic quoque aliquid de primariâ Eccleſiâ Regni Neapolis eloquamur recolendum eſt, quod pręſenti ætate multi Clerici extranei Neapoli morabantur, quibus non minus ac indigenis D. Gregorius præcepit, de bonis Eccleſiæ portionem congruam miniſtrari, literis ad Paſchaſium directis, qui Neapolitanæ Cathedrę inſedit poſt annum Chriſti 601. (*e*) *Volumus, ut ſecundum diſtributionem præſentibus ſcriptis inſertam, coram Anthemio Subdiacono noſtro ſine difficultate aliquâ fraternitas veſtra debeat erogare. Præbendi itàque ſunt Clericis veſtris per ſingulos, ſicut proſpexeritis ſimul omnis ſumma ſolidi centum: præjacentibus, quos centum vigintiſex eſſe cognovimus, dandi ſunt ſolidi ſexagintatres; ideſt medius ſolidus per ſingulos: presbyteris, ac diaconibus, & clericis peregrinis ſolidi quinquaginta: hominibus honeſtis, ac egenis, quos publicè petere verecundia non permittit, ſolidi centum quinquaginta, itàut quilibet eorum ad ſingulos tremiſſes, quidam ad binos, quidam ad ſingulos ſolidos, vel ſi viſum fuerit, amplius, dimittatur. Reliquis verò pauperibus, qui eleemoſynam publicè petere conſueverunt, ſolidos trigintaſex* (*f*).

(e) *Ughel.Ital ſacr. in Archiep. Neapol. num 19.*
(f) *S.Gregor. lib.9. epiſt.29.*
(g) *Thomaſſin.vet.& nov. Eccl.diſc. p.3.l.3. c.26.n.19.*
(h) *Magri Vocab.Eccleſ.V.Matricula.*
(i) *Bin.in not.ad Concil.Antiſiodor.an.590. capit.3.*
(l) *Flodoard. lib.3. cap.26.*
(m) *S.Greg VII.l.3. epiſt.17.ap Bin.tom.7. Conc.p.2.f.359.*

26. Quemadmodùm Clerici ſunt, fueruntque antiquis Sæculis, beneficiarii Eccleſię; ità etiam beneficiarii erant pauperes (*g*), tùnc præſertim, quando cuncti proventus eccleſiaſtici ad manus Antiſtitis perveniebant, qui debebat eos diſpenſare. Clericis enim matriculæ Eccleſiæ inſcriptis ſportulam, ſive portionem dabat, qui dicebantur *Clerici*, vel *Canonici matricularii* (*h*), hæcque erant illorum beneficia. Sed & portionem aliquam dabat etiam pauperibus, elencho inopum adnotatis, qui paritèr nominabantur *matricularii Eccleſiæ*, ut ex Concilio Antiſiodorenſi (*i*), ac ex Flodoardo Remenſi patet (*l*), memoratque S. Gregorius VII. *Canoniam pauperum* (*m*). Sanctus Gregorius Magnus autem juſſit Neapoli fieri tres Claſſes Clericorum, & duas pauperum, itàut prima Claſſis eſſet *Clericorum* Neapolis, ut ſic ſumptorum. Secunda Clericorum *præjacentium*, qui fortè erant Clerici Eccleſiæ Cathedrali ſervientes. Tertia *Preſbyterorum*, *Diaconorum*, & *Clericorum peregrinorum*. Quarta pauperum erubeſcentium mendicare. Et quinta demùm pauperum aliorum, qui ſoliti erant victum quæſtuando captare. Ex maſsâ ſolidorum 400. jubet Summus Pontifex dari Clericis Neapolitanis ſolidos 100. ac præjacentibus 63. In totum Clericis Diœceſanis ſolidos 163. Presbyteris verò, Diaconibus, & Clericis peregrinis, mandat præberi ſolidos 50., nempè ferè tertiam partem illius ſummæ, quam percipiebant Clerici Diœceſani.

27. Si ergò diſtribuenda nunc eſſent bona eccleſiaſtica Urbis, & Regni Neapolitani, eo modo, ac ſub illâ proportione, quâ pręcepit ſanctiſſimus iſte Pontifex ſuo tempore diſpenſari; Clerici extranei, nedum non eſſent ab illis longius protelandi, uti conantur Contradictores, ſed imò ad eos eſſent admittendi, uſque ad tertiam circitèr eorum partem. Et tamèn nùnc, non ſolum non tertiam, ſed nèc decimam, nèc vigeſimam obtinent partem. Nàm ſi demantur beneficia Epiſcopa-

lia

lia, & Archiepiſcopalia, quæ fere cuncta Nationalibus committuntur: Item Dignitates, & Canonicatus, Manſionarię, & Capellaniæ Cathedralium, & Collegiatarum, necnon Parochiæ, & Vicariæ, Curam animarum habentes; beneficia demum Juriſpatronatus laicorum, ac alia beneficia ſimplicia, vel patronatus eccleſiaſtici in menſibus Ordinariorum vacantia, quæ omnia, vel ferè omnia, Clericis Regnicolis diſpenſantur: demum ſi ex beneficiis ſimplicibus, vel Abbatiis reſervatis, detrahantur illæ, quas Papa Cardinalibus, Prę latis, Epiſcopis, Clericiſque Neapolitanis confert; computatis computandis reperietur, nec etiam vigeſimam partem beneficiorum Regni Neapolitani, imò fortè neque trigeſimam, Clericis extraneis eſſe collatam: Et en quo tendit declamata illa multitudo beneficiorum viris extraneis porrectorum, quę certè immenſo numero eſt minor ſummâ illâ proportionali, quam Septimo Chriſti Sæculo, ſub dictamine S. Gregorii Papæ Eccleſia Neapolis Clericis advenis diſtribuebat.

28. Quod ſequitur *Sæculum octavum*, intèr alia retinet memoriam *Thoſini* Greci, Epiſcopi *Crotonienſis* (*a*), & *S. Auperti* ex Galliâ Abbatis *S. Vincentii* de Vulturno (*b*). *Sęculum nonum* exhibet nomina *S. Paulini* Britanni, habentis Archiepiſcopium *Capuanum* (*c*), ac *Theodoſii* Galli, præſidentis Metropoli *Theatinæ* (*d*). *Sęculum decimum* facit mentionem *Nicetæ* primi, Neapolitani Archiepiſcopi, cujus ipſum nomen patefacit fuiſſe Grę cum, & à ConſtantinopolitanoPatriarchâ titulum Archiepiſcopale dicitur habuiſſe (*e*). *S. Leo* pariter, & *S. Conſtabilis* Lucenſes, in Abbatiali beneficio Cavenſi, mediate ſibi alter alteri ſucceſſerunt (*f*). Uberiorem daremus notulam virorum, qui beneficia Epiſcopalia in Regno Neapolis, antè annum Chriſti milleſimum, tenuerunt: ſed quià ingens pars Epiſcopatuum, poſt decimum Sæculum erecta eſt: & eorum qui præcedenter fundati ſunt, integra ſeries Præſulum non habetur: ac quorum etiam habetur nomen; antiquitas patriam non expreſſit, ſcirique propterea non poteſt, an fuerint indigenæ, vel extranei; hinc ęſt quod hìc magis opulentam ſeriem Advenarum Antiſtitum non conſerimus: elenchus tamen earum, quos memoravimus eſt ſufficiens, ad probandam praxim decem priorum Eccleſiæ Sæculorum, aditum pandentium, non modo Clericis indigenis, verum etiam extraneis, ad eccleſiaſtica beneficia, cum in antiquis leviores probationes ſufficiant (*g*): & ad oſtendendam praxim ſatis ſit etiam unicus actus habens tractum ſucceſſivum de tempore in tempus (*h*).

29. *Sęculo undecimo*, & ſubſequentibus major numerus occurrit Præſulum aliundè natorum, qui beneficia Epiſcopalia in Regno Neapolis, poſſederunt. Beneficia inferiora verò non individuamus, quià nomen, & patriam illorum, qui eadem poſſederunt, ubinàm eſt poſſibile reperire? Quis illa memoriæ tradidit? Quis ea typis impreſſit? Utinàm aliquis eamet ad poſteros tranſmiſiſſet: palparetur etenim manibus, cerneretur oculis, evinceretur obtutu, praxis priſcorum ſæculorum, conſentanea illi ipſi, quam nunc ſervandam eſſe clamamus. Sed quià, uti fert commune proloquium, de minimis non curat prætor (*i*); Nemo hanc ſibi occuſationem aſſumpſit, ut Parochorum, Canonicorum, Capellanorum, Beneficiatorumque ſimplicium, patriam ponendam duxerit ſub regeſto: vel ſaltem hujuſce rei ad nos notitia non pervenit. Verùm hiſce minutioribus memoriis deficientibus, pluſquàm ſatis eſt ſeriem Antiſtitum non deeſſe: ſtylus namque in beneficiorum Epiſcopalium diſpoſitione ſervatus, dat normam ſtylo, inferiora beneficia concernenti (*l*). Quarè probatâ Clericorum extraneorum admiſſione ad Epiſcopalia beneficia, probata ex conſequenti remanet etiam eorum admiſſio ad beneficia ordinis inferioris, cum ſuperadjuncta vi rationis, quæ deducitur à majori ad minus, à quo proculdubiò validum, & efficax depromitur argumentum (*m*).

30. Igitur *Sęculo Chriſto undecimo* ſediſſe reperiuntur, inter cæteros, in Cathedrâ *Sipontinâ* Albertum Placentinum. In *Rhegienſi* Raingerium Gallum. In *Averſanâ* Guitmundum itidem Gallum. In *Tropeenſi* Kalochinum Græcum. In

(a) *Vghel Ital. ſacr. to. 9 in Epiſc. Croton. num 6.*

(b) *Idem to 6. in Epiſc. Æſernienſ. num 7.*

(c) *Idem to 6. inter Archiepiſc. Capuanos num. 29.*

(d) *Idem to 6. in Archiep. Theatin. n. 4*

(e) *Idem to 6 in Archiep. Neapol. n. 1.*

(f) *Idem to. 7 in Epiſ. Salernit. inter Abbat. Cavenſes n. 1. & 4.*

(g) *De Luca de Jurepatr. diſc. 31. n. 14 & diſc. 57. n. 10.*

(h) *Gutier. pract. qu. l. 2. qu. 73. n. 2. Barboſ. repert. pract. concl. V. Conſuetudo.*

(i) *L. Scio ff. de in integr. reſtit. l. 4 in fi. ff. de edil. edict. Barboſ. tr. var. Axiom. 150. num. 1. & 5.*

(l) *Guymer. in Prag. Sanct. V. externis to. 1. f. 35. Leſſius de juſt. & jur. l. 2. cap. 34. dub. 14 num 64.*

(m) *Jura & DD. apud Barboſ. tr. var. loc. 67. numer. 1.*

Aquinati Martinum Florentinum. In *Arrianenſi* Meinardum Patavinum, & in illâ *Montis Corbini*, Albertum Normannum (*a*). Ex vitâ quoque S. Anſelmi Cantuarienſis habetur, quod hoc tempore, Abbatiali beneficio S. Salvatoris Teleſini fruebatur Joannes quidam extraneus, qui fuerat Monachus Cœnobii Beccenſis in Britanniâ (*b*). Quâ pariter ætate Abbatialia beneficia S. Trinitatis Venuſiæ, S. Michaelis Mileti, & S. Euphemiæ in Calabriâ, poſſidebat Robertus de Grentemaiſnil, antea Abbas S. Ebrulfi in Normandiâ, & poſteà Abbas S. Michaelis, ac Epiſcopus Trainenſis in Siciliâ (*c*). *Sæculo duodecimo*, inter alios, infulas *Amalphitanas* tenuit Joannes Panormitanus, Joannes ex Benevento, & Rotbaldus ex Lombardiâ. *Salernitanas* Guillelmus Ravennas. Gerardus de Veronâ *Sipontinas*. *Compſanas* S. Herebertus Anglus. *Acheruntinas* Raynaldus Romanus. Ac tandem *Capuanas* Gaufredus Gallus, Philippus Cremenſis, & Guillelmus ipſe Ravennas (*d*). *Sæculo decimotertio*, infinitus extraneorum numerus tæniis Epiſcopalibus redimitus effulſit, quos inter Algerus Burgundus *Neapoli*, necnon Petrus Romanæ Eccleſiæ Subdiaconus. *Compſæ* Andreas de Urbe, Stephanus Mediolanenſis, atque Laurentius de Tuderto. Corradus Germanus *Bari*. Nicolaus Remenſis *Trani*. Guillelmus Gallus *Salerni*. *Cuſentiæ* Opizo Aſtenſis, Thomas Siculus, Petrus Carinthienſis, Adam Gallus, atque Martinus Polonus. *Capuæ* tandem Cynthius Romanus, Jacobus Pactenſis, Petrus Ferentinas, Salimbene Canonicus Pariſienſis, Marinus demùm, qui tametſi origine Neapolitanus, Canonicus erat, & Theſaurarius Sariſberienſis, retinuitque cum Archiepiſcopatu Capuano beneficia, quę poſſidebat in Angliâ (*e*).

31. Quoàd *Sæculum decimumquartum*, tanta eſt exuberantia Præſulum advenarum, ut nimio tempore opus eſſet ad illos individualitèr recenſendos: aliquos tantum exprimemus ex multis, ne rem videamur jejunis labiis pertranſiſſe. *Neapolitanam* Eccleſiam poſſedit Jacobus Viterbienſis, Bertuldus Romanus, Thomas Etruſcus, Nicolaus Cremonenſis, Anibaldus Atrebatenſis, nec non Bertrandus, Hubertus, Petrus, & duo Bernardi, omnes Galli. *Capuanam* Albertus Terracinenſis, Joannes anteà Epiſcopus in Hiberniâ, Ingirannus Siſtaricenſis, Reginaldus Antiſiodorenſis, & alii. *Compſanam* Philippus Thebanus, & Conſilius Viterbienſis. *Barenſem* Landulphus Patavinus. Joannes Romanus *Nazarenam*. Surrentinam Petrus Bavitenſis. *Acheruntinam* Stephanus, anteà Archiepiſcopus Carinthienſis. *Theatinam* Vitalis Bononienſis, Bartholomæus Romanus, Beltraminus Mediolanenſis, Matthæus Carnotenſis, & Raymundus Maſſilenſis. Leonardus Urbevetanus *Sipontinam*, nec non Nicolaus Januenſis, & Gregorius de Veronâ. *Tranenſem* Andreas Verulanus, Guillelmus Andegavenſis, & Jacobus Turę Senenſis. Demùm *Salernitanam* Guido anteà Epiſcopus Cameracenſis, Robertus Burdigalenſis, Onuphrius Meldenſis, Bertrandus Coturcenſis. Quibus addendus eſt Iſaurus, anteà Metropolites Nundenſis in Daniâ, prælectus à Papâ ſuprà Joannem de Regiis Salernitanum, & Franciſcum Coratium Pariſienſem, coelectos diſcorditer à Capitulo. Quid fuerit hoc ſęculo de Sedibus Epiſcopalibus, conijciat lector ex eo, quod factum eſt in Cathedris Archiepiſcopalibus, niſi velit ex ſe Synopſim Antiſtitum uniuſcujuſque Eccleſiæ percurrere (*f*).

32. Currente *Sæculo decimoquinto*, præfuit Eccleſiæ *Nazarenę* Auguſtinus Romanus. *Barenſi* Jacobus Mediolanenſis. *Amalphitanæ* Joannes Florentinus. Henricus Panormitanus *Acheruntinæ*. *Theatinæ* Nicolaus, anteà Epiſcopus Spoletanus, & Guillelmus Frater Archidiaconi Aquilejenſis. *Tranenſi* Joannes Lopez, & Joannes Borgia, itidem Hiſpani. *Compſanę* Joannes Nicolaus, & Franciſcus, omnes Romani. *Sipontinæ* Nicolaus de Imolâ, Joannes Siculus, Laurentius, Matthias, & Angelus ex Urbe, Beſſaraon ex Nicęâ Græcus, Nicolaus de Saxoferrato, & alii. *Salernitanæ* Octavianus Eugubinus, & Petrus Hiſpanus. *Neapolitanæ* demum Jacobus Parmenſis, & Jacobus alter Romanus (*g*). Hic quoque non adjungimus Catalogum eorum, qui cum eſſent extranei, Eccleſias Epiſcopales in Regno Neapolis

(a) *Ughell. Ital. ſac. in ſerie Epiſcoper. in corpore nominat. to. 6. 7. 8. & 9.*

(b) *Edmer. in Vit. S. Anſelm. & Baron. an. 1097. à n. 9. &c.*

(c) *Willelm. Gemmetic. hiſt. Normann. l. 7. c. 30. Orderic. Vital l. 3 ad ann. 1063. & præfatur f. 483. Roc. Pir. Sicil. Sacr. in Archiep. Meſſanæ.*

(d) *Vid. Ferdin. Ughell. in ſerie Epiſcop. in corpore libri nominat.*

(e) *Ughel. Ital. Sac. in ſerie Epiſcop. in corpore nominat.*

(f) *Ughell. Ital. ſac. in ſerie Archiep. hic in corpore nominat.*

(g) *Idem in Archiepiſc. hic in corpor. nominat.*

lis tenuerunt, quia nimis operoſum eſſet, longumque, ac tędioſum nomina ſingulorum per extenſum præſenti paginę inferere (*a*).

33. Ad *Sæculum Sextodecimum* tranſimus, in quo *Neapoli* Metropoliticum exercuerunt officium Paulus Aretius, anteà Epiſcopus Placentinus, Raynutius Farneſius, poſteà Archiepiſcopus Ravennas, prætermiſſo Fatio Sanctorio Viterbienſi, qui eam Eccleſiam accipere recuſavit (*b*). *Capuæ* Jo. Baptiſta Ferrarius Mutinenſis, Hippolytus Eſtenſis Ferrarienſis, Cęſar Coſta Maceratenſis, Robertus Bellarminus Etruſcus, & Nicolaus Schomberg Germanus. *Bari* Stephanus Menus Hiſpanus, Hieronymus Grimaldus Januenſis, alter Hieronymus Saulius, itidem Januenſis, Jacobus, & Antonius de Pute Nicienſes, & alii. *Amalphi* Robertus Britto Gallus, Antonius Baleſtrarius, & Hieronymus Vitelli Senenſis, Maximus de Maximis, & Hieronymus Planca Romani. *Compſę* Marcellus Creſceutius Romanus, Ambroſius Catharinus Senenſis, Hieronymus Muzzarellus Bononienſis. *Lanciani* Ægidius Viterbienſis, Michael Belga, Leonardus Juannenſis, Joannes de Salzâ, & Antonius à S. Michaele Hiſpani. *Theatæ* Felix Bononienſis, Guido Florentinus, Bernardinus, & Marcus Antonius Romani, Joannes Peruſinus, Hieronymus Anconitanus, Cæſar, & Joannes Baptiſta Lucenſes, & alii. *Siponti* Agapitus Amerinus, Joannes Riccius Etruſcus, Sebaſtianus Regienſis, Joannes Andreas Meſſanenſis, Ptolomæus Novocomenſis, Bartholomęus Hiſpanus &c. *Surrenti* Franciſcus, & Guilbertus Hiſpani, Philippus Florentinus, Julius Brixienſis, Bartholomæus Urbevetanus, Florentius Atrebatenſis, Joſeph Pedemontanus, & alii (*c*).

34. Sed quis otium habet, ut enumeret cunctos Archiepiſcopos, & Epiſcopos Regni Napolitani, qui Sæculo Chriſti decimo ſexto, tametſi aliorſum orti, & nedùm patriâ, verum etiam provinciâ, & natione prorſus extranei, Cathedris ibidem Pontificalibus inſederunt? Si quis pro eodem Sæculo, ſi quis pro multis aliis calculum Advenarum conferat cum Nationalibus, fortè inveniet, plures fuiſſe extraneos, quam Regnicolas: hiſque ſi addat computum Regnicolarum, qui extrà Regnum, in Statu Eccleſiaſtico, & alibi per totam Italiam, & extrà Italiam, beneficia Epiſcopalia conſecuti ſunt; agnoſcet, quam libera ſemper fuerit Eccleſia in admittendo Clericos extraneos, promiſcuè cum extraneis ad eccleſiaſtica beneficia. Nobis ſufficit oſtendiſſe praxim in Regno Neapolis obſervatam, ab initio Ecleſiæ uſque ad noſtram ætatem, de ſæculo in ſæculum cuſtoditam, & ut ajebat S. Athanaſius, *ex patribus ad patres per manus traditam* (*d*), eſſe hanc, ut in toto ipſo Regno ſemper, & numquam interruptè, Clerici etiam extranei locum habuerint ad beneficia. Quod ſi Romani Imperatores Cæſari ſuccedentes, ſi Conſtantinopolitani, ſi Reges Normanni, Svevi, Andegavenſes, Auſtriaci, qui interìm Regno Neapolis pręfuerunt, cognoviſſent, non expedire mixtam hanc prælationem extraneorum unà cum indigenis; certè non tardaſſent, nec omiſiſſent ei obſiſtere, illamque impugnare, neque, ut vidimus, Reges Sæculis decimoquinto, & ſexto, evertiſſent excluſionem Clericorum extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis, de quâ ſuperius dictum eſt (*c*)? Sanè ipſi piè, ſimùlque politicè, ac rationabilitèr noluerunt excludi à beneficiis ipſius Regni Clericos extraneos: tùm quià Regi, qui & ipſe eſt extraneus, alibique degit, ac ejus Regiæ Coronæ proficuum eſt, politicè loquendo, quod ibi ſparſim ſint Præſules, aliique præbendati extranei, qui juribus regalibus cuſtodiendis invigilent, & obſiſtant eorum impugnatoribus: ac ſi quando fortè motus, vel novitates, Coronæ, aut Regi noxias, contingeret excitari, opponant ſe illarum conatibus efficacitèr. Tùm etiàm, quià Reges ſunt Eccleſiæ libertatis Defenſores, & Protectores: quâ de rè D. Leo ad Leonem Auguſtum: *Debetis incunctantèr advertere Regiam poteſtatem vobis non ad ſolum mundi regimen, ſed maximè ad Eccleſię prę ſidium eſſe collatam* (*f*). Et individuè de rebus, ad libertatem eccleſiaſticam pertinentibus, Arnulphus Lexovienſis: *Regalis dignitas Eccleſiaſticam conſervare potius conſuevit, quam tollere libertatem* (g). Ideoque pati Re-

(a) *Ciacon. vit. Pontif. in Card. Sanctorio l. 3. col. 1043. C.*

(b) *Ughel. in ſerie Archiep. notat. in corp*

(c) *Idem in ſerie Archiep. in corp. notat.*

(d) *S. Athan. lib. de decr. Nicæn. fid. cont. Euſeb.*

(e) *Vid. ſup. in hoc tom c. 27 à n. 17.*

(f) *S. Leo Epiſt. ad Leon. Auguſt.*

(g) *Arnulph. Lexov. epiſt. 5 ad Alex. III.*

ges non debent, quod hæc intra eorum ſtatum ullum ſentiat decrementum. Tùm demum, quià radicitùs extirpare novitates, quæ poſſunt inquietudines in Eccleſiâ generare, Principi, ac Principatui ſummoperè proficuum eſt: undè Cœleſtinus Papa I. ſcripſit ad Cæſarem Theodoſium: *Pro veſtri Imperii ſalute geritur quidquid pro quiete Eccleſię &c. laboratur* (a). Et ſignantèr integram ſervare libertatem Eccleſiæ in his, quæ ſpectant diſpenſationem beneficiorum, in ipſorum refluit Principum utilitatem: non enim ſine periculo alicujus magnę commotionis poteſt ſubtrahi Superioribus, & privatis; Præſulibus, & Magnatibus; Clericis, atq; laicis, primæva illorum libertas, diſponendi de beneficiis, vel per collationem, vel per nominationem ad ea. Quarè Alexander PP. II. Belam Hungarorum Regem, obſtantem nè liberè fieret electio Præſulis in quâdam Urbe ſuæ ditionis, monuit ut deſiſteret: *alioquin*, inquit, *licèt magnificentiæ Regiæ deferrę velimus, jamdictę Eccleſię in jure ſuo deeſſe non poterimus aliquâ ratione. Nam & Serenitati Regiæ credimus expedire, ut Civitatem ipſam in ſuâ libertate conſerves, ut habitatores ejus in fidelitate tuâ facias firmiores, & ne eis circà dominium tuum occaſionem tribuas malignandi* (b).

(a) *Cœleſtin. I. epiſt. ad Theodor. II.*

(b) *Ughell. Ital. Sac. to. 7. in Appendic. ad Epiſc. Narnien. f. 1305*

35. Quo verò ad DD. Contradictores, breviter dicimus, quod ſi eſt de jure divino, naturali, & humano, quod beneficia eccleſiaſtica ſolis indigenis tribuantur, longiuſque ab eis protelentur extranei; cur per decem, & octo Sæcula in Regno Neapolis eſt obſervatum oppoſitum? Cur tot, & tantorum Stemmatum Reges, fortitèr obſtiterunt, ne excluderentur extranei, nedùm à beneficiis liberæ collationis, vel patronatus Regnicolarum; ſed nec etiam à ſolis patronatibus Regiæ Coronæ, tametſi exhibitione plurium millionum auri recompenſatę? Jura illa ſuppoſita, divinum, naturale, & humanum, quæ in ſententiâ ipſorum Contradictorum repellunt inevitabiliter extraneos à beneficiis, vel erant tunc, vel non erant. Si non erant tunc; nec etiam nunc ſunt. Si erant, eccur illa valere non fecerunt? Demùm vel adeſt ratio excludendi Clericos extraneos à beneficiis Regni Neapolitani, vel non. Si non; quomodo ergò hanc novitatem tanto conatu introducere geſtiunt Contradictores. Si adeſt; cur ea per tot ſæcula nunquam fuit poſita in uſu? De hac profectò intermiſſione dici poſſet cuique ipſorum Contradictorum id, quod Joanni Hieroſolymitano ſcribebat D. Hieronymus: *ſatis multò dormiſti tempore; qui poſt annos tredecim nunc excitatus hæc loqueris* (c). Satis certè ipſi dormierunt, qui non niſi modò, poſt tam prolixum temporis curſum, pro reſtringendâ collatione omnium beneficiorum ad ſolos indigenas, animum intenderunt. Adverſus Græcos, qui in Chalcedonenſi Synodo ſatagebant Patriarchalia jura, primumque poſt Romanum Pontificem locum Archiepiſcopo Conſtantinopoleos obtinere, allegantes decretum Concilii I. Conſtantinopolitani, generalis I. quod jam ante 80. circiter annos id ſtatuiſſet; Legati S. Leonis Papæ ſic breviter arguerunt: Si Græci, ſi Epiſcopus Conſtantinopolitanus, *annis octuaginta hoc beneficio uſi ſunt, quid nunc requirunt? Si nunquam uſi ſunt, quarè requirunt* (d)? Idipſum dicimus nos. Si Domini Contradictores, eorumve Auctores, per mille, & ſeptingentos annos hoc habuerunt, ut excludere poſſent extraneos ab eccleſiaſticis beneficiis, ut quid nunc id requirunt? Et modò adeò irregulari requirunt? Si verò id non habuerunt, quare illud requirunt? Et vim inferendo requirunt? Et non ex gratiâ, ſed per abuſum potentiæ laicalis requirunt?

(c) *S. Hieron. epiſt. 61 ad Pammachium.*

(d) *Bellarm. to. 1. de Pontif. l. 2. c. 18. ant. finem Thomaſſin. Vet. & nov. Eccl. diſcipl. p. 1. l. 1. c. 10. n. 14.*

36. Similiter miratus eſt Jephte, quod Rex filiorum Ammon, vellet Iſraelitis per vim auferre terram Amorrhæorum, quam jam à trecentis annis circiter Dei populus poſſidebat (e), ſub prætextu, quod Regnum Ammoniticum jus antiquum ſuper ipſam terram haberet: ſicque idcircò eſt illum fortiter allocutus, quod doceret de interruptione pacificæ poſſeſſionis Iſraelitarum, factâ per illos, quibus terra ipſa ſublata fuerat à filiis Iſrael, & jam poſſeſſa per trecentos annos, dicens: *quare tanto tempore nihil ſuper hac repetitione tentaſtis? Igitur non ego pecco in tè, ſed tù contrà mè malè agis, indicens mihi bella non juſta. Judicet*

(e) *Gloſ. in Judicum 11 a 26. & ibid Toſtat. qu. 38.*

Do-

Digitized by Google

Dominus arbiter hujus diei inter Iſrael, & inter filios Ammon (a). Sub eodem tramite procedendo, datur nobis aditus eloquendi. Si nos probamus praxim promovendi extraneos quoque cum indigenis, in Regno Neapolitano, praxim inconcuſſam, pacificam, & nunquam interruptam, *per mille, & ſeptingentos annos*, & ultrà; quare Domini Contradictores, eorumque Auctores nomine Regni (non hoc petentis, quippè cujus Ordines non fuerunt convocati ad inſtantiam iſtam deliberandam, prout opus erat) & etiam cum præjudicio Coronæ Regiæ, atque Regis, cujus libertas imminutionem patitur reſpectu, ad beneficia Regii patronatus; quare inquam, excludendos eſſe à beneficiis extraneos connituntur? Et ſi hoc autumant eſſe de jure divino, naturali, & humano; cur id per ſeptemdecim ſecula non habuerunt, & tanto tempore nihil ſuper hac petitione prævaluerunt? Igitur non Eccleſia Dei peccat in eos, ſed ipſi *contra illam malè agunt, indicentes illi bella non juſta*. Sed quæſo Domini Contradictores *attendite ad petram, undè exciſi eſtis* (b). Mementote vos eſſe Eccleſiæ Dei filios, & Romanę Eccleſiæ vaſſallos: ideo per vos *præceptis Apoſtolicis non durâ ſuperbiâ reſiſtatur, ſed per obedientiam, quæ à Sanctâ Romanâ Eccleſiâ, & Apoſtolicâ auctoritate juſſa ſunt, ſalubritèr impleantur, ſi ejuſdem Sanctę Dei Eccleſię, quæ eſt Caput veſtrum, communionem habere deſideratis* (c). Nimium improvidus, nimium eſt perniciòſus conatus veſter: Deo injurioſus, Eccleſiæ præjudicialis, Regno, ac Regi veſtro damnoſus, Præſulibus, Magnatibus, Clericis tandem, ac laicis beneficiorum, vel collatoribus, vel patronis, in Regno ipſo conſiſtentibus, exitialis: quibus ſi libertatem priſtinam detrahere concupiſcitis; profectò vobis injuriam non contemptibilem irrogatis.

37. Et quoàd Sedem Apoſtolicam, quam eâdem libertate contenditis denudare, certè vos *illi facitis præjudicium, de quâ nec nobis, nec cuilibet mortalium licet facere judicium* (d). *Cathedra quid tibi fecit Eccleſię*, inquiebat D. Auguſtinus adverſus literas Petiliani, *Quid deliquit Sancta Romanorum Eccleſia, ut adverſus eam linguam ſuam* ejus acuant impugnatores, ſcribebat Stephanus PP. VI. ad Imperatorem Baſilium (e). Idipſum, & nos vobis amico animo, idque gratè ſuſcipite, denuntiamus. Cathedra quid vobis fecit Petri? Quid deliquit Sancta Romanorum Eccleſia, ut ei velitis priſcam ſuam libertatem ſubtrahere? Ab illâ accipitis honores, Prælaturas, Epiſcopatus, Cardinalatus, Papatus; & eam ſuæ libertati permittere detrectatis? Ità ne retribuitis ei mala pro bonis? Ità nè ponitis inſidias ejus poteſtati, quæ vobis adeò liberalitèr ſublimiores ſuas dignitates impertit? Vos, qui tot, & tantis titulis *deberetis dignitatem propriæ venerationis B. Apoſtolo Petro in noſtris temporibus conſervare* (f)? Jàm tandem ergo amplectimini ſaniora conſilia, & quia ſapientis eſt mutare conſilium in melius (g), à conatu incæpto deſiſtite. *Quid ſtabilita Chriſti manibus cupitis fundamenta ſubvertere? Quid auribus imperitis illuditis* (h)? Quieſcat commotio, temperetur calor, conticeſcant dicteria: & ſi in vobis *culpam incidiſſe naturæ eſt*, ſit *diluiſſe virtutis* (i). Stemus ſuper ſemitas antiquas, uti clamabat Jeremias, nec tranſgrediamur terminos, quos poſuerunt patres noſtri (l). Terminos, juſtitiæ innixos, in æquitate locatos, à praxi ſolidatos, ac per ſeptemdecim, & ultrà ſæcula ſtabilitos: adeoque rebus in primævo eſſe relictis, *ſuis terminis contentus ſit quiſque, nec ſupra menſuram juris ſui affectet augeri* (m). Fiat quod ſemper factum eſt, Liceat quod ſemper licuit. Obſervatur quod ſemper fuit imprævaricabilitèr obſervatum. Omnis namque novitas odioſa eſt (n), ac proindè fugienda: nec cenſendum eſt invaleſcere poſſe illam, quæ Dei Eccleſiam nititur ducere in ſervitutem. Eccleſia enim, *quę eſt mater noſtra, libera eſt* (o): Vexari poteſt, turbari poteſt, poteſt humanorum conatuum injuſtis agitationibus inquietari; ſed captiva fieri omninò non poteſt: Semperque libera permanebit, quia libera nata eſt: ac tali cælitùs patrocinio ditata, ut nunquam contrà eam, nec etiam totus orbis terrarum, ſed & nec ipſæ portæ inferi valeant prævalere (p). *Habeat igitur Deus in Eccleſiâ*

(a) *Judicum cap. 11. num. 36.*

(b) *Iſaię cap. 51. n. 1.*

(c) *Anaſtaſ. PP. I. epiſt. ad Anaſtaſ. Imper.*

(d) *S. Leo PP IX. epiſt. 1. ap. Binium to. 7. Concil p. 2. f. 233.*

(e) *S. Auguſt. lib. 2. cap. 51. contr. liter. Petilian Steph. 6 epiſt. ad Imper. Baſil. apud Bin. to. 7. Concil. f. 130.*

(f) *Valentinian. Imper. epiſt. ad Theodoſ. inc. præamb. ad Concil. Chalcedon.*

(g) *Leg. nunquam & ibi Gloſſ ff. de collat. bonor. Albit. de inconſtant. in Judic in præfat. num 42. Barboſ. Axom 55 n. 3.*

(h) *Ennod. Ticinenſ. contr. Calumniat Symmachi in Synod. Palmari.*

(i) *S. Ambroſ. de Apolog David.*

(l) *Jeremiæ cap. 6. n. 16. Proverb. c. 22. num 28.*

(m) *S. Leo epiſt 84. cap 8.*

(n) *Card de Luca de Præem. diſc. 29 n. 3. & de Regular. diſc. 5. n. 1 & diſc. 28. n. 8.*

(o) *Petrus Bleſenſ. epiſt. 124.*

(p) *Matth. cap. 16 num. 18.*

cleſiâ ſuâ principalitèr quod ſuum eſt: Habeat Rex, poſterior in ordine poſt Deum, quod ſibi à Deo conceſſum eſt (*a*): Habeat Regnum, habeatis vos, dilectiſſimi, veſtrique Auctores, quod ſemper habuiſtis: vigeatis, floreatis, exultetis, creſcatis tandem in mille millia; ſed libertati Eccleſiæ nullatenus inſidiemini.

38. Adhęc recogitate in corde veſtro, quod nunquam proſperum finem habuerunt impetus eorum, qui Eccleſiam Dei aggreſſi ſunt impugnare, illius jura violare, ejuſdem libertatem infringere. Debent enim Principes, debent privati, honorem præſtare Deo, ejuſque Eccleſię, quem ſibi volunt pręſtari à Deo, & Eccleſiâ: videlicet, ut quemadmodum cupiunt ſibi jura propria conſervari, ſic Deo, & Eccleſię ſua jura ſervare non dedignentur (*b*): alioquin graviſſimis culpis animam ſuam illaqueant, & nihilominus irrito ſemper conſilio calcitrant contrà ſtimulum: ſimulque Cœleſte odium in ſe contrahunt, & terrena quoque diſcrimina non evadunt. Timete propterea Dominum quem metuunt omnes fines terræ, ne fortè virgam furoris ſui extendat ſuper vos, Deus ultionum Dominus: cujus ſi ſera eſt punitio, contingit ſępè, ut moram temporis flagelli acerbitate repenſet. Pavete proindè, nè propter tantum ſcandalum, quod excitaſtis, & vim quam Eccleſiæ libertati per tot annos intuliſtis, veniant ſuper vos mala, quæ non putatis: ac nè viſitet in vobis hoc peccatum *Dominus patiens, & multæ miſericordiæ, nullum innoxium derelinquens, qui viſitat peccata patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem* (*c*). Nos enim, prout poſſumus, eundem Dominum, cujus miſericordię non eſt numerus, & bonitatis infinitus eſt theſaurus, enixius deprecamur, ut quælibet infortunia de domo veſtrâ, dilectiſſimi, veſtrorumq; Auctorum, benignus avertat. Det vobis cor docile, ut diſcernere poſſitis inter bonum, & malum (*d*): benefaciat vobis, & det vobis cor omnibus, ut colatis eum, & faciatis voluntatem ejus, corde magno, & animo volenti (*e*): Adaperiat tandem cor veſtrum in lege ſuâ, & in præceptis ſuis, & faciat pacem, & reconcilietur vobis, nec vos deſerat in tempore malo Dominus Deus noſter; qui vivit & regnat in ſęcula ſęculorum Amen.

(a) *Ivo Carnotenſ. epiſt. 47.*

(b) *Nicol. PP I. epiſtol. 34.*

(c) *Numer. cap. 14. num. 18.*

(d) *3. Regum cap. 3. num 9.*

(e) *2. Machabęorum cap. 1. 2.*

Finis Secundi Tomi,

De Libertate Eccleſiæ.

ER-

ANT

E R R A T A C O R R I G E. *Tom. I.*

Pag.	lin.	Error	Correctio.
4	02	differnut	differunt
5	10	commoveri	commoneri
8	39	Lævitæ	Levitæ
12	34	Plutarcus	Plutarchus
14	36	ntilitatem	utilitatem
	36	æquiparentur	æquiparantur
17	20	pluɔis	plures
23	37	Bararanes	Vararanes
47	9	poſita eſt	potita eſt
54	9	incoluebat	involuebat
72	30	piſcis	priſcis
93	29	qnarè	quarè
102	36	34	25
110	22	Antiocheum	Antiochenum
113	5	laſcinus	laſcivus
122	22	probabiliſſimum	quippè certum
	23	vel nihil, vel parum	diverſo modo
	24	&	at
122	26	fecit	fuit
129	1	ſecurili	ſcurrili
	29	& 3. ad	& 3.
130	12	Carbonenſis	Narbonenſis
137	19	Archiepiſcopus	Epiſcopus
148	29	Arelatenſibus	Aurelianenſibus
149	20	illum	illud
151	48	Epiſcopus	Epiſcopis
153	50	Nacerinam	Nucerinam
160	52	Concilio	conſilio
162	1	inter eſt	intereſt
163	42	collatio	etiam
172	2	legatorum	Legatorum
	37	Sæculi,	Sæculis
173	3	nec; dedit	neci dedit,
181	42	Uilrenuus	ſtrenuus
	53	Hieroſolimitana	Hieroſolymitana
188	2	Jamquà	Jamquè
195	5	illois	illos
197	22	Cathalogum	Catalogum
	50	propinguis	propinquis
198	34	vi	in
199	21	nullos	nullas
206	7	Antiſtés	Antiſtites
211	10	proſtenſum	protenſum
212	48	Uſſuncaſſanes	Vararanes
214	45	eollati	collati
	52	gratiam	gratiâ
215	5	Voſmatienſi	Vvormacienſi
220	26	patentibus	petentibus
	33	ſicuti	ſicubi
221	30	menſurum	menſuram
231	23	Lotaringiæ	Lotharingiæ
235	5	Celaber	Calaber
238	31	præſcribitur	præſcribit
	34	10	14
	51	ſit	ſit
265	17	coniecrare	conſecrare
269	47	ſit alis	ſi talia
	25	Tullemſi	Tullenſi
280	9	ſuſceptionem	ſuſpenſionem
281	23	Palatina	Platina
282	23	Apoſtoli	Apoſtolici
286	51	cogitaret	cogitare
295	31	perducat	perdurat
305	18	urium	Jurium
306	37	titulut	titulus
	31	oh ſui	ob ſui
308	6	argumentativum	augumentativum
314	5	celebrarentur	celebraretur
315	13	Prrimate	Primate
334	34	Lucienſes	Lucenſes
336	20	fuſioii	fuſiori
339	25	Bobienſem	Bobienſe
	27	Epiſcopale	Epiſcopali
	33	affectus	effectua
341	3	ſenſuit	ſenſui
	29	egeois	egenis
350	52	Tisberium	Tiberium
351	23	&	ut
356	21	S. Banis	S. Bavonis
	46	epilonator	epilogator
362	13	licitar	licita
	30	dimittas	dimittat
364	40	vobis	urbis
365	41	prciæpuum	præcipuum
368	5	Toloſanam	Toloſanum
370	14	Britantiam	Britanniam
373	30	præieci	præfici
	41	rarum	harum
	54	Chriſtiani	Epiſcopi
381	35	prophera	prophetia
385	47	Eccleſiaſtica	Eccleſiaſtica beneficia
386	12	reluctantium	reluctantiam
	12	eſt oto	eſt voto
	15	Retomagenſi	Rotomagenſi
387	41	concurri,	, concurrit
391	15	optimet	optime
	48	fatura	futura
396	23	uctoritas	auctoritas
397	17	Romane	Romanæ
401	48	edire	edere
402	29	mutuo	mortuo
403	32	quin	quià
407	14	ſolo non procul	ſolo procùl
	30	voſtra	noſtra
408	5	Promovendnrum	Promovendòrum
	34	flumenis	Strumenſis
409	48	& poſt	& antè
418	31	ripudians	tripudians
	48	Nildebertus	Hildebertus
419	20	vobis	votis
420	12	Claromonenſi	Claromontenſi
425	31	thecnis	technis
	46	Rodulphus	Radulphus
428	1	dogmatæ	dogmate
433	14	viro	viri
435	31	deſcuit	deſcivit
442	2	tuo	ſuo
444	28	Aurelienenſi	Aurelianenſi
446	10	eccleſiaſtica	eccleſiaſticæ
447	4	accellere	avellere
	25	Hericus	Henricus
456	39	viri	viris
464	51	eſſe de gremio	eſse indigenam
467	15	Romanis	Romani
468	12	promovit	promeruit
470	5	pœne	penè
	18	Sebando	Sabaudo
473	1	haberi	habere
474	12	recipit	recepit
478	27	infudit	infundit
483	25	exortum	extortum
484	31	obſidium	obſidionem
485	12	perjura	perjuria
	18	ubi	ibi
489	35	adherant	aderant
494	20	Regium	Reginam
505	1	privilegium	privilegia
707	6	integrà	introductà
	15	exraprovincialis	extraprovincialis
	37	ſicque	ſique
516	13	& ſit	& ſic
520	27	dignor	digniore
524	8	incumbant	incumbebant
525	3	& quoàd	& quod
526	14	videbis hic	hic
	48	donatorii	donatarii
	52	limite	limine
	53	donationis	dotationis
527	5	quandocumque	quomodocumque
	35	admittere	admittente
552	18	diſsimulas	diſsimulans
556	29	privilegii,	privilegiis
561	46	tamen res	tamen tres
567	2	proculdubio	diſtante

Alios minutiores errores benignus Lector ex ſe ipſo corriget.

ANT 1316169

Digitized by Google